10
5
264
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

10.5.262

Digitized by Google

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

F. NICOLAI AUGUSTINI CHIGNOLI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Ferrarienſi primum, exinde in Regia Taurinenſi Univerſitate S. Theologiæ Profeſſoris.

PARS TERTIA

IN DUOS TOMOS DIVISA.

VII. De Sacramentis in Genere, de Baptiſmo, de Confirmatione, de Pœnitentia & Indulgentiis, de Extrema Unctione. VIII. De Auguſtiſs. Euchariſtiæ Sacramento, de Ordine, de Matrimonio.

Della Libreria di Firenze nell'an. di S. Giuseppe de' PP. Minimi 1783



VENETIIS.

CUDIT SIMON OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

MDCCLXVI.

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione ed approvazione *del P. F. Filippo Roſa Lanzi* Inquiſitore Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Prælectiones Theologicæ a R. Ad. F. Nicolao Auguſtino Chignoli O. P. in Ferrarienſi primum, exin in Regia Taurinenſi Univerſitate S. Theologiæ Profeſſore*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi; Concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 9. Nov. 1764.

(*Angelo Contarini Proc. Rif.*
(
(*Franceſco Moroſini 2. Kav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 221. al Num. 1300.

Davidde Marcheſini Segr.

Digitized by Google

PRÆLECTIONES POLEMICÆ DE SACRAMENTIS.

PRÆFATIO.

I. AD agendum de Sacramentis cum *in genere*, ut ajunt, tum ſingulis, atque de Indulgentiis quum eſſet nobis quadriennii curriculum circumſcriptum, tantum iccirco temporis non ſuppeteret, ut poſſemus omnia fuſo calamo perſequi, in quibus exercere ſtylum copioſe ſolent rei Sacramentariæ Tractatores, pro virili ſategimus, ut ea ſaltem traderemus, quæ ad Auditorum profectum plus momenti habere certiſſime poſſent. Tridentini propterea Concilii doctrinam illuſtrandam ſuſcepimus, omnium ferme ejus canonum defenſionem totidem propoſitionibus perſecuti ſumus, non aliis plerumque argumentis uſi, quam quæ nobis ejuſdem Concilii Patres optimi diſſerendi Magiſtri ſuppeditarunt, quæ ab iis preſſe breviterque perſtricta evolvimus, confirmavimus, communivimus. Quamquam autem omnes a Tridentino ſuis in canonibus confixos Novatorum adverſus Evangelica Sacramenta errores profligare conati ſimus, in refellendis tamen Calvino, Joanne Forbeſio Aberdonienſi Theologo, & Benedicto Picteto Genevenſi Miniſtro ac Profeſſore operam potiſſimum collocavimus, quod illum gregales ſui Parentis ac Magiſtri loco habeant, horum vero ſit apud ſuos clariſſimum nomen, & ſumma velut Theologiæ numinum exiſtimatio.

II. Quoniam vero Catholicæ Eccleſiæ dogmata ſolum tutati ſumus, &, qui iis adverſantur, errores ex inſtituto convellimus, num tot illas, quæ de re Sacramentaria in Scholis fervent, controverſias prætermiſimus? Num tot ii, qui ſe nobis tradi-

derant in diſciplinam, ornatiſſimi Adoleſcentes earumdem omnino jejuni? Tradidimus contra omnia, pugnantes Theologorum opiniones omnes expoſuimus, in ea tamen opinionum varietate, & colliſione fidei ſummam in vado eſſe, probavimus; nam quum Forbeſius in primis ad labefactandam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam contraria veterum ac recentium Scholæ Magiſtrorum placita opponat, nihilque in Eccleſia eſſe, quod teneri certo poſſit, concludat, quod non eadem ſit Theologorum noſtrorum de inſtitutione, materia, forma, effectis, Miniſtro, aliiſque Sacramentorum adjunctis ſententia, omnia hæc recitare neceſſe fuit, diſſolvere, & demonſtrare, conſtantem Eccleſiæ fidem domeſticis his Scholarum diſſidiis nec minimum violari; quare in una argumentorum Forbeſii refutatione habuit Studioſa Pubes, quo internoſcere tuto poſſet, quid in Eccleſia ratum fixumque, quid Scholarum diſputationi permiſſum.

III. Præter multum in ſacris litteris, in Patrum ſcriptis, in priſcis Eccleſiæ monumentis poſitum ab nobis ſtudium, ad elucubrandam tractationem hanc multo nobis adjumento fuiſſe fatemur Melchiorem Cano in *Relectionibus de Sacramentis*, Cardinales Armandum Richelium *in Controverſiis*, de Perron *in reſponſo ad Jacobum I. magnæ Britanniæ Regem*, & Gothi *in veritate Relig. Chriſt. demonſtrata*, Leonem Allatium & Petrum Arcudium, Cotelerium in *Patribus Apoſtolicis*, Martene *de antiquis Eccleſiæ ritibus*, Jo. Morinum in op. *de Pœnitentia*, & *de Sacris Ordinationibus*, Habert *in Pontific. Græcorum*, Auctores operis *de la Perpetuitè de la foy &c.*, Euſebium Renaudotium, Frat. Alexand. in diſſert. *de Confeſſione* adverſus Dallæum, & *de Confirmatione* adverſus Blondellum, Franciſcum Vernetum in *triumpho fidei* adverſus Pictetum, alioſque, quos non honoris tantum, ſed & grati animi cauſa identidem nominavimus; mire enim nobis illud Baſilii placet, *ſi quid ex alio diſcitur, minime celandum . . . . . ſermonis & doctrinæ Patrem ingenue manifeſtandum*. Quod vero ad locupletem horum cenſum de tenuiſſimo noſtro penu adjectum ab nobis fuit, an illud ſit, quod legentibus aliquam adferre poſſit utilitatem, non uſque adeo arrogantes ſumus, ut pronuntiare velimus. Nos certe laboris hujus noſtri non pœnitet. Utinam eos, qui plus, quam par ſit, honorifice de nobis ſentiunt, edendæque tractationis hujus auctores nobis impulſoreſque fuerunt, conſilii ſui non pœniteat.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. ETſi parabola Lucæ x. memorata, ex qua Magiſter ſententiarum lib. 4. tractationis de Sacramentis aptiſſimum principium duxit, juxta germanum literæ ſenſum, quemadmodum ſcite animadvertit Melchior Cano, in id fuerit a Chriſto compoſita, ut proximus, quem perinde ac nos ipſos, diligere jubemur, non cognationis aut ſanguinis propinquitate, ſed humanitatis, & benevolentiæ conjunctione definiretur, quum homini ſauciato, qui deſcendens ab Hieruſalem in latrones inciderat, non Levita, non Sacerdos, etſi civilitatis generiſque ratione conjunctus tulerit opem, ſed Samaritanus a Judæorum quidem commercio abhorrens, ſed non ab humanitate alienus, hæc tamen adeo accurate enarrata ſimilitudo univerſis Sanctis expoſitoribus, pergit graviſſimus Theologus, viſa eſt, myſticum alium ſenſum inferre, juxta quem deſcendens homo in civitatem Hierico, humanum genus ſignificat, cui vulnerato, ſpoliato, jacenti, femineci poſt peccatum, Chriſtus Jeſus revera Samaritanus, hoc eſt, cuſtos unicus ipſe noſter, naturæ etiam communione propinquus effectus, medicinas adhibuerit ſalutares, quibus peccatorum omnium vulneribus mederetur. Has nos medicinas Sacramenta vocamus, de quibus diſputationem hoc anno ſuſcepimus, Catholicæ Eccleſiæ doctrinam a Tridentino ſeſſ. ſeptima, quæ *de Sacramentis* eſt, tredecim canonibus comprehenſam declaraturi, & confixos ibidem Novatorum errores pro viribus refutaturi.

II. Nihil de Sacramenti nomine, deque varia ejus acceptione præfabimur, ut faciunt plerique longiſſime, quia & de recipiendo hoc nomine, quod Lutherus, Zuinglius, & Carloſtadius expunxerant, Catholicos inter, & Novatores jamdudum convenit, & quæ ſit ejus apud Chriſtianos communis ſignificatio, exploratum

eſt;

eſt; Sacramentum enim Eccleſiæ, de quo agimus, in genere ſigni eſſe, Catholici omnes fatentur, nec jam abnuunt Novatores; quare quum ſacramentum, ut in Tridentini Concilii Catechiſmo legimus, *ad hoc verum genus, quæ ſignificandi cauſa inſtituta ſunt, referri perſpicuum ſit, ſiquidem ſpecie quadam, & ſimilitudine id nobis declarat, quod Deus in nobis potenti ſua virtute, quæ percipi non poteſt, efficit*, rectiſſime illud ab ejuſdem Catechiſmi Auctoribus deffinitur: *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram juſtificationem inſtitutum*. De germano hujus deffinitionis ſenſu, deque tot iis, quæ a Novatoribus procuſæ ſunt, Sacramenti deffinitionibus, opportunius agendum erit, quum ad Sacramenti effectus ſermo noſter deductus fuerit. His de Sacramenti notione leviſſime prælibatis, ad vindicandum primum Tridentini Canonem calamum admovemus, qui ſic effertur: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a J. X. D. N. inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum non eſſe vere & proprie Sacramentum, anathema ſit*. Seſſ. ſeptima canone primo.

PROPOSITIO I.

Septenarius Sacramentorum numerus, ceu Fidei caput, adſtruitur.

I. Quum univerſo Novatorum gregi nonniſi duo veri nominis Sacramenta ſint, Baptiſmus nimirum, & Cœna, hoc de ſeptenario eorum numero Tridentini judicium non ſolum ab eis nihili penditur, ſed intolerabili audacia a Joanne Forbeſio lib. 9. Inſtitutionum theologicarum cap. 3. *injuſtum, & temerarium* appellatur, *quod, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnendum ſit*, ut ajebat Hieronymus, *qua probatur, quod etiam veteris Eccleſiæ doctrinæ repugnet, quum nonniſi duodecimo eccleſiæ ſæculo audiri cœptus ſit ſeptenarius hic numerus;* „ ſeptem enim, ait ille, no„ vi fœderis Sacramenta primus (quantum inveniri potui) numeravit Hugo „ de Sancto Victore, qui anno Domini „ 1130. floruit, cum quo conſentit Pe„ trus Lombardus decennio poſt florens, „ quos ſecuti ſunt ſæculo tertiodecimo „ Lucas Epiſcopus Tudenſis, Edmundus „ Archiepiſcopus Cantuarienſis, Vincen„ tius Epiſcopus Bellovacenſis, Alexander „ Alenſis, deinde Thomas, & alii Scho„ laſtici. " Judice ergo Forbeſio, Tridentina Synodus ſeptenarium Sacramentorum numerum injuſte & temere deffinivit, quod præter Baptiſmum & Cœnam, alia quinque verbo Domini, & veteris Eccleſiæ conſenſione deſtituta divinam inſtitutionem non referant, ſintque in ſola Scholaſticorum officina procuſa. Quum Superioribus annis de Pœnitentia, Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio ſpeciatim agentes horum Sacramentorum veritatem, ſcripto, & tradito Dei verbo, adverſus Novatores, pro modulo noſtro tutati ſimus, eodemque hoc anno eandem in Confirmatione ponere operam debeamus, neque actum agere volumus, neque ſuo loco dicenda huc transferre; quare uno generali momento, quod alias non ſemel nobis ad manum fuit, divinam ſeptem illorum, quæ Tridentinum recenſuit, Sacramentorum inſtitutionem, & veritatem demonſtrare conabimur.

II. Petitur illud ex celeberrimo, jamque a nobis frequenter adhibito Tertulliani affato, *quod apud omnes unum invenitur, illud non eſt erratum, ſed traditum*. Effati hujus, quo veteres omnes ſui ævi hæreticos validiſſime Tertullianus ipſe perſtrinxit, veritatem ſentiunt ac confitentur & Novatores, quibus ratum eſt, Eccleſiarum omnium conſenſionem certiſſimum eſſe veritatis argumentum; quare nunquam negare illud, aut in dubium vocare auſi ſunt, ſed in hac, quam a nobis falſo jactari contendunt, conſenſione explodenda toti hactenus fuerunt, & ſunt. Axiomatis itaque loco jam eſt penes ipſos, & nos, quod apud omnes unum invenitur, non erratum eſſe, ſed traditum; quum ergo una ſemper fuerit ſitque adhuc apud Latinos, & Græcos, alioſque Orientales de ſeptenario veri nominis Sacramentorum numero doctrina, conſequens neceſſario eſt, non eſſe illam ex errore profectam, ſed traditam, ſive veram. Quum de hodierna Latinorum fide nullam nobis litem inferant Novatores, demonſtrandum unice eſt, novitiam non eſſe, neque a Scholaſticis invectam, ſed a Chriſto Apoſtolis traditam in ipſa purioris ævi Eccleſia per-

petuo viguiſſe, eandemque a primo ipſo veritatis fonte Chriſto & ad Scholaſticos, & ad nos uſque manaſſe. Hujus autem, quæ facti eſt, veritatis, quos locupletiores, magiſque idoneos dare poſſumus teſtes, quam priorum ſæculorum ſpectatiſſimos Patres, quorum teſtimonia, quum de quatuor iis, quæ Novatores expungunt, Sacramentis ſpeciatim ageremus, jam protulimus, & producturi ſumus, quum de Confirmatione erit ſermo. Perpetua ergo & invariata Latinæ Eccleſiæ fides extra controverſiam eſt poſita, præſertim ſi ad hanc facti veritatem firmandam accedat auctoritas Pontificalium, & Ritualium librorum, quos a Clariſſimis Morino, Martene, aliiſque editos ſuo loco laudavimus, & ſumus infra laudaturi, qui eandem hanc Latinæ Eccleſiæ doctrinam Theologiæ Scholaſticæ exordio multo antiquiorem eſſe, demonſtrant.

III. A Latinorum vero doctrina numquid alia eſt recentium Græcorum fides? Poſtquam Leo Allatius, & Petrus Arcudius rerum gentis ſuæ ſcientiſſimi, & Euſebius Renaudotius, perfectiſſime conſentire Græcos Latinis in hoc fidei capite, documentis evidentiſſimis confecerunt, quorum aliqua jam a nobis allata ſunt, alia opportune promentur, neque avitam, atque conſtantem Græcæ Eccleſiæ fidem ſacrilegi Cyrilli Lucaris Anglorum auro corrupti confeſſione vel minimum violatam fuiſſe, demonſtrarunt locupletiſſime, non eſt, cur eandem hanc conſenſionem adverſus omnes Novatorum cavillationes præjudicatæ & demonſtratæ rei loco jam conſtitutam pluribus confirmemus: ex eodem vero fonte, ex Apoſtolorum nempe doctrina a Chriſto accepta fluxiſſe illam ad Recentiores Græcos, teſtimonium perhibent & Græci ii Patres ſæpe jam memorati, ac inferius memorandi, Euchologia, & Archieratici libri, ex quibus invariata hæc ac perpetua Græcorum fides clariſſime apparet. Idem quoque quibuſque aliis Chriſtiani nominis in Oriente Societatibus, Melchitis, Neſtorianis, Jacobitis, Armenis, Copthis ac Æthiopibus perſuaſum fuiſſe hactenus, ac nunc eſſe, quod Græcis, ac nobis, quorſum demonſtrare aggrediamur, quum productis ex cujuſque ſocietatis Ritualibus libris, nec non ex Scriptis Theologorum maximæ apud populares ſuos auctoritatis documentis caput hoc a Renaudotio jam fuerit tam luculenter, ſolideque probatum, ut teſtatiſſimam hanc facti veritatem Novatores neque diſiicere, neque infirmare potuerint?

IV. *Etſi ergo*, aptiſſime huc cadunt præclara Irenæi verba l. 1. cap. 3. adverſus hæreſes, *etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, virtus traditionis una, & eadem eſt: & neque, quæ in Germania ſunt fundatæ eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberis, neque hæ, quæ in Celtis ſunt, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ, quæ in Ægipto, neque hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ, ſed ſicut ſol creatura Dei in univerſo mundo, unus & idem eſt, ſic & lumen veritatis ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire*. Hæc quum ita ſint, neque documentis locupletiſſimis convicti negare Novatores poſſint, apud tot, tamque diſſimiles in mundo loquelas unam eandemque eſſe virtutem traditionis, & fidem, Antichriſtiani profecto ſunt, qui ut in aliis bene multis, ita in hoc capite perpetuo, ac univerſim recepto ab omnibus Chriſtiani nominis ſocietatibus aperte diſſentiunt, antievangelici ſunt, qui hanc Evangelii vocem Chriſtianorum omnium conſenſu ubique miſſam nihili pendunt, cæci denique non humani generis miſeratione, ſed execratione digni, qui & lumen veritatis ubique lucens meditato everſantur, & uſque eo ſuperbi ſunt, & procaces, ut ſoli ſibi videantur ſapere, ſoli in aperta luce verſari, atque omnium primi ſpiſſas Orientis, & Occidentis tenebras diſpuliſſe.

Refelluntur Novatorum objecta.

V. Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 19. ſect. 4. licentiſſime ſcribit: „ Sacramentarios iſtos Doctores non tantum verbo „ Domini, ſed etiam veteris Eccleſiæ con„ ſenſione deſtitui dico, utcumque hoc præ„ textu maxime ſuperbiant: “ utrumque tamen inſcite ab eo, & falſo proferri, abunde patet ex iis, quæ ad quatuor Sacramentorum veritatem. ſpeciatim adſtruendam e Scripturis, & veterum Patrum doctrina contulimus, & patebit ex iis, quæ pro tuenda confirmatione ex utroque hoc fonte promemus. Breviter adnotamus, præcipuum hoc Calvini, ejuſque gregalium argumentum, non alia ſcilicet, præter Baptiſmum & Cœnam, Sacramenta eſſe,

ſe, quod horum tantum Scriptura explicate meminerit, & nonniſi duo hæc Patrum plerique commendent, rideri, atque deſpici a Græcis, aliiſque Orientalibus, qui ſingula ſeptem Sacramenta in novi fœderis libris diſtincte notari perſuaſum habent, neque ad id probandum ea ſolum teſtimonia conferunt, quæ ſunt latinis Scriptoribus uſitata, ſed & alia plura, ex quorum allegorico ſenſu veritatem hanc ſibi videntur elicere. Illud etiam æque iis perſuaſum eſt, a Chriſtiana religione omnino alienum eſſe, quod Novatoribus proræ inſtar & puppis eſt, ſoli videlicet ſcripto Dei verbo inhærendum, traditionem quamlibet ablegandam, inique etiam, & adverſus ſeveriores criticæ leges jactari a Novatoribus nonnullorum Patrum ſilentium adverſus diſerta aliorum vel ejuſdem vel proximæ ætatis Scriptorum teſtimonia, qui ſingula Sacramenta aperte laudarunt, quum & Sapientum omnium decreto futile ſit inficiale argumentum, quod expreſſa aliorum teſtificatione convellitur, & in promptu ſint rationes idoneæ, cur priſci aliqui Patres Sacramentorum omnium ſingillatim non meminerint.

VI. Quoniam vero Calvinus Auguſtini, qui inſtar omnium eſſe poteſt, in Epiſtola ad Januarium, & lib. 3. de Doctrina Chriſtiana ſilentium præſertim urget, aitque, veriſimile non eſſe, prætermiſſurum illum fuiſſe reliqua Sacramenta, ſi jam tunc fuiſſent in Eccleſia inſtituta, præcipue quum eſſet ille in obſervandis numeris accuratior, quam neceſſe foret, Auguſtino quoque Ambroſium jungit tum in l. *de iis, qui myſteriis initiantur*, tum in alio *de Sacramentis* præter Baptiſmum, Chryſma, & Euchariſtiam alia reticentem, breviter oſtendendum eſt, ineptire illum, qui tam frivolo argumento perpetuam Eccleſiæ fidem ſibi viſus eſt dijeciſſe, neque alio opus eſt, quam ipſis Auguſtini verbis a Calvino ibidem exſcriptis; Etſi enim Auguſtinus utrobique Sacramentorum novæ legis, quæ ait, *præ veteribus numero pauca, factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſervatione caſtiſſima*, duo tantum expreſſe commendet, Baptiſmum nempe, & Dominici Corporis, & ſanguinis celebrationem, ea tamen ut cæteris præſtantiora ab eo in exemplum adduci, cætera vero non excludi, ſed generatim indicari, perſpicue patet ex iis, quæ continenter adjicit, ſicut eſt, ajens, *baptiſmus in Trinitatis nomine conſecratus, & communicatio corporis, & ſanguinis Domini, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.* Hæccine addidiſſet homo de Sacramentis Evangelicis agens, qui præter duo in exemplum aſſumpta nullum aliud veri Sacramenti loco habuiſſet? Petenti vero Calvino, cur nullam hic ſacri numeri, hoc eſt, ſeptenarii mentionem facit, reponimus, quod neceſſe non foret, omnia ubique memorare, præſertim quum aliorum præter duo illa alibi ſingillatim & diſerte meminerit. Pudeat etiam Calvinum, Ambroſii in laudatis libris ſilentio pueriliter abuti, cujus locupletiſſima pro reliquis Sacramentis teſtimonia jam opportune verſavimus. Mirum poſtremo eſt, Calvini aſſeclas uſque adeo vecordes eſſe, ut Auctoris librorum *de Eccleſiaſtica Hierarchia*, & Cyrilli Hieroſolymitani in Catecheſibus ſeptem Sacramenta non memorantium auctoritatem nobis objiciant; quum enim uterque ſacri unguenti ſeu Chryſmatis, prior vero etiam ſacrorum ordinum conſecrationis, necnon & reconciliationis, apertam mentionem habeat, jam ergo eorum teſtimonio alia præter baptiſmum, & cænam Sacramenta eſſe conficitur, quæ tamen Novatores explodunt. Cur autem ii reliqua prætermiſerint, intelligere Novatores poſſunt ex propoſito utrique fine.

VII. Forbeſius Catholicæ Eccleſiæ doctrinam memorato Tridentini Canone confirmatam novitatis ac vanitatis revincere aggreſſus, ait, fuiſſe illam in Occidente ſæculo nono prorſus ignotam, quod patet ex Rabani Mauri lib. 1. de Clericorum inſtitutione cap. 24., & initio capitis 31. & 32. Quid vero patet ex Rabano? non memoraſſe illum ſingula Sacramenta: ergone quoque vel rejeciſſe illa, vel fuiſſe tunc temporis adhuc ignota? Tua te, ut alibi paſſim, ita nunc, dialectica deficit, Forbeſi, eamque ratiocinationem indruis quæ tyrunculis ipſis pudoris eſſet. Vide, ne & fundamentalia ipſa religionis noſtræ capita priſcis Eccleſiæ ſæculis inaudita ac ignota prorſus fuiſſe fateri cogaris, quum non fuerint illa a quibuſdam ejus ævi Scriptoribus memorata. Pergit ille, Bellarminum ridens, quaſi vero irrito conatu expertus ſit, ſi quid poſſet auxilii ex Scriptura, & Patribus in Tridentini Canonis ſubſidium arceſſere. An quæ ad ſingulorum Sacramentorum veritatem Bellarminus contulit, ad rem fuerint, an ſecus, alii judicent: non hujus vel alterius,

terius Theologi, ſed catholicæ doctrinæ vindicias aggreſſi, quatuor jam Sacramenta a Novatoribus oblitterata conſtabilivimus, aliud vero eodem hoc anno firmabimus iis momentis, quæ vel a Forbeſio, vel a gregalium ejus quopiam nunquam infirmatum iri, confidimus. Quoniam vero Forbeſius adverſus Canonem, quem tutamur, immodice jactat Scholaſticorum diſſidia, quos inter de quinque Sacramentorum materia, forma, inſtitutione, Miniſtro, aliiſque non convenit, non eſt, cur hæc ejus jactatio quemquam ſollicitum habeat, quum eam de ſingulis Sacramentis agentes jam compreſſerimus, ſuoque loco compreſſuri ſimus, ut ſpero.

VIII. Quum major Novatorum impetus in adſertam a nobis Græcorum ac Orientalium cum Latinis in hoc capite conſenſionem feratur, potior a nobis in eo frangendo opera ponenda eſt. Græcos a Romanæ Eccleſiæ doctrina plurimum abeſſe, ut probent Novatores, teſtes e noſtris advocant Guidonem Carmelitam, Prateolum, Thomam a Jeſu, Antonium præſertim Caucum Corcirenſem Archiepiſcopum, qui non omnia, quæ apud Latinos ſunt, Sacramenta apud Græcos eſſe ſcripſerunt. At quo momento imperiti iſti, ac inconſulti Scriptores faciunt dicto fidem? Confirmatione e. g. atque extrema Unctione Græcos carere ſcriptitant, quod peculiari apud eos ritu adminiſtrentur, qui cum Latinorum ritu non convenit, neque advertunt ſi ex ceremoniarum diverſitate pronunciandum de Sacramentis ſit, neque nlla apud Græcos Sacramenta eſſe, neque apud Latinos eadem, quæ olim fuerunt. Sed jam ſatis in ſingulorum Sacramentorum examine diverſitatem hanc rituum Sacramentorum ſubſtantiæ non obeſſe confecimus, idemque, quum de Confirmatione erit ſermo, præſtabimus. Pudeat interim Novatores, frivola hæc ex ineptis ac inſcitis Scriptoribus delibata jactare adverſus tot tamque authentica Græcorum fidei documenta, quæ nobis Symeon Theſſalonicenſis, Hieremias Conſtantinopolitanus, Meletius Piga Alexandrinus, Doſithæus Hieroſolimitanus Patriarchæ, orthodoxa Græcorum confeſſio, tot illa, quæ Cyrillum Lucarim damnarunt, Concilia, quique illum libris ſuis refutarunt, eximii Scriptores, Euchologia denique vetuſtiſſima, & communi Græcorum uſu trita ſuppeditant. Perſpicuis adeo, & decretoriis argumentis ſi opponant, certas apud Græcos vere ceremonias eſſe, quibus cum eo, quod Sacramenti loco Romanenſes habent, quidpiam affine eſt, eas tamen vera Sacramenta non eſſe, quod eorum ſubſtantiæ plura deſint, quæſtionem non dirimunt, ſed immutant; ſac enim, id verum eſſe, quid inde? Irrepſiſſet in eorum diſciplinam abuſus, aut error, qui tamen non obeſſet, quia vere ipſi crederent, eas ipſas ceremonias, quas uſurpant, ſigna ſacra eſſe divinitus inſtituta peculiarem digne ſuſcipientibus gratiam conferentia, ſeptemque iccirco Sacramenta fide tenerent, licet in iis adminiſtandis errarent.

IX. Quum autem inter Lutheranos ipſos Elias Vejelius in lib. *de hodierna Græcanica Eccleſia*, & Cruſius in *Epiſtola ad Chytræum* fateantur ingenue, Græcos ſeptem Sacramenta facere, & talibus adſtruendis Patrum ſuorum teſtimonia proferre, ridendus ſane Fechlavius, qui adverſus locupletiſſima monumenta tum ceremoniarum diverſitatem, tum myſterii nomen opponit, quod Græcis non idem eſſe nugatur, quod Latinis eſt Sacramentum; ut enim in ceremoniarum varietate jactanda ineptus eſt, ita in myſterii nomine captando eſt plane vecors, qui non intelligat, ereptum hoc titulo Græcis iri baptiſmum, & cœnam, quæ non alio, quam *myſterii* nomine appellant, eadem quoque Latinis, qui ad ea deſignanda non aliud, quam Sacramenti nomen adhibent, cujus eſt apud eos tam multiplex ſignificatio, ut myſterii apud Græcos; quare ſicut ridiculus eſſet, qui ſacra quædam ſigna gratiam efficientia, quibus Latini Sacramenti nomen perpetuo accommodarunt; Sacramenta non eſſe, nec dici poſſe contenderet, quod alia ſit in vulgata Scripturæ verſione & apud optimos latinæ linguæ Magiſtros Sacramenti ſignificatio, ita exſibilandus Fechlavius negans, apud Græcos ſeptem Sacramenta eſſe, quod ea myſterii nomine denotent, cujus alia eſt in græco Scripturæ textu, & apud Græcos Scriptores acceptio; nonne etenim extra controverſiam jam eſt, ampliorem hujus vocis poteſtatem perpetuo Græcæ Eccleſiæ uſu determinatam eſſe ad illud idem ſignificandum, ad quod Sacramenti vox a Latinis?

X. Dallæus, & quotquot e Novatoribus poſt egregium Leonis Allatii de Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ concordia opus,

Digitized by Google

opus, & poſt editum a Goario Græcorum Euchologium, de argumento iſto ſcripſerunt, nihil non moliti ſunt, ut Scriptorum ab Allatio & Goario laudatorum teſtimonia infringerent, aut eluderent, conficerentque, ſaltem ante decimum ſæculum ſeptem Sacramenta fuiſſe Græcis ignota, Fechlavius vero confidentius enuntiat nonniſi tertiodecimo ſæculo a Latinis Conſtantinopolim obtinentibus Græcos doctrinam de ſeptem Sacramentis hauſiſſe. Verum quis credere iis velit verba dantibus, quæ eadem facilitate contemnuntur, qua venditantur? Quum eorum intereſſet, legitimis documentis mutationis hujus, quam Græcorum doctrinam vel decimo, vel tertiodecimo ſæculo paſſam eſſe, ſcripturiunt, originem, cauſas, & circumſtantias comprobare, atque ut id facerent, jure ex eis catholici Scriptores exigerent, nihil tamen ſolidum, imo nec probabile quidem, quo ſuadere ſaltem poſſent, & aliquam mutationis hujus ſuſpicionem injicere, hactenus protulerunt, quod argumento eſt, & nihil habere illos præter inſcitam garrulitatem, & doctrinam hanc Orientalium, quam temere errati, & novitatis accuſant, ex Apoſtolica traditione manaſſe juxta certiſſimam a priſcis Patribus, Irenæo præſertim, Tertulliano, Baſilio, Auguſtino, Vincentio Lirinenſi conſtitutam regulam; quum enim quidquid maxime vetuſtum, & authenticum eſt in Oriente, doctrinam hanc exhibeat, non ut recenter invectam, ſed ut a majoribus acceptam, quum ſit illa quoque Neſtorianis, Jacobitis, Armenis, & Græcis communis, neceſſario conſequitur, eſſe illam eorum ſchiſmate multo antiquiorem, atque in tot iis Eccleſiis multo prius uſu receptam, quam & invicem illæ diſcinderentur, & a Romanæ Eccleſiæ communione deſciſcerent; quare quum doctrinæ hujus univerſim receptæ, & toto terrarum orbe cuſtoditæ initia a plenario Concilio peti non poſſint, origo ejus rectiſſime ad Apoſtolos eſt referenda.

XI. Delirat porro Fechlavius effutiens, Latinos Conſtantinopoli dominantes doctrinam hanc Græcis antea ignotam tradidiſſe; Primo enim, quum Græcos, quos maxime perfidos ſæpe experti fuerant, Latini aſperrime tunc habuerint, vetus illorum in iſtos odium eo tempore plurimum efferbuiſſe, probatiſſimi quique Hiſtorici referunt: Homines autem ſummopere exulceratos, putas, tunc fuiſſe ita animo affectos, & promptos, ut avitam religionem, ac diſciplinam ſuam exuerent, adoptarentque doctrinam, & ritus Latinorum, quos non ut juratos hoſtes ſolum, ſed ut hæreticos averſabantur? II. Edat Fechlavius Hiſtoricum aliquem coævum, aut ſupparem, qui vaniſſimæ hujus conjecturæ ſuæ vel leviter ſuffragetur, atque ſaltem innuat, Latinos quidpiam ad ſeptem novæ legis Sacramenta pertinens Græcis propoſuiſſe; niſi id fecerit operam ludit, adverſus perpetuam Græcorum doctrinam monumentis locupletiſſimis teſtatiſſimam frivolas conjecturas obtrudens. III. Quum exploratiſſima facti veritas ſit, complures e Latinis Theologis, & divini verbi in Oriente Præconibus, venerandæ antiquitatis ignaros, & ex Scholæ opinionibus fidei dogmata metientes, iniquum de Sacramentorum fide apud Græcos, ac legitima adminiſtratione tuliſſe judicium, nonne maxime abſurdum eſt fingere, derivatum id a Latinis in Græcos, quod Latinorum plerique ignorabant, atque ex ignorantia damnabant? Poſtremo, a mente deſertum oportet eſſe, qui velit hanc fidei rituumque novitatem a Latinis in Orientem inductam, quum Græci omnes avitam hanc poſſeſſionem Apoſtolis ipſis acceptam referant, a majoribus ſuis ad ſe hæreditario jure tranſmiſſam, eamque tueantur locupletiſſimis tabulis, Euchologiis ſcilicet perantiquis, Pontificalibus, & Juris Canonici libris, Patriarcharum reſponſis, aliiſque hujus generis documentis, quorum pleraque in Lennclavii Lutherani collectione impreſſa, ut omnibus Orientis Eccleſiis communia ſunt, ita tertiodecimo ſæculo quo Latini Conſtantinopolim obtinuerunt, antiquiora quum ſint, inſanum Fechlavii commentum exuflant.

Auctor *Hiſtoriæ criticæ fidei gentium Orientis* ſcribit, perſuaſum Græcis eſſe nonniſi duo Sacramenta, baptiſmum nimirum, & cœnam a Chriſto Domino, reliqua vero ab Eccleſia inſtituta, dictique ſui teſtem appellat Hieremiam Conſtantinopolitanum Antiſtitem in ſecundo reſponſo ad Theologos Vitembergenſes; verum peſſima Hiſtorici hujus fides nullo negotio revincitur, quum enim Hieremias idem in priori ad eoſdem Theologos reſponſo diſerte ſcripſiſſet, ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta, *quæ Spiritus Sanctus operatur, quorum ſingula Sacra Scriptura confirmat, atque omnia a Jeſu*

Digitized by Google

Jeſu Chriſto fuiſſe inſtituta, ſui profecto fuiſſet immemor, imo ſecum ipſe pugnaſſet, ſi alia quinque a Vitembergenſibus oppugnata negaſſet, divinæ inſtitutionis eſſe. Quam belle autem in utroque reſponſo ſecum ipſe cohæreat, facile intelliget, quiſquis verba ejus, & ſcopum diligenter expenderit. En latinam verborum ejus adornatam a Cruſio Lutherano verſionem. *Etiam ſi enim cæteris Sacramentis potiora* ſunt, & ſine iis ſalus *nullo modo contingit, baptiſma, & divina communio, attamen & reliqua, quæ cum iis ſeptenarium numerum implent, tradita ſunt ab Eccleſia*. Quorſum vero Hieremias hæc ait? Lutheranis blaterantibus, duo tantum Sacramenta eſſe, quod duo tantum a Chriſto inſtituta perſpicue Scriptura memoret, Hieremias veteris Eccleſiæ, & Græcorum omnium doctrinam apponit, alia ſcilicet plura eſſe, quæ Chriſtus docuit, aut inſtituit, quorum, etſi diſerta in ſacris libris mentio non fiat, non eſt tamen inferior authoritas, quia tradita ſunt ab Eccleſia, quæ ab Apoſtolis edocta eſt, ut illi ab uno omnium magiſtro Chriſto. Singulorum mox Sacramentorum doctrinam exponit, eaque e veſtigio addit, quæ jam exſcripſimus, quæ antecedentibus juncta, & ad argumentum, quod ibi verſat, relata, genuinam ejus mentem aperiunt.

XIII. Peſſime ergo *Hiſtoriæ criticæ* Auctor Hieremiæ verba pervertit; eiſque abſurdum & falſum ſenſum affinxit. Fac enim verbum Græcum, quod Hieremias uſurpat, anceps eſſe, ac *inſtituere*, perinde ac *tradere* ſignificare poſſe; annon ſatis erat, Hieremiæ mentem alibi exploratiſſimam aſſequi, & rem, de qua agit, excutere? Credidiſſe illum, Chriſtum Dominum omnium Sacramentorum auctorem, quis dubitet, quum Simeonis Theſſalonicenſis, cujus erat apud Græcos ſumma auctoritas, in id verba conferat, ejuſdemque opinionem adoptat, minus certe ſolidam, & a Petro Arcudio paulo acrius refutatam, Chriſtum ſcilicet Sacramenta omnia ſuſcepiſſe, atque adminiſtraſſe? Quum Lutherani duo tantum Sacramenta proprie eſſe contenderent, quod duo tantum Chriſtus in Evangelio inſtituiſſe legatur, Hieremias etſi divinam aliorum quoque inſtitutionem in ſacris litteris denotatam eſſe ſcripſiſſet, conceſſionis tamen figura cum Lutheranis utendum ratus, ut rei ſummam evinceret, divinam probat aliorum quinque originem, & auctoritatem, quod licet eorum non eſſet in ſacris litteris expreſſa mentio, nec par Baptiſmo, & Euchariſtiæ præſtantia ac neceſſitas, ea tamen a Chriſto per Apoſtolos accepta nobis Eccleſia tradiderit, quum ad fidei caput nihil interſit, an Chriſtus Sacramenta ſingula ipſe per ſe, an per Apoſtolos inſtituerit, an eorum inſtitutio e ſcripto Dei verbo, an ſolum ex tradito fuerit ad nos derivata. Ut ergo candide, & ad Hieremiæ mentem aptiſſime græcum ejus textum Cruſius vertit, *reliqua, quæ cum his ſeptenarium numerum implent, tradita ſunt ab Eccleſia*, ita perperam & perverſe Anonymus hiſtoriæ Auctor reddidit *inſtituta*.

XIV. His cum clariſſimo Renandotio addendum ducimus, hoc, quod mox diluimus, argumentum ſpectari poſſe, vel ut a Novatoribus, vel ut a Catholicis in Græcos intortum. Quum tot ſuppetant certiſſima documenta, quibus evincitur, hodiernos Græcos ſeptem veri nominis Sacramenta fateri, hancque eorum fidem non recentem eſſe, ſed ab Apoſtolis acceptam per majores ſuos continua traditione traductam, hanc autem facti veritatem labefactare Novatores non poſſint, inepti profecto ſunt, qui Græcos a Tridentino diſſentire cauſantur, quod horum aliqui ſcripſerint, quinque Sacramenta tradita nobis fuiſſe ab Eccleſia. Quum Tridentinum deffinierit omnia novæ legis ſacramenta a Chriſto Domino fuiſſe inſtituta, canoni huic non adverſantur, neque anathemate canoni addito percelluntur, qui docent Eccleſiam quædam Sacramenta ab Apoſtolis accepiſſe, quos Chriſtus ipſe docuerat, & poteſtate inſtruxerat, ut ea in Eccleſia ſtabilirent. Præter Cyrillum Lucarium, & Joannem Cariophilum avitæ fidei deſertores, neminem Græcorum reperire eſt, qui Chriſtum Sacramentorum omnium neget Auctorem, quamquam explicandi gratia, quod in ſacris libris non adeo apertum eſt, nonnulli addant, quædam eorum nobis tradita fuiſſe ab Eccleſia, ad quam Apoſtoli ceu Chriſti miniſtri, & myſteriorum Dei diſpenſatores illa tranſmiſerant. Quinam ergo Catholicam doctrinam oppugnat? In quos Tridentini anathema cadit? In ſolos Novatores, qui omnium primi effutire auſi ſunt; præter baptiſmum, & cœnam, reliqua Sacramenta humana figmenta eſſe Dei verbo, & quovis venerandæ antiquitatis præſidio deſtituta. Quum

cu-

autem ab inſano hoc errore Orientales omnes quam longiſſime abeſſe, imo fuiſſe illam, & quatuor Conciliorum canonibus, & inſignium apud Græcos Theologorum ſcriptis acerrime exagitatum, Novatores ignorare non poſſint, qua fide Græcos ſibi conſentire jactitant, & a doctrina Romanenſium abhorrere?

XV. Quamquam nec culpa vacant nonnulli e noſtris, homines minime quidem mali, minus tamen Theologi, quam par ſit, qui hoc eodem nomine Græcis litem inferunt, minuſque rectum ferunt de eorum fide judicium. Illud ſerio expendant, velim, quod cum graviſſimis Theologis poſt Tridentini celebrationem Eſtius adnotavit, nimirum quum non ſit a Synodo definitum, omnia novæ legis Sacramenta immediate inſtituta a Chriſto eſſe, diſputari adhuc inter Catholicos, an omnia ſeptem Chriſtus immediate, & per ſe ipſum inſtituerit, an vero quorumdam inſtituendorum miniſterium Apoſtolis, vel Eccleſiæ commiſerit, & licet poſteriori huic opinioni Eſtius non adhæreat, eam tamen damnare non audet ceu Tridentini doctrinæ contrariam. Quorſum ergo imprudentes quidam Theologi vitio dant Græcis, quod non eſt ab Eccleſia definitum, ſed Scholarum diſputationi permiſſum? Præcipuam gravioremque Catholicæ doctrinæ veritatem nobiſcum Græci amplectuntur, & retinent, omnia ſcilicet Sacramenta a Chriſto Auctore profecta eſſe, quorum omnium divina origo, etſi non ſit in ſacris litteris nitide denorara, æque tamen certa eſt ob Apoſtolorum & Eccleſiæ traditionem; quare Novatores, qui uno ſcripto Dei verbo ſe protegunt, graviſſimis verbis perſtringere poſſumus, quæ vetuſtiſſimus Scriptor Iſaacus Catholicus in ſuo adverſus Armenos opere habet, quæ in Monotelitarum hiſtoria Combefiſius exſcripſit: „ Si ea ſolum, „ ait, retinere vultis, & credere, quæ „ Jeſus Chriſtus per ſe ipſum docuit, eju„ retis, neceſſe eſt, Chriſtianorum Sacra„ menta, quæ omnia ipſe per ſe non do„ cuit, neque dedit, quæ tamen qui non „ ſuſceperit, non ſolum Chriſtianus non „ eſt, ſed omnium infidelium eſt maxime „ incredulus, “

PROPOSITIO II.

Novæ legis Sacramenta non ſunt plura, quam ſeptem.

I. Quum Novatores, adverſus laudatum Tridentini canonem, & perpetuum Eccleſiarum omnium in veritate, quæ eo definita eſt, retinenda conſenſum plures opponant e Latinis & Græcis, qui Sacramentorum numerum auxerunt, videanturque ſibi, inde conficere, infirmum eſſe argumentum, quod pro ſeptenario eorum numero ex utriuſque Eccleſiæ conſenſione duximus, oſtendendum eſt, Eccleſiam Dei in veri nominis Sacramentorum cenſu numquam alia habuiſſe, quam ſeptem illa, quæ Tridentinum ſuo canone complexum eſt; Eccleſiæ enim fides, ut alias ſæpe monuimus, non ex peculiari cujuſpiam privati placito, ſed ex monumentis publicis, authenticis, & communibus, quibus illa, quid credat, quidve credendum edicat, ſolemniter manifeſtat, æſtimanda eſt; hæc omnia porro Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ documenta teſtantur, non alia unquam tot iis Chriſtiani nominis ſocietatibus fuiſſe, aut eſſe veri nominis Sacramenta quam ſeptem; veritatem hanc itaque ſumma atque perpetua Orientis, & Occidentis concordia ſtabilitam irrito conatu impetunt Novatores. Latinam ne Eccleſiam alia præter hæc veri Sacramenti loco habuiſſe ſuſpicari quiſpiam poterit, qui tot illos vetuſtiſſimos, ac probatiſſimos a Morino, & Marteuio editos Sacramentarios, ac Rituales libros evolverit, quibus illa doctrinam diſciplinamque ſuam perſpicue exhibet? Etſi alia plura ibi legantur, quæ ſacra habentur, & religioſo ritu celebrari jam dudum in Eccleſia conſueverunt, infra tamen laudata Sacramenta eſſe & haberi, atque ab iis ſeptem, quorum ſemper credita eſt divina inſtitutio, & gratiæ non ſignificandæ ſolum, ſed & efficiendæ energia, longo intervallo diſtingui, nemo non intelligit, qui germana veri Sacramenti notione imbutus novit, quid inter hoc, & illa, quæ *Sacra* communiter, vel etiam latiſſima quadam ſignificatione Sacramenta dicuntur, interſit; diſcrimen hoc etenim inter ea, quæ Sacramenta proprie dicimus, & alia quæque iiſdem iis in libris denotatam apertum adeo eſt, ut de conſtanti Eccleſiæ Latinæ doctrina nulla poſſit oriri dubitatio.

II. Num vero in hoc capite Oriens ab Occidente diſcordat? eadem illa locupletiſſima monumenta ſuperiori propoſitione laudata perfectæ inter utrumque conſenſioni certum perhibent teſtimonium: non enim eadem illa ſolum, quæ Romana Eccleſia credit, & retinet, Evangelica Sacramenta apud Orientales perpetuo fuiſſe atque eſſe, demonſtrant, ſed neque alia unquam veri Sacramenti loco & gradu habita. Quorſum Simeonis Theſſalonicenſis librum *de Sacramentis*, quo perpetuam Orientalium doctrinam expoſuit, Joannis Paleologi Junioris catholicam confeſſionem, Jeremiæ Patriarchæ adverſus Lutheranos reſponſa, aliorum Patriarcharum teſtificationes, plurium in Oriente habitorum Conciliorum decreta, Euchologia denique, & Pontificales Græcorum libros appellem? Orthodoxam Græcorum confeſſionem, & inſigniorum apud eoſdem Theologorum ſcripta prætereo, quum veritati huic adſtruendæ ſatis ſuperque ſit, & Hieroſolimitanæ Synodi a Doſitheo Patriarcha habitæ ſanctio Tridentino canoni plane reſpondens, & anathema, quo Patriarcha idem in ſuo fidei Enchiridio percellit eos, qui ut ſeptenarium Sacramentorum numerum negant, ita eundem præter immotam Catholicæ Eccleſiæ regulam augent.] Quum vero non ſolum Melchitas Syros cum Græcis communione junctos, ſed & alios quoslibet Chriſtianæ profeſſionis cœtus a Græcis ſchiſmate avulſos, Neſtorianos, Jacobitas, Armenos &c. idem cum Græcis ſentire, facti veritas ſit documentis indubiis teſtatiſſima, evidens eſt, eas, quæ ubique fundatæ ſunt, Eccleſias non aliter credere, aut aliter tradere, ideoque quod apud omnes unum invenitur, erratum non eſſe, ſed traditum.

III. Ut veritatem hanc Etherodoxi convellant, multa e Patrum & Theologorum ſcriptis excerpunt, quibus Sacramentorum ſumma ultra ſeptem porrigitur; Tertullianus enim in lib. de præſcriptionibus *virginitatem*, & *martirium* Sacramentis enumerat, cui conſentit in poſtremo Hieronymus ajens, *Latus Chriſti percutitur, & baptiſmi, ac martyrii pariter Sacramenta funduntur*. Inter Sacramenta novæ legis *ſignum Chriſti* ſeu Crucis Auguſtinus cenſet, ablutionem vero pedum Ambroſius, Bernardus, & Arnoldus Bonæ Vallis Abbas, Hugo denique Victorinus magnam his Sacramentorum ſilvam adjecit, puta *aquam luſtralem*, *cineres in capite jejunii ſolemni benedictione ſacratos*, *Paſchales cereos*, *formas item illas cereas*, *quas ab effigie impreſſa Agnos Dei vocitamus &c.* Sua quoque habent Græci peculiaria Sacramenta, *profeſſionem* videlicet *monaſticam*, & *ceremonias*, quæ in *efferendis fidelium defunctorum corporibus apud eos in uſu ſunt*. Etſi autem horum plura jam diluerimus, quum Sacramenti Ordinis veritatem adverſus Forbeſium tutaremur, pauca tamen hic dabimus, quibus ſingula preſſius refellantur. Virginitatem atque martyrium inter Sacramenta a Tertulliano relata, conſtanter negamus, quod verba ejus, in quibus inſcite Novatores cavillantur, nihil tale præferant; eo enim loci ut probet ille, Diabolum ipſas divinorum Sacramentorum res idolorum myſteriis æmulari, exemplum petit e lavacri, ſeu baptiſmi, depoſitionis criminum poſt lavacrum ſeu pœnitentiæ, conſignationis in fronte, ſeu unctionis ſacræ, & oblationis panis, nempe Euchariſtiæ, Sacramentis, quorum aliqua inducta erat apud Ethnicos imitatio; quamquam vero addat, Diabolum, & *imaginem reſurrectionis inducere, & ſub gladio redimere coronam*, ideſt mimice imitari martyrium, *Pontificem unius nuptiis*, ſeu nonniſi monogamum *ſtatuere*, *habere denique illum & Virgines*, *habere & continentes*, qui hæc Chriſtianæ religionis inſtituta, quorum ſimilitudinem Ethnici affectabant, habita fuiſſe & appellata a Tertulliano Sacramenta contendat, quod ea baptiſmo, aliiſque, quæ vere Sacramenta ſunt, adjecerit, concedat, neceſſe eſt, inter Moſaicæ legis Sacramenta cenſuiſſe ibidem Tertullianum inſignia & privilegia veterum Sacerdotum, Sacrificiorum vaſa & inſtrumenta, votorum, & piaculorum ritus, quæ omnia ait, *Numæ Pompilii ſuperſtitione ex Judaicæ legis moroſitate fuiſſe deprompta*, quia hæc eadem orationis ſerie cum iis jungit, quæ nemo dubitat, vera fuiſſe Judaicæ Religionis Sacramenta.

IV. Hieronymi verba percommode exponi poſſunt præclara D. Thomæ doctrina, qui adnotat, etſi unum baptiſma ſit, teſte Paulo, ut una fides, plura a Patribus conſueviſſe diſtingui baptiſmata, aquæ ſcilicet, ſanguinis, & pœnitentiæ vel flaminis, duo vero hæc poſteriora baptiſmatis appellatione donari, quod baptiſmi aquæ vicem impleant, & in eo inclu-

da-

dantur. Sicuti vero hoc nomine ſortiuntur illa baptiſmi nomenclationem ſalva unitate baptiſmi, ita Sacramenta quandoque appellantur minus proprie, quod baptiſmi aquæ, qui vere Sacramentum eſt, effectum Spiritus Sancti, & paſſionis Chriſti virtute operentur, & quoad Sacramenti effectum cum baptiſmo aquæ conveniant, proprie vero Sacramenta non ſunt, quod ſigni ratione careant, ſine qua verum Sacramentum eſſe non poteſt. Quo vero ſpectent Ambroſii verba ſcribentis, *ablui pedes, ut hæreditaria peccata tollantur . . . ut laventur venena Serpentis*, hancque pedum lotionem *myſterium*, & *ſanctificationem* eſſe, dicimus ex eodem Ambroſio, qui ritum abluendi pedes in Eccleſia Mediolanenſi obtinentem non Sacramentum eſſe, ſed ceremoniam, eamque non ad dogma, ſed ad diſplinam ſpectare, aperte ſignificat, adnotans, Romanam Eccleſiam, cujus typum in omnibus ſequebatur & formam, conſuetudinem hanc non habere, ut pedes ablueret. Quorſum ergo ceremoniam hanc myſterium & ſanctificationem appellat, qua *hæreditaria peccata tolluntur?* Hæreditaria hæc peccata quotidiana venialia ſunt, in quæ ex infirmitate prolabimur, quæ & hæreditaria dicuntur, quod velut ex radice veneno Serpentis infecta ex concupiſcentia profluant, quæ in nos per originem ex primo parente tanquam hæreditario jure traducitur, quæque Baptiſmate non auſertur, ſed *in baptizatis*, ut ait Tridentinum, *relinquitur ad agonem*. Hæc vero hæreditaria peccata quomodo diluuntur? Non exterioris pedum lotionis adminiculo, ſed rebus interioribus, & ſignificatis, oratione nimirum, humilitate, charitate, aliiſque remediis, quibus quotidianis animi incommodis ſubvenitur; quare non aliter ea ab Ambroſio dicta eſt *myſterium*, atque *ſanctificatio*, quam quod & Dominici exempli imitationem referat, & interiora illa remedia ſignificet, quibus a peccatis hæreditariis emundamur.

V. Si Novatores pertinacte contendant, Bernardi verba percommodam illam interpretationem pati non poſſe, quam ab Horſtio primum, mox a clariſſimo Mabillonio in noviſſima operum Bernardi editione traditam, Theologi quique adoptarunt, Bernardum ſcilicet pedum lotionem Sacramentis annumerantem, generalius nomen hoc uſurpaſſe, quatenus quæcumque rerum ſacrarum ſigna complectitur, hoc ſibi habeant ſolidiſſimum ex D. Thoma reſponſium: „ Maximam habet, ait ille 2. 2. „ q. x. ar. 12., auctoritatem Eccleſiæ con„ ſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æ„ mulanda, quia & ipſa doctrina Catho„ licorum Doctorum ab Eccleſia auctori„ tatem habet, unde magis ſtandum eſt „ auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati „ vel Hieronymi, vel Auguſtini, vel cu„ juſcumque Doctoris. “ Jam præmonuimus, non ex hujus vel alterius Scriptoris opinione, ſed ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine & confeſſione de ejus fide pronunciandum eſſe: quæ de Sacramentorum numero hæc Eccleſiæ fides fuerit, atque ſit, ex publicis, & maxime authenticis, quæ laudavimus, documentis apparet; quare inepti ſunt Novatores, qui Bernardum, & diſcipulum ejus Arnoldum opponunt: Si enim Hieronymi, & Auguſtini, & ſingulorum prioris ævi Patrum auctoritas Eccleſiæ auctoritati poſthabenda eſt, multo æquius duodecimi ſæculi Scriptorum peculiare placitum, ſi vere, ut Novatores contendunt, a conſtanti Eccleſiæ fide abhorreret, inſuper haberemus.

VI. *Signum Chriſti*, quod Sacramentis Auguſtinus annumerat, non ſignum Crucis eſſe, ut Forbeſius comminiſcitur, ſed ſignaculum, quo in Confirmatione fideles conſignantur, demonſtrabimus, quum de Sacramento hoc erit ſermo. Magnam vero illam rerum ſacrarum ſegetem, quam ab Hugone Victorino importatam ajunt Novatores ad augendum Sacramentorum numerum, nihil ad veri nominis Sacramenta adiicere, probat Angelicus ajens: „ Aqua benedicta, & aliæ conſecrationes „ non dicuntur Sacramenta, quia non „ perducunt ad Sacramenti effectum, qui „ eſt gratiæ conſecutio, ſed diſpoſitiones „ quædam ſunt ad Sacramenta, vel re„ movendo prohibens, ſicut aqua benedicta „ ordinatur contra inſidias Dæmonum, & „ peccata venialia, vel etiam idoneitatem „ quamdam faciendo ad Sacramenti per„ fectionem, ſicut conſecrantur altare & „ vaſa ob reverentiam Euchariſtiæ. Sa„ cramentalia itaque hæc ſunt, non pro„ prie Sacramenta, quod Hugo ipſe ſatis „ ſignificavit ajens, quædam eſſe in Ec„ cleſia Sacramenta, in quibus etſi prin„ cipaliter ſalus non conſiſtet, tamen ſalus „ ex eo augetur, inquantum devotio fide„ lium exercetur, cujuſmodi ſunt aqua „ benedicta &c. “ Hæc autem Sacramentalia,

talia, quæ latiſſimam Sacramenti appellationem habent, ab aliis ſacris Hugo diſtinguit, quæ ampliſſimam hanc appellationem non ſuſcipiunt, quod neque Sanctitatem efficiant, neque ad eam excitent, & diſponant, cujuſmodi ſunt templorum ornatus, attributæ ſacris Miniſtris decimæ &c.

VII. Poſt egregiam ab Allatio, & Arcudio locatam operam in demonſtranda Latinæ, & Græcæ Eccleſiæ de legitimo Sacramentorum numero conſenſione, mirum eſt, jactari a Novatoribus, profeſſionem monaſticam Græcis veri Sacramenti loco & gradu eſſe; quid enim, ſi Jobum Monachum, Theodorum Studitam, Damaſcænum item Studitam, Nilum Juniorem, nonnulloſque alios, ita ſenſiſſe daremus? Privata hæc paucorum fuiſſet opinio, quæ ad ferendum de communi Græcorum fide judicium omnino inepta eſſet. Cœterum nec hos a conſtanti Eccleſiæ fide deſciviſſe, nec aliter profeſſionem monaſticam myſterium appellaſſe quam quod Sacramenti pœnitentiæ pars & veluti ſpecies ſit, jam demonſtravit Arcudius, & Simeonis Theſſalonicenſis, quo nullus eſt Græcorum fidei locupletior teſtis, ſuffragio comprobatur: „ In Pœnitentia, ait ille, ſanctiſſimus Monachorum habitus comprehenditur, qui & Angelicus dicitur, quia caſtitatem, paupertatem, hymnos, obedientiam & puritatem Angelorum imitatur: Habitus etiam pœnitentiæ vocatur, quia lugubris eſt, abjectus & ſimplex &c. “ In eundem ſenſum Michael Glicas, cujus epiſtolam refert idem Allatius, ſcripſit, profeſſionem monaſticam pœnitentiæ ſtatum eſſe, & laborioſum baptiſmum, qui tamen peccata non delet niſi per bona opera, quæ ab iis jugiter exercenda ſunt, qui ſe Deo ſolemniter devoverunt.

VIII. Quid vero, ſi Auctor librorum de Eccleſiaſtica Hierarchia, funebre officium, quo fidelium defunctorum corpora Eccleſia proſequitur, myſterium appellat? Quum myſterii nomen apud Græcos latius pateat, quam Sacramenti nomen apud Latinos, ut Novatorum nullus probare hactenus potuit, Auctorem illum ſupremas has ceremonias veris Evangelicæ legis Sacramentis annumeraſſe, ita argumenta nobis invicta ſuppetunt, quibus evincamus, aptaſſe illum ampliſſima quadam ſignificatione myſterii nomen exequiis funeris, quia officium hoc apud fideles pluribus ceremoniis ſacris, repetita præſertim Liturgiæ celebratione, peragebatur. Sane, etſi Græci Auctorem illum maxime faciant, explorata tamen res eſt, numquam ab eis inter vera Sacramenta numeratas exequias, quum & Antonius Caucus Corcyrenſis Antiſtes, qui plura Græcis vel per malitiam, vel per inſcitiam affinxit, numquam id eis in culpa poſuerit, quod argumento eſt, myſterii nomen exequiis a memorato Scriptore tributum non alium apud Græcos tuliſſe ſenſum, quam latiſſimum illum, quem indicavimus. Hinc jure miratur Clariſſimus Renaudotius, Leonem Allatium, virum ceteroqui doctiſſimum, & in librorum gentis ſuæ lectione maxime verſatum, tantam in hoc errore refutando operam poſuiſſe, quaſi vere extiterit ille apud Græcorum aliquos, & non potius ipſe hoſtem ſibi imprudenter finxerit, quem feriret.

PROPOSITIO III.

Septem hæc Sacramenta neque ſunt dignitate paria, neque ſuperflua.

I. Adſerta Sacramentorum novæ legis divina inſtitutione, fixoque eorum numero, Tridentinum inter veteris novæque legis Sacramenta diſcrimen generatim can. 2. conſtituit, Novatores anathemate percellens docere auſos, hæc non aliter differre invicem, *niſi quia aliæ ceremoniæ ſunt, aliique ritus externi*; quum autem hæc utriuſque legis Sacramentorum differentia ex effectibus potiſſimum dignoſcatur, apparebit illa quam maxime, quum ad Sacramentorum novi fœderis effectus ſermo deductus fuerit; quare hoc canone miſſo, tertii & quarti defenſionem ſuſcipimus, quos in Novatores intorſit blaterantes, ſeptem hæc ſacramenta ita inter ſe paria eſſe, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius, neque eſſe illa ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, ac ſine eis, aut eorum voto homines a Deo juſtificationis gratiam ſola fide adipiſci; ac primo diſparem ſacramentorum dignitatem efficaciter demonſtrare non poſſumus, niſi radices præcidamus, ex quibus Novatorum error progignitur. Eccur Calviniani omnes parem Sacramentis omnibus tribuunt dignitatem? Quum baptiſmum, & cœnam tantum, ceu ſola a Chriſto commendata

inter

inter Sacramenta recenſeant, alia vero quinque ad hominum inventa ablegent, cœnam autem nonniſi vacuum Chriſti ſignum ac figuram eſſe contendant, negant cœnam præſtare baptiſmo, atque pari loco & gradu, duo hæc, quæ ſola apud illos ſunt, Sacramenta habent. Quid vero ſi Luterani magnificentius de cœna ſentiunt; & in ea corpus Chriſti vere, & realiter ſumi propugnant? Quum omnes magiſtro ſuo conſentiant ſcribenti, nullum Sacramentum alio dignius eſſe, quod omnia eodem verbo nitantur, nihil inter hæc duo, quæ & ipſi ſola retinent, diſcriminis ſtatuunt, quod utrumque eodem Dei verbo fidem ſumentium excitet, eademque prorſus ratione proſit fidelibus ad ſalutem.

II. Hæc porro omnia falſa eſſe, partim demonſtratum eſt, partim inferius demonſtrabitur; quum enim & alia quinque divinitus inſtituta, & ſacro Dei verbo commendata eſſe, ex hactenus dictis abunde pateat, inſanivit mercle Calvinus in Antidoto Tridentini Concilii ſcriptitans „ quis „ non malit Neptunium ſuſtinere fulmen, „ quam æquare Chriſti inſtitutis homi„ num inventa? “ neque minus certum eſt, ſacram cœnam non vacuum nudumque ſignum eſſe, ſed pleniſſimum veritatis, atque ſub exterioribus panis vinique ſymbolis Chriſtum ipſum vere, & ſubſtantialiter præſentem eſſe, quod fidei caput in tract. de Euchariſtia adverſus Sacramentarios confectum eſt. Quam vero futiliter, & perverſe ab univerſo Novatorum grege jactetur, Sacramenta novæ legis ad ſolam nutriendam fidem fuiſſe inſtituta, demonſtraturi mox ſumus; quare quum impia & falſa ſint principia, ex quibus parem hanc omnium Sacramentorum dignitatem Novatores inferunt, falſam quoque eſſe poſitionem inde ductam neceſſe eſt, quumque divina fide certiſſimum ſit, etſi ſeptem horum Sacramentorum una ſit divina inſtitutio, diverſos tamen fines eſſe, ad quos ab eorum Auctore Chriſto ſingula relata ſunt, horumque alium alio excellentiorem, dubitari intacta fide non poteſt, quin ſit eorum impar dignitas & perfectio.

III. Quinam autem eſt inter Sacramenta dignitatis ordo & gradus? Supremum inter omnia locum obtinet Euchariſtia, atque fatendum eſt, illam Sacramentum eſſe inter alia ſimpliciter & abſolute potiſſimum. Unum illud momentum promimus, quo veritatem hanc probat Angelicus, a re contenta petitum, quod & Tridentina Synodus ſeſ. 13. cap. 3. ad idem probandum aſſumit. „ Adeſt enim „ in hoc Sacramento vere & ſubſtantiali„ ter Chriſtus ipſe ſanctitatis auctor, & „ gratiæ fons, in aliis vero quædam dun„ taxat virtutis ab eo derivatæ participa„ tio continetur, quod autem eſſentia ta„ le eſt, ſemper eſt potius eo, quod non„ niſi participatione eſt tale: “ certiſſime ergo Euchariſtia cæteris Sacramentis dignitate antecellit. Poſt Euchariſtiam vero quodnam Sacramentum aliis eſt excellentius? Quum non una ratione reliqua Sacramenta invicem conferri poſſint, ait Angelicus, ut de majori, vel minori eorum dignitate feratur judicium, ſpectanda eſt ratio, ſecundum quam mutuo conferuntur; quare ſi ex neceſſitate Sacramentorum dignitas æſtimetur, omnium Sacramentorum potiſſimum erit Baptiſma, quod ſit omnium maxime neceſſarium; ſi vero ex perfectione eorum dignitas repetatur, præcellit Ordo, dein Confirmatio. Infra memorata Sacramenta locat D. Thomas Pœnitentiam & Extremam Unctionem, quod hæc ad Chriſtianam vitam non per ſe, ſed quaſi per accidens, in ſupervenientis nimirum infirmitatis remedium ordinentur; adnotat tamen, eandem eſſe inter duo hæc Sacramenta comparationem, quæ Baptiſmum inter & Confirmationem, ita ſcilicet, ut majoris neceſſitatis ſit Pœnitentia, majoris vero perfectionis extrema Unctio.

IV. Quamquam vero ex prænotatis fidei Catholicæ principiis naturaliter fluat & inæqualis Sacramentorum dignitas, & ille, quem inter ea cum Angelico mox adſtruximus, dignitatis ordo, nec adverſus hæc opponere quidquam Novatores poſſint, quod non ex falſis impiiſque eorum principiis ſcateat, quo tamen magis pateat, eum vere inter ſe Sacramenta tenere dignitatis gradum; quem adnotavimus, cum eodem Angelico nonnulla diſpellimus, quæ poſitioni huic adverſari videntur; ac primo animadvertimus; nihil obſtare, quin aliquid ſecundum quid dignius ſit, quod tamen ſimpliciter, & abſolute minus dignum eſt: Nemo e. g. negarit hominem univerſis animantibus abſolute præſtare, atque digniorem eſſe, brutorum vero animantium plura ſecundum quid,

ali-

aliquo ſcilicet titulo, puta aut ſentiendi vi, aut corporis robore, aut vitæ diuturnitate &c. homini ipſi præſtare. Quid inde? Quum rei cujuſque dignitas potiſſimum ex intranea ejus perfectione petatur, ſumma autem ſit Euchariſtiæ perfectio, quod nihil poſſit re hoc Sacramento contenta excellentius cogitari, eſt illa Sacramentum ut omnium perfectiſſimum, ita & omnium abſolute digniſſimum; nihil tamen obſtat, quin Baptiſma ſecundum quid, titulo ſcilicet neceſſitatis, omnium potiſſimum pronunciemus, ratione quoque miniſterii, Ordini atque Confirmationi, ratione etiam ſignificationis *myſterii magni, ſeu conjunctionis Chriſti cum Eccleſia*, Matrimonio peculiarem quamdam excellentiam tribuamus. Abſit autem, ut infra hæc Sacramenta Euchariſtiam abſolute locemus; quid enim ſi Matrimonium ad commune humanæ ſpeciei bonum eſt inſtitutum, Euchariſtia vero ad proprium ſumentis bonum ordinatur? Quantum Matrimonio, quod ad multitudinis bonum corporaliter refertur, antecellit Euchariſtia, in qua commune totius Eccleſiæ ſpirituale bonum ſubſtantialiter continetur! Quid etiam ſi Ordinis & Confirmationis non ſimplex Sacerdos, ſed Epiſcopus miniſter eſt, quid ſi his Sacramentis character imprimitur? „ Quum fideles, ait D. Thomas, „ iis deputentur ad ſpecialia quædam officia, quæ ad Principis munus ſpectant, „ ea tradere ſolius eſt Epiſcopi, qui eſt „ in Eccleſia quaſi Princeps; Euchariſtia „ vero hominem nullo officio addicit, „ quum ſit ipſa potius omnium officiorum „ finis. “ Nonne etiam Sacramentum, quod Chriſtum ipſum homini jungit, iis dignius eſt, quæ characterem imprimunt, quum ſit iſte quædam duntaxat Sacerdotii Chriſti participatio?

V. In altera propoſitionis parte probanda non admodum immorabimur; rem enim hanc majori jam ex parte confecimus de quinque Sacramentis ſpeciatim agentes, eodemque hoc anno abſolvemus; quum ad Baptiſmum, & Confirmationem diſputatio deducta fuerit; quare quum illam perſequi non poſſimus, niſi aut actum agamus, aut dicendorum pervertamus ordinem, quorum utrumque ratio vetat, de Sacramentorum neceſſitate jam dicta, & infra dicenda ſummatim complectemur, duplex neceſſitatis genus cum Angelico diſtinguentes: Quum de abſoluta neceſſitate, quæ ex terminorum habitudine oritur, ſermo non ſit, ſed de neceſſitate relata ad finem, duplicem hanc intelligimus; quidpiam enim primo neceſſarium dicitur, ſine quo finis haberi nequit, ut ſine cibo traduci vita non poteſt, altero vero neceſsarium quidquam dicitur, ſine quo etſi haberi finis abſolute poſſit, non ita tamen commode, & facile, quo titulo ad agendum iter equum dicimus neceſſarium; ut vero quidquam nequeat ſuperfluum dici, ſatis eſt, ſi horum modorum alterutro ſit neceſſarium; quare ſacrilege Novatores ſuperflua ajunt Sacramenta eſſe, quum nullum eorum ſit non aliquo nomine neceſsarium; primo etenim modo tria Sacramenta neceſsaria ſunt, duo quidem ſingulari perſonæ, Baptiſmus nempe, & Pœnitentia, Baptiſmus tamen abſolute omnibus, Pœnitentia vero iis ſolum, qui poſt baptiſmum lethale crimen admiſerint, Ordo autem corpori Eccleſiæ, quia, ut Proverb. XI. legitur, *ubi non eſt gubernator, populus corruet*: altero modo neceſsaria ſunt reliqua Sacramenta; Confirmatio enim quodammodo baptiſmum perficit; extrema unctio Pœnitentiam, matrimonium vero Eccleſiæ multitudinem propagatione conſervat: Hæc ex Divo Thoma.

VI. Neque etiam in diſpellendis Novatorum objectis ponemus operam; quum enim ſingulorum Sacramentorum neceſſitatem impetant, ea vel jam diluimus, vel inferius diluemus. Nonnulla ſolum diſpungenda ſuſcipimus, quibus ab Hæreticis Sacramentorum neceſſitas generatim oppugnatur, neque vero inſanos illos prioris ævi tenebriones morari volumus, qui ut refert D. Thomas 4. c. g. c. 56., quum viſibilia omnia ſuapte natura mala eſſe, & a malo auctore profecta ſtultiſſime crederent, Sacramenta quælibet ab Eccleſia Dei, non ut inutilia ſolum, ſed etiam ut noxia removebant; non enim inſtituti noſtri eſt, pinguiſſimum errorem hunc refutare. Solos refellimus Catharos atque Adiaphoriſtas, qui nullam Sacramentorum neceſſitatem agnoſcunt, nihilque utilitatis eis tribuunt ad ſalutem, his potiſſimum momentis nixi, quod qui Sacramentorum neceſſitatem tuentur, perfectionem legis Evangelicæ imminuunt, & volunt Chriſtianos ad Judaiſmum revocare; quum enim Sacramenta ſigna ſint & figuræ, & quibuſdam elementis ſenſibilibus perficiantur,

tur, quomodo poteſt eorum uſus cum Evangelica lege componi, quæ ſtatus eſt veritatis, & gratiæ, præſertim quum Chriſtus legis hujus auctor diſerte docuerit, Patrem in ſpiritu & veritate abſque ullo ſenſibilium uſu adorandum? Nonne Paulus horum ſenſibilium elementorum uſum exploſit, quum ad Gal. 4. ſcripſit pertinuiſſe illum ad ſtatum pueritiæ, ſive Moſaicæ legis, jam vero ad plenitudinem temporis, ſive ad legem gratiæ non ſpectare, & 1. ad Timoth. 4. pietatem quidem interiorem ceu ad omnia utilem commendavit, corporalem autem exercitationem nullius ferme uſus eſſe teſtatus eſt? Quorſum etiam neceſſario Sacramentis utamur, quum Chriſtus ſalutem noſtram paſſione ſua jam ſatis ſuperque operatus ſit, quare Paulo dixit, ſufficit tibi gratia mea?

VII. Vana tamen hæc ſunt, & ſolidiſſima D. Thomæ doctrina facillime refutantur; quid enim ſi Evangelica lex ſtatus eſt veritatis? Medius eſt ſtatus ejus inter veterem legem, cujus figuras omnes implevit, & gloriam patriæ, in qua nulla plane Sacramenta erunt, quia omnis tunc perfecte, & nude manifeſtabitur veritas, & præſentes Domino *videbimus eum ſicuti eſt*; cæterum *quamdiu peregrinamur a Domino, per fidem ambulantes & non per ſpeciem, per ſpeculum, & in ænigmate* cognoſcentes, per aliqua ſenſibilia ſigna divinitus inſtituta ad ſpiritualia deducamur, oportet. Quid vero ſi in ſpiritu, & veritate adorandus eſt Deus? Removendus ne ideo ab ejus cultu quorumlibet ſenſibilium uſus? Pluribus ex D. Th. petitis convelli poteſt frigidiſſima hæc argutatio, paucis tamen ex eodem delibatis eam obterimus reponentes, ſenſibilia prout in natura ſua conſiderantur, ad cultum regnumque Dei non pertinere, quatenus vero ſpiritualium rerum, in quibus regnum conſiſtit, ſigna ſunt divinitus inſtituta, cujuſmodi ſunt Sacramenta, ad regnum Dei certo ſpectare. Quantum vero diſcriminis inter novæ, & veteris legis Sacramenta ſit, declarat idem Angelicus ajens, veteris legis Sacramenta dicta eſſe ab Apoſtolo *egena, & infirma elementa*, quia gratiam nec continebant, nec efficiebant, meritoque Apoſtolum ipſum dixiſſe, legalibus ſacramentis utentes *ſub elementis mundi ſerviſſe Deo*, quia ſcilicet ea nihil aliud erant, quam mundi hujus elementa ſpirituali effectu vacua: quum autem Sacramenta Evangelica, etſi elementis ſenſibilibus perficiantur, virtute tamen non ſignificandæ ſolum, ſed etiam producendæ gratiæ plena ſint, plurimum diſtant ab iis mundi elementis, quorum uſum ad Gal. 4. Apoſtolus rejicit.

VIII. Qua vero fronte audent Novatores in erroris ſui præſidium ea Pauli ad Timot. verba torquere? Nihil eo loci de Sacramentis Apoſtolus: quod ſi corporalis exercitationis nomine, & Sacramentorum uſum eo loci venire, velint Hæretici, num illum inutilem prorſus, ut ipſi ſentiunt, nihilque momenti habere ad ſalutem, docet Apoſtolus? Quid quod, ut optime ait Angelicus, exercitatio, quæ per Sacramentorum uſum fit, non pure corporalis eſt, ſed quodammodo ſpiritualis, ſignificatione ſcilicet & efficientia? Neque etiam, ſi paſſio Chriſti ſalutis noſtræ cauſa pleniſſima fuit, & plane ſufficiens, Sacramentorum neceſſitas evertitur; quum enim Sacramenta nonniſi virtute paſſionis Chriſti operentur, paſſio vero Chriſti cauſa fuerit ſalutis noſtræ quaſi univerſalis, quam neceſſe eſt, ut ſuum ſortiatur effectum, ſpecialiter applicari, iis applicanda eſt remediis, quæ Deus ipſe conſtituit: hæc autem Sacramenta eſſe vel re vel voto ſuſcepta, ab ipſa Apoſtolorum ætate Patres perpetuo docuerunt, & Eccleſia ſemper confeſſa eſt. Hinc apparet, quam præpoſtere eo abutantur Hæretici, quod Dominus Paulo dixit, *ſufficit tibi gratia mea*; nonniſi etenim per Dei gratiam ſalutis æternæ fieri homines compotes, fidei caput eſt, dicente Apoſtolo, *Gratia Dei vita æterna*; verum quum Deo placuerit, nonniſi mediis Sacramentis vel re vel voto ſuſceptis, quæ ad humanam ſantificationem non ſolum ſignificandam, ſed etiam efficiendam inſtituit, hominibus gratiam elargiri, ſtulti ſunt, qui Sacramenta inutilia decernunt, quod gratia ſaluti ſufficiat.

PROPOSITIO IV.

Sacramenta Evangelica gratiam ex opere, ut ajunt, operato conferunt.

I. PRæcipuum ac primum hunc Sacramentorum novæ legis effectum Tridentina Synodus quinque canonibus explicavit, quos adverſus totidem Novatorum errores tulit; quum enim omnium capitalis error ſit, ſola divinarum promiſſionum

num fide juſtificari hominem, eaque ſola juſtitiam Chriſti apprehendi, & noſtram quodammodo fieri, hinc velut ex infecta radice immania illa eorumdem commenta enata ſunt, ad ſolam nutriendam fidem hæc Sacramenta inſtituta, non aliud illa eſſe, quam acceptæ per fidem gratiæ vel juſtitiæ exteriora ſignacula, & quaſdam chriſtianæ profeſſionis notas, quibus fideles ab infidelibus diſcernuntur, nihil inter Evangelica, & Moſaica Sacramenta intereſſe diſcriminis, delirare Romanenſes, qui ajunt, Sacramenta noſtra gratiam continere, quam ſignificant, ac non ponentibus obicem reipſa conferre, ac barbaro prorſus, & pene magico vocabulo, *ex opere* ſcilicet *operato*, fictitiam hanc Sacramentorum efficaciam exponunt. Hinc etiam ortæ præpoſteræ illæ Sacramenti definitiones apud Novatores omnes pervulgatæ, atque a Calvino primum lib. 4. Inſtit. c. 14. traditæ: „ videtur mihi, ait ille, hæc ſimplex & propria fore definitio, ſi dixerimus, externum eſſe ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Deus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram eo, & Angelis, quam apud homines teſtamur. Licet etiam majore compendio aliter definire, ut vocetur divinæ in nos gratiæ teſtimonium externo ſigno confirmatum cum mutua noſtræ erga ipſum pietatis teſtificatione. " In duabus definitionibus tantum ſibi placet homo vaniſſimus, ut non pronunciet ſolum, utramlibet ab illa Auguſtini, quæ Sacramentum tradit *rei ſacræ viſibile ſignum*, *aut inviſibilis gratiæ viſibilem formam*, ſenſu nihil differre, ſed rem ipſam melius ac certius explicare, quum ſit in ea Auguſtini brevitate obliqua obſcuritas, in qua multi rudiores hallucinantur.

II. Hæ Sacramenti definitiones a Calvino procuſæ, ut & aliæ ejuſdem furfuris, quæ apud Lutheranos, Zuinglianos, Anabaptiſtas, & Socinianos volitant, omnes eo collimant, ut quamlibet conferendæ gratiæ efficacitatem Sacramentis Evangelicis adimant; quare ſi attributam hanc Sacramentis a Deo virtutem momentis luculentiſſimis demonſtraverimus, confecta res erit, futiles illas eſſe atque falſas; illud quoque extra litem poſitum erit, non ſolius nutriendæ fidei, ſed humanæ præſertim ſanctificationis efficiendæ gratia inſtituta illa fuiſſe, & hoc maxime titulo Moſaicis quibuſque præſtare, quod, ut egregie ait Auguſtinus, *illa tantum Salvatorem promitterent*, *noſtra vero dent ſalutem*. Operæ autem pretium eſt, paucis exponere, quæ ſit dictionis illius, etſi minus latinæ a Tridentino uſurpatæ, ex *opere* ſcilicet *operato*, poteſtas, quidve inter opus hujuſmodi, & opus operantis interſit. Gratiam ex opere operato Sacramentis conferri, ſentit Eccleſia, quatenus Deus ſuprema ſanctificationis cauſa iis ceu inſtrumentis utitur, quibus Chriſti merita non ponentibus obicem applicat, & ſpiritualia dona communicat; gratiam vero ex opere operantis produci intelligimus, quum ob ſignaculorum divinitus inſtitutorum uſum, non ob Chriſti merita elementis viſibilibus divina voluntate alligata, ſed ob ſolam miniſtrantium probitatem, ac ſuſcipientium fidem quiſpiam gratiam aſſequitur. Utrinſque hujuſmodi notionem, non verbis pridem, ſed re atque ſenſu tradidit Auguſtinus, quum de baptiſmo loquens ait, *non eorum meritis, a quibus miniſtratur, aut eorum, quibus miniſtratur, conſtare baptiſmum, ſed propria ſanctitate atque veritate, propter eum, a quo inſtitutus eſt*.

III. Veritatem hanc ſic expoſitam ſelectis primo Scripturarum teſtimoniis confirmabimus, quæ Patres atque Concilia in hunc finem adhibuerunt. Illud Jo. 2. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* &c. verſans Auguſtinus ait. *Non inquit Chriſtus ex parentum fide, aut offerentium, vel miniſtrantium, ſed ex aqua, & Spiritu Sancto: Aqua igitur regenerat hominem in Chriſto ex uno Adam generatum*. Illud quoque expendens, quod Apoſtolus ad Eph. 5. habet: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea, ut illam ſanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, infert acutiſſimus Doctor, *quidquid ergo ab hominibus quarumcumque culparum contrahitur, propter ipſum lavacrum dimittitur*. Quin neceſſe ſit innumera ſacrarum litterarum teſtimonia colligere, quæ hanc Baptiſmi efficaciam mire commendant, quæque docent, baptizatos in Chriſto *veterem hominem exuere*, *& Chriſtum induere*, *regenerari*, *renaſci*, *ablui*, *ſanctificari*, *innovari ſpiritu*, *ſalvos fieri*, *nihil jam damnationis habere*, *divinæ conſortes naturæ fieri*, *& magnis ac* pre-

pretioſis donis adfici, illud maxime expeditum eſt, quod ex Millevitani Concilii Patribus mutuatus Melchior Cano a forma Baptiſmi petit, atque in hunc modum urget: „ Qui baptizat, vel proprie, ac „ vere maculas abluit animæ, vel non ab„ luit: ſi abluit conficitur, quod moli„ mur: ſin autem non abluit, forma igi„ tur Baptiſmi falſa eſt, qua non corpo„ ris, ſed animæ ablutio ſignificatur; in„ de enim Millevitani Patres argumen„ tantur, parvulos originale peccatum, „ & animi maculam habere, quoniam a„ lias forma Baptiſmi falſa efficeretur, „ quum in ablutionem ſpiritalem, ac pro„ inde in peccatorum remiſſionem parvu„ li baptizentur. “

IV. Illud vero decretorium eſt, „ quo, „ ut idem Cano ait, triumphat Ambro„ ſius, quo ſaluberrimam Euchariſtiæ vir„ tutem Chriſtus Jo. 6. commendat ajens: „ *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus* „ *vere eſt potus; qui manducat meam car*„ *nem, & bibit meum ſanguinem, in me* „ *manet, & ego in eo: Sicut miſit me vi*„ *vens Pater, & ego vivo propter Patrem,* „ *& qui manducat me, vivet propter me.* „ *Ego ſum panis vivus*, quibus ex Domi„ ni verbis Synodus Epheſina conficit, „ *accipere nos non communem carnem, ſed* „ *vere vivificatricem, qua & ſanctifica*„ *mur, participes Sancti corporis, & ſan*„ *guinis effecti*. Hinc, quum inter præ„ ſtantiſſimos Sacramenti hujus effectus „ Eccleſiaſticam unitatem Paulus 1. ad „ Cor. x. memoret ajens, *unus panis u*„ *num corpus multi ſumus omnes, qui de* „ *uno pane, & de uno calice participamus*, „ doceatque, Sacramenti hujus participa„ tionem Eccleſiaſticæ unitatis cauſam eſ„ ſe, neceſſario, conſequitur, ut ſcite ad„ notat idem graviſſimus Theologus, eſ„ ſe illam & charitatis, & gratiæ cau„ ſam, ſine qua unitas Eccleſiæ non con„ ſtat. “ Quum autem de Pœnitentia, extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio ſpeciatim agentes demonſtraverimus, eſſe illa veri nominis Sacramenta, non ſignificandæ ſolum, ſed & efficiendæ gratiæ virtute donata, non eſt, cur ea hic revocemus, quæ e divino eloquio petita in rem hanc opportune contulimus, neque, cur ea præripiamus, quæ de Confirmatione agentes ſuo loco promturi ſumus. Hac etiam de cauſa longam illam præterimus teſtimoniorum aciem, quam a Patribus Theologi inſtruunt, ut veritatem hanc traditionis auctoritate confirment; quum enim omnia ad ſingulorum Sacramentorum efficacitatem adtineant, ideoque vel jam a nobis laudata, vel inferius laudanda ſint, inepti eſſemus, eadem inutiliter repetentes.

V. Utiliorem ponemus operam in expendendo momento illo omnium validiſſimo, & Novatoribus permoleſto, quo & frequenter uſi ſumus, atque uti pro re nata pergemus, ex perpetua nimirum omnium chriſtiani nominis ſocietatum conſenſione deprompto: quum enim omnia illa locupletiſſima documenta, quibus Renaudotius, aliique egregii Catholicæ fidei vindices ſatis ſuperque evicerunt, in adſtruendo ſeptenario Sacramentorum numero Orientales omnes Occidentalibus conſentire, eadem quoque perſpectum faciant, non aliam inſediſſe unquam, ac inſidere quibuſcumque Chriſtianæ profeſſionis in Oriente Sectis de indita divinitus Sacramentis Evangelicis ſanctificationis noſtræ efficiendæ energia perſuaſionem, quam quæ latinæ Eccleſiæ ſemper fuit, & quæ memoratis Tridentini canonibus declaratur, certo conficitur, doctrinam hanc non ex errore, ſed ex traditione profectam eſſe; quod ſi illam ex ſcripto, & tradito Dei verbo manaſſe, certo probat invariata hactenus Chriſtianorum omnium conſenſio, quis pacate ferat Calvinum in eam impotenter furentem, atque inverecunde ſcribentem: „ magno conſenſu ſophiſtice Scho„ læ tradiderunt, Sacramenta novæ legis „ juſtificare, & conferre gratiam, modo „ peccati mortalis obicem non ponamus, „ quæ ſententia dici non poteſt, quam „ ſit exitialis, & peſtilens, eoque magis, „ quod multis ante ſæculis magna Eccle„ ſiæ jactura in bona orbis parte obti„ nuit: plane certe diabolica eſt &c. “ Rabidi hujus canis latratus uno hoc argumento compeſcimus, & obſtruimus: Doctrinam hanc ex ipſo Dei eloquio ductam ab ipſo Apoſtolorum ævo ad hæc noſtra uſque tempora in Oriente, & Occidente viguiſſe, explorate demonſtrat, & Patrum, qui ſecundo ſequentibuſque ſæculis floruerunt, unanimis teſtificatio, & Orientalium, ac Occidentalium omnium in ea perpetuo retinenda conſtantia, non eſt ergo illa in ſophiſticis Scholis enata, exitialis, peſtilens, & diabolica, ſed diabolico ſane ſpiritu actus eſt homo ille nequiſ-

Digitized by Google

quiſſimus, qui illam his maledictis inceſſit.

VI. Eccur vero Calvinus doctrinam hanc tam furioſe proſcidit? „ Quia, ait ille, „ dum juſtitiam citra fidem pollicetur, animas in exitium præcipites agit, dum „ juſtitiæ cauſam a Sacramentis ducit, „ miſeras hominum mentes in terram ſuapte ſponte plus ſatis inclinatas hac ſuperſtitione illigat, ut in ſpectaculo rei „ corporeæ potius quam in Deo ipſo acquieſcant; quid vero eſt Sacramentum „ citra fidem ſumptum, niſi certiſſimum „ Eccleſiæ exitium? nam quum nihil in„ de extra promiſſionem ſit expectandum, „ promiſſio autem non minus iram incredulis minetur, quam fidelibus gratiam „ offerat, fallitur qui plus aliquid per Sacramenta ſibi conferri putat, quam quod „ verbo Dei oblatum vera fide percipit; „ ex quo alterum etiam conficitur, non „ pendere ex Sacramenti participatione ſalutis fiduciam, ac ſi juſtificatio ſita illic „ foret, quam in uno Chriſto repoſitam „ nihilominus Evangelii prædicatione, „ quam Sacramenti obſignatione nobis communicari ſcimus, ac ſine hac poſſe in „ ſolidum conſtat. Uſque adeo verum eſt, „ quod ab Auguſtino quoque ſcribitur, *inviſibilem ſanctificationem ſine viſibili ſigno eſſe poſſe, & viſibile rurſus ſignum „ ſine vera ſanctificatione &c.* Quamobrem „ fixum maneat, non eſſe alias Sacramentorum, quam verbi Dei, partes, quæ „ ſunt offerre nobis & proponere Chriſtum, & in eo cæleſtis gratiæ theſauros; nihil autem conferunt, aut proſunt, niſi fide accepta. “

VII. Bone Deus, quot in brevi oratione immanes errores! Mentitur ille primo, & peſſimam nobis calumniam infert ajens, polliceri nos juſtitiam citra fidem; nonne etenim Catholicis omnibus ratum fixumque eſt, quod Tridentina Synodus ſeſ. 6. de juſtificatione cap. 5. & 6. credendum edixit, neceſſe ſcilicet fore, ut adulti prævenienti Dei gratiæ libere aſſentientes atque cooperantes ad juſtificationem per Baptiſmi, aut Pœnitentiæ Sacramenta obtinendam ſeſe diſponant, harum autem diſpoſitionum primam eſſe fidem, dum excitati divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes libere movemur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis, juſtificari impium a Deo per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu &c.? Ceterum ſicut adultorum nulli citra fidem juſtitiam pollicemur, quod ſit illa ad juſtificationem eorum præparatio neceſſaria, ita conſtanter negamus, eſſe illam ſolam & totam juſtificationis cauſam, atque eum verborum Apoſtoli ſcribentis, *juſtificari hominem per fidem*, legitimum ſenſum eſſe fatemur, quem, ut ibidem cap. 8. Tridentinum ait, *perpetuus Catholicæ Eccleſiæ conſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*, nec non cum eodem Tridentino anathema dicimus Calvino, & univerſo Novatorum gregi, quibus fundamenti loco eſt, ſola divinarum promiſſionum fide juſtificari hominem, & ſalvari. Quum hæc demonſtrare inſtituti noſtri non ſit, quandoquidem ſpectant illa ad tractatum de juſtificatione, breviter Calvini errata refellimus; ac primo nonne delirat ille ſcripturiens, *quum nihil inde, ideſt ex Sacramento extra promiſſionem ſit expectandum &c.*? Quæ illa promiſſio eſt, quæ incredulis minatur iram, & fidelibus gratiam offert, & quæ verbo Dei oblata vera fide percipienda eſt? Ea, quæ Marci ultimo legitur, qua jam perverſe Novatores ad erroris ſui præſidium abutuntur, nimirum *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. En promiſſionem verbo Dei oblatam, ſalutem nempe: hancne vero ſatis eſt vera fide percipere, ut quiſpiam ſit ejus compos, quum Chriſtus ejus aſſecutionem non ſoli fidei, ſed fidei ſimul ac Baptiſmo alligarit, illi quidem ut diſpoſitioni, huic vero ut inſtrumento? Quum Chriſtus ex fide atque Baptiſmo ſimul ſalutem in ſe ſolo ceu principe cauſa repoſitam pendere voluerit, Calvinus qua fronte pronuntiat, non pendere illam ex Sacramenti participatione, nobis illam perinde communicari verbi prædicatione, ac Sacramenti obſignatione, imo ſine hac poſſe illam in ſolidum communicari?

VIII. Quam temere etiam & inique Auguſtinum erroris ſui Patronum Calvinus advocat! Quod ſcribit ille, *inviſibilem ſanctificationem ſine viſibili ſigno eſſe poſſe, & viſibile rurſus ſignum ſine vera ſanctificatione*, Catholicis omnibus maxime probatur, quibus ex ejuſdem Auguſtini, aliorumque Patrum traditione perſuaſum eſt, viſibile ſignum, quum ejus actu ſuſcipien-

di copia non eſt, voto ſuppleri, & voto hoc, ſeu fide, ut idem Auguſtinus explicat, per dilectionem operante, ſanctificationem inviſibilem effici, viſibile rurſus ſignum ſine vera ſanctificatione eſſe poſſe, ob fictionis obicem, quæ, ut idem Auguſtinus ait, *corde in malitia, vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum abolitionem non ſinit fieri*. Ubinam vero Auguſtinum reperire eſt docentem, ſine viſibili ſigno vel re, vel voto ſuſcepto inviſibilem ſanctificationem eſſe poſſe? Quoniam vero Calvinus, ejuſque gregales erroris ſui arcem locant in iis, quæ Auguſtinus tract. 80. in Jo: habet, *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus*, quaſi vero Auguſtinus emundandæ animæ vim non Baptiſmo, ſed ſoli fidei adſcribat, animadvertendum eſt, agere eo loci Auguſtinum de adultorum Baptiſmate, & quidem quoad mundandi, ſive juſtificandi vim, quo ſenſu rectiſſime ait, tangi corpus aqua, & animam ablui faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur, quandoquidem, niſi adultus baptiſmate tinctus Sanctiſſimæ Trinitatis, in cujus nomine baptizatur, myſterium explicite credat, ſanctificationem inviſibilem non adſequetur ob primum fictionis modum, quem Auguſtinus ipſe ait eſſe, quum *quis non credit, quum tamen baptiſma ſit fidei Sacramentum*, quoniam prima adulti ad juſtificationem neceſſaria diſpoſitio fides eſt, & quidem myſterii hujus explicita.

IX. Si hæc ita ſint, ajunt Novatores, neque Sacramenta Evangelica gratiam conferant, niſi obicem non ponentibus, ac rite diſpoſitis, perperam adſerunt Romanenſes, conferre illa gratiam ex opere operato, jamque nullum inter novæ & veteris legis Sacramenta diſcrimen erit, quum utrorumque nulla ſit abſque bono utentis motu efficacitas. Verum qui ita argutantur, *volentes legis doctores eſſe*, ut ait Apoſtolus, *non intelligunt, quæ legunt, neque de quibus affirmant*; quæ enim ſenſibilibus ſignis ceu divinæ virtutis inſtrumentis ſeparatis divina inſtitutione, & merito paſſionis Chriſti adjuncta eſt ſanctificandi efficacitas, ea ineſt humanitati Chriſti ceu conjuncto Deitatis inſtrumento vi hypoſtaticæ unionis, Deitati vero ipſi, ceu ſupremæ omnis juſtificationis cauſæ, a natura; quum ergo Chriſtus qua Deus neminem vivificet ac ſanctificet, niſi volentem, & conſentientem, neque ad effectus hos, niſi in hominibus rite diſpoſitis, humanitate ſua ceu inſtrumento conjuncto utatur, an non eſſe illum totius ſanctitatis fontem, aut humanitatem ejus ſanctificandi virtute a Verbo, cui unita eſt, donatum non eſſe dicemus, quod neceſſe ſit, ut Tridentinum definit, ad juſtificationis gratiam aſſequendam hominem ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi, nec juſtificetur quiſpiam, niſi Deo juſtificanti cooperetur atque conſentiat? Solem ne quis negaret omnia illuminandi virtute carere, quod ea corpora non illuſtret, quibus aliquid obeſt, ne ſolis luce perfundantur, aut panem non eſſe inſtitutione ſua ſalubrem, aptumque ad nutriendum, quod ſtomaco ægro, & male affecto perniciem potius adferat, quam nutrimentum? Quid ergo ſi gratiam, niſi obicem non ponentibus, Sacramenta non tribuunt? Etſi divina inſtitutio paſſionis, & meritorum Chriſti intuitu inſtrumentariam ſanctificandi virtutem iis indiderit, eam tamen actu efficacem non eſſe ſtatuit, niſi in iis, qui huic Sacramentorum effectui nullum impedimentum apponerent.

X. Quid vero diſcriminis inter veteris & novæ legis Sacramenta intercedat, declarat Angelicus ajens, „ a paſſione Chriſti,
„ quæ humanæ juſtificationis eſt cauſa,
„ quæque jam peracta eſt, virtutem juſti-
„ ficandi ad evangelica non autem ad mo-
„ ſaica Sacramenta derivari; quare etſi fi-
„ de paſſionis Chriſti juſtificarentur anti-
„ qui Patres, ſicut & nos, nulla tamen
„ Sacramentis iis, quibus utebantur, con-
„ ferendæ gratiæ virtus inerat, quia paſ-
„ ſio Chriſti nondum impleta erat;" erant quidem Sacramenta illa proteſtationes fidei in futurum mediatorem, & paſſionem ejus futuram, ac ſalutares paſſionis effectus ſignificabant; cæterum ſola in futurum Reparatorem fide, ideſt ſolo operantis opere, non autem exteriori ſignorum uſu juſtitiam & ſalutem aſſequebantur homines, quia erant illa egena & infirma elementa, ſignificandæ tantum ac promittendæ ſalutis gratia inſtituta, quæ quum adventu ſuo impleviſſet Chriſtus, ait Auguſtinus, *ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta, & alia ſunt inſtituta virtute majora, utilitate meliora, ſalubriora, feliciora*. Quæ porro eſt major illa virtus, utilitas, ſalubritas, ac felicitas, quam Augu-

guſtinus cæterique Patres Evangelicis Sacramentis attribuunt, niſi indita eis divinitus ceu paſſionis Chriſti jam conſumatæ hominibus applicandæ inſtrumentis conferendæ ſalutis energia? Etſi autem ad percipiendam ex horum ſignorum uſu juſtitiam & ſalutem, bonum utentium motum neceſſarium eſſe, Eccleſia doceat, latiſſimum tamen inter utriuſque legis Sacramenta intervallum agnoſcit, in eo poſitum, quod fides in futurum mediatorem exterioribus iis ſymbolis ſignificata tota eſſet juſtificationis veterum cauſa, nunc vero mera conditio ſit, ſine qua Deus ſtatuit, virtutem paſſionis Chriſti per Sacramenta applicatam nulli adultorum prodeſſe ad juſtitiam & ad ſalutem.

XI. Sed ad Calvinum redeundum eſt exprobrantem, præcipites in exitium doctrina hac noſtra animas agi. Itane vero? Ita, ait ille: Dum juſtitiæ cauſam a Sacramentis ducit, miſeras hominum mentes in terram ſuapte ſponte plus ſatis inclinatas hac ſuperſtitione illigat, ut in ſpectaculo rei corporeæ potius quam in Deo ipſo acquieſcant. Pervertit ille tamen doctrinam Eccleſiæ, ut eam lacerare pro arbitrio poſſit, atque hoſtem ſibi fingit, in quem tela conjiciat; fingit enim, ducere nos juſtitiæ cauſam a Sacramentis, qui principalem juſtitiæ, & ſalutis noſtræ cauſam ſolum Deum credimus, & confitemur, neque alio loco Sacramenta habemus, quam inſtrumentorum, *per quæ*, ut ait D. Thomas, *divina virtus operatur*, *quæque ex divina ordinatione adhibentur hominibus ad efficiendam in eis gratiam*. Ecquæ vero ſuperſtitio eſt, ſi rebus utimur, quas Deus ipſe conſtituit, quarum uſui ceu inſtrumentariæ virtutis ſuæ cauſæ juſtificationem ſalutemque noſtram pro ſuprema poteſtate ſua voluit alligare? Abſolute ille quidem potuit homines ad juſtitiam & ſalutem abſque ejuſmodi ſenſibilibus ſignis adducere: voluiſſe illum tamen, ex iis vel re, vel voto adhibitis pendere ſalutem noſtram, aperte docent litteræ ſacræ, quæ certiſſimæ ſunt divinæ voluntatis interpretes. Quam vero ſapienter, & congrue ſupremus rerum omnium Arbiter juſtitiam ac ſalutem noſtram in horum inſtrumentorum uſu poſuerit, declarat Angelicus plures ex Chryſoſtomo, Auguſtino, aliiſque Patribus delibatas inſtitutionis Sacramentorum rationes paucis complexus: „ Per Sacramentorum inſti-
„ tutionem homo convenienter ſuæ natu-
„ ræ eruditur per ſenſibilia, humiliatur ſe
„ corporalibus ſubjectum cognoſcens, dum
„ ſibi per corporalia ſubvenitur, præſer-
„ vatur etiam a noxiis actionibus per ſa-
„ lubria exercitia Sacramentorum “ &c.

XII. Invictum poſtremo argumentum ſibi videntur Novatores cudere ex opinionum varietate, qua Theologi colliduntur, de modo, quo novæ legis Sacramenta ſunt cauſa gratiæ, differentes: „ Res quip-
„ pe nulla eſt, quemadmodum adnotavit
„ & Melchior Cano, de qua tantopere
„ non ſolum indocti, ſed etiam docti diſ-
„ ſentiant. Quidam quum Sacramenta
„ gratiam ipſam efficere, judicent impoſ-
„ ſibile, Sacramenta ajunt, cauſas eſſe
„ diſpoſitivas gratiæ, quia ſcilicet chara-
„ cterem vel ornatum, neſcio quem pro-
„ ducunt, ideſt qualitates interius diſpo-
„ nentes ad gratiam. Alii ea gratiæ cau-
„ ſas eſſe affirmant extrinſecus appoſitas,
„ ut annulum regium aut ſigillum, qui-
„ bus oſtenſis ac exhibitis id nobis præ-
„ ſtatur, quod ex Regis beneficio quæri-
„ mus. Opinantur alii, Sacramenta non-
„ niſi per accidens gratiæ cauſas eſſe,
„ quia etſi nihil vere agant, efficiantque,
„ ſine iis tamen Deus gratiam non largi-
„ tur. Sunt contra qui exiſtimant, Sa-
„ cramenta virtute ſupernaturali divinitus
„ inſita gratiam ipſam phyſice attingere,
„ & inſtrumentali actione producere.
„ Quidam ex adverſo contendunt, Sacra-
„ menta gratiæ cauſas eſſe divinam vo-
„ luntatem moventes, ſeu rationem, ob
„ quam Deus gratiam confert, puerum
„ e. g. mundans & ſalvans, quia baptiza-
„ tus eſt, ſpirituale robur ei addens, quia
„ confirmatus eſt. “ Denique alii bene multi, quos inter ipſe Melchior Cano, cenſent, Sacramenta noſtra, gratiam & continere, & ſuſcipientibus digne conferre, continere quidem non phyſice, ſicut naturalis cauſa ſuum effectum continet, ſed moraliter, ſicut crumena pecuniam continens captivi redemptionem continere dicitur, quo ſenſu Sacramenta, quæ ſanguinis Chriſti virtutem continent, peccatorum remiſſionem & gratiam continere dicuntur; eandem vero conferre, dum actu exhibita pretium hujus ſanguinis applicant, ſicut crumena pecuniam, ſeu redemptionis captivi pretium adminiſtrans redemptionem ipſam efficere dicitur.

XIII. Quid hæc tamen opinionum varietas

ad

ad dogma, quod hactenus conſtantiſſime Eccleſia credidit? Ut ut fuerint veteres, ſintque hodierni Scholaſtici in explicando, quo Sacramenta gratiam conferant, modo diſcordes, mira tamen ſemper fuit, eſtque adhuc in retinenda dogmatis ſubſtantia conſenſio, nec quemquam priſcos inter ac recentes reperire eſt, qui a doctrina, quam Florentinum, & Tridentinum de Sacramentorum efficacia tradiderunt, vel latum unguem deſciſcat: Si autem apud Theologos adhuc incompertus eſt, magnamque concertationem habet modus, quo Sacramenta noſtra ſuam hanc exerunt efficaciam, num recte negari illa poterit, aut in dubitationem adduci? Qui tam præpoſtere argumentantur, ii non fidei myſteriis ſolum nihil certi habeant, neceſſe eſt, ſed & pleraque in natura ipſa, aut falſa habeant, aut incerta; ſunt enim in ea plurima, quæ vel ſenſu percipimus, vel certa demonſtratione tenemus, quæque aut negare, aut in iis paulum addubitare, amentis eſſet, de quorum tamen modo aut cauſis acerrimæ, ſunt inter Philoſophos, & Mathematicos controverſiæ. Ut ergo nihil de naturalium rerum certitudine deperit, quod ſint eorum modi, & cauſæ plerumque obſcuræ, atque inexploratæ, ita ſua ſtat creditæ ab Eccleſia ſemper Sacramentorum efficaciæ firmitas, etſi modus ejus jamdudum plurimis Scholaſticorum diſputationibus ſubſit.

PROPOSITIO V.

Alterum habent nonnulla novæ legis Sacramenta effectum, Characterem nempe.

I. De charactere ſacramentali dicturi ſtatim ſibilis & cachinnis excipimur a Novatoribus nos ludibriis proſcindentibus, quod pro altero hoc Sacramentorum effectu pugnemus, qui mera eſt novorum Theologiſtarum, ita veteres Scholæ magiſtros Lutherus vocat, fictio atque commentum, venerandæ antiquitati inauditum, nec niſi ineunte tertiodecimo ſæculo ab Innocentio III. procuſum. Cæterum etſi ii nos rideant, deſerenda tamen a nobis non eſt veritatis hujus defenſio, quam poſt Florentinum in decreto pro Armenorum inſtructione Tridentina Synodus can. 7. deffinivit: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, ſcilicet Baptiſmo, Confirmatione & Ordine non imprimi Characterem, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſint; anathema ſit.* Quoniam vero Tridentini auctoritatem nihili pendunt Hæretici, canonis hujus veritas iis momentis firmanda eſt, quibus ad hunc alioſque de Sacramentis edendos canones adductam ſe fuiſſe teſtatur laudata Synodus, ajens: *ad errores eliminandos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſſima Sacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de novo adinventæ ſunt, quæ Catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnopere officiunt, ſanctarum Scripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum, & Patrum conſenſui inhærendo, hos præſentes canones ſtatuendos & decernendos cenſuit.*

II. Quoniam vero nonnulli e noſtris ambigua putant, nec ſatis ad veritatem hanc demonſtrandam firma ea Scripturarum teſtimonia, quæ poſt D. Thomam plerique polemici Tractatores urgere ſolent, quod non una iis adhibeatur a Patribus interpretatio, hoc iccirco momento miſſo, Apoſtolica traditione, & perpetuo omnium conſenſu pugnabimus; nec etiam tot illa ceterum Patrum teſtimonia laudabimus, quæ apud recentes quoſque Theologos occurrunt, in quibus aut expreſſam ſacramentalis Characteris mentionem videre eſt, aut ejuſdem notionem verbis idem ſonantibus traditam, ac aptiſſimis comparationibus explicatam: hoc argumento ſolum perſpectum fiet, dogma hoc Apoſtolica traditione, atque aliorum Conciliorum, & Patrum conſenſu firmari. Ab ipſo Apoſtolorum ævo ad hæc noſtra uſque tempora perpetuo creditum eſt in Eccleſia Dei, Baptiſmi, Confirmationis, ac Ordinis Sacramenta rite collata abſque ſacrilegio iterari non poſſe: id prioris ævi Concilia plura, & Patrum plerique teſtantur: habiti ſemper ut hæretici, qui docerent oppoſitum, pœnæque graviſſimæ in eos decretæ, qui quodpiam horum Sacramentorum, quod validum, & ratum eſſe perſpectum foret, iterare auderet; non alia autem de cauſa Sacramenta hæc iterari non poſſe, ab Apoſtolis ad nos uſque conſtanter Eccleſia docuit, quam ob *ſigillum ſanctum indelebile, quod iis imprimitur*, ait Cyrillus Hieroſolymitanus, *ob per-*

permanentia, & *indelebilia ſignacula*, ait Græcorum omnium nomine Gabriel Philadelphienſis Antiſtes, quia denique *cum quadam conſecratione dantur*, ait Auguſtinus; non eſt ergo novitium hoc dogma; neque commentum eſt a Theologis invectum, ſicut cum Luthero univerſi blaterant Novatores.

III. His conſenſionem addimus omnium, quæ in Oriente ſunt, Chriſtiani nominis Societatum, quam miſſis pluribus locupletiſſimis documentis a Renaudotio collectis ex ſeptimo potiſſimum canone eruimus, quem tulit Doſithæus Hieroſolymitanus Patriarcha adverſus Joannem Cariophylum avitæ fidei desertorem, & ad Calvinianos transfugam: *Si quis dixerit, baptiſmo, & ordinatione non imprimi characterem indelebilem ſpiritualem iis, qui hæc Sacramenta ſuſcipiunt, ita ut iterari illa poſſint, anathema ſit.* Etſi autem hic canon iiſdem pene verbis elatus ſit, ac ſeptimus Tridentini jam recitatus, conſtat tamen, Patriarcham hunc perpetuam & ab Apoſtolorum ætate ductam Eccleſiæ ſuæ fidem non eo ſolum, ſed & aliis, qui Tridentini doctrinam perfecte exhibent, expreſſiſſe, quum teſtetur ipſe, ex quo in Oriente Sanctum Evangelium annuntiatum eſt, doctrinam hanc perpetuo fuiſſe a Græcis cuſtoditam, Sanctam Ieſu Chriſti Eccleſiam (ſic Orientalem Eccleſiam appellat) Lutheri & Calvini adverſus Sacramentorum numerum, ſalutares effectus, atque miniſterium, errores, mox ut enati ſunt, ſtrenue refutatos a pluribus Patriarchis, Epiſcopis, ac Theologis, in duabus Synodis Conſtantinopolitana, & Jaſſiaca proſcripſiſſe, atque inſuper illam ubique terrarum, in Oriente, Occidente, Septentrione, ac Meridie, eoſdem anathemate perculiſſe. Quid illuſtrius, ac evidentius, quo in retinendo hoc dogmate perpetua Orientis ac Occidentis concordia demonſtretur? Si ergo hæc ſacramentalis characteris doctrina in Orientem ipſa Apoſtolorum ætate cum Evangelii prædicatione invecta eſt, non eſt in Romanenſium Scholis barbaro ævo nata. Si doctrina hæc apud Chriſtianos omnes una invenitur, non eſt ergo illa figmentum Scholaſticorum ex errore, ſed dogma Catholicum ex Apoſtolica traditione promanans.

IV. Adverſus veritatem hanc agmine facto inſurgunt Hæretici, ajuntque, characterem, purum eſſe Innocentii III. inventum, quum nullibi in ſacris litteris mentio hujus characteris occurrat, &c, ſi qui Patres ejus meminiſſe dicantur, exteriorem ſolam fidei profeſſionem characteris nomine deſignarint; perperam tamen hæc jactitant; quum ſit enim inter Catholicos ipſos non uſquequaque exploratum, an ea, quæ Paulus 2. ad Corrint. & ad Eph. 1. & 4. habet ajens, Baptiſmate tinctos *cunctos, & ſignatos eſſe ſpiritu promiſſionis Sancto*, ſacramentalem characterem indigitent, an ſolam gratiæ infuſionem, qua ungimur, & ſignamur, damus, nihil de charectere in ſacris litteris ſcriptum eſſe: iniquiſſimos eſſe tamen Novatores oſtendimus, qui illum Apoſtolica traditione, & perpetuo Chriſtianorum omnium conſenſu fultum rejiciunt. Quin neceſſe ſit, demonſtrare, parem eſſe traditi ac ſcripti Dei verbi auctoritatem, ac vim ad faciendam dogmati fidem, ipſa, quam agitamus, quæſtio argumentum nobis ſuppeditat, quo Novatores inextricabiliter implicemus. Ubi enim in divino eloquio legere eſt baptizandos eſſe infantulos, nec Baptiſma iis rite adminiſtratum abſque ſacrilegio iterari poſſe? Scripturarum teſtimoniis deſtituti, quum neque ex iis, quæ Scriptura habet, poſſent id certa ratiocinatione efficere Lutherus, & Calvinus, univerſique eorum Gregales, nonne ſola traditione, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine adverſus Anabaptiſtas egerunt, eoſque impietatis revicerunt; quod omni traditionis, & Eccleſiæ auctoritate poſthabita, errorem ſuum ſolo Scripturarum ſilentio tuerentur? Quum ſit ergo traditioni, & Eccleſiæ conſuetudine, Lutheranis, & Calvinianis fatentibus, ſatis auctoritatis, & roboris ad firmanda fidei capita, etiamſi Scripturæ taceant, ridendi merito ſunt, qui adverſus ſacramentalem characterem hoc idem Scripturarum ſilentium opponunt.

V. Patres autem exteriorem ſolam fidei profeſſionem characteris nomine denotaſſe, falſum eſt: Cyrillum Hieroſolymitanum e Græcis, e Latinis vero Auguſtinum appellare, ſat fuerit, ut palam fiat, quantum a genuina Patrum mente Novatores abludant. Prior in Catecheſeon præfatione Baptiſmum ait *ſignum ſanctum, & indelebile eſſe*, alter vero perſæpe docet, *characterem Baptiſmate impreſſum in impiis etiam*,

etiam, & apoſtatis permanere. Hæccine Patres de charactere dixiſſent, ſi illum in *ſola* exteriori fidei profeſſione locaſſent? Manifeſtum enim eſt, profeſſionem hanc frequenter amitti, neque in impiis & apoſtatis permanere, qui veram fidem non ſolum non profitentur exterius, ſed eam & verbis, & operibus abnegant, & oppugnant. At nonnulla ſunt Auguſtini teſtimonia, quæ Novatorum interpretationi favere videntur; primo namque tradit ille, characterem *agnoſci exterius, & agnitum approbari*, quod nonniſi de exteriori fidei profeſſione ſumi poſſe, nemo non videt: 2. *characterem Imperatoris noſtri a Domino dictum omnibus credentibus imprimendum* ait, *fidem eſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: 3. ſcribit, *ſi quiſpiam in Donati nomine baptizaretur, fore, ut Donati charactere conſignaretur*, qui ſane aliud nec eſſe, nec eſſe poteſt, quam exterius quiddam, quo pateret aliis, baptizatum in Donati nomine, a Donati partibus ſtare. Nihil tamen horum Catholicæ poſitioni infeſtum eſt; primum enim perſpicua Divi Thomæ doctrina facile exponitur, qui ait, *characterem animæ impreſſum, etſi ſpiritualem, habere rationem ſigni, ideoque & exterius agnoſci, & agnitum approbari, quatenus per ſenſibile Sacramentum imprimitur; ex hoc enim aliquis baptiſmatis charactere inſignitus eſſe dignoſcitur, quod aqua ſenſibili, & legitimo ritu ablutus eſt; quare character ſigni rationem habet relate ad Sacramentum ſenſibile, a quo imprimitur*.

VI. Quod vero Auguſtinus addit, *baptiſmi characterem fidem eſſe in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*, eundem ſenſum habet, nimirum, ex Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, qua conſecratur Baptiſma, certo dignoſci, quempiam rite baptizatum eſſe, & charactere Imperatoris noſtri ſignatum; alioqui ſi Novatores velint, characterem non aliud Auguſtino fuiſſe, quam exteriorem ſuſceptæ fidei profeſſionem, fateantur, neceſſe eſt, ſecum pugnaſſe illum manifeſtiſſime, quippe qui centies ſcripſit, characterem hunc ab iis, qui ab unitate diſceſſerint, *non amitti, ſed etiam in deſertoribus permanere, mala diſſenſionis, ſchiſmati, hæreſis, crimina deſertoris eſſe, characterem autem non deſertoris eſſe, ſed Imperatoris, qui deſertorem quærit, delet erroris crimen, ſed non exterminat ſuum characterem*. Ut tandem legitimam tertii teſtimonii intelligentiam aſſequamur, non alio opus eſt, quam ut Auguſtini verba penſemus: *Si Donatus*, ait, *quando ſchiſma fecit, in Donati nomine baptizaſſet, deſertoris characterem infigeret: ego quando vocarem ad unitatem*, ſeu ad Catholicam Eccleſiam, *ſi invenirem deſertoris characterem*, ideſt, ſi illum in Donati nomine baptizatum fuiſſe deprehenderem, *exterminarem, delerem, abjicerem* &c. ideſt Baptiſma illud illegitimum, & irritum pronunciarem, & novo Baptiſmo tingerem redeuntem ad unitatem: *nunc vero iſte deſertor characterem fixit Imperatoris ſui*, ideſt Donatus quum non in ſuo, ſed in Trinitatis nomine baptizari, non ſuum, ſed Chriſti characterem fixit, *qui, quum etiam in deſertore permanſerit, non repetitur, ſed potius agnitus approbatur, neque ullo modo per devotum militem, quod a privatis uſurpatum eſt, ſignum regale violatur*. Quid porro, ſi in ea, quam Auguſtinus ſtatuit, hypotheſi, Donatus in nomine ſuo baptizans, & characterem deſertoris infigens, ſolam dediſſet exteriorem ſuæ ſectæ teſſeram, ſive notam? Idemne de charactere Dominico Auguſtinus ſenſiſſe dicendus erit, qui characterem hunc Baptiſmo rite collato infixum in apoſtatis etiam agnovit, approbavit, neque amitti, vel deleri poſſe hæreſi, ſchiſmate, ac impietate, perpetuo pronunciavit?

VII. Alia plura torquent Novatores, ut characterem ſacramentalem exterminent, ac primum argumentum ex traditione ductum inane eſſe contendunt, quod, etſi Baptiſmatis rite adminiſtrati iterationem perpetuo, improbarit Eccleſia, inferri tamen inde certo non poſſit, id ab ea characteri cuidam indelebili tributum, qui Baptiſmate infixus fuerit; quum enim non una ſit ratio, cur Baptiſmum nefas ſit, iterari, puta quia Sacramentum eſt fidei, quæ nonniſi una eſt, quia ſpiritualis eſt hominis nativitas, quæ una tantum eſt ut carnalis, quia homo baptizatus Chriſto commoritur, & conſepelitur Chriſto, qui ſemel tantum mortuus eſt, & ſepultus, quia denique ſignum eſt fœderis Deum inter & hominem, quod perpetuum eſt, neque reſcindi poteſt, futiliter a characteris impreſſione unitas Baptiſmi repetitur, præſertim quum ſola divina voluntas rationum omnium facillima, atque aptiſſima adſerri poſſit.

Al-

Alterum argumentum ex Chriſtianorum conſenſione petitum oppugnant Veterum Scholæ Magiſtrorum, & juris Pontificii peritorum auctoritate, apud quorum plures fruſtra characteris mentionem quæras, alii vero illum ex ſolius Eccleſiæ auctoritate petunt, ajuntque nihil de eo ſcriptum & traditum Dei verbum habere. Tandem non uno nomine nos ineptiæ redarguunt, qui tria Sacramenta repeti non poſſe probamus, quod effectum ſemper manentem, ideſt characterem inducant, hunc vero effectum ab iis Sacramentis induci conficimus, quod iterari illa non poſſint: characterem quoque ſignaculum definimus, ac diſtinctionis notam, quum tamen excogitari non poſſit, quibuſnam homines charactere inſigniti innoteſcere debeant, & ab aliis internoſci.

VIII. Frivola tamen hæc ſunt, nec momentorum noſtrorum vim labefactant; qua enim de cauſa Sacramenta quædam iterari non poſſe, perpetuo Græci Latinique crediderint, ex Cyrilli Hieroſolymitani, Auguſtini, Gabrielis Philadelphienſis teſtimoniis perſpicue patet, *ob ſigillum* videlicet, *ſanctum, indelebile, quod iis imprimitur, ob permanentia, & indelebilia ſignacula, & quia cum quadam conſecratione dantur, quod autem ſemel eſt conſecratum, ſuam conſecrationem nunquam amittit*. Porro inanes eſſe rationes illas, ob quas Baptiſmum e. g. iterari non poſſe, Novatores effutiunt, neque ex earum nulla peti poſſe Baptiſmi unitatem, uno hoc Auguſtini teſtimonio demonſtramus: *Improbi cum juſtis*, ait ille l. 6. contra Donatiſtas c. 27. *baptiſmum habent communem, cum quibus communem non habent utique charitatem: manet baptiſmus in improbis, licet ad perniciem maneat*. Vides improbos cum juſtis, incredulos cum credentibus, Auguſtino judice, baptiſmum habere communem, ideſt eodem baptiſmate tingi, & communi quodam baptiſmi effectu, qui in utriſque maneat, frui. Quis autem effectus hic utriſque communis, atque in utriſque manens? Non illuminatio, ſeu fides, non ſpiritualis cum Chriſto mors, & ſepultura, non regeneratio, & nova nativitas, non denique Deum inter, & hominem fœdus, baptizato jus tribuens ad æternam hæreditatem; horum enim ii ſoli participes ſunt, qui credentes, omnique fictione vacui ad Sacramentum iſtud accedunt. Quid ergo commune utriſque, perpetuo in utriſque manens, in credentibus quidem, & juſtis ad ſalutem, in fictis vero ad perniciem, præter characterem Imperatoris, qui etiam in deſertoribus, & apoſtatis permanet? Ab hoc ergo duntaxat habent Sacramenta quædam, ut iterari non poſſint, quia, ut ex eodem Auguſtino jam adnotavimus, *cum quadam conſecratione dantur, quod autem ſemel conſecratum eſt, ſuam conſecrationem nunquam amittit*. Neque abnuimus, rationem omnium præcipuam, cur Sacramenta quædam iterari non poſſint, ex divina voluntate ducendam eſſe; verum quum voluntatis hujus non alium habeamus interpretem, quam ſcriptum vel traditum Dei verbum, non ſcripto quidem, ſed tradito Dei verbo edocta fuit Eccleſia noluiſſe Deum Sacramenta quædam repeti, neque alia de cauſa, quam ob ſignaculum ſpirituale, ſeu characterem, quem ſuſcipientibus imprimunt.

IX. Si qui vero Scholaſtici, juriſque Pontificii Magiſtri, aliter opinati eſſe videntur, ii nequeunt certe momentum alterum ex perpetua Chriſtianorum omnium conſenſione depromtum infringere, quum non ex paucorum opinione fides Eccleſiæ pendeat, neque ex placitis hominum, quos in traditione Apoſtolica, & conſtanti Eccleſiæ perſuaſione veſtiganda minus diligentes fuiſſe conſtat, Catholicæ Eccleſiæ ſententia æſtimanda ſit; præſertim quum nondum ſolemni judicio veritatem hanc eliquaſſet Eccleſia, omnemque de ea controverſiam ſuſtuliſſet; alioqui, ſi nonnullorum diſſenſum ante ſolemnem Eccleſiæ definitionem conſtanti fidelium conſenſioni incommodare Novatores velint, videant, qua ratione Apoſtolicam traditionem, & Eccleſiæ conſuetudinem adverſus Anabaptiſtas urgere poſſint, qui Cypriani, aliorumque, quos ante plenarii Concilii declarationem ab Eccleſiæ mente atque praxi abluſiſſe, tradit Auguſtinus, ſeſe auctoritate tuentur. Addo, adverſus luculenta Veterum teſtimonia inſcite jactari ſilentium eorum, qui nullam characteris mentionem habuiſſe feruntur, quum perſpectum omnibus ſit, affirmanti argumento inficiale nihil afficere; ſed & illud falſum eſt, quod fidenter Novatores efferunt juriſprudentiæ ſacræ, & Scholæ Principes, Gratianum, & Magiſtrum Sententiarum characteris non meminiſſe, cu-

jus

jus apertam ab utroque mentionem fieri, ſuis quiſque oculis haurire poteſt; nec verum eſſe, Scotum, Durandum, Cajetanum, alioſque characterem hunc non a Scripturis, & traditione, ſed a ſola Eccleſiæ auctoritate, eaque non admodum antiqua repetiviſſe poſt Cardinalem Pallavicinum in Trid. Conc. hiſtoria oſtendere nititur P. Berti; quamquam etſi daremus, viros hos in eam opinionem adductos, quod traditionem, & vetera Eccleſiæ monumenta minus expenderint, nihil efferremus, quod a communi Eruditorum de iis judicio abhorreret.

X. Eccur autem vitioſo circulo circumagimur, nonnullorum Sacramentorum vetitam divino jure iterationem ex charactere, hunc vero ex illa ducentes? Inſolens ne Dialecticis eſt, ut effectum ex cauſa, aut hanc ex illo demonſtrent, quando unum ex altero certo eruitur, & dignoſcitur? Quum nobiſcum fateantur Novatores, iterandum non eſſe Baptiſma rite collatum, neque hujus adſerri poſſit idonea alia ratio, merito inferimus, inducere illud peculiarem aliquem, ſemperque manentem effectum, ob quem iterari non poteſt. Poſtrema cavillatio ex præpoſtera characteris notione oritur; „ Non „ eſt enim character, ait Angelicus, ſi„ gnaculum & nota, qua inſigniti fideles „ Deo aut hominibus innoteſcant, ſed „ qua Chriſto configurantur, quum ſit „ character æterni Sacerdotii. Chriſti par„ ticipatio, omne autem, quod configu„ rat alicui, character vel ſignaculum di„ ci poſſit, ſicut Chriſtus ab Apoſtolo „ dicitur figura vel character paternæ „ ſubſtantiæ. Charactere autem hoc fi„ deles Chriſti a Diaboli ſervis diſtin„ guuntur relate ad cultum præſentis Ec„ leſiæ, ſicut in Apocalypſi charactere „ beſtiæ notati dicuntur illi, qui illici„ tum ſeu idololatricum cultum exer„ cent; licet autem poſt vitam hanc non „ remaneat exterior Dei cultus, manet „ tamen illius finis, ideoque poſt hanc „ vitam character remanet, in bonis qui„ dem ad gloriam, in malis autem ad „ ignominiam, ſicut & militaris character „ etiam poſt obtentam victoriam in mi„ litibus remanet, in iis quidem qui vi„ cerunt, ad honorem, in victis vero ad „ confuſionem. “ Hæc ex D. Thoma.

XI. Objicientibus denique Novatoribus, ſi charactere Sacramentali conſecratio quædam hominibus adſeritur, cur non omnibus Sacramentis hanc imprimendi characteris efficacitatem tribuimus, quum omnibus inſit vis conſecrandi, reſpondere poſſumus cum Angelico, Sacramentis quidem omnibus ſanctificari hominem, prout ſanctitas emundatio eſt a peccatis, quæ habetur ex gratia, quibuſdam tamen Sacramentis characterem inſigentibus conſecratione quadam ſanctificari homines, quatenus divino cultui deputantur; quare quum tribus tantum Sacramentis homo divino cultui ſpecialiter addicatur, tribus tantum Sacramentis imprimendi characteris energia tribuitur, Baptiſmati ſcilicet, Confirmationi, atque Ordinationi; Baptiſmate namque regeneramur in Dei filios, Confirmatione, qua ad profitendum libere & fortiter Chriſti fidem roboramur, milites Chriſti efficimur; ſacra demum Ordinatione, qua divina tradendi poteſtate donamur, Eccleſiæ miniſtri conſtituimur, & ſicut in Regum aula alii ſunt domeſtici, alii milites, alii judicandi poteſtate pollentes, propriiſque ſuæ conditionis & gradus notis ſinguli diſtinguuntur; ita in Chriſti familiam, & ſpiritualem domum, Eccleſiam nempe, ceu filii, & domeſtici Baptiſmate cooptati, Chriſmate ad profitendam fidem idonei & fortes effecti, ſacra vero Ordinatione myſteriorum Chriſti diſpenſatores inſtituti, propriis filiorum, militum, & miniſtrorum characteribus decoramur.

PROPOSITIO VI.

Miniſtri, dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt, intentionem habeant, oportet, faciendi ſaltem, quod facit Eccleſia.

I. Poſt geminum Sacramentorum effectum ſua definitione firmatum, Tridentina Synodus alterum Catholicæ veritatis caput exponit, Chriſtianos videlicet omnes in verbo & Sacramentis omnibus adminiſtrandis poteſtatem non habere, decimoque canone Lutherum percellit, qui in lib. *de Babylonica captivitate* principii loco ſtatuit, homines quoslibet, cujuſcumque ſint ſexus, modo Baptiſmate tincti ſint, Sacerdotes eſſe, & Sacramentorum quorumlibet adminiſtrandorum poteſtate pollere, licet vitandæ in Chriſtia-

na Rep. confuſionis gratia, ii ſoli ea uti legitime poſſint, qui ſuerint rite a Magiſtratu vocati : errorem hunc in trac. tum de Euchareſtia, tum de Pœnitentia, ſatis, ut puto, revictum, iterum exagitare, ſuperfluum ſuerit, necnon & tot illa ſuſe perſequi, quæ D. Thomas q. 64. de cauſa Sacramentorum, & plerique Theologi prolixe diſputant. Certæ itaque, & exploratæ rei loco ponimus, principalem Sacramentorum omnium cauſam Deum eſſe, omniaque fuiſſe a Chriſto inſtituta; mediate ne vero, ut ajunt, aliqua, an immediate omnia inſtituerit Chriſtus, definire ut fidei caput nolumus, quum nihil ejuſmodi fixerit Tridentinum, quemadmodum docent Theologi graviſſimi, qui eidem interfuerunt. Ratum quoque nobis fixumque eſt, poteſtatem, quam dicunt *auctoritatis*, in virtute poſitam materialia elementa evehendi ad dignitatem inſtrumenti gratiam inviſibilem efficientis, ita Dei, qui ſolus eſt gratiæ auctor, propriam eſſe, ut puræ creaturæ nequeat communicari; poteſtatem vero excellentiæ, qua Chriſtus, ut homo erat, inſtructus fuit, ut meritis ſcilicet ejus per ſenſibilia ſigna gratia conferretur, ut in ejus nomine Sacramenta miniſtrarentur, ut etiam abſque ſenſibilibus elementis poſſet homines gratiæ participes facere, etſi potuerit, ad purum hominem divina virtute transferri, quum non repugnet id fieri, reipſa tamen non fuiſſe translatam, ſed ſolam, quam dicunt miniſterii, delegatam fuiſſe hominibus mortalem adhuc vitam degentibus, neque promiſcue omnibus, ſed quibuſdam Ordinatione ſacra in Eccleſiæ miniſtros electis, qui Sacramenta a Chriſto inſtituta parant, conficiunt, applicant, & miniſtrant.

II. Quamquam vero tres a Theologis in quæſtionem vocari ſoleant miniſtrorum conditiones, recta ſcilicet fides, probitas, & intentio, ſintne illæ videlicet miniſtris Sacramenta conferentibus neceſſariæ, in Tridentini tamen veſtigiis inſiſtentes priorem ad tractatum de Baptiſmo rejicimus, in quo catholicam de ea ſententiam idem Concilium exponit, poſteriores autem duas hoc loco in diſputationem adducimus, atque intentionem primo, de qua can. XI. hæc Tridentinum edicit : *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*. Canon hic adverſus omnes noſtræ ætatis Hæreticos intortus eſt, qui in ea perverſa ſententia ſunt, nulla in adminiſtrandis Sacramentis miniſtri intentione opus eſſe, & rata habenda Sacramenta quælibet, etſi eorum miniſter nihil cogitet, nihil omnino intendat, immo ſacra Myſteria palam irrideat : ita Novatorum parens Lutherus in lib. *de Babylon. captivitate* & in libro *de abroganda Miſſa privata*, Calvinus *in Antidoto Tridentini Concilii*, Kemnitius *in Examine ejuſdem Concilii*, aliique paſſim Lutheri & Calvini Aſſeclæ. Errorem hunc inde manare intelligitis, quod ad Sacramenti perfectionem omnes impie credant, ſatis eſſe ſuſcipientium fidem, quæ exhibitis materialibus elementis excitatur; quare, etſi qui Sacramenta miniſtret, ebrietate, aut amentia, ſui compos non ſit, aut etiam hiſtrionem agat & iocetur, ſuſcipiens tamen certo juſtificationis gratiam obtinet, modo credat, & divina promiſſa firmiter apprehendat.

III. Priuſquam vero propoſitionem noſtram momentis idoneis confirmamus, operæ pretium eſt, aperire, quid, & quotuplex ſit intentio. Ejus nomine voluntatis propoſitum venit, quo miniſter ſtatuit, Sacramenta vel conficere, vel conferre, hujuſque triplex apud Theologos eſt acceptio, habitualis nimirum, quæ quamdam adfert pronitatem, atque facilitatem operandi ex habitudine multis ejuſdem generis actibus ingenerata manentem, qua fit, ut homo neque cogitans, nec advertens, imo etiam ſui impos, ea vel loquatur vel agat, quibus jamdudum aſſueverat. *Actualis* intentio præſens eſt voluntatis propoſitum agendi, quod agitur : *Virtualis* demum ea dicitur, quæ ex actuali, quæ præceſſit, intentione neque retractata, nec diu multum intercepta fluens in homine perſeverat. Habitualem ad conficienda vel miniſtranda Sacramenta non ſufficere, Catholicis omnibus ratum eſt, quum eam in ebriis, & dormientibus deprehendere ſit : nec putare quiſquam debet, refragari ſententiæ huic priſcos Scholaſticos, D. Thomam imprimis, ad Sacramenti perfectionem habitualem intentionem ſatis eſſe docentes; habitualem enim appellarunt, quam nos majoris claritatis gratia dicimus virtualem, ut ex D. Thoma perſpicue patet, qui ait, *ex virtute primæ intentionis perfici Sacramentum*. Actualem etſi omnium optimam nemo dixerit neceſſariam, quum ſæpiſſi-

me

me in poteſtate noſtra non ſit, ob frequentes, nec voluntarias evagationes, quibus animus noſter abripitur; quare egregie ajebat Angelicus: „ quamvis ſtudioſe „ curare debeat Sacramenti miniſter, ut „ etiam actualem intentionem adhibeat, „ hoc tamen non eſt totaliter poſitum in „ hominis poteſtate, quia præter intentio- „ nem, quum homo vult multum intende- „ re, incipit alia cogitare, ſecundum illud „ Pſalmi 39. *Cor meum dereliquit me.* “

IV. De virtuali itaque tota nobis eſt cum Novatoribus concertatio, cui & hoc quoque prænotare neceſſe eſt, ad Sacramenti perfectionem neceſſario non exigi intentionem faciendi, quod Catholica & Romana, quæ ſola vera eſt, Eccleſia facit, ſed generalem intentionem faciendi, quod vera facit Chriſti Eccleſia, quæcumque demum illa credatur eſſe, ideoque validum fore Baptiſma a Calviniano collatum volente facere, quod Genevenſis aut Tigurina, quam falſo credit, vere inſtitutam a Chriſto, Eccleſia facit. Quid enim ſi fallitur ille turpiſſime, Genevenſem vel Tigurinam Synagogam veram eſſe Chriſti Eccleſiam practice judicans? Quum verum ſit theoreticum judicium, quod mente complectitur, faciendum ſcilicet eſſe, quod fit a vera Chriſti Eccleſia, practicus ejus error neque generalis judicii veritati, nec Sacramenti perfectioni, Chriſtianorum omnium conſenſione, officere poteſt. Nec etiam neceſſe eſt, ut Sacramenti Miniſter ejuſdem effectum conferre intendat, ſed ſatis eſt, ſi velit Sacramentum ipſum Eccleſiæ more perficere, etſi ejus effectum nec credat, nec velit. Ratum idcirco ſemper eſt habitum Baptiſma a Pelagianis & Calvinianis rite adminiſtratum, etſi illi emundationem ob originaria labe, quæ Baptiſmi effectus eſt, animo non intenderent, quippe qui nullam ab Adamo in poſteros traduci labem credant; hi vero negent, & originariam maculam Baptiſmo obſtergi, & ſpiritualem characterem animæ imprimi, quod neutrum, putent, inter Baptiſmi effectus cenſendum eſſe. Hinc merito S. Pius V. nonnullorum in Galliis agendi rationem improbavit, qui Calvinianos ab hæreſi ad Eccleſiam redeuntes novo Baptiſmo tingebant, quod eorum irritum putarent Baptiſma eſſe, quia Baptiſmo peccata deleri, negarent univerſim Calvini Gregales. His præmiſſis ad momenta propoſitionis accedimus.

V. Primum ex perpetua Chriſtianorum omnium conſenſione arceſſimus: Latinæ Eccleſiæ ſententiam præter Tridentini canonem jam memoratum, præter notiſſimum Eugenii IV. decretum *pro Armenorum inſtructione*, in quo declaratum eſt, *Sacramenta omnia tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri Sacramenta conferentis cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*, deprehendere quiſque poteſt in ea fidei profeſſione, quam paulo poſt quintidecimi ſæculi initium Conſtantienſe Concilium edixit ab iis edendam, qui in aliquam veniſſent hæreſeos ſuſpicionem, quos interogari juſſit, *an credant, malum Sacerdotem cum debita materia, & forma, & intentione faciendi, quod facit Eccleſia, vere baptizare, & alia Sacramenta conferre*. Orientalium vero omnium fidem luculentiſſime exponit canon nonus, quem totius Græcæ Eccleſiæ nomine edidit Doſitheus Hieroſolymitanus Patriarcha adverſus Joannem Cariophilum, qui cum Cyrillo Lucari Novatorum errores ebiberat: *Si quis dixerit, Epiſcopos, & Sacerdotes ſuum in Sacramentis miniſterium exhibentes, non debere neceſſario intentionem habere ſingulis Sacramentis convenientem, aut ſaltem generalem illam faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit*. Jam vero quum non Tertulliani ſolum, veterumque Patrum, & Catholicorum omnium judicio, ſed & Novatorum ipſorum confeſſione, nullum ſit certius veritatis argumentum eo, quod ab omnium in re aliqua conſenſu ducitur, intelligere hinc miſeri homines poſſunt, ſe in explodenda hac miniſtrorum intentione, & in probanda joculari Sacramentorum adminiſtratione Evangelio ſummam injuriam inferre, cujus aperta vox eſt Chriſtianorum omnium in capite iſto concentus, ſeque Chriſtiani nominis juratos hoſtes eſſe, qui a perpetua & univerſali Chriſtianorum profeſſione reſiliunt.

VI. Alterum ex Sacramenti ipſius natura, necnon ex iis, quas Calvinus, aliique Novatores tradunt, ejus definitionibus cuditur. Sacramenta non ſolum ſunt divinæ erga nos benevolentiæ ſigilla, & ſalutis noſtræ inſtituta divinitus inſtrumenta, ſed & noſtræ viciſſim erga Deum pietatis teſtificatio, & externa religionis noſtræ profeſſio; ſuam ergo naturam amittunt, iiſque, quas Novatores iis attribunt, prærogativis indigna ſunt, niſi ſerio & ex ani-

mo, ſeu humano modo adminiſtrentur; Quis enim fingere animo poteſt, obſignare Deum conſcientiis noſtris benevolentiæ ſuæ promiſſiones, ut Calvinus ſcribit, per miniſtrum aliud animo agentem, immo ebrium vel ludentem? Miniſtro, qui Regis vel crimina ſubditis relaxantis, vel prœmia pollicentis edictum geſticulans hiſtrionum more proponeret, nullus prudens fidem adjungeret: qui ergo ſuſtineri poteſt fidei noſtræ imbecillitas, in quem finem inſtituta fuiſſe Sacramenta Calvinus ſcribit, ſi hæc divinæ erga nos benevolentiæ ſymbola ab hominibus non ſerio, ſed jocoſe agentibus exhibeantur? Putas homines ſic operantes, ſuam viciſſim erga Deum pietatem teſtificari, & Religionem profiteri, in cujus præcipuis actibus exercendis manifeſta præferunt impietatis, & irreligionis indicia? Spectata itaque Sacramentorum notione, quam nobis exhibent Novatores, non ſunt illa rata, & ſuo nomine digna, niſi omni remoto joco, ſerio prudenterque adminiſtrentur. His ſi addantur momenta illa, quibus ex D. Thoma depromtis Theologi paſſim utuntur, miniſtros ſcilicet Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei agere debere non pecudum, ſed hominum more, voluntate nempe deliberata, eſſe illos inſtrumenta Dei animata atque libera, eorum iccirco intentione opus eſſe, qua ſe, ut ait D. Thomas, *principali agenti ſubjiciant, illudque intendant facere, quod per eos Chriſtus atque Eccleſia facit*, Sacramentalem actionem, puta exteriorem ablutionem infantis, quum ad fines plures referri poſſit, ſola miniſtri voluntate, ac intentione determinari, plane conficitur, abſque miniſtri intentione irrita fore Sacramenta.

VII. Plura, eaque importuna ſunt ad verſus veritatem hanc Novatorum objecta, partim e ratione, partim ex priſcis Eccleſiæ monumentis, & Patrum auctoritate petita. Ratione quidem videntur ſibi intentionem hanc profligare, primo quod tota Sacramentorum efficacitas ex Chriſti inſtitutione promanet, ideoque ſuperflua ſit miniſtrantium intentio. 2. Quod nihil ad prædicationis Evangelicæ efficaciam conferat prædicantis intentio, nihil quoque ad Sacramentorum vim miniſtri fides, & probitas: quidni ergo idem de ejus intentione dicatur? 3. Si abſque miniſtri intentione Sacramenta non valeant, perpetuis anguſtiis premi ſuſcipientem, neceſſe eſt, ſemperque dubium hærere, an rite, e. g., baptizatus fuerit, quum incompertum ei ſit, an miniſter debitam intentionem adtulerit. Ex Eccleſiaſtica vero hiſtoria exemplum promunt Geneſii Mimi, qui in theatro coram Diocletiano Imperatore Religionis noſtræ myſteria palam irridens, ſeque ægrotum ſimulans, ab alio hiſtrione baptiſma per jocum petiit, ſed a Deo repente converſum ludicrum Baptiſma joculariter miniſtratum ſincero animo ſuſcipiens, paulo poſt mortem pro Chriſto obivit; Illud quoque jactitant, quod ex Rufino Socrates, Sozomenus, Nicephorus, aliique narrant, probatum ſcilicet fuiſſe ab Alexandro Antiſtite Baptiſmum, quem Athanaſius adhuc puer, & per ludum Epiſcopum Baptizantem in maris littore imitans Cathecumenis adminiſtraverat. Illud etiam addunt, quod legere eſt apud Auguſtinum de Dioſcoro Architheatro, qui impudenti & diſſoluto joco myſteriis noſtris illudens Baptiſmate tinctus eſt. Auctoritate denique Patrum pugnant, Chryſoſtomi primum ſcribentis, *in ſalutis noſtræ ſymbolis miniſtrandis Sacerdotem linguam, & manus tantum præbere, omnia vero a Deo fieri*, ſubinde Auguſtini, qui ratum habet Baptiſma *non ab homicida, & adultero ſolum collatum, ſed etiam ab ebrio*, in quo intentionem ſtulte requiras, nec definire audet, irritum eſſe Baptiſma, in quo totum ludicre, & joculariter ageretur, ſed divinum judicium per alicujus revelationis oraculum ſupplici devotione implorandum eſſe, cenſet.

VIII. Perperam tamen hæc a Novatoribus opponuntur; quid enim ſi Sacramenta totam a Chriſto efficaciam habent? Quantacumque ſit indita illis a Chriſto virtus, numquam tamen actu proderunt, niſi a Miniſtris applicentur, qui in iis conſerendis inſtrumenti vices gerunt animati, liberi, & ratione utentis, ideoque voluntate propria ſe determinantis, haud aliter ac ſententiæ a Judicibus inferioris ordinis latæ, etſi omnem a ſupremo Principe, qui ferendi judicii poteſtatem inferioribus delegavit, vim habeant, irritæ tamen habentur, ſi a Judice jocante aut ebrio, abſque ulla juris dicendi voluntate fuerint pronunciatæ. Divini verbi efficacitas ab annunciantis illud intentione non pendet, ſicut nec a miniſtri fide, aut probitate Sacramentorum vis, quam tamen a miniſtri intentione pendere, Eccleſia credit. Eccur vero? Quia etſi Deus

verbi

verbi ſui energiam evangelizantis intentioni, Sacramentorum vim miniſtrorum fidei ac probitati alligare potuerit, atque ſtatuere, inefficax fore verbum ſuum, quod a Præcone non prudenter & ſerio agente promulgaretur, irrita Sacramenta, quorum miniſtri recta fide, & vitæ integritate carent, id tamen noluit, ſed eorumdem valorem cum miniſtrorum intentione conjunxit ceu conditione, ſine qua perfici illa non poſſent. Cur non idem ipſe voluerit, tota & vera ratio penes ipſum eſt: non idem autem voluiſſe illum, certiſſime nos docet divina revelatio traditione Apoſtolica manifeſtata, cujus traditionis locupletiſſimum argumentum eſt perpetua Chriſtianorum omnium conſenſio; ſicut enim ſemper & ubique creditum eſt, Evangelii vim a Præconis intentione, Sacramentorum perfectionem a miniſtri fide, & probitate ſolutam eſſe, ita ſemper Oriens cum Occidente conſenſit in adſtruenda miniſtri intentione, qua ceu conditione neceſſaria perfici debeat Sacramentum; quum autem hæc conſenſio non aliunde quam ex traditione proficiſci potuerit, hæc vero traditio certiſſima ſit divinæ voluntatis interpres, in hac ſola voluntate, quæ ſupremo jure diverſa decrevit, ultimo & tutiſſime conquieſcimus.

IX. In tertio argumento ex ratione conflato diſſolvendo, opus non eſt, ut multum immoremur; etſi enim metaphiſica, ut ajunt, certitudine conſtare nemini poſſit, Sacramenti miniſtro debitam intentionem eſſe, non eſt tamen ejuſmodi certitudo ad pellendam animi anxietatem neceſſaria, alioqui nihil eſſet in iis rebus, quæ alterius voluntate tranſiguntur, non incertum, non timoris & ſollicitudinis plenum. Sicut ergo continendæ inter homines ſocietati, ac tranſigendis negotiis ſatis eſt moralis certitudo, qua quiſpiam alteri prudenter fidit, & credit, quod nulla ſit prudens de ejus voluntate uſitatis apud homines ſignis manifeſta dubitandi ratio, ita depellendo inconſulto, & ſuperfluo de miniſtri intentione timori ſufficit moralis hæc certitudo inde orta, quod nihil in exteriori miniſtri actione appareat, quo poſſit quiſpiam in prudentem de interiori ejus intentione dubitationem adduci; „ miniſter „ enim Sacramenti, inquit D. Thomas „ huic argumento reſpondens, agit in per„ ſona totius Eccleſiæ, cujus eſt miniſter, „ in verbis autem, quæ profert, ſubintel„ ligitur, & ſerio, exprimitur in„ tentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfe„ ctionem Sacramenti, niſi contrarium ex„ terius ex parte miniſtri, " verbo nimirum aut opere, quo palam fiat, nolle illum facere, quod facit Eccleſia: humano ſiquidem modo agens miniſter, & exteriorem Sacramenti ritum prudenter exhibens, cenſetur moraliter, ſeu communi prudentum judicio, mente complecti propoſitum agendi, quod agit, ideoque nullum eſt prudens de intentione ejus, ac de Sacramenti perfectione dubitandi argumentum.

X. Quæ ex Eccleſiaſtica Hiſtoria Novatores opponunt, frivola omnino ſunt; primo enim, quin neceſſe ſit, quod de Geneſio refertur, ad ſeverioris Criticæ leges exigere, illudque falſitatis & fabulæ cum Theologorum pleriſque revincere, diluendo Novatorum argumento ſatis ſuperque fuerit reſpondere, ut certum ab iis ſumi, quod falſum eſt, probatum nempe fuiſſe ab Eccleſia collatum mimice Geneſio Baptiſma; quid enim ſi ille inter cœlites relatus a nobis colitur? Non alia de cauſa hoc eum honore Eccleſia excipit, quam quod ille abſoluta ſcœna, potenti Dei virtute permotus, fidem, cujus præcipuum Sacramentum palam mox irriſerat, ex animo amplexus, martyr occubuit, & Baptiſmo ſanguinis expiatus eſt. Alterum quod de Athanaſio impubere per ludum baptizante ſubiiciunt, fabulam olere, duo demonſtrant; Primo Scriptorum, qui omnium primi id referunt, fluxa auctoritas, quum id non ex idoneo aliquo documento, ſed ex incerto rumore ſe accepiſſe teſtentur: *fertur Athanaſium &c.* ita Rufinus, qui hiſtoriolam hanc primus in vulgus edidit. *Athanaſio adhuc impuberi accidiſſe fertur:* ita Sozomenus, qui Rufinum exſcripſit. Secundo recta temporum ſeries, cum qua fabella hæc componi nequit; Si enim Euſebium, & Gelaſium Cyzicænum audimus, Alexandrum Eccleſiæ Alexandrinæ regimen capeſſiviſſe intelligimus an. Chriſti 313. vel 314. inchoato, Athanaſium vero an. 320. fuiſſe jam Diaconum, quum eodem anno inter Alexandrinæ Eccleſiæ Diaconos numeretur, qui ſententiæ ab Alexandro in Arium latæ ſubſcripſerunt; quum autem ejus ævi diſciplina non ferret, ut quis ante vigeſimumquintum ætatis annum Diaconus fieret, ſi calculos ſubduxeris, deprehendes, Athanaſium, quo anno Alexander Epiſcopus inauguratus eſt, octodecim

cim ad minus numeraſſe ætatis annos; ab anno enim 313., vel 314. quo Alexandri electio conſignatur, ad annum 320., quo Athanaſius jam erat Diaconus, nonniſi ſex aut ſeptem anni fluxerunt. Athanaſium ne vero duodeviginti jam annos agentem impuberem dixeris, cum pueris colluden tem, & puerili ſimplicitate, ſacra, quæ in Eccleſia fieri viderat, imitantem?

XI. Exploratum quoque eſt, Alexandro an. 326. fatis functo Athanaſium eodem anno fuiſſe ſuffectum: vetabat autem eorum temporum diſciplina, quempiam ante trigeſimum ætatis annum Epiſcopum eligi. Si calculum ergo ſubducas, & ad ad annum 313. vel 314. ineuntem, quo Alexander Athanaſii deceſſor Epiſcopus ſacratus fuerat, regrediaris, Athanaſium deprehendes an. 326. triginta annos jam natum, eo, quo Epiſcopus ordinatus eſt Alexander anno decurriſſe jam annos octodecim, ideoque Alexandri tempore impuberum non fuiſſe. Fabulis itaque accenſenda eſt hæc de Athanaſii pueri luſu narratio. Non fabulam autem, ſed apertum mendacium exhibet, quod de Dioſcoro Architheatro tribuunt Auguſtino Novatores. Si Epiſtolam Auguſtini 227., in qua de Dioſcori reſipiſcentia ac Baptiſmo ille agit, aut attente legiſſent, aut fideliter recitaſſent, Dioſcorum non Architheatrum, cujus nominis nullum apud Antiquos veſtigium, ſed *Archiatrum*, ideſt Medicorum primum deprehendiſſent, nec quidquam de joculari ejus Baptiſmo ab Auguſtino innui, ſed rem, ut geſta fuerat, ſic narrari, Dioſcorum nempe, quum ſuſcipiendæ Chriſtianæ Religionis voto ſe obſtrinxiſſet, ſi convaleſceret filia, quæ ægrotabat, & obſtrictam Deo fidem poſt acceptum beneficium liberare negligeret, repentina primum cæcitate, dein paralyſi a Deo percuſſum, omni depoſita nugacitate, fidelem factum, ac Baptiſmate tinctum, gratiam conſecutum eſſe. Quid in genuina hac Auguſtini narratione monſtroſo Novatorum errori, vel minimum favens?

XII. Nec quidquam melioris ſucci ex Patrum teſtimoniis poteſt ab eis exprimi. Quis enim ad Cryſoſtomi, & Iſidori Peluſiotæ Diſcipuli ejus ſcopum animum adverterit, certiſſime intelliget, id unum eis propoſitum eſſe, quod ſemper fuit Eccleſiæ conſtitutum, miniſtrum ſcilicet improbitate Sacramentorum virtutem neque tolli, neque minui, neque alio ſpectate comparationem, quam Sacerdotem improbum inter, & Aſinam Balaami inſtituunt, quam ut doceant, etiam Sacerdotis improbi miniſterio exhibitis ſalutaribus ſymbolis juſtificari a Deo homines, ſicut editæ ab irrationabili bruto humana voce eruditus fuit a Deo Balaam: quare, quum quidquid Sacerdos habet, ſolius Dei donum ſit, is qui initiatur, quantum ad ſalutaria ſymbola ſpectat, ex improba Sacerdotis vita nullo damno afficitur. Quum etiam meliores quique Auguſtini operum codices, ut & emendatæ Decreti editiones *ebrioſum* habeant, non *ebrium*, omneſque norint, priori vocabulo denotari hominem conſuetudine captum ſeſe vino obruendi, poſteriori vero hominem vino obrutum, componi autem poſſe cum ſe inebriandi conſuetudine præſens animi propoſitum ac intentionem, nihil ex vulgato illo Auguſtini effato adverſus veritatem hanc elici poſſe, perſpectum eſt. Paulo quidem difficilius eſt alterum, quod ex eodem Auguſtino objicitur; verum Auguſtini contextum integrum expendentibus genuina S. Doctoris mens perſpicua fit. Primam eo loci, lib. nimirum 7. contra Donatiſtas, quæſtionem Auguſtinus inſtituit ajens: *Solet quæri, utrum nihil interſit, quo animo accipiat ille, cui Baptiſmus datur, cum ſimulatione, an ſine ſimulatione? Si cum ſimulatione, utrum fallens, ſicut in Eccleſia, vel in ea, quæ putatur Eccleſia, an jocans, ſicut in mimo, ſi inter agendum repentina pietate moveatur*. De ſuſcipiente baptiſmum fallaciter, ideſt *ſimulate*, vel *mimice* Auguſtinum loqui, conſtat, nec mirum, ſi cum nulla in miniſtrante ſit intentionis ſimulatio, validum Auguſtinus pronunciet Baptiſma hoc adjens: *non dubito illos habere baptiſmum, qui, quamvis fallaciter accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur, eſſe Eccleſia, ab eis, in quorum ſocietate id accipitur*.

XIII. Alteram ſubinde movet ajens: *Si tradens & accipiens fallaciter agat in ipſa unitate Eccleſiæ, utrum hoc magis baptiſma approbandum, an illud, quod in mimo datur, ſi quis exiſtat, qui fideliter ſubito commotus accipiat, an quantum ad ipſos quidem homines pertinet, plurimum diſtet inter credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia, ad ipſius autem Sacramenti integritatem nihil interſit*. Quum de tradente & accipiente fallaciter, ideſt non inten-

intentionem ſed fidem ſimulantibus quæſtio ſit, reſpondet Auguſtinus, ratum fore Baptiſma hoc juxta præterita majorum ſtatuta: *ubi autem neque ſocietas ulla credentium eſſet, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totum ludrice, mimice, & jocularirer ageretur, utrum approbandus eſſet baptiſmus, qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum implorandum eſſe, cenſerem*. Cur vero a finienda quæſtione hac abſtinet Auguſtinus, & divino judicio aliqua revelatione comperto rem committendam ducit? Quum de eo quæſtio eſſet, qui per jocum Baptiſma ſuſcipiens a miniſtro illud quoque conferente per ludum, inter agendum repentina pietate commotus fideliter illud acceperat, ob mirabilem hanc mutationem dexteræ Excelſi hæſit modeſtiſſimus Doctor, nec de Baptiſmo illo pronunciare certo voluit, ſed de negotio, quod, etſi ſpectata Sacramenti natura irritum eſſet & improbandum, divinæ tamen operationis manifeſta præferebat indicia, divinum oraculum cenſuit implorandum. Communem enim judicandi regulam exiſtimabat, rei adhiberi non poſſe, quæ præter ordinem a Deo fieret.

XIV. Adverſus denique jactatum a nobis Chriſtianorum omnium conſenſum inſurgunt Novatores, illumque nituntur infringere tum auctoritate Innocentii III. & IV. ſancientium, neceſſe non fore, *ut baptizans gerat in mente facere, quod facit Eccleſia*, tum ſententia apud innumeros eoſque clariſſimos Theologos jamdudum obtinente, nulla ſcilicet interiori, ſeu mentali, ut ajunt, intentione ad Sacramentorum adminiſtrationem opus eſſe. Verum nihil hæc ad rem, de qua agimus. Etſi enim de laudatorum Pontificum mente acerrime digladientur, interioris ſeu mentalis, & exterioris intentionis Adſertores, nihil tamen præſidii ex utriuſque Pontificis teſtimonio Novatorum errori accedit, quem uterque convellit, prior pridem diſerte ajens, *dummodo baptizare miniſter intendat*, alter vero nitide ſcribens: *Nota, quod ad hoc ut aliquis baptizatus ſit, neceſſarium eſt, ut baptizans intendat baptizare, non tantum balneare, vel carnes lavare*. Priuſquam autem perducamus ad liquidum, nihil eſſe Theologis noſtris etſi diverſa de intentionis neceſſitate ſentientibus cum Novatorum errore commune, geminæ opinionis, quæ jampridem Scholas dividit, & exercet, brevis notio tradenda eſt. Quum interior intentio ſit ſincera deliberatio, qua non ſolum exteriorem actum ſerio ponimus, ſed & vero animi propoſito agere volumus, quod exterius exercemus, pro hujus neceſſitate conſtanter pugnant plerique Theologorum veterum, ac Recentium, nihilque commodi ex horum ſententia ſe referre poſſe probe intelligunt Novatores.

XV. Quamquam autem Theologorum neminem reperire ſit, qui dogmatis loco non habeat intentionis faciendi ſaltem, quod facit Eccleſia, neceſſitatem, nonnulli tamen ab aliis diſſident in figendo intentionis hujus objecto, quemadmodum lib. 7. de Synodo Diœceſana c. 4. adnotat ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. Ambroſius enim Catharinus, cui præiverant Petrus Cantor, Robertus Cardinalis Pullus, Paludanus, & Silveſter in opuſculo de intentione miniſtri, ad validam Sacramenti adminiſtrationem ſatis eſſe contendit, ſi miniſter intentionem habeat perficiendi ſerio ritum externum, qui ab Eccleſia adhibetur, ideoque etſi interiorem cohibeat intentionem, aut interius dicat, nolle ſe facere, quod facit Eccleſia, ſeu ritum illum adhibere ut religioſum, & ſacrum, ratum ab eo perfici Sacramentum, modo exterius ſerio agat, nulloque ſigno pravum animi ſui propoſitum manifeſtet. In Catharini opinionem conceſſerunt Salmeronius, Contenſonius, Serry, Juvenin, & Recentium bene multi. Tam male apud nonnullos oppoſitæ ſententiæ Patronos audivit hæc Catharini opinio, ut illam cenſuerint Novatorum errori a Tridentino proſcripto maxime affinem eſſe, eamque damnarint hæreſeos, fidenter quidem, ſed minus ſcite; nam „Cen-
„ ſores hujuſmodi, ait laudatus Pontifex,
„ hiſtoriæ Concilii Tridentini ſe prorſus
„ jejunos oſtendunt, quum ſeſſio ſeptima,
„ in qua memoratus Novatorum error
„ primo proſcriptus fuit, habita fuerit die
„ 3. Maji an. 1547., Catharini vero o-
„ puſculum Romæ impreſſum fuerit ann.
„ 1552., quin opuſculi auctor in ullam
„ hæreſeos ſuſpicionem venerit, vel cen-
„ ſura aliqua notatus fuerit; quare Car-
„ dinalis Pallavicinus in Trident. Conc.
„ hiſt. lib. 12. cap. 10. decreta exponens
„ ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantia
„ ait: ex hiſce poſtremis verbis conjicere
„ quiſque poteſt, haud eſſe expunctam
„ ſen-

„ ſententiam Catharini aliorumque Theologorum opinantium, Sacramento, „ quo ratum ſit, ſufficere in miniſtro voluntatem ſerio agendi, & obeſſe tantummodo jocum, quem Sacramentum „ ſuſcipiens cognoſcere poſſit. “

Hinc prudentiores alii Theologi, etſi Catharini doctrinam improbent, ab illa tamen notanda abſtinent, quod latum inter eam & Novatorum errorem diſcrimen intercedere deprehendant; Duo enim præſertim in Catharini opuſculo occurrunt, quæ ſatis probant, doctrinam ejus a Novatorum errore diſtare: hi enim integrum juſtificationis negotium ſoli ſuſcipientis fidei tribuentes, omnem cujuſcumque deliberationis miniſtri neceſſitatem excludunt, ille vero aperte adſtruit, neceſſariam eſſe intentionem faciendi ritum externum, qui ſolet ab Eccleſia uſurpari: hi ratum habent Sacramentum a miniſtro etiam ebrio, aut palam jocante collatum; nihil vero ejuſmodi Catharinus, imo Sacramentum pronunciat irritum, ſi miniſter interius ludendi aut ſimulandi propoſitum forinſecus prodat. Cum damnato itaque Novatorum errore nihil habet affine Catharini opinio, quod &, notiſſimus ille apoſtata Marcus Antonius de Dominis lib. 5. de Rep. Eccleſiaſtica cap. 12. agnovit, Catharini ſententiam a Novatorum impia poſitione, quam ipſe ibidem adſtruit, alienam eſſe confeſſus; non eſt ergo, cur Novatores hoc Theologorum noſtrorum diſſidium jactitent, eoque conſtantem Chriſtianorum omnium in Catholica veritate adſtruenda conſenſionem labefactatum iri confidant.

XVI. Negari quidem haud poteſt, ſicut memorato Pontifici animadverſum eſt, opinioni huic grave vulnus inflictum ab Alexandro VIII., a quo hæc propoſitio proſcripta fuit: *valet baptiſmus a miniſtro collatus, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi ſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: non intendo facere, quod facit Eccleſia*. Verum explorata res eſt, poſt damnationem hujuſmodi in Scholis eam innoxie propugnari, quod Juvenin, Serry, Auctor operis de Re ſacramentaria, aliique confixæ propoſitionis ſenſum a Catharini ſententia alium eſſe contendant. Quum noſtri muneris partes ſint, demonſtrare, intactam eſſe apud Theologos noſtros, in quacumque ii opinione ſint, dogmatis hujus ſubſtantiam, operoſius inquirere nolumus, aptæne ſint interpretationes, quas damnatæ propoſitioni adhibent Catharini aſſeclæ, ſolide ne etiam ab Adverſariis exagitentur, & refellantur. Supremo juſſu vetiti, quæſtionem hanc ex inſtituto agitare, graviſſima ſubjiciamus verba ſapientiſſimi Pontificis, ex quibus perſpicuum cuique fiet, quæſtionem hanc de interioris, vel exterioris intentionis neceſſitate extra dogmatis ſubſtantiam eſſe, quum judicium ſuum nondum Eccleſia interpoſuerit, ideoque minus probandum eorum conſilium, qui longiſſimas, & acerrimas pro alterutra, quaſi pro fidei capite, diſputationes inſtituunt.

XVII. Utut hæc res coram Deo ſe habeat, verba Pontificis do: „ Nulla uſque „ adhuc de ea emanavit expreſſa Apoſtolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur communior ſit ſententia exigens in miniſtro „ intentionem vel actualem, vel virtualem faciendi non ſolum ritum externum, ſed id quod Chriſtus inſtituit, „ ſeu quod facit Eccleſia, & hæc veluti „ tutior ſit omnino in praxi ſervanda, non „ eſt tamen Epiſcopi, priorem opinionem „ reprobare, atque ad hanc poſteriorem „ etiam theorice tuendam ſuos Diœceſanos adigere; Cauſas quippe majores, „ ac difficiliores quæſtiones fidem aut „ diſciplinam ſpectantes ad Apoſtolicam „ ſedem deferendas ſtatuit perpetua Eccleſiæ conſuetudo; quare ſi conſtet, „ quempiam aliquod Sacramentum ex iis, „ quæ iterari nequeunt, adminiſtraſſe, „ omni adhibito externo ritu, ſed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Eccleſia, urgente quidem neceſſitate erit Sacramentum iterum ſub conditione perficiendum: ſi tamen res moram patiatur, „ Sedis Apoſtolicæ oraculum exquirendum „ erit, ſicut ad Severum Conſtantinopoli, „ tanum Scholaſticum ſcripſit Ferrandus „ Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus in difficili quæſtione, qua tunc Eccleſia fatigabatur, doctis indoctiſque in varias „ partes ſciſſis &c. Quod ſemel monitum volumus, ut regula ſit etiam pro „ aliis. “ Hactenus Summus Pontifex.

PRO-

PROPOSITIO VII.

Sacramentorum perfectio ex Miniſtri probitate non pendet.

I. Etſi nonnullorum opinio ſit, Novatianos tertio Eccleſiæ ſæculo omnium primos errorem hunc in Eccleſiam induxiſſe, irrita ſcilicet, & vana eſſe, ideoque iteranda Sacramenta ab improbis adminiſtrata, quum tamen hujus opinionis ſuæ non ſatis idonea proferant argumenta, nolumus certo erroris hujus initia tertio ſæculo conſignare. Exploratum quidem omnibus eſt, quarto ineunte Donatiſtas errorem hunc & mordicus retinuiſſe, & latiſſime pervulgaſſe, quamquam Catholicorum argumentis preſſi illum quadatenus temperare viſi ſint, inter *palam*, & *clam ſceleſtos* internoſcentes, & collata ab iis, quorum lateret impietas, Sacramenta probantes, ea vero rejicientes, & ſacrilege iterantes, quæ a manifeſte impiis fuerant adminiſtrata. Errorem hunc jamdudum oblivione obrutum duodecimo labente ſæculo exſuſcitarunt in Galliis Heretici Pſeudo Apoſtolici, Waldenſes, Albigenſes, & quintodecimo ſæculo ineunte Wiclephi, & Joannis Hus Aſſeclæ, a Conſtantienſi Generali Synodo, & a Martino quinto hac etiam de cauſa damnati. Quum Tridentino Concilio propoſitum eſſet, hæreſes ſolum configere atque exterminare, quæ *vel de damnatis olim a Patribus ſuſcitatæ, vel de novo adinventæ, ea tempeſtate graſſabantur*, nullum adverſus errorem hunc canonem tuliſſet, niſi fuiſſet ille a Zuinglianis, & Anabaptiſtis recoctus, adverſus quos pro veritate perpetuo in Eccleſia credita ſtant Lutherus, & Calvinus ipſi, eorumque Gregales; quare laudatum Concilium errorem hunc toties ab Eccleſia protritum, in Zuinglianis tamen & Anabaptiſtis redivivum, cenſuit profligandum hoc canone, inter eos, qui de Sacramentis in genere ſunt, duodecimo: *Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit.*

II. Conſtabiliendæ veritati huic præſto ſunt momenta plura, quorum præcipuum atque efficaciſſimum eſt conſtans Chriſtianorum omnium in hac veritate conſenſio, cujus quanta ſit ad faciendam dogmati fidem firmitas atque vis, Novatores omnes intelligunt, noſque non uno loco jam adnotavimus. Dubitare ne vero de invariata hac conſenſione quiſpiam poteſt, qui veterum Patrum, Optati præſertim Milevitani, & Auguſtini, qui hunc Donatiſtarum errorem preſſius exagitarunt, aliorumque Scriptorum, qui eundem a ſequioris ævi Hæreticis adoptatum ſtrenue depellerunt, opera, nec non & Conciliorum canones, quibus ille confixus eſt, lectitarit? Perpetuam hanc Eccleſiæ fidem, omniumque Chriſtiani nominis ſocietatum conſenſum diſertiſſime expoſuit laudatus ſæpe Doſitheus Hieroſolymitanus Antiſtes in ſuis adverſus Joannis Caryophili hæreſes canonibus, quibus errorem hunc non uno anathemate perculit, ajens: *Si quis dixerit Epiſcopum, aut Sacerdotem peccatorem ac nequam, omnia ad conficiendum Sacramentum eſſentialia, & neceſſaria ſervantem, nihil operari, nec Sacramentum perficere, anathema ſit. Si quis dixerit, eum, qui Presbyter ordinatus, Sacerdotio indignus eſt ob crimina ante vel poſt ordinationem ſuam admiſſa, Sacramenta quidem perficere, quæ coram iis celebrat, quibus ignotus eſt, quæ vero coram iis, qui illum noverant, celebrat, non Sacramenta, ſed abominationes eſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, adſtantium dubitationem de proba aut iniqua Sacerdotis vita impedimento eſſe, ne Sacramenta quæ conficit, vel miniſtrat, perfecta ſint, anathema ſit;* quum itaque in retinenda veritate hac, eique oppoſito errore damnando mira ſemper fuerit Orientis cum Occidente concordia, impii ſunt Zuingliani atque Anabaptiſtæ, qui Donatiſtarum errorem veritati Catholicæ omnium conſenſu firmatæ antetulerunt.

III. Neque vero theologicæ rationes deſunt, quibus hic eorum error confodiatur: Primam e D. Thoma depromptam ſic informamus. Eccleſiæ miniſtri in conficiendis conferendiſque Sacramentis inſtrumenti partes agunt; quum autem inſtrumentum non formæ ſuæ virtute agat, ſed virtute ejus, a quo movetur, accidit ei, quatenus inſtrumentum eſt, qualemcumque propriam formam aut virtutem habeat, præter id quod ad inſtrumenti rationem exigitur, ſicut ad ſanandum infirmum nihil omnino refert, an medici corpus quod animi medicinæ artis periti inſtrumentum eſt, bene an male valeat, ad pellendam ſitim, aut rigan-

rigandos agros nihil prorſus refert, tubus, per quem aqua tranſit, plumbleus ne ſit, aut argenteus; quum ergo divina virtus ſacramentalem effectum ſola principaliter in Sacramentis efficiat, neque alias miniſter partes habeat, quam inſtrumenti, valebunt certe Sacramenta, etſi fuerint ab iniquo miniſtro collata. Alteram, quæ in idem recidit, ex Auguſtino ductam ſic inſtituimus: Baptiſmate Joannis tincti juſſi ſunt a Paulo Chriſti Baptiſmate ablui, a Juda vero proditore Chriſti Baptiſmate initiati rebaptizati non ſunt, quia, quod Judas miniſtraverat, Baptiſma Chriſti erat, qui ſolus{vere eſt, qui baptizat; valet ergo Baptiſma Chriſti etſi collatum ab improbo, quia hujus nequitia non tollit, quin, quod miniſtrat, Baptiſma Chriſti ſit, qui baptizat in Spiritu Sancto, ideſt a quo ceu præcipua cauſa ſanctificandi & ſpiritualiter regenerandi virtutem Baptiſma a quocumque collatum habet.

IV. Tertiam æque invictam ſuppeditat Auguſtinus idem lib. 2. contra Creſconium. Si tune valere ſolum Sacramentum putandum eſt, qunm a probo pioque miniſtro confertur, neceſſario conſequitur, fore, ut nullus Sacramenta miniſtrare audeat, nullus a quopiam poſſit Sacramenta ſuſcipere, ſed Angeli advocandi ſint, qui hoc munere defungautur; quis enim perſuadere ſibi poſſit, vacare ſe crimine, ſcribente Joan. Apoſtolo, *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* II. Quis ab homine Sacramenta petet, quum *nemo ſit mundus a ſorde*, teſte Jobo, *nec ſi unius diei vita ejus fuerit ſuper terram?* Vel nulla ergo erit in Chriſti Eccleſia conficiendi & miniſtrandi facultas, ideoque perperam, & inutiliter fuerunt illa a Chriſto inſtituta, ſi eorumdem adminiſtratio ſolis juſtis & ſanctis commiſſa eſt, quum nullus, niſi temere, inducere ſibi in animum poſſit, ut certo credat, juſtum & probum ſe eſſe, nec quiſquam de miniſtro id certo reſcire poſſit: vel dicendum, ſicut ab Apoſtolorum ætate univerſim, ubique, & conſtanter creditum eſt, miniſtrorum improbitate Sacramenta non inquinari, neque ſalutarem eorum effectum, quantacumque ſit conferentis impietas, modo ſuſcipiens rite diſpoſitus ſit, impediri.

V. Plura congerunt Adverſarii tum Scripturarum oracula, tum Patrum teſtimonia, ut inde conficiant, ſceleſtos miniſtros diſpenſandi Sacramenta auctoritate carere. E Scripturis quidem illud Eccleſiaſtici urgent, *ab immundo quid mundabitur, & qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Illud quoque Jeremiæ 3. *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina:* Illud etiam Chriſti Mathæi 8. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*: Illud denique Joan. 2. *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata &c.* indeque inferunt, ab immundis miniſtris mundari neminem poſſe, inutilem eſſe lotionem ejus, qui a miniſtro ſpiritualiter mortuo baptizatur, paſcere non poſſe Paſtorem malum, quum ſecundum cor Dei non ſit, nec Sacramenti effectum ſalutarem producere, quum ſit arbor mala, neque aliena peccata remitti ab eo poſſe, qui ob ſua crimina Spiritu Sancto caret. E Patribus vero Cyprianum imprimis laudant, quem conſtat, in hac mente fuiſſe, & recitata Scripturarum oracula ad opinionis ſuæ præſidium contuliſſe, Ambroſium quoque, Hieronymum, & Auguſtinum, quorum prior ait, *baptiſmum perfidorum non mundare, non ſanare, ſed polluere*, alter vero ſcribit, *Euchariſtiam perfici Sacerdotum non verbis ſed vita*, poſterior tandem Cypriano conſentit, *malignos, & invidos remiſſionem peccatorum dare non poſſe*. E ratione quoque tela cudunt, illud torquentes, quod communi effato fertur, neminem ſcilicet dare poſſe, quod ipſe non habet, non poſſe malos miniſtros Chriſti virtutem per Sacramenta applicare, quum membra ſint mortua, nec capiti ſuo, Chriſto videlicet, a quo tota eſt Sacramentorum virtus, charitate uniantur. Poſtremo veterum Canonum ſanctiones jactitant, quibus Sacramenta ſimoniace collata infirma, & irrita declarantur.

VI. Quin neceſſe ſit, objecta ab Hæreticis Scripturarum oracula ſingillatim expendere, & in genuinam eorumdem intelligentiam ſpeciatim inquirere, uno D. Th. reſponſo explicari omnia percommode poſſunt: Miniſtri Eccleſiæ, ait ille, neque a
„ peccatis mundant homines ad Sacra-
„ menta accedentes, neque gratiam con-
„ ferunt virtute ſua, ſed hoc poteſtate ſua
„ facit Chriſtus per eos, velut per inſtru-
„ menta quædam; quare quum effectus
„ communi Philoſophorum proloquio con-
„ ditionem non inſtrumentariæ, ſed prin-
„ cipis cauſæ ſequatur, ſpiritualis Sacra-
„ mentorum effectus non ſecundum ſimi-
„ litu-

„ litudinem miniſtrorum, ſed ſecundum „ configurationem ad Chriſtum in ſuſci- „ pientibus Sacramenta conſequitur. “ Hinc etſi miniſter impius immundus ſit atque mortuus, mundat tamen, neque inutilis eſt ejus lotio, quia Chriſtus eſt, qui baptizat, & mundat, etſi Paſtoris officio indignus, neque ſecundum cor Dei ſit, paſcit tamen per Sacramenta, quia Deo paſcenti ſuum duntaxat exhibet miniſterium, fructum bonum facit, etſi mala ſit arbor, quia Sacramentorum effectus non eſt miniſtri fructus, ſed Chriſti, vere denique a peccatis alios abſolvit, etſi ipſe ſit ſceleribus alligatus, quia purum eſt Dei peccata remittentis organum & inſtrumentum. Quoniam autem hoc præſertim Joannis teſtimonio adductus eſt Zuinglius, ut doceret, carere poteſtate abſolvendi eum, qui Spiritu ſanctificante caret, quia Chriſtus in Apoſtolos Spiritum ſanctificationis inſuflando primo effudit, ſubinde eos poteſtate clavium inſtruxit, adnotandum eſt, falli illum turpiſſime in hujus teſtimonii intellectu, quum iis Chriſti verbis, *Accipite Spiritum Sanctum*, ſolam deſignari poteſtatem clavium, ſeu facultatem remittendi peccata, doceat cum pleriſque Interpretum D. Th. quam Chriſtus Spiritus Sancti nomine denotavit, quia, etſi peccatorum remiſſio totius Sanctiſſimæ Trinitatis opus commune, & individuum ſit, quadam tamen, ut loquuntur Theologi, appropriatione peculiariter Spiritui Sancto tribuitur, ceu non ſanctificantis gratiæ ſolum, ſed & chariſmatum & donorum bonis, maliſque communium auctore.

VII. Cypriani auctoritate non permovemur, quod explorata res ſit, eum in illo errore hæſiſſe, quem refellimus, quemque in tractatu de Baptiſmo fuſius refellemus, irrita nimirum eſſe Sacramenta a miniſtris hæreſis, vel ſchiſmatis ſcelere pollutis collata; nullam ergo, ut Auguſtinus ajebat, Cypriano *facimus injuriam*, *quum ejus quaslibet litteras a Canonica divinarum Scripturarum auctoritate diſtinguimus*, ejuſque placitum Eccleſiæ definitioni poſtponimus. Ambroſii mentem colligere quiſque poteſt ex ejus ſcopo ac contextu, ex quo apparet, agere illum non de Baptiſmo a perfidis adminiſtrato, ſed a perfidis, ideſt veræ fidei repugnantibus ſuſcepto, quo non mundari, nec ſanari, ſed magis pollui ſuſcipientem, quis dubitet? Hieronymi Interpres adeſt D. Thomas, qui 3. p. q. 82. art. 5. inquirens, an malus Sacerdos Euchariſtiam conſecrare poſſit, Hieronymi teſtimonium quod tertio loco ſibi objecerat, ſic exponit, improbare Hieronymum Sacerdotum errorem, qui ſe digne Euchariſtiam conſecrare poſſe credebant, hoc uno nomine, quod Sacerdotes eſſent, etſi peccatores, quum in Levitico cautum ſit, ne Sacerdotes maculoſi ad altare accedant, non obeſſe tamen, quin, ſi acceſſerint, verum ſit, quod offerunt, ſacrificium, quum & Hieronymus ibidem præmittat, hos, *etſi impie in legem Chriſti agant*, *Euchariſtiæ ſervire*, *& ſanguinem Chriſti populis ejus dividere*. Integrum denique Auguſtini textum damus, ut germanam ejus intelligentiam aſſequamur. *Conſentimus*, ait, *Cypriano*, *Hæreticos remiſſionem dare non poſſe*, *Baptiſmum autem dare poſſe*, ideſt, etſi ratum ſit eorum Baptiſma, & characterem infigat, ratione cujus repeti nequit, ſicut ſexcenties ille docuit, gratiam tamen non conferre, qua fit remiſſio peccatorum. Num vero conferentis malitia effectus hic impeditur? *Quod quidem*, pergit Auguſtinus, *illis & dantibus & accipientibus valet ad perniciem*, *tamquam tanto Dei munere male utentibus*, ſeu ut clarius alibi habet, *malus pernicioſe tradit Baptiſmum*, *non quia talis tradit*, *ſed quia tali tradit*. Suſcipientis itaque malitia, Auguſtino judice, in cauſa eſt, cur remiſſionem peccatorum per Baptiſma non aſſequatur, quia tanto Dei munere male utitur, illud ſcienter ab Hæretico & malo ſuſcipiens, eique in errore, & improbitate conſentiens.

VIII. Quod ergo Auguſtinus e veſtigio addit inquiens, *maligni etiam & invidi*, *quos & intus*, *ideſt intra Eccleſiam eſſe*, *Cyprianus ipſe teſtatur*, *remiſſionem peccatorum dare non poſſunt*, *quum eos Baptiſmum dare poſſe omnes fateamur*, eundem habet ſenſum, pernicioſe videlicet ab eis tradi Baptiſmum, non quia tales, ſed quia talibus tradunt, quia nimirum eadem prava eſt ſuſcipientium, quæ tradentium, diſpoſitio, qua efficitur, ut licet Baptiſmi charactere ſignentur, peccatorum tamen remiſſionem non obtineant. Id unum ſibi voluiſſe Auguſtinum, tum ex innumeris aliis teſtimoniis patet, tum præſertim ex eo, quod ibidem habet: *Quum malus tradit bono*, *inter bonum Sacramentum*, *quod traditur*, *& bonum fidelem*, *cui traditur*, *tradentis malitia non ſeparat*; neque adver-

tunt Novatores Auguſtini verba detorquentes, ſummam hanc ſe tanto Doctori injuriam inferre, in iiſdem ſcilicet de Baptiſmo libris, in quibus hunc Donatiſtarum errorem ſuſceperat exagitandum, illum fœdiſſime ſui oblitum, cauſam prodidiſſe, quam tutabatur. Quoniam autem Novatores & ex Canonico jure arma petunt, illud arripientes, quod ad Epiſcopos Macedoniæ ſcripſit Innocentius primus, eos nimirum, *qui plenitudinem Spiritus per ſuam perfidiam perdiderunt, dare illam non poſſe in ordinationibus*, illud quoque Pelagii primi, *Chriſti* ſcilicet *corpus non eſſe, quod Schiſmaticus conficit*, laudatorum Pontificum mens, a qua Novatores aberrant, paucis aperienda eſt. Non de charactere, ſed de ſanctificante gratia Innocentium loqui, perſpicuum eſt, quum aſſerat, non poſſe eos plenitudinem Spiritus aliis dare, quam ipſi ſua perfidia perdiderunt, ſolam autem gratiam, non characterem perfidia perdi, certum ſemper Eccleſiæ fuit. Cur vero hanc Spiritus plenitudinem, qua ipſi carent, iis, quos ordinant, dare non poſſint, tota penes ordinatos eſt ratio, qui quum poſſint intra Eccleſiam a miniſtris legitimis initiari, ordinari a perfidis & illegitimis malunt. Pelagium autem non de vero, ſed myſtico Chriſti corpore, Eccleſia nempe, ad quam Schiſmatici certo non pertinent, quamque ut membra non conficiunt, ſermonem eo loci habere, integra orationis ejus ſeries apertiſſime manifeſtat.

IX. *Venio nunc*, ajebat Optatus lib. 5. de Schiſmate Donatiſtarum, *ad illud, quod dicitis; qui non habet, quod det, quomodo dat? Unde hæc vox eſt? Vox eſt de vico collecta, non de libro lecta: hæc verba in lege ſcripta non ſunt; nam, ſi ut vultis, homo dat, Deus vacat, &, ſi Deus vacat, & apud vos eſt, quod dandum eſt, ad vos ſit converſio: quos baptizatis, in nomine veſtro tingantur. Erubeſcite, D. Paulo clamante, nunquid in nomine meo baptizati eſtis?* His ſignificavit Optatus, quum Sacramenta ſint Dei, qui, ut ſolus illa inſtituit, ita ſolus per ea principaliter operatur, miniſtros improbos, etſi gratia careant, ſanctificare tamen alios inſtrumentaliter poſſe, quia non ſua, ſed Dei Sacramenta miniſtrant, a quo ſolo habent illa ſanctificandi virtutem. Quid vero ſi mali membra ſunt mortua, nec Chriſto capiti charitate uniuntur? Quum poſſit aliquis, ait Angelicus, operari & per inſtrumentum ſibi naturali unione conjunctum, ſicut artifex per manum agit, & per inſtrumentum ſibi naturaliter non unitum, ſed quadam duntaxat motione conjunctum, ſicut artifex per malleum, aut ſecurim, Chriſtus operatur in Sacramentis & per bonos tamquam per membra viventia ſibi charitate conjuncta, & per malos tamquam per membra carentia vita, ſibi tamem motione quadam unita, quatenus eis utitur ceu inſtrumentis, per quæ Sacramenta applicat, & ſalutarem eorumdem effectum in ſuſcipientibus rite diſpoſitis operatur.

X. Quum in tractatu *de Ordine* de illegitimo ſacræ Ordinationis miniſtro agentes adnotaverimus, diſputatum olim acerrime inter Catholicos, ratæ ne, an irritæ habendæ eſſent ordinationes a miniſtris Hæreſi, aut Schiſmate, aut Simonia pollutis, excommunicatione ab Eccleſia præciſis, gradu dejectis peractæ, pluresque in ea opinione fuiſſe, inanes eſſe hujuſmodi ordinationes, mirum non eſt, Gregorium Septimum alioſque undecimi ſœculi, quo ſimoniaca lues latiſſime graſſabatur, Scriptores, tum execrabilis hujus ſceleris horrore permotos, tum ejus compeſcendi ac extirpandi zelo actos, opinionem, quæ tunc probabilis habebatur, ſectatos eſſe, atque ordinationes ſimoniaca labe pollutas infirmas & irritas pronuntiaſſe. Ceterum, quum jam a quinque propemodum ſœculis hæc controverſia ſublata ſit, nec quemquam reperias Theologorum, ſicut cum Morino aliiſque ibidem animadvertimus, qui a D. Thomæ ſententia, quæ ſola in Scholis regnat, diſſentiat, præjudicata jamdudum in Eccleſia res eſt, firmas eſſe, neque iterandas ordinationes iſtas, modo juxta legitimam Eccleſiæ formam perfectæ fuerint; nec inde infeſtas, nutare Romanæ Sedis aſphaliam, quod Gregorius Septimus opinioni illi, quæ falſa poſtmodum deprehenſa eſt, ac ab Eccleſia improbata, adhærens, Canone quinto Concilii quinti Romani ordinationes has *infirmas & irritas dijudicarit*; quum enim, ut alibi cum Melchiore Cano adnotavimus, verbi hujus *judico*, aut *dijudico*, multiplex acceptio ſit, nec ſolum *definire*, *ſententiam ferre*, *decernere*, ſed etiam *opinari*, *exiſtimare*, *cenſere* ſonet, confici certo non poteſt, Sanctiſſimum illum Pontificem lato e Cathedra, ut ajunt, judicio controverſiam diremiſſe, certamque adverſus ordinationes ejuſ-

ejuſmodi ſententiam pronnntiaſſe; quod ſi contendas, verbum illud dijudicamus eſſe non opinantis, demonſtrandum tibi incumbit, cadere illud certo in ipſam Ordinis collati ſubſtantiam, non in ſolam ſuſcepti Ordinis executionem; quum enim id non expreſſerit Pontifex, incertumque ſit, quid voluerit judicio ſuo notare, dubia autem juxta juris regulam ſint in meliorem partem interpretanda, alienum ab æquitate & ratione eſt, eum potius verbis ejus ſenſum ſubiicere, qui errorem contiuet ab Eccleſia improbatum, quam alium, qui Eccleſiæ doctrinæ conformis eſt, & verbis ejus æqualiter ſubeſt.

XI. Adverſus Novatorum pleroſque, qui ceremonias ſacras in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione antiquiſſimo Eccleſiæ uſu receptas, aut adiaphoras habent, & in cujuſque arbitrio ita poſitas, ut vel prætermittere illas, vel immutare pro libito poſſit, aut ſacrilege rident, ac ſuperſtitionis & impietatis damnant, hunc qui tertiuſdecimus atque poſtremus eſt de Sacramentis in genere, Canonem tulit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione conſuetos aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit*. In hujus Canonis defenſionem ſpecialem non conſerimus diſputationem, quum de argumento hoc non uno loco jam fuerit nobis ſermo, in tractatu videlicet de Euchariſtia in articulo præſertim ultimo de Miſſæ ſacrificio, atque in tractatu de Ordine, in quo Calvini blaſphemias, & maledicta adverſus ceremonias in Clericali tonſura, & ſingulis Ordinibus ab Eccleſia uſurpatas pro virili retudimus. Erit a nobis idem hoc argumentum excutiendum de Baptiſmo, & Confirmatione differentibus, quorum Sacramentorum operoſior pertractatio, quum plurimum habeat neceſſitatis, in cauſa eſt, ut potiora de Sacramentis in genere complexi, minutiora ac faciliora multa præter aliorum morem prætermittamus, ne tempore, ut aliis plerumque accidit, fraudemur, quod in perſequendis iis, quæ ad Baptiſmum & Confirmatonem pertinent, neceſſario ponendum eſt.

DE BAPTISMO.

I. Baptiſmus a Tridentini Concilii Catechiſmo rectiſſime definitur *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*; hæc enim ejus finitio ex Apoſtolo Paulo depromta eſt ad Epheſios 5. ſcribente: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, & ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*. Ex hac ejus definitione cuique patet, cur primum ille inter legis Evangelicæ Sacramenta locum obtineat, & *Sacramentorum janua* communiter appelletur; ſi enim lavacro iſto homo regeneratur, & ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcitur, neceſſario conſequitur, hoc regenerationis & ſpiritualis nativitatis noſtræ Sacramentum omnium primum eſſe, quum & in corporali hominis vita, quam inter, & ſpiritualem analogia eſt, atque ſimilitudo, omnium prima ſit generatio ac nativitas, qua homo eſſe, & vivere incipit, ſicut egregie diſſerit D. Thomas. Hoc regenerationis lavacrum fuiſſe inſtitutum a Chriſto, & veri nominis Sacramentum eſſe, Novatores omnes conſentiunt; veram tamen Eccleſiæ de Sacramento iſto doctrinam tot, tamque immanibus erroribus commaculant, ut recte ſcripſerit Meletius Syrigus in Cyrilli Lucaris refutatione, habere illos vacuam Sacramenti hujus umbram, non ſubſtantiam. Singulos eorum errores in hac diſputatione noſtra inſectabimur; quoniam vero rerum ordo maxime tenendus eſt, ab ipſa Sacramenti hujus natura ordiemur, quam Novatorum aliqui intoleranda audacia perverterunt.

II. Inſtituiſſe Chriſtum lavacrum regenerationis ſenſibile & materiale, quo ex aqua elementari confecto, & verbis evangelicis conſecrato abluti homines, qui *natura erant filii iræ*, ex Spiritu Sancto renati *adoptionem filiorum Dei* reciperent, ubique & ſemper Eccleſia credidit; perſpicua enim adeo ſunt, quæ Chriſtus Nicodemo ait, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* ut in iis vel leviter addubitare nemo, niſi iniquus, aut ſtultus poſſit. Calvinus tamen omnium primus perpetuam hanc & conſtantem Eccleſiæ doctrinam culpare auſus eſt, & in laudatis Chriſti verbis metaphoram commi-

miniſci, aquam memoratam a Chriſto non corpoream & naturalem, ſed tropicam & figuralem, tribulationem ſcilicet, & *interiorem ſpiritus compunctionem* eſſe contendens. Credere, par eſt, ad retundendam hanc Calvini veſaniam ſpectare ſecundum & tertium Tridentini canones de Baptiſmo : *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto &c. ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit. Si quis dixerit, in Eccleſia Romana, quæ omnium mater eſt, & magiſtra, non eſſe veram de baptiſmi Sacramento doctrinam, anathema ſit.* Aliam a Calvini commento, æque tamen peſtilentem, & falſam de Baptiſmi inſtitutione ac natura opinionem procudit, vulgavitque Socinus, Baptiſmi nimirum nomine *ſolam* venire *doctrinam*, *fidemque evangelicam*, *nec baptizare* aliud in ſacris litteris denotare, quam *prædicare, ac docere, baptizari vero aqua idem eſſe, ac ſuſceptam Chriſti fidem palam aperteque teſtari.*

III. Neque Calvinus tamen, neque Socinus præpoſteram doctrinam hanc ita perſuadere ſuis Gregalibus potuerunt, ut eam univerſi adoptarint. Sunt e Socinianis plures, qui a Magiſtro diſſentiunt, verumque ac proprium Baptiſma inſtitutum fuiſſe a Chriſto docent, ejuſque præcepto in Eccleſia perpetuo ritu ſervandum eſſe: Inter Calvinianos vero, etſi ii ſint in ſectas plurimas diſpertiti, ſoli *Trementes* & *Quakeri* perverſam Calvini interpretationem exceperunt, & pugnaciter retinent, aquæ Baptiſmate non utentes, quod Chriſti Baptiſma ſentiant, ſpiritus eſſe, non *aquæ*, *myſticum* & *internus* tantum, non *externus*, & *materiale*. Quum hoc etiam nomine non apud Catholicos ſolum, ſed etiam apud omnes Pſeudo-Evangelicos e Lutheri, & Calvini grege peſſime audiant Quakeri, duo anno 1752. Londini impreſſi vulgatique ſunt libelli, quorum prior hunc habet titulum, *Doctrina baptiſmatum ab antiquis, & recentibus corruptionibus expurgata, & primævæ ſoliditati, ac integritati reſtituta*, alter vero inſcriptus eſt : *Invitatio ſeria ad omnes, ut ſpiritum Chriſti in ſe ipſis agnoſcant*. Prior auctorem refert Villelmum Bell Anglum Evangelii miniſtrum, & Collegii Cantabrigienſis magiſtrum, poſterior Beniaminum Holme. Utrique auctori propoſitum eſt, demonſtrare, non poſſe Quakeris in culpa poni, quod Baptiſmum & Cœnam, quæ apud reliquos Chriſtianos in uſu ſunt, ipſi non habeant; longe enim aliter intelligendum eſſe, tradidiſſe Chriſtum duo hæc Sacramenta, & fidelibus commendaſſe, quam ea intellexit olim, & uſurpavit Eccleſia.

IV. Prioris Auctor principii loco ponit, veram Chriſti Eccleſiam, veroſque Chriſti fideles ab ipſo Apoſtolorum ævo excepiſſe, pluriumque ſæculorum ſpatio propugnaſſe, & ad poſteros traduxiſſe errores bene multos, & falſa dogmata, effectumque eſſe, ut, ex quo plerique vetuſtioris ævi pii homines iis erroribus adhæſerant, ſequiores eorum auctoritate per moti ; eoſdem ebiberint, & retinuerint ; quod magnum novi Teſtamenti Doctorem & Apoſtolum Chriſtum non conſuluerint, quare ad veſtigandam veritatem quaslibet hominum doctrinas neceſſario ſeponendas eſſe, & uni ſcripto Dei verbo corde ſimplici & recto inhærendum eſſe, pronunciat. Quum ipſe doctrinam de Baptiſmo excutiens id ſe præſtitiſſe glorietur, Lectorem monet, ſe de Baptiſmo longe aliter pronunciaturum, ac Veteres ac Recentes quique Doctores ſcripſerint, quoniam omnes a ſcripto Dei verbo plurimum aberrarunt, omnes in definienda Sacramenti hujus inſtitutione ac natura, ac in genuino divini eloquii deprehendendo ſenſu turpiter hallucinati ſunt. Quamquam paulo modeſtior ſit poſterioris libri Auctor, eo tamen præcipue ſpectat, ut a priori dicta confirmet, noviſque argumentis ſtabiliat; quare teterrimam utriuſque poſitionem, quæ Religionis noſtræ fundamentum directe impetit, hac propoſitione ſuſcipimus evertendam. .

PROPOSITIO I.

Baptiſma, quod Chriſtus inſtituit, verum & proprium eſt, ex naturali aqua, & verbis Evangelicis coaleſcens.

I. PLura ex Evangelio, Apoſtolorum Actis, atque Epiſtolis adferri poſſunt diſertiſſima teſtimonia, quæ propoſitionem hanc decretorie conficiunt ; quia tamen eo Adverſariorum impudentia proceſſit, ut procaciſſime ſcriptitent, erraſſe

in

Digitized by Google

in eorumdem intellectu ab ipſo Apoſtolorum ævo veram Chriſti Eccleſiam, univerſoſque Patres, ac Theologos in perſpicua Scripturarum luce miſere cæcutiviſſe, momentis premendi ſunt, quæ illis omnem evadendi aditum præcludant, cogantque eos, ſi in ſua veſania perſtare velint, immania abſurda concoquere, imo & Chriſtianum nomen, quod profitentur, abjicere. Primo, ſi ab ipſo ſui exordio vera Chriſti Eccleſia plures adoptavit errores, & falſa dogmata, hoc præſertim de materiali, & exteriori Baptiſmate, non conſulto Chriſto novi Teſtamenti Doctore & Apoſtolo, exemploque, & auctoritate ſua in errorem homines ſubſequentium ſæculorum induxit, mox ergo ut nata eſt, defecit, atque extincta eſt vera Chriſti Eccleſia; quum enim, teſte Apoſtolo, nulla ſit *lucis ad tenebras*, & *Chriſti ad Belial conventio*, concipi animo ſane non poteſt, veram perſtitiſſe Chriſti Eccleſiam, quæ doctrinam Auctoris, ac Magiſtri abjeciſſet, & multis erroribus, hocque in primis, quem Adverſarii contendunt, quo, ut ipſi ajunt, Eccleſia & lex illegitime permiſcentur, ideoque, judice Paulo, *Chriſtus*, *& Evangelium evacuantur*, veritatem ſibi a magno novi Teſtamenti Apoſtolo traditam corrupiſſet; ſi autem in ipſis incunabilis ſuis Eccleſia deſiit, ut deſiiſſe illam ex Adverſariorum hypotheſi neceſſario conſequitur; falſo itaque ſpopondit illi Deus Oſee 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, *ſponſabo te mihi in fide*, *& ſcies*, *quia ego Dominus*; ſi enim paulo poſt ac initum fuerat, diſſolutum eſt ſponſæ vitio conjugale fidei vinculum, non fuit illud certe, ſicut Deus promiſerat, *ſempiternum*.

II. Secundo: Chriſtus propediem moriturus ſemel iterumque pollicitus eſt Eccleſiæ ſuæ *Spiritum veritatis*, qui cum ea *in æternum maneret*, eamque *in omnem veritatem induceret*. Fac vero, Eccleſiam Chriſti ab ipſa Apoſtolorum ætate ad hanc noſtram, falſam, & ab Evangelii doctrina prorſus alienam, de inſtituti a Chriſto Baptiſmatis natura ſententiam adoptaſſe, & germanæ Magiſtri ſui doctrinæ inanes hominum doctrinas antetuliſſe; alterutrum jam neceſſario fluit, aut non ſtetiſſe Chriſtum promiſſis ſuis, aut Spiritum Sanctum impoſito ſibi munere functum non eſſe, ſicut in lib. de Hæreticorum præſcriptione validiſſime Tertullianus argumentatur. Si enim ambigua erant, & non uni ſignificationi obnoxia, quæ Chriſtus Joan. 3. dixerat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* & Math. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Si genuinum eorumdem ſenſum Chriſtus ipſe non aperuit, reliquum eſt, veritatem hanc ex earum numero plane fuiſſe, de quibus in noviſſima cœna Chriſtus ait Apoſtolis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſt portare modo; quum autem venerit ille Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis a Patre, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque mandavi vobis*, inter quæ certiſſime erat baptizandi præceptum; Si ergo ab ipſis ſuis primordiis hucuſque vera Chriſti Eccleſia præpoſtere Chriſti verba intellexit, & baptizandi mandatum perperam executa eſt, profecto veritatem hanc a Spiritu Sancto edocta non fuit, quem vel Chriſtus ſponſione ſua neglecta, non miſit, vel qui officio ſuo defuit. Eligant Quakeri, quod malunt.

III. Tertio Annuunt Adverſarii, Apoſtolorum Diſcipulos, Clementem Romanum, Ignatium, Policarpum, & qui ab eis edocti ſunt, eoſque proxime exceperunt, Juſtinum, Irenæum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, alioſque omnes, quos priori ævo poſuit Deus *in Eccleſia ſua Paſtores*, atque *Doctores*, aquæ Baptiſmum ceu a Chriſto inſtitutum verbis & ſcripto commendaſſe, ac populis adminiſtraſſe: præterquamquod fuerunt illi priorum Evangelii Præconum, Apoſtolorum nempe ætati propiores, fuiſſe illos pietate, doctrina, & præclaris in Eccleſiam meritis commendatiſſimos, eorumque plures Evangelium ipſo ſuo ſanguine conſignaſſe, negare Adverſarii non audent: Porro ſi ignorarant illi Chriſtiani Baptiſmatis naturam, & aliud a Chriſti inſtitutione Baptiſma tradiderunt, & coluerunt, conſequens eſt, cœcos illos fuiſſe, & ſpiritu Domini vacuos, qui illos deſeruerit, ut ad Calvinum, Socinum, & Quakeros edocendos tranſiret. *Uſquene vero ima ſummis adeo miſcuit longus dies*, (huc mirifice cadunt, quæ adverſus Julianum Auguſtinus torquebat) *ut tot*, *ac tales viros cæcos fuiſſe* dicamus, ſolos autem vidiſſe Calvinum, Socinum, & Quakeros? Quum autem id ſibi tribuere impudentiſſime audeant Quakeri, ſcilicet in re iſta graviſſima erraſſe Veteres, ac Recentes quoſque Doctores, ſibique ſolis veritatem illuxiſſe, non-

ne

Digitized by Google

ne omnium execratione digni ſunt, quorum eo proceſſit temeritas, ut ſe univerſis majoribus noſtris, etſi Religionis Chriſtianæ exordio proximis, & ſi ſanctiſſimis, & ſi doctiſſimis anteponant, lumenque, quod illis ſubtractum eſt, ſibi ſolis arrogantiſſime vindicent?

IV. Quarto ſi ab omnibus in definienda inſtituti a Chriſto Baptiſmi natura hactenus erratum ſit, ſi Veteres, ac Recentes Doctores omnes a germana Chriſti mente immaniter abluſerunt, non potuit hic omnium error unus & conſtans eſſe, ſed, quemadmodum ibidem Tertullianus invicte arguit, *exitus variare debuerat error omnium Eccleſiarum*; quum enim error humani ingenii fœtus ſit, ut eſt illud multiplex, & mire varium, ita habet iſte a percipientium & judicantium multitudine & varietate diverſitatem, neque poteſt eodem gradu ſemper, & ubique conſiſtere, quum nec hominum perceptiones ac judicia, ex quibus oritur, fixa ſint, & conſtantia. Exemplo eſſe poſſunt tot falſa illa veterum Philoſophorum placita de rerum naturalium principiis, de hominis felicitate &c. ut & tot illi veterum ac recentium Hæreticorum errores. Jam vero ab Apoſtolorum ævo ad hoc noſtrum unam eandemque Eccleſiis omnibus ubique gentium poſitis firmiſſime, & abſque ulla protſus varietate inſediſſe perſuaſionem, inſtitutum ſcilicet fuiſſe a Chriſto Baptiſma materiale, & exterius, quod non ſolius ſpiritus eſſet, ſed etiam aquæ elementaris, non eſt, cur probemus, quum hanc facti veritatem dent Quakeri perlibenter; non fuit ergo illa falſa & erroris plena; alioqnin non potuiſſet illa in tanta gentium diverſitate, in tanta locorum intercapedine, in tanta rerum, ac temporum viciſſitudine una & eadem conſtanter eſſe, ſed exitus variare debuiſſet, ſi error erat omnium Eccleſiarum.

V. Audiendus primo Villelmus Dell, qui ſepoſitis doctrinis hominum, magnoque novi fœderis Doctore Chriſto conſulto, veram Baptiſmi naturam in ſolo ſcripto Dei verbo ſe recto ac ſimplici corde ſcrutatum eſſe, ac præ antiqnis ac recentibus omnibus Eccleſiæ Magiſtris feliciter deprehendiſſe gloriatur. Gloriationem hanc primo accipit ex diſcrimine Baptiſmum Joannis inter & Chriſti, quod ille adverſus magiſtrum ſuum Calvinum ejuſque Gregales ſtrenue tutatur; quum enim Joannes teſtatus ſit, *ſe baptizare quidem in aqua, venturum autem alium, nempe* Chriſtum, *qui in Spiritu Sancto & igne homines baptizaret*, reliquum eſſe putat, Baptiſma Chriſti non aquæ eſſe, ſed ſpiritus. Hoc uno argumento, quaſi confecta re, Eccleſiam culpat, quod in aqua baptizans, & legale ſive exterius Joannis Baptiſma adminiſtrans, verum illud, quod Chriſtus inſtituit, evacuarit; inſtitutum enim a Chriſto Baptiſma, quum ad novam legem pertineat, quæ eſt *ſpiritus*, non *litteræ lex*, & regnum Cœlorum aperiat, in quo nullus eſt umbræ & ſignis, ſed ſoli veritati locus, myſticum duntaxat atque ſpirituale eſt; quare quotquot Baptiſmate aquæ hactenus uſi ſunt, Chriſti & Joannis Baptiſmata perperam confundentes, Evangelium & legem illegitime miſcuerunt.

VI. Egregie tamen ineptam hanc gloriationem comprimit Auguſtinus tract. 5. in Joannem ſcribens: *ſed forte ait aliquis, baptizat quidem Chriſtus in ſpiritu, non in corpore, quaſi vero alterius dono quam illius, quiſquam Sacramento corporalis, & viſibilis Baptiſmatis imbuatur: Vis noſſe, quia ipſe baptizat non ſolum ſpiritu, ſed etiam aqua? Audi Apoſtolum: Sicut Chriſtus, inquit, dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo: mundans eam: unde? Lavacro aquæ in verbo. Quid eſt Baptiſmus Chriſti? Lavacrum aquæ in verbo: Tolle aquam, non eſt Baptiſmus, tolle verbum, non eſt Baptiſmus*. Multiplex itaque Baptiſmum Joannis inter & Chriſti diſcrimen agnoſcimus, non illud tamen, quod Quakeri comminiſcuntur, quod nimirum Baptiſma Joannis materiale fuerit & exterius, Chriſti vero Baptiſma ſpirituale tantum ſit & interius, quum & productum ab Auguſtino Pauli teſtimonium, aliaque in novo Teſtamento occurrentia demonſtrent, inſtitutum a Chriſto Baptiſma ex aqua ſimul & verbo conſtare, quo accedente ad elementum fit Sacramentum. Hinc præclare Tridentini Concilii Catechiſmi Auctores laudata Baptiſtæ verba cum aliis tum Chriſti tum Apoſtolorum ſententiis conferentes adnotarunt, ea nullo modo de Baptiſmi materia intelligenda eſſe, ſed vel ad intimum Spiritus Sancti effectum, vel certe referenda ad miraculum, quod die Pentecoſtes apparuit, quum Spiritus Sanctus e cœlo in Apoſtolos ignis ſpecie delapſus eſt, de quo Dominus noſter prædi-

xit: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*.

Frivola porro ſunt, quæ peſtilentis libelli Auctor exaggerat ajens, Baptiſma Chriſti ſpirituale tantum eſſe, quod lex Chriſti, ad quam illud pertinet, ſpiritualis ſit, quod etiam cœleſtis regni januam reſeret, in quo, quibuſcumque umbris, & figuris excluſis, veritas ſola lucebit. De Sacramentorum neceſſitate agentes eadem hæc a priſcis, & recentibus Hæreticis objecta jam cum D. Thoma diluimus reponentes, ſenſibilia, inter quæ Baptiſmus aquæ cenſetur, quatenus in natura ſua ſpectantur, ad cultum regnumque Dei non pertinere, ſed quatenus divina inſtitutione ſigna, & cauſæ ſunt ſpiritualium rerum, in quibus regnum Dei conſiſtit: legem iccirco Evangelicam, etſi legem ſpiritus & gratiæ, ſenſibilem Baptiſmum habere, cui divina inſtitutione virtutem hanc tributam fuiſſe, Scriptura frequenter docet, ut nimirum eo regenerentur homines, & ſpiritu renaſcantur, abluantur, mundentur, ſanctificentur, commoriantur Chriſto, eumque induant. Quid vero ſi in cœlis, quorum aditus Baptiſmate nobis panditur, diſpulſis omnibus ſignorum umbris, omnis nude & perfecte manifeſtabitur veritas? Nulla ibi erunt Sacramenta, ait Angelicus: Cœterum nunc, quia per ſpeculum, ut ait Apoſtolus, & in ænigmate cognoſcimus, oportet nos per aliqua ſenſibilia ſigna in ſpiritualia devenire. Neque advertit Pſeudo-Evangelicus Miniſter, criminationem, quam Catholicæ Eccleſiæ ſtruit, in ſe ſuoſque recidere; Si enim evacuat illa Baptiſma Chriſti, quia baptizat in aqua, ſi legalia cum Evagelio, quod eſt lex ſpiritus, & veritatis, præpoſtere miſcet, quia materialibus, & exterioribus ſymbolis utitur, legem ergo Chriſti evacuant, & corrumpunt Quakeri, quorum inſtitutum vocalibus precibus, Scripturarum lectione, ac interpretatione, necnon Evangelii prædicatione potiſſimum continetur; hæc enim exteriora & ſenſibilia quum ſint, cum lege Chriſti pure ſpirituali componi nequeunt, ſicut & certo certius eſt, nihil ejuſmodi futurum in cœlis.

VIII. Pergit Miniſter, & celebrem Joan. 3. Chriſti ſententiam, *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* interpretari aggreſſus, fidentiſſime ſcribit, erraſſe omnes, qui materialis aquæ lavacrum in ea commenti ſunt: Primo quia Joannes ipſe non uno loco teſtatur, Chriſtum aquam ſæpe interpretatum eſſe *ſpiritum, quem accepturi erant credentes in eum*: 2. Quia Chriſtum ibidem Nicodemo dixiſſe legimus: *quod natum eſt ex carne, caro eſt &c.* quibus plane ſignificavit aquam elementarem ad interiorem animæ munditiem nihil conferre poſſe, ſed id ſolius ſpiritus proprium eſſe: 3. Quia ſi quis eo loci de materiali aqua ſermonem eſſe velit, illud quoque Math. 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, de materiali hoc elemento interpretetur, neceſſe eſt. Illud ſubinde Math. 28. *euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* eludere auſus, omnes erraſſe pronunciat, qui aquæ Baptiſma in iis Chriſti verbis excogitarunt, quorum non alius ipſo judice, ſenſus eſt, quam *docete omnes gentes, & immergite eas in nomine &c. vel ſuper eas effundite nomen &c. ut ſanctitate, veritate, & juſtitia donentur*. Interpretationem hanc ſuam ſibi videtur ex Paulo ipſo depromere ad Rom. 15. ſcribente, ſe ab *Hieruſalem uſque ad Illiricum Evangelium prædicaſſe*, quin tamen *baptizarit*, futuro alioqui violatæ Dominicæ juſſionis reo, ſi verbis Math. ultimo recitatis adminiſtrandi Baptiſmatis præceptum vere contineretur. Hinc exploratæ rei loco ponit, conſtituiſſe Paulum plures Eccleſias abſque Baptiſmo, quod probe noſſet, in regno Dei nihil exterius cujuſquam pretii eſſe, & *in Chriſto neque præputium, neque circumciſionem* valere, ſed *novam creaturam*.

IX. Nihil tamen eſt his ineptius, quibus a ſe adhibitam utrique evangelico teſtimonio interpretationem communire nititur Miniſter; ac primo quidem, quid hac argumentatione puerile magis, ac ridiculum, Chriſtus in Evangelio aquæ nomen metaphorice ſæpe uſurpavit, eoque Spiritum Sanctum expreſſit, ergo non alium voci huic ſenſum ſubjecit, quum ait, *niſi quis renatus fuerit &c.*? Quid ni pariter inferas, quotieſcumque in novo, & veteri fœdere aquæ nomen occurrit, tropicum illud eſſe & figurale, eoque non materiale elementum, ſed quidpiam myſticum unice ſignificari? Spectanda eſt Dominicæ orationis ſeries, ad quam ſi animum advertiſſet Miniſter, intellexiſſet oppido, etſi alibi apud Joannem Chriſtus Spiritum Sanctum aquæ vocabulo deſignavit, naturalem aquam tamen Joan. 3. proprie deno-

taſſe, quia ait, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Si enim aquæ nomine Spiritum Sanctum ſignificare voluiſſet, nonne inepta plane locutione uſus eſſet, cujus hic foret ſenſus, *niſi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, & Spiritu Sancto &c.?* Iis etiam in locis, in quibus nomine iſto figuraliter uſum legimus Chriſtum, tam perſpicuum eſt, non aliam eſſe poſſe, quam metaphoricam vocis hujus acceptionem, ut, etiamſi id Evangeliſta non adnotaſſet, in cujuſque oculos inſiliviſſet; quis enim ad elementarem aquam referre poſſit Chriſti ad Samaritanam verba Joan. 4., *omnis, qui biberit ex aqua hac*, ideſt hujus putei, *ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam?* Stupidum quoque oportet eſſe, qui allegoriam non deprehendat in iis Chriſti verbis clamantis in templo Joan. 7., *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.*

X. Quis vero dubitare poſſit, Baptiſmum ex aqua & Spiritu Sancto Joan. 3. commendatum a Chriſto exteriorem ac materialem eſſe, aquæ iccirco eo loci veram & propriam acceptionem occurrere, quum ea, quæ continenter adjicit Evangeliſta, dubitationem omnem amoveant? Poſt hæc, ideſt poſt habitum cum Nicodemo colloquium, in quo de Baptiſmi Evangelici neceſſitate multa præmiſerat, *venit Jeſus, & Diſcipuli ejus in Judæam . . . . & baptizabat.* Quodnam vero baptiſma adminiſtrabat per Diſcipulos Chriſtus? Materiale ſane, & exterius, cujus eadem erat, quæ baptiſmi Joannis, materies, aqua ſcilicet naturalis; narrat enim Evangeliſta, *baptizante Jeſu*, Joanne quoque baptizare pergente *juxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi, & pluribus ad eum baptiſmi cauſa venientibus*, Diſcipulos Joannis ita Magiſtrum affatos eſſe: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Niſi quis profecto ſit excors, e veſtigio intelligit, Baptiſma hoc adminiſtratum a Chriſto non ſolius ſpiritus fuiſſe, ſed etiam aquæ, neque interius tantum & myſticum, ſed exterius quoque & ſenſibus obnoxium; quomodo enim Baptiſma pure ſpirituale, totumque in ſuſcipientium corde latens, potuiſſet Diſcipulorum Joannis animos permovere, eorumque adverſus Chriſtum æmulationem adeo commovere, ut Chriſtus prudentis œconomiæ cauſa, dimiſſa Judæa, iterum in Galilæam abierit, quemadmodum idem Evangeliſta capitis 4. initio ſcribit: *ut ergo cognovit Jeſus, quia audierunt Phariſæi, quia Jeſus plures Diſcipulos facit, & baptizat, quam Joannes . . . . . reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam?* Continens itaque tertii capitis ſeries, & quarti exordium, ut materiale & corporeum Baptiſma adminiſtratum a Chriſto, ita veram, & naturalem aquam in colloquio ab eo cum Nicodemo habito commendatam certo indicant, quum non aliud adminiſtrarit ille Baptiſma, quam quod tertii capitis initio commendaſſe legitur Nicodemo.

XI. Quid vero ſi Chriſtus laudatis *verbis niſi quis renatus fuerit* &c. continenter adjecit: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt?* Quid carnalem inter, quam ſolam noverat Nicodemus, & ſpiritualem nativitatem interſit, declarans, docet eam, quæ ex aqua, & Spiritu Sancto fit, ſpiritualem eſſe, quia etſi corporale quidpiam & exterius, aqua nimirum naturalis, homini adhibeatur, non carne tamen, ſed ſpiritu homo renaſcitur. Eccur vero? Quia non eſt aquæ congenita virtus, qua corpus alluit, & cor tangit, ſed hanc habet a Spiritu Sancto principaliter operante virtutem; quare quum effectus quilibet non inſtrumento ſed principi cauſæ aſſimiletur, ſpiritualis eſt hæc nativitas, quia in regeneratione iſta primas habet partes Interior Spiritus Sancti operatio, exterius vero lavacrum nudum eſt divinæ virtutis inſtrumentum. Ignem autem, in quo Math. & Luc. 3. prædicitur fore, ut Chriſtus baptizaret, translativo ſenſu, non proprio dictum eſſe, uno hoc argumento conficimus, quod omnes Quakerorum cavillationes elidit, quia videlicet ab Apoſtolis ad nos uſque conſtantiſſime Eccleſia credidit, inſtituti a Chriſto Baptiſmatis materiem aquam eſſe, non ignem, & hanc, non illum ad baptizandum adhibuit. Edocta igitur a Spiritu Sancto fuit, aquæ propriam & litteralem ſignificationem, igni vero myſticam & allegoricam ſubjectam eſſe. Id negare Quakeri non poſſunt niſi in abſurda illa ſeſe conjiciant, quæ inter probandum expendimus; quæ-

que

que ii deglutiant neceſſe eſt, ſi hanc Eccleſiæ fidem & diſciplinam erroris accuſent, ut faciunt.

XII. Interpretatio demum, qua verba Domini Math. ultimo eludere Miniſter nititur, eadem facilitate contemnitur, qua profertur; quod enim habet illa in verbo Dei ſcripto aut tradito fundamentum? Ecquis eſt novus hic Evangelii Interpres, ut præ omnibus aliis utut ſanctiſſimis & ſapientiſſimis uni illi credendum ſit? Qua fronte efferre ille poteſt, Paulum ab Hieruſalem uſque ad Illiricum Evangelium prædicaſſe, quin baptizarit, pluresque abſque Baptiſmo Eccleſias conſtituiſſe, quum ipſe prima ad Cor. 1. ſcribat, baptizatos a ſe Criſpum, & Cajum, & Stephanæ domum? Subdit ille quidem, *cæterum neſcio ſi quem alium baptizaverim, non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed prædicare*: hoc unum tamen ſignificare voluit, prædicandi munus ſibi principaliter a Chriſto impoſitum a ſe impleri, baptizandi vero miniſterium aliis a ſe committi, quod & ab aliis Apoſtolis præſtitum, eorumdem Acta non uno loco declarant. Tot iis in locis, quos peragravit Apoſtolus, prædicaſſe illum legimus, Baptiſma vero vel per ſe vel per alios adminiſtraſſe non legimus. Quid porro? *Non omnia quæ facta ſunt*, ait Auguſtinus, *ſcripta inveniuntur, verumtamen ex cæteris documentis facta eſſe probantur. Scriptum eſt, quando baptizatus ſit Paulus, & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſint alii Apoſtoli: verumtamen etiam ipſos baptizatos intelligere debemus. Scriptum eſt, quando baptizatæ ſint plebes Eccleſiarum in Hieruſalem, & Samaria, quando autem baptizatæ ſint aliæ plebes gentium, ad quas Apoſtoli Epiſtolas miſerunt, ſcriptum non eſt, & tamen etiam ipſas baptizatas minime dubitamus propter illam Domini ſententiam, niſi quis renatus* &c.

XIII. Etſi autem, ſi rerum ſenſibilium & exteriorum natura ſpectetur, nihil habeant illæ pretii in regno Dei, demonſtratum eſt tamen, plurimum valere illas, quatenus a divina inſtitutione habent, ut interioris ſanctitatis & gratiæ ſigna & cauſæ ſint, & licet in Chriſto neque circumciſio, neque præputium, judice Paulo, quidquam valeant, ſed nova duntaxat creatura, ſtulte tamen inde Miniſter infert, improbari a Paulo materiale Baptiſma; ſi enim abrogata jam lege, atque circumciſione, quæ legis præcipuum caput erat, ſola jam in Chriſto valet nova creatura, valet ergo in Chriſto corporale Baptiſma, quo homo, docente Paulo, regeneratur, & nova efficitur creatura. Ut vero perpetua ac pinguiſſima Miniſtri allucinatio perſpecta fiat, animadvertendum eſt, vel neſcire illum Catholicæ Eccleſiæ doctrinam, vel ejus ignorantiam ſimulare, ut eam poſſit liberius inſectari; Quum enim ſcribat Apoſtolus, *omnes nos in uno ſpiritu baptizatos eſſe, ſpiritu regenerari, novam creaturam effici, Eccleſiæ Chriſti uniri, Chriſtum induere, unum cum Deo ſpiritum effici, Chriſti conſepeliri, & cum eo reſurgere* &c. Eccleſiam ſupinitatis accuſat, quod effectus hos, qui mere ſpirituales atque cæleſtes ſunt, terreſtri & corporali cauſæ adſcribat, & adverſus receptiſſima Philoſophiæ principia effectus cauſa ſua multo potiores inducat. Quis tamen hominis aut inſcitiam, aut pravam fidem non deprehendit? Memoratos effectus ſpirituales atque cæleſtes eſſe, omnes annuimus, neque eos Baptiſmo tribuimus, niſi velut inſtrumentariæ cauſæ, qua Spiritus Sanctus ad eos edendos utitur. Poſſe Deum ad quidpiam unice ſpirituale & interius efficiendum materiale quidpiam & exterius adhibere, & reipſa non ſemel adhibuiſſe, res eſt in Evangelio teſtatiſſima: voluiſſe illum, ut Baptiſmo aquæ abluti homines renaſcerentur ſpiritu, & laudatorum effectuum participes fierent, momentis ſuperius inductis luculentiſſime evincitur; quare non in Philoſophiam nos, ſed Quakeri in Evangelium peccant, qui veritatem in eo apertiſſimam præfracte rejiciunt.

XIV. Illud poſtremo Miniſter urget, quod Act. 1. Chriſtus Apoſtolis ait: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*, quibus verbis Chriſtum conſtituiſſe contendit anthitheſim Baptiſmum Joannis inter & ſuum, atque ſignificaſſe, Baptiſma Evangelicum, non aqua, quemadmodum Baptiſma Joannis, ſed ſolo ſpiritu perficiendum eſſe. Quoniam vero non uno eorumdem Actorum loco legebat Apoſtolos Baptiſmum aquæ adminiſtraſſe, non Evangelicum illum fuiſſe blaterat, ſed legalem, eundemque, qui a Joanne fuerat adminiſtratus, quem Apoſtoli aliquam-

quamdiu honoris gratia uſurparunt, ut & circumciſionem, & quædam alia Moſaicæ legis capita. Cæterum, quis Dominici dicti melior Interpres, quam Petrus? A Cornelio Centurione Evangelium doceri cupiente accerſitus, videnſque, Spiritum Sanctum ſuper omnes, qui audiebant verbum, ſenſibili ſpecie delapſum eſſe, audienſque eos loquentes linguis recordatus *eſt verbi Domini, ſicut dicebat, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*. Quod ergo Act. 1. Chriſtus innuit, & Baptiſmati Joannis appoſuit, non illud Baptiſma eſt, de quo agimus, inſtitutum ut in Eccleſia perenne eſſet, ſed peculiare quodpiam, & duraturum ad tempus, viſibilis nimirum Spiritus Sancti in credentes effuſio, & hariſmatum ejus copia exterius manifeſtata, quæ tropice Baptiſma dicitur. Spiritu autem Sancto baptizatos nihil Petrus abſque Evangelico, & veri nominis Baptiſmo opus ſit? *Tunc reſpondit Petrus*, pergit Lucas Act. x., *nunquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Conſtat itaque Baptiſma Spiritus Sancti, de quo Act. 1. & x., viſibilem nempe Spiritus Sancti illapſum, & a Baptiſmo differre, quem Chriſtus Math. ultimo juſſit omnibus gentibus adminiſtrari, & ejus aut re, aut voto ſuſcepti neceſſitatem inferre propter indefinitam Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c.

XV. Quis autem pacate ferat Miniſtri impudentiam dictitantis, Baptiſma, quod toties in Apoſtolorum Actis adminiſtratum legimus, non aliud fuiſſe quam Baptiſma Joannis ab Apoſtolis honoris gratia uſurpatum? Quid ſibi ea volunt Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*; Act. 8. *In nomine Jeſu Chriſti baptizentur viri ac mulieres .... baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu*; Act. x. *Juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti*? Nonne baptizari in Chriſti nomine idem omnium conſenſu eſt, ac Baptiſmo a Chriſto inſtituto tingi, eoque in Chriſtianam religionem inſeri? Omnium tamen maxime decretorium eſt, quod Act. 19. legitur, eos videlicet, qui in Joannis Baptiſmate baptizati fuerunt, Pauli prædicatione permotos baptizatos eſſe *in nomine Domini Jeſu*. Si Baptiſma ab Apoſtolis, eorumque Diſcipulis adminiſtratum aliud non erat ac Baptiſmate Joannis, cur iterari illud Paulus juſſit, quum nefas ſit, Baptiſma rite collatum repetere? *Quæro itaque*, interroganti Auguſtino reſpondeat Miniſter, *quæro itaque, ſi Baptiſmo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius præſtare potuit Baptiſma Chriſti eis, quos Apoſtolus Paulus poſt Baptiſmum Joannis voluit baptizari? ... Quæ igitur cauſa eſt, niſi quia Baptiſma, quod illos juſſit Paulus accipere, non hoc erat, quod per Joannem dabatur?*

XVI. Succedit Beniaminus Holme Villelmo Dell' ſuppetias ferens, & pauca hæc in deſperatæ cauſæ præſidium adducens. Primo Simoni Mago, qui jam crediderat, & Baptiſmo aquæ a Philippo tinctus fuerat, Act. 8. Petrus dixiſſe legitur, *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe*: Baptiſma ergo corporeum nihil efficit ad ſalutem. 2. Petrus epiſ. 1. c. 3. Eccleſiam Chriſti cum Arca Noe, *in qua pauci, ideſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*, conferens ſubdit, *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum* &c. Solo ergo Baptiſmate ſpiritus, non aquæ, auctore Petro, ſalvi efficimur. 3. Paulus ad Heb. 6. Baptiſma in doctrina collocat ajens, *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, doctrinæ Baptiſmatum, impoſitionis quoque manuum* &c. Evangelicum ergo Baptiſma teſte Paulo ipſa eſt Evangelii doctrina. Poſtremo. Qui de Baptiſmo aquæ tantopere ſolliciti ſunt, cur ablutionis pedum verbis, & exemplo a Chriſto commendatæ nullam rationem habent? Sicut ergo veritate, & ſubſtantia, quam pedum ablutio ſignificabat, contenti ſumus, ita æquum eſt, ut ſolam conſectemur ſpiritus ablutionem, quam Baptiſmus aquæ ante Chriſtum præfigurabat.

XVII. Sunt tamen hæc ejuſdem furfuris, ac priora, nulloque negotio refelluntur; primo enim quæ iſta conſecutio eſt: Simon Magus, qui crediderat, & baptizatus fuerat a Philippo, objurgatus ſubinde fuit a Petro, quod in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis eſſet, Baptiſ-

ptiſma ergo corporeum nihil ad ſalutem confert ? Perinde eſt , ac ſi dicerem, æger medicinæ ope incolumitati redditus, nullamque ſubinde reparatæ valetudinis curam gerens iterum in morbum incidit ; nihil ergo virtutis habet medicina ad ſanitatem. Simonis exemplo potius profligatur peſſimus ille Novatorum error a Tridentina Synodo canone quinto percuſſus , *non poſſe* ſcilicet *baptizatum* , *etiamſi velit* , *gratiam amittere* , *quantumcumque peccet* , *niſi nolit credere*; Excidiſſe enim Simonem baptizatum a gratia non quod fidem, quam amplexus fuerat , abjecerit , ſed quod oblato argento poteſtatem dandi Spiritum Sanctum emere a Petro voluerit, & *donum Dei exiſtimarit pecunia poſſideri*, Lucas Act. 8. apertiſſime tradit . Eodem laborat vitio altera, quam ex Petri teſtimonio Miniſter infert, conſecutio; loqui enim Petrum de Baptiſmo aquæ , ipſa , quam præmiſit, cum Arca Noe, in qua octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam , comparatio dubitare non ſinit, ſicut & materiali hoc Baptiſmo nos a peccatorum colluvie ſalvos fieri, quemadmodum olim per arcam in univerſali cataclíſmo ſalvæ factæ ſunt octo animæ. Quæ vero Petrus adjicit, modum ſignificant , quo nobis per materiale Baptiſma ſalus ſpiritualis affertur ; hic enim verborum ejus eſt ſenſus : nunc nos ſimilis formæ , ideſt corporale , ſalvos facit Baptiſma , non carnis depoſitio ſordium, ſeu non quatenus corporis eluit ſordes, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, quatenus nimirum cor virtute divinitus addita tangens illud emundat , & peccata abſtergens animum reddit ſibi bene conſcium & ſecurum. Interpretationem hanc Arabs ipſa verſio ſuppeditat textum hunc ita reddens : *Nunc Baptiſma ſalvat nos*, *non amovendo ſordes carnis tantum* , *ſed exhilarando conſcientiam*.

XVIII. Tertium, quod ex Socino Miniſter exſcripſit, æque inane eſt, & ipſis Pauli verbis retunditur . Falſum etenim eſt , Baptiſma a Paulo appellari doctrinam , quam ibidem manifeſte a Baptiſmo diſtinguit. Quum Hebræi, ad quos ſcribebat, jam Chriſtianæ fidei dogmata probe callerent, ait, intermittere ſe cum eis inchoationis Chriſti ſeu rudimentorum fidei ſermonem, nec rurſus velle ſe jacere fundamentum, ideſt prima Chriſtianæ religionis elementa docere, quæ ſunt pœnitentia de peccatis, fides ad Deum, doctrina Baptiſmatum, & impoſitionis manuum &c. ſed cum jam ſatis inſtructis de perfectioribus agendum eſſe. Pergit ſubinde pronuncians, impoſſibile eſſe, eos qui ſemel illuminati ſunt, ſeu Baptiſmate tincti, & prolapſi ſunt, ideſt novis poſt Baptiſmum peccatis ſe inquinarunt, rurſus renovari ad pœnitentiam, ſeu novo Baptiſmo mundari, quibus ſane ſignificavit, doctrinam plurimum a Baptiſmo diſtare , quum repeti iſte non poſſit , illa vero , quoties opus fuerit, iteretur. Baptiſmata vero plurali numero dixit, ait Gloſſa e Patribus ſumpta , quia eſt Baptiſmus aquæ, pœnitentiæ, & ſanguinis; unum tamen eſt Baptiſma, ſicut eſt una fides, ut idem Apoſtolus 4. ad Epheſios inquit , quia alia duo Baptiſmata in Baptiſmo aquæ includuntur , qui & ex paſſione Chriſti, & ex Spiritu Sancto efficaciam habet, quemadmodum cum Angelico ſuperius adnotavimus, ideoque unitas Baptiſmi non tollitur. Denique Baptiſmum aquæ religioſiſſime tenemus, pedum ablutionem non item, quod illum ad Sacramenti dignitatem evectum a Chriſto , & divina inſtitutione omnibus , vel re vel voto neceſſarium ad ſalutem , non vero hanc , perpetuo Eccleſia crediderit , in quo , ſi erraſſe illam Quakeri velint, ea deglutiant abſurda, neceſſe eſt, quæ jam expendimus.

XIX. Quum ſit ergo immota veritas , Baptiſma Evangelicum materiale eſſe ac ſenſibile, nec ſolius ſpiritus, ſed etiam aquæ, neceſſario ex veritate illa conſequitur, naturalem aquam propriam eſſe Sacramenti hujus materiem , atque ita propriam , ut ſuppleri illa alio liquore non poſſit . Manichæos , eorumque ſurculos Paulicianos & Catharos non moramur , qui naturalem aquam a Baptiſmatis uſu amovebant , quod eam crederent a malo principio, Diabolo nempe, profectam, neque obſcuros quoſdam , ſtupidoſque octavi, & tertiidecimi ſæculi homines, quos ad baptizandos infantes , quum aqua in promptu non eſſet, vinum aut cerviſiam adhibuiſſe, coæva monumenta teſtantur . Solis Novatoribus ſuccenſemus , Luthero præſertim, ac Theodoro Bezæ, quorum prior *in Colloquiis convivalibus* effutire auſus eſt , *uti nos poſſe ad Baptiſma eo omni liquore* , *qui ad balneum aptus eſt*; alter vero in Epiſt. ad Thomam Filium docuit ,

cuit, *ſi neceſſitas urgeat, neque aqua ad manum ſit, quemlibet alium liquorem idoneam eſſe Sacramenti hujus materiem*. Quis enim, ut optime ajebat Clariſſimus Bellarminus, quis dedit Luthero, quis dedit Bezæ poteſtatem immutandi Sacramentorum materies, quas Chriſtus ipſe præſcripſit? Quoniam hic Lutheri & *Bezæ* error Novatorum multos occupavit, hærentque in eo etiam hodie non pauci, agendum eſt, ut illum momentis idoneis profligemus, eaque diſolvamus, quibus fulcire illum Novatores conantur.

XX. Primum ex Angelico promimus 3. p. q. 60. art. 5. illudque ſic informamus: Non eſt cujuſquam, determinare illud, quod in alterius eſt poteſtate, ſed illud ſolum, quod in ſua poteſtate eſt; quum ergo hominis ſanctificatio in ſolius Dei ſanctificantis poteſtate ſit, ad hominem non pertinet, judicio ſuo res aſſumere, quibus ſanctificetur, ſed hoc debet eſſe ex divina inſtitutione determinatum; atqui Baptiſma ad hominum ſanctificationem Chriſtus inſtituit, ſecundum illud 1. ad Cor. 6. *Abluti eſtis ſanctificati eſtis*; in eo ergo adminiſtrando rebus utendum eſt Chriſti inſtitutione determinatis; quum determinaſſe illum naturalem aquam, ceu propriam Sacramenti hujus materiem, tum Evangelium, tum Apoſtolorum Acta, & Epiſtolæ luculentiſſime doceant, ſacrilega temeritate quiſpiam aliam ab aqua materiem ad Sacramenti hujus adminiſtrationem aſſumeret. Neque eſt, cur repetant, Novatores, vera hæc eſſe, ſi nulla neceſſitas ingruat, & aqua ſuppetat, ſecus autem ſi deſit iſta, nec differri Baptiſma poſſit; hæc enim evaſio ipſis Novatorum principiis præcluditur. Nonne ſiquidem omnium rata poſitio eſt, nihil credendum, ac pronunciandum eſſe, niſi quod aut ſcripto Dei verbo diſerte traditur, aut ex iis quæ Scriptura perſpicue docet, neceſſario conſequitur? De aqua in Baptiſmo adhibenda tuliſſe Chriſtum generalem legem, dant Novatores, excepiſſe illum neceſſitatis articulum, & poteſtatem feciſſe deficiente aqua, liquorem alium ſubrogandi, Scriptura nuſpiam expreſſe aut tacite innuit; adverſus itaque generalem hanc legem temere, & inique hæc adfertur exceptio.

XXI. Alterum ducimus ex perpetuo Chriſtianorum omnium conſenſu, quo, ut nullus eſt veritatis locupletior teſtis, ita nullum eſt moleſtius Novatoribus argumentum: Nullus eſt legum Chriſti ſanior Interpres invariato Eccleſiæ uſu: Latinam porro Græcamque Eccleſiam ab ipſo Apoſtolorum ævo ad hoc noſtram hanc Chriſti legem ita interpretatam eſſe, ut nunquam liquorem alium ſubſtituerit, veritas facti eſt, in Patrum Doctorumque omnium ſcriptis, in Pontificum ſanctionibus, Synodorum canonibus, Latinorum Ritualibus libris, & Orientalium omnium Euchologiis compertiſſima. Quum primum hoc Novatorum figmentum erupit, illud ceu Chriſti inſtitutioni, & pluribus novi fœderis teſtimoniis infenſum exagitarunt plures e Græcis, Meletius potiſſimum Syrigius, qui Novatores acriter culpat, quod Sacramentum illud impie corruperint, blaterantes, neceſſariam non eſſe aquam, & ſuppleri illam poſſe vino, lacte, melle, oleo, & cujuſque alterius generis liquore, quodque ſit peſtilens hoc commentum, ut Novatorum principiis apprime conſonum, ita conſtanti Orientalis Eccleſiæ fidei, ac diſciplinæ contrarium; quum ergo Novatores negare non poſſint, numquam id ſibi ſumpſiſſe Eccleſiam, ut præter Dominicam inſtitutionem, quæcumque urgeret neceſſitas, aliam Sacramenti hujus materiam uſurparet, alterutrum fateantur, neceſſe eſt, aut ab ipſa Apoſtolorum ætate univerſim in re graviſſima erraſſe Eccleſiam, aut præpoſteram & falſam eſſe, quam ipſi præter univerſalis Eccleſiæ doctrinam, & praxim, divinæ huic legi adhibent, interpretationem.

XXII. Quum præcipuum Novatorum argumentum tum ex iis Joannis Baptiſtæ verbis petitum: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, tum ex iis Chriſti Act. 1. *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*, jam diluerimus, operoſum non erit, alia diſſolvere, quibus errorem ſuum communire nituntur; ac illud quidem primo, quod ajunt, quum Baptiſmate ſignificetur peccatorum ablutio, interiorem effectum hunc poſſe, non aqua ſolum, ſed alio quovis liquoris genere ſignificari, ſicut alio quovis liquore ablui exterius homo poteſt, facile diluitur præclara D. Thomæ doctrina, qui adnotat, etſi diverſis ſignis idem ſignificari poſſit, ſolius tamen ſignificantis eſſe, determinare, quo ſigno ad hoc vel ad illud ſignificandum uten-

utendum ſit: quare quum Deus ſolus per res ſenſibiles in Sacramentis, & per verba tropica in Scripturis ſpiritualia nobis ſignificet, ſicut Spiritus Sancti judicio determinatum eſt, quibus ſimilitudinibus in certis Scripturæ locis ſpiritualia ſignificentur, ita divina inſtitutione determinatæ ſunt res ſenſibiles, ad ſignificandum in hoc vel in illo Sacramento aſſumendæ. Quid ergo ſi alio quovis liquore fieri exterior hominis ablutio poteſt, ac interior ſignificari? Ille, qui ſolus poterat interiorem animæ emundationem exteriori lavacro ſignificare, & efficere, naturalem aquam præ alio quovis liquore ad id muneris elegit, ideoque hominis non eſt, ſigno huic exteriori divinitus determinato aliud quodpiam ſubſtituere. Cur Chriſtus aquam tantum propriam Baptiſmi materiem eſſe voluerit, congruas adfert ex Patribus rationes D. Thomas art. 3. q. 66. vera tamen & ſola petitur ex divina voluntate, quæ in ſacris litteris apertiſſime manifeſtatur.

XXIII. Quid etiam, ſi Sacramenta medicamina quædam ſunt ad ſalutem animæ divinitus inſtituta? Poterit ergo in Sacramentorum uſu una res adſumi pro alia, ſi hæc defuerit, ſicut ad reficiendam corporis valetudinem, ſi medicamen quodpiam deſit, aliud quod paris virtutis ſit, adhibetur? Quum ſenſibiles res, ait D. Thomas, virtute ſibi naturaliter indita ad corporalem ſalutem conferant, ſi duæ earum eadem virtute polleant, non refert, qua quis utatur; Ceterum quum ad ſanctificationem non virtute ſibi naturaliter indita, ſed divina inſtitutione ordinentur, hæc ſola in earum uſu ſpectanda eſt, neque alias adhibere licet præter determinatas a Sacramentorum Auctore. Num vero determinatione iſta arctavit Chriſtus ſalutis noſtræ viam? Propter hoc, ait Angelicus, non arctatur via ſalutis, quia res, quarum uſus eſt neceſſarius in Sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo adhibito ſtudio haberi poſſunt. Fac tamen, infantulum jam extremum ſpiritum agere, nec quovis ſtudio aquam haberi poſſe, qua baptizetur. Num in eo diſcrimine aut fas erit alio liquore illi ſuccurrere, aut divina providentia culpanda erit? Quum immota ſit Dei lex de adhibenda ad Baptiſmum aqua, nec ab ullo refigi poſſit, quicumque alius liquor nihil infantulo conferet ad ſalutem. Quid ergo dicemus? Audiamus Paulum ad Rom. 9. de ineffabili prædeſtinationis arcano differentem: *nunquid iniquitas eſt apud Deum? Abſit; Moyſi enim dicit, miſerebor, cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor . . . Ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat*, ſive reprobat. Tunc maxime, ut animadvertit Auguſtinus, *judiciorum Dei profunditas adoranda eſt*, & cum eodem Apoſtolo ad Rom. x. exclamandum: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?*

XXIV. Argumentum alterum ex perpetuo Eccleſiarum omnium conſenſu ductum conantur Novatores elidere exemplo primum cujuſdam Judæi, quem Joannes Moſchus prati ſpiritualis Auctor, & Nicephorus Calixtus referunt, morti proximum in ſolitudine, quum vehementi Baptiſmatis deſiderio teneretur, nec aqua occurreret, a ſociis itineris arena humente fuiſſe perfuſum, atque in Trinitatis nomine regeneratum repente convaluiſſe: 2. Siricii, & Stephani III. Romanorum Pontificum reſcripto, qui probaſſe perhibentur, nec iterari juſſiſſe Baptiſma periclitanti infantulo in vino adminiſtratum: 3. Jacobitas præſertim Æthiopes igne ad Baptiſmum uti, tradunt complures Auctores, qui in Oriente verſati gentium illarum res certius reſcire potuerunt; falſo ergo jactatur, fixam adeo univerſim, & ſemper in Eccleſia fuiſſe Dominicam legem de certa Baptiſmi materie, ut neceſſitate urgente immutari illa non poſſit.

XXV. Nihil horum tamen argumenti noſtri vim labefactat. Demus, vera eſſe, quæ memorati Auctores de Judæo tradunt; nihil eſt in tota eorum narratione, quod dogmati huic incommodet. Quid enim ſi itineris comites Judæo Baptiſmi cupido, jamque animam agenti injecta arena ſe ſubvenire poſſe putarunt? Craſſus hic eorum error ex ignorantia, & ſimplicitate profectus inſcite opponitur communi Eccleſiæ doctrinæ, quam non ex paucolorum opinione aut errore, ſed ex Patrum traditione, publicis Eccleſiæ monumentis, & perpetua diſciplina æſtimandam eſſe, ſæpe monuimus. Neque, quod repente Judæus ille convaluit, falſo illi Baptiſmati tribuendum eſt, ſed fidei ejus

in

Digitized by Google

in Chriſtum, & veri Baptiſmi voto, quo permotus Deus illum incolumitati reſtituit, ut rite baptizari poſſet, quod ex utriuſque Scriptoris narratione colligitur; Tradunt enim, Dionyſium Epiſcopum de re in ſolitudine geſta certiorem factum juſſiſſe, Judæum *ad eum modum initiatum inſuper juxta Eccleſiæ traditionem aqua baptizari*. De Sitycii & Stephani III. reſponſis non eſt, cur ſolliciti ſimus, quum momenta haud levia efficiant, ut illa ſpuria, & inſincera eſſe credamus; quis enim animum inducere poſſit, ut credat, utrumque Pontificem ſanctitatis & doctrinæ laude celebrem paradoxum hoc in Eccleſia Dei inauditum extuliſſe? Nulla in Romanis tabularibus, in collectione canonum in probatis Scriptoribus hujus monſtroſi reſcripti mentio, & pauci ii, qui illud exhibent, codices tam varii, diſcrepantesque ſunt, ut merito fraudis, aut vitii ſuſpicionem injiciant.

XXVI. Etſi non ſolum plures e noſtris, Jacobus inprimis Vitriacenſis Cardinalis, Bernardus Luxemburgenſis, Thomas a Jeſu, & Vanslebius, ſed etiam duo e Maronitis haud ſpernendi Scriptores, Joannes Ezronita, & Gabriel Syonita memoratum errorem Jacobitis adſcribant, ſignumque crucis candenti ferro fronti, aut temporibus, aut genis puerorum impreſſum eis baptiſmi loco eſſe, memorent, falli eos tamen, ac Jacobitas im merito erroris hujus reos agere, pluribus demonſtrat Clariſſimus Renaudotius; vigere quidem apud eos hunc morem, ignito ſcilicet ferro puerulos cruce ſignandi, compertum eſt; ceremoniam hanc tamen & ſuperſtitione vacare, nec ab eis Baptiſmi partem haberi, nec ad Baptiſmum ulla ratione referri, probat eximius vir auctoritate tum Ritualium librorum, qui apud Jacobitas ad Baptiſmatis adminiſtrationem in uſu ſunt, tum inſignium in gente illi Scriptorum, qui Sectæ ſuæ ritus, & diſciplinam litteris conſignarunt. Cujus finis gratia mos ille apud Jacobitas indutus fuerit, fuſe exponit Renaudotius, vitioque dat Cardinali Vitriacenſi, quem ſuperius memorati Scriptores ſectati ſunt, quod ſcripſerit, Jacobitas in modum crucis in ambabus genis, ſeu temporibus infantes ſuos conſignare, perverſe putantes eos per ignem materialem expiari, quia in Evangelio ſcriptum eſt, *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*; falſum etenim eſt, eos ad Baptiſma alia materie uti, quam aqua, eamque crucis ignationem ad expirationem infantium adhibere.

XVII. Quum Tridentina Synodus definierit can. 2., *aquam veram & naturalem eſſe de neceſſitate Baptiſmi*, jamque demonſtratum a nobis ſit, ſine ea irritum eſſe Baptiſma, Theologorum nullus eſt, qui non quærat, quæ dicenda ſit vera & naturalis aqua, quæ ſola idonea eſt Sacramenti hujus materies. Quæſtionem hanc art. 4. q. 66. inſtituit & dirimit D. Thomas, cujus doctrinam in Romano Rituali juſſu Gregorii XIII. Romæ edito comprehenſam paucis exhibemus, ut ad graviora, atque difficiliora gradum ſubinde faciamus.

XVIII. Tradit ibi Angelicus, & ex eo Rituale prædictum, materiem hujus Sacramenti eſſe aquam veram, & naturalem, ut fontium, puteorum, maris, fluminum, ſtagnorum, paludum, ciſternarum, & pluvialem, & ſic quamcumque ſimplicem, & puram, quæ propriam aquæ ſpeciem retineat, nec referre, frigida ſit, an calida: non autem eſſe aquam artificialem, ut ex roſis, floribus, herbis, ſeu ſimilibus rebus expreſſam, aut diſtillatam, neque alium quemvis liquorem. Quoniam autem in ſolemni adminiſtratione Baptiſmi aquæ peculiaris benedictio, & conſecratio adhibetur, & etiam certus aqua ad Baptiſmum utendi modus, illam vero inſectantur Novatores, hanc Græci Schiſmatici, utrumque hoc Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput opportunius exponemus, atque tuebimur, quum ad hujus tractatus calcem de Baptiſmi ceremoniis agendum erit. In hujus porro Sacramenti formam non inquirimus, quum pervulgatum ſit, hanc fuiſſe ſemper apud Latinos atque eſſe, *Ego te baptizo in nomine Patris* &c. apud Græcos vero, *baptizetur ſervus Dei* N. *in nomine Patris* &c. ſinumuſque digladiari Theologos, an quandoque in ſolius Chriſti nomine Baptiſma fuerit adminiſtratum, quod nobis videatur hæc quæſtio non ea eſſe, quæ nos ab utilioribus magiſque neceſſariis abſtrahere debeat, de quibus Novatores acerrimam Eccleſiæ litem intentant.

XXIX. His ergo miſſis in D. Thomæ & Tridentini veſtigiis inſiſtentes, a Baptiſmi Evangelici natura, materie, atque forma ad ejus miniſtrum excurrimus, præcipuas difficultates extricaturi, quibus receptiſſimam de hoc capite Eccleſiæ doctri-

ctrinam Novatores oppugnant, ac primo quæ apud omnes in confeſſo ſunt, breviter exponemus. Conferendi ſolemniter Baptiſmatis poteſtatem jure, & officio Epiſcopis divinitus attributam eſſe, extra controverſiam eſt ſcribente Tertulliano antiquiſſimo Eccleſiaſticæ doctrinæ teſte: *Dandi Baptiſmi jus habet Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus*. Jus idem Presbiteris adſerit conſtans Eccleſiæ praxis, in quam oculos intendentes Catechiſmi Concilii Tridentini Auctores hæc habent: *Quod vero Sacerdotes jure ſuo hanc functionem exerceant, ita ut præſente etiam Epiſcopo miniſtrare Baptiſmum poſſint, ex doctrina Patrum, & uſu Eccleſiæ conſtat; quod ſi aliquando Patrec* (Tertullianus ſcilicet in lib. de Baptiſmo, & Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos) *Sacerdotibus ſine Epiſcopi venia jus baptizandi permiſſum non eſſe dixerunt, id de eo Baptiſmo, qui certis anni diebus* (in pervigilio nimirum Paſchatis & Pentecoſtes) *ſolemni ceremonia adminiſtrari conſueverat, intelligendum videtur*. Recentium Theologorum nonnulli idem hoc jus ad Diaconos extendunt, & ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem inter propria eorum munia recenſent; Communior tamen, & vero propior D. Thomæ ſententia eſt, Patrum teſtimoniis, Conciliorum canonibus, & Eccleſiæ praxi ſulta, non ex officio, ſed ex delegatione poſſe illos baptiſma ſolemni ritu adminiſtrare; immo Veterum, & Recentium Theologorum complures ſentiunt, irregularitati obnoxium Diaconum, qui ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem ſibi ſumpſerit abſque delegatione.

XXX. Quis vero extraordinarius Sacramenti hujus miniſter? Quilibet ſive Clericus, ſive Laicus, ſive Fidelis, ſive Infidelis, ſive mas, ſive fœmina, ita tamen ut, ſi neceſſitate urgente Baptiſma privatim adminiſtrandum ſit, ordo ille ſervetur, quem non Romanum Rituale ſolum, ſed & Græcorum diſciplina præſtituit, nimirum ut, ſi adſit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, vir fœminæ, niſi forte pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel niſi melius fœmina ſciret formam, & modum baptizandi. Quid porro ſi extraordinarius quivis miniſter munus hoc extra neceſſitatis articulum ſibi arroget, aut memoratus ordo fuerit interturbatus? Præclare Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani quæſtionem hanc finit, *nulla*, ajens, *cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt, ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt; Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non poteſt dici non datum, quamvis recte dici poſſit illicite datum; illicitam autem uſurpationem corrigit pœnitentis affectus: quod ſi non correxerit, manebit ad pœnam uſurpatoris, quod datum eſt, vel ejus qui illicite dedit, vel ejus qui illicite accepit, non tamen pro non dato habebitur*. Valet ergo, Auguſtino judice, neque iterari poteſt Baptiſma a quolibet cuilibet datum, modo in eo adminiſtrando quæ ad Sacramenti ſubſtantiam pertinent, ſervata fuerint.

XXXI. Adverſus hanc Eccleſiæ doctrinam pugnat non unus error, in cujus refutatione multum operæ a nobis ponendum eſt. Ut antiquiſſimus, ita & notiſſimus eſt illorum error, qui Baptiſmum pro non dato habendum eſſe ſenſerunt, quem dediſſet miniſter hæreſi, aut ſchiſmate a Catholica Eccleſia divulſus. Nullus forte Eccleſiam Chriſti a ſui exordio ad hæc tempora vexavit error, qui adſertores habuerit ſanctitate, doctrina ac dignitate illuſtriores. *Primus* enim *mortalium omnium*, ait in ſuo Commonitorio Vincentius Lirinenſis, *venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, rebaptizandum eſſe cenſuit, habitaque ex pluribus Epiſcopis Synodo ſtatuit, ab Hæreticis ad Eccleſiam venientes novo Baptiſmo tingendos*. Ob incertam Concilii hujus ab Agrippino collecti epocham, & obſcura quædam Tertulliani verba, incompertum eſt, an Agrippinus Tertulliano, an Tertullianus Agrippino in hoc errore præiverit: in eo tamen Tertullianum hæſiſſe, dubitare non ſinunt, quæ ille habet tum in l. de Baptiſmo c. 15. tum in l. de pudicitia c. 19. Hæc quum apud omnes in confeſſo ſint, quid facias Euſebio erroris hujus initia ad Cyprianum referenti, ac lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 3. ſcribenti: *Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Cartaginenſem regebat Eccleſiam, nonniſi per Baptiſmum ab errore prius emundatos, admittendos eſſe cenſuit?* Quum Cyprianus ipſe in epiſtolis ad Stephanum Papam, ad Quintum, & ab Jubajanum Epiſcopos diſerte teſtetur, ſe Agrippini, habitique jam dudum ab eo Concilii ſententiam,

quam appellat ipſe & *religioſam*, *& legitimam*, *& ſalutarem*, *fidei & Eccleſiæ congruentem ſectari*, ne cum Valeſio, & Gerardo Voſſio hallucinatum dicamus Euſebium, illud in mentem revocandum eſt, quod alias non ſemel animadvertimus, cenſeri ſcilicet quempiam alicujus erroris artificem, quod eum & acrius propugnarit, & vulgarit latiſſime, etſi illum non primus excogitarit; quare quum ex Cypriani auctoritate ac doctrina, vehementique hac de re cum Stephano Papa diſſidio, magna errori huic celebritas acceſſerit, inde factum eſt, ut Euſebius ſcripſerit, Cyprianum fuiſſe erroris hujus primum Architectum.

XXXII. Tres de quæſtione hac habuit Carthagine Synodos Vir Sanctiſſimus, & *pari* Collegarum *ſuorum conſenſione decrevit*, *unum baptiſma eſſe*, *quod ſit in Eccleſia Catholica conſtitutum*, *adeoque quoſcumque ab adultera*, *& prophana aqua venientes abluendos eſſe & ſanctificandos ſalutaris aquæ veritate*. Incertum eſt, an eodem tempore, quo quas in Aphrica Synodos habuit Cyprianus, celebratæ ſint in hunc finem Iconienſis & Synadenſis in Aſia: quum de quæſtione hac degladientur Viri de Eccleſiaſtica hiſtoria optime meriti, aliique Synodos Aſiæ Aphricanis coævas, alii tempore ſuperiores fuiſſe contendant, nolumus litem hanc judicio noſtro dirimere. Animadvertimus ſolum, plures Aſiæ Epiſcopos, Firmilianum in primis Ceſareæ in Cappadocia Antiſtitem, Virum doctrina, ac ſanctitate conſpicuum, cujus eſt ad Cyprianum de hoc argumento Epiſtola inter Cyprianicas 75. Cypriano, & Aphricanis Epiſcopis in errore hoc conſenſiſſe. Quum inter erroris hujus Patronos Hieronymus certo numeret S. Dionyſium Alexandrinum Patriarcham, mirari ſatis non poſſumus recentium quorumdam Theologorum fidentiam, qui frivolis argumentis adducti adverſus locupletiſſimum Hieronymi teſtimonium illum ab hac labe purgare nituntur. Quum vero obſcura quædam & ambigua occurrant apud Magnum Athanaſium, Cyrillum Hieroſolymitanum, & Optatum Millevitanum teſtimonia, quæ videntur anabaptiſmo favere, Recentiores quidam Theologi eos Rebaptizantibus accenſent, minus tamen prudenter & ſcite, quum illorum flexiloqua verba Catholicum ſenſum commode ſuſcipere, Viri eximii demonſtrarint. Pronunciari id tamen de magno Baſilio nequit, cujus eſt adeo aperta de collato ab Hæreticis Baptiſmo iterando ſententia, ut nulla poſſit benigna interpretatione emolliri.

XXXIII. Quorſum vero hæc adnotavimus? Ut Tertullianæi effati veritas magis conſtet, *illud ſcilicet verum*, *quod antiquius*, *quod prius*, appareatque novitatem, quantoſcumque habeat ſui adſertores, quibuſcumque præſidiis fulciatur, perperam cum Eccleſiaſticæ conſuetudinis vetuſtate contendere, atque oportere tandem, ut ſponte concidat. Præclare in hanc rem differit Vincentius Lirinenſis: *Sed forte tunc ipſi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt? Immo vero tanta vis ingenii adfuit*, *tanta eloquentiæ flumina*, *tantus aſſertorum numerus*, *tanta divinæ legis oracula*, *ſed plane novo*, *ac malo modo intellecta*, *ut mihi omnis iſta conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur*, *niſi tanti moliminis cauſam ſola ipſa illa ſuſcepta*, *ipſa defenſa*, *ipſa laudata novitatis profeſſio deſtituiſſet* . . . *Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? quis utique*, *niſi uſitatus*, *& ſolitus? retenta ſcilicet eſt antiquitas*, *exploſa novitas*. Hæc Lirinenſis; qui ibidem refert, S. Stephanum Romanæ Sedis Antiſtitem cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitiſſe novitati, omniumque Aphricæ & Aſiæ Epiſcoporum impetum retudiſſe memorando illo decreto, cujus meminerunt Euſebius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique: *Si quis a quacumque hæreſi ad nos venerit*, *nihil innovetur*, *niſi quod traditum eſt*, *ut manus illi imponatur in pœnitentiam*, *quum & ipſi Hæretici alterutrum ad ſe venientes non baptizent*, *ſed communicent tantum*.

XXXIV. Quamquam Cyprianus, Firmilianus, aliique Stephani decreto non acquieverint, immo palam illi reſtiterint, ejuſque Auctorem verbis paulo amarioribus, minuſque honorificis inſectati fuerint, obtinuit tamen, teſte Auguſtino, adſerta a Stephano Eccleſiæ conſuetudo, quæ *ſola opponebatur inducere volentibus novitatem*, *multiſque diſcuſſis ambagibus*, *perſpecta veritate*, *plenario Concilio confirmata eſt*. Quum autem controverſia hæc, quæ tertio, & quarto ſæculo tantas in Eccleſia turbas excivit, habita hactenus univerſim, & conſtanter fuerit inter Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ capita, quibus nihil eſt certius, exploratius, & a quavis dubitatione remotius, cuinam conſilium potuiſſet,

ſet, veritatem hanc facti lippis ipſis & tonſoribus notam, omniumque ſibi ſuccedentium ſæculorum conſenſione firmatam ad *fabulas* amandandi? Id tamen conſilii nuperrime arripuit Raimundus Miſſori Ord. Min., quos *Conventuales* vocant, Theologus, qui ſpiſſo opere probare aggreſſus eſt, conficta eſſe omnia, quæ de hac controverſia feruntur, confictas Cypriani, Firmiliani, & Stephani de hoc argumento epiſtolas, conficta Concilia quæſtionis hujus gratia celebrata, ſolos Donatiſtas figmenti hujus Auctores eſſe, ut Cypriani auctoritate errorem ſuum tutarentur, deceptum a Donatiſtis Euſebium, qui diſceptationem hanc a Donatiſtis excogitatam in ſuam Hiſtoriam derivavit, non abſolute, ſed *hypothetice* ſolum de illa egiſſe Auguſtinum, & conceſſionis figura uſum in id unum incubuiſſe, ut oſtenderet, admiſſa etiam Cypriani aberratione, nihil inde præſidii ad Donatiſtarum errorem accedere.

XXXV. Quibuſnam vero argumentis vulgatiſſimam ac teſtatiſſimam veritatem labefactare ille agreſſus eſt? Nonnullorum duntaxat ſilentio, & frivolis conjecturis, vetuſtiſſimorum codicum fidem, locupletiſſimam Dionyſii Alexandrini Auctoris Synchroni, Euſebii, Baſilii Magni, Hieronymi, Auguſtini, Vincentii Lirinenſis, omniumque ſequioris ævi Hiſtoricorum teſtificationem, nec non firmiſſimam omnium perſuaſionem ſibi viſus eſt poſſe diſiicere, idque obtinere ſaltem, ut præconcepta jamdudum ſententia Eruditi omnes reſilirent, & rem hactenus firmiſſime creditam in dubitationem vocarent. Verum quotquot receptiſſimas Hiſtoriæ leges, & ſeverioris Criticæ regulas tenent, tantum abfuit, ut momentis ejuſmodi a vetuſtiſſima perſuaſione receſſerint, ut potius in ea firmati ſint magis, nimiamque hominis præfidentiam ægre tulerint, qui paradoxum immane adeo, & inauditum ſibi viſus eſt poſſe ſapientibus perſuadere, momentiſque arundineis inconcuſſum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ caput oppugnans, imprudenter egit, ut nihil jam in hiſtoria humana ſit firmum, immo, ſi ratiocinandi methodum ab eo uſurpatam ſectari fas ſit, nutent, oporteat, plura Catholicæ Eccleſiæ dogmata, quæ certis hiſtoriæ capitibus fulciuntur. Id non Catholicis ſolum, ſed & Novatoribus animadverſum eſt, qui in Actis eruditorum Lipſiæ an. 1736. poſt collatas in Miſſorium laudes, hæc habent: „ Dubitavimus vero, an „ Auctor applicationes regularum ſuarum „ ſit admiſſurus, ſimul ac Proteſtantes „ iiſdem uterentur in dijudicandis factis „ ab Eccleſia Romana probatis.“

XXXVI. Inconſulto itaque Scriptore miſſo, quem Antonius Sbaralea ejuſdem Inſtituti Theologus ſtrenue refutavit, exploratæ rei loco ponimus, Cyprianum, & Firmilianum in ea fuiſſe opinione, quam S. Stephanus Papa traditionis, & Eccleſiaſticæ conſuetudinis tenaciſſimus invicte refellit; neque inſtituti noſtri eſt, tot illas quæſtiones proſequi, in quibus Recentiores quidam hoc loco calamo multum indulgent, nimirum an Cyprianus, & Firmilianus opinionem ſuam dogmatis fidei loco, & gradu habuerint, an inter diſciplinæ capita recenſuerint, an uterque in errore ſuo ad mortem uſque perſtiterit, an vero illum exuerit, an fuerint ambo a Stephano anathemate hac de cauſa ab Eccleſiæ communione præciſi, an vero Stephanus iis anathema duntaxat interminatus ſit, an, quod tales tantique Epiſcopi Stephani decreto reſtiterint, illudque erroris inſimularint, argumento ſit, non eſſe Romanum Pontificem in rebus fidei morumque finiendis ab errore immunem, an Stephanus collatum a quibuſcumque Hæreticis Baptiſma decreto ſuo probarit, ratumque habendum eſſe ſanxerit etiam Baptiſma verbis Evangelicis non conſecratum, quodnam ſit plenarium Concilium illud, in quo ſcribit Auguſtinus, veritatem hanc fuiſſe eliquatam omni ambage ſublata, primum ne Arelatenſe an. 314. in Galliis celebratum, an vero Nicænum primum, poſtremo, an plenario hoc in Concilio ita fuerit eliquata veritas, ut mox rebaptizantes omnes errorem ſuum poſuerint, & in veritatem jam declaratam omnes conſenſerint.

XXXVII. Quum harum quæſtionum aliæ ad Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Tractatores ſpectent, aliæ eorum ſint, quibus de Romani Pontificis inerrantia agendum incumbit, nonnullæ implexæ ſint adeo & obſcuræ, ut tot Eruditorum lucubrationibus perduci ad liquidum hactenus non potuerint, ſatis nobis fuerit, pauca hæc delibaſſe; noſtrum etenim vere eſt errorem hunc Eccleſiæ Catholicæ diu multumque infeſtum pro virili convellere. Exceperunt illum quidem, & mordicus reti-

retinuerunt Donatiſtæ & Ariani : verum funditus ſæculo ſexto deletis his ſectis, concidit & error iſte, non Eccleſiaſticis ſolum, ſed & Cæſaris legibus ſæpe protritus, jacuiſſetque ille perpetua oblivione obrutus, niſi ſæculo ſextodecimo revocaſſent illum ab inferis, lateque per Germaniam, & Helvetiorum partes vulgaſſent Anabaptiſtæ e Lutheri grege prognati. Adverſus errorem hunc ab his Septentrionis peſtibus ſuſcitatum anathema intorſit Tridentina Synodus can. 4. *Si quis dixerit, baptiſmum qui etiam datur ab Hæretiris in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cum intentione fariendi, quod farit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, antahema ſit*. Ut in configendo errore hoc Occidentali Eccleſiæ Orientalis ſæculo quarto conſenſit, ita eundem ab Anabaptiſtis recoctum Græci poſt Latinos anathemate perculerunt; eſt enim geminus Tridentino quintusdecimus Doſithei Hieroſolymitani Patriarchæ canon adverſus Joannem Caryophilum : *Si quis dixerit, Baptiſmum Ortodoxorum, aut etiam ab Hæreticis adminiſtratum in nomine Patris &c. rum intentione faciendi, quod facit Ecrleſia, verum non eſſe, anathema ſit. Inter Hæretiros ad Ecrleſiam Catholiram redeuntes, quidam a veris Atheis non differentes rebaptizantur : alii ſolam recipiant divini Chriſmatis Unctionem : Neque baptizantur vero, neque Chiſmate unguntur nonnulli, qui reripiuntur fidem Eccleſiæ Catholicæ confitentes. Si quis ergo dixerit, Hæretirorum baptiſma ſordes eſſe, eoſque qui ad Ecrleſiam redeunt, rebaptizandos, anathema ſit, quippe docet quidpiam doctrinæ Sanctorum Patrum, & ſeptimo canoni ſerundi Generalis Concilii contrarium*. Hanc itaque veritatem Orientis, & Occidentis conſenſu fultam hac propoſitione ſuſcipimus demonſtrandam.

PROPOSITIO II.

Ratum eſt baptiſma ab Hæretico vel Schiſmatiro ritu Evangelico adminiſtratum.

I. Quamvis hujus rei, ait præclare Auguſtinus lib. 1. adverſus Creſconium Donatiſtam, *certum de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod univerſæ jam plaruit Ecrleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas*. Hæc ſcribens Auguſtinus digitum intendebat ad plenarium Concilium, in quo adunata Eccleſia, quam Paulus *rolumnam & firmamentum veritatis* appellat, omnem de controverſia hac dubitationem jam ſuo judicio ſuſtulerat, cujus judicii auctoritati divino ipſo verbo commendatæ refragari abſque ſacrilegio Donatiſtas non poſſe, probat Auguſtinus, tum quod Chriſtus Eccleſiam *audiendam* edixerit, tum quod Cyprianus ipſe, cujus auctoritate ii plurimum abutebantur, univerſæ *Ecrleſiæ ſine dubio reſſiſſet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium fuiſſet*; Si enim Cyprianus Petrum laudat, & prædicat *ab uno poſteriore Collega patienter concorditerque rorrectum, quanto citius ipſe rum Provinciæ ſuæ Conrilio univerſi orbis auctoritati, patefacta veritate, ceſſiſſet?* Niſi ergo quis univerſam Eccleſiam, quæ ſæculo quarto Baptiſma ab Hæreticis vel Schiſmaricis Evangelico ritu collatum valere, neque iterari poſſe decrevit, a ſpiritu veritatis deſertam in errorem graviſſimum impegiſſe, ideoque funditus tunc interiiſſe velit, repugnare jam veritati nequit, quæ, ut ait Auguſtinus, *univerſæ Ecrleſiæ concordiſſima auctoritate firmata eſt*, quamque ut deſinente ſæculo quarto ſcribebat S. Siricius Papa, *totus Oriens, Occidenſque cuſtodit*.

II. Huic adfine eſt momentum alterum, quod ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine petebant Sancti Stephanus Papa, Hieronymus, Auguſtinus, & Vincentius Lirinenſis, cujus conſuetudinis quanta ſit auctoritas, docuit Paulus 1. ad Cor. XI. : *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem ronſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*; quæſtionem etenim, quam ibi verſabat, quamque jam ductis e Scriptura, & naturali ratione argumentis tranſegerat, dirimit tandem abſolvitque Eccleſiæ conſuetudine, eaque omnem ſuſtulit contentionem, ex quo Pauli effato alteram hanc inſtituimus demonſtrationem: Nullus eſt legum Chriſti ſanior Interpres, quam perpetua Eccleſiæ conſuetudo; ſi quid enim Eccleſia ſemper in uſu habuit, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur, ajebat Auguſtinus, conſuetudinem autem non rebaptizan-

zandi eos, qui ab Hæreticis rite baptizati fuerant, jam dudum in Eccleſia obtinuiſſe, Cyprianus ipſe confeſſus eſt ajens, illam *per Agrippinum Prædeceſſorem ſuum quaſi cæpiſſe corrigi*, ſeu potius, ut Auguſtinus ſcite adnotat, *cæpiſſe corrumpi*, atque, ut Hieronymus ſcribit in Dialogo adverſus Luciferianos, *ſi negandum quiſpiam putaverit, Hæreticos a majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos abſque novo baptiſmo ſcilicet, legat B. Cypriani epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem*, cujus conſuetudinis initia, quum in nullo Concilio occurrant, ad Apoſtolos, & ad Chriſtum ipſum ſecundum Auguſtini regulam referenda ſunt: contentioſi itaque ſunt, & latam a Chriſto de Baptiſmate legem perverſe interpretantur, quotquot illud ab Hæreticis evangelico ritu adminiſtratum iterandum eſſe pronunciant, quum Eccleſia Dei nunquam talem habuerit conſuetudinem.

III. Plures Auguſtini libri, quos de hoc argumento edidit, exſcribendi forent, ſi omnia, quibus ille errorem hunc inſectatus eſt, momenta vellemus adferre. Præter ea quæ in tractatu de Sacramentis in genere de miniſtri probitate agentes breviter complexi ſumus, quæque huc aptiſſime referri poſſunt, nonnulla ſummatim ex eodem Auguſtino delibamus, quæ conficiendæ rei ſatis ſuperque ſunt. Primum, quod ex Auguſtino promptum unice verſat Angelicus hoc eſt: „ Quum ſolus „ Chriſtus ſit, qui baptizat in Spiritu Sancto, miniſter inſtrumentarie ſolum operatur, non propria, ſed Chriſti virtute „ agens; ſed recta fides, ſicut & charitas „ ad propriam miniſtri virtutem pertinent; „ ſicut ergo Sacramenti perfectio miniſtri „ charitatem neceſſario non exigit, ita „ nec rectam ejus fidem, ideoque ut peccator, ita & infidelis verum baptiſma „ conferre poteſt, modo adſint cætera, quæ „ ad ejus perfectionem neceſſario requiruntur, quia, ut ait Auguſtinus, baptiſmus non eſt ipſorum, ſed Chriſti, „ nec ipſi ſunt, qui baptizant, ſed Chriſtus. “ Hinc Cyprianum ejuſque in errore ſocios, quibus ratum erat Baptiſma ab improbo, non ab infideli miniſtro collatum, hoc quod ad hominem vocant, argumento perſtringit Auguſtinus: *Baptizant malevoli*, & *invidi*, *ſicut concedit ipſe Cyprianus: ſic ergo poſſunt etiam Hæretici baptizare, quia Baptiſmus Sacramentum Chriſti eſt, invidia vero, & hæreſis opera diaboli, quæ quiſquis habuerit, non hinc efficit, ut ſi habeat Sacramentum Chriſti, ipſum etiam numeretur inter opera diaboli*. Poſtremo veteres, ac recentes Anabaptiſtæ altero hoc Auguſtini argumento percelluntur: Idem eſt Chriſti nomen, ſive a probo & fideli, ſive a ſacrilego & infideli prolatum fuerit: ubique integra eſt Scriptura Evangelii, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur: idem ergo eſt Baptiſma ſive apud Catholicos, ſive apud Hæreticos, neque horum infidelitate contaminatur, quia ſicut illud nomen eſt Jeſu Chriſti, Scriptura verbum Dei, non hominum, ita & iſte Baptiſmus eſt Jeſu Chriſti.

IV. Momentum ex plenarii Concilii definitione conflatum impeti hoc argumento poteſt. Si ea eſt Eccleſiæ in plenario Concilio collectæ auctoritas, ut illi omnes acquieſcere neceſſe ſit, qui factum eſt, ut celeberrimi quarti ſæculi Patres Athanaſius, Baſilius Magnus, & Epiphanius illi non acquieverint? Ut enim certum eſt, illos plenario Concilio, quod tantopere commendat Auguſtinus, poſteriores fuiſſe, ita explorata res eſt, eos aliam a Concilii hujus definitione ſententiam retinuiſſe: Athanaſium quidem, qui orat. 2. Arianorum Baptiſma rejecit een vacuum & inutile, etſi eſſet illud verbis evangelicis conſecratum, Baſilium vero, qui in epiſt. ad Amphilochium Hæreticos omnes rebaptizandos eſſe, diſerte docuit, poſtremum denique, qui in expoſitione Catholicæ fidei ſcribit, controverſiam hanc *nullius Synodi judicio fuiſſe finitam*. Verum jam adnotavimus, minus æquos in Magnum Athanaſium eſſe Recentiores illos, qui tantum Doctorem rebaptizantibus annumerant; vacuum, & inutilem Arianorum Baptiſmum pronunciat, quod *in eo inſit quidem Religionis ſimulatio, ſed revera nihil ad pietatem queat conferre*, quibus plane ſignificavit, ſe non de Sacramenti veritate, ſed de ſalutari effectu, gratia nempe, loqui, qua certe non donabantur ii, qui ab Arianis Baptiſma petentes cum iis ſocietatem erroris inibant, quibus *inutilis erat aqua, quippe cui deerat pietas*, aſperſique ab iis, quorum errori conſentiebant, *impietate fædabantur potius, quam redimebantur*. Mentem ejus apertius ducimus ex Epiſt. ad Rufinianum, in qua de recipiendis agens, quos

retinuerunt Donatiſtæ & Ariani : verum funditus ſæculo ſexto deletis his ſectis, concidit & error iſte, non Eccleſiaſticis ſolum, ſed & Cæſaris legibus ſæpe protritus, jacuiſſetque ille perpetua oblivione obrutus, niſi ſæculo ſextodecimo revocaſſent illum ab inferis, lateque per Germaniam, & Helvetiorum partes vulgaſſent Anabaptiſtæ e Lutheri grege prognati. Adverſus errorem hunc ab his Septentrionis peſtibus ſuſcitatum anathema intorſit Tridentina Synodus can. 4. *Si quis dixerit, baptiſmum qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum baptiſmum, antahema ſit*. Ut in configendo errore hoc Occidentali Eccleſiæ Orientalis ſæculo quarto conſenſit, ita eundem ab Anabaptiſtis recoctum Græci poſt Latinos anathemate perculerunt; eſt enim geminus Tridentino quintusdecimus Doſithei Hieroſolymitani Patriarchæ canon adverſus Joannem Caryophilum : *Si quis dixerit, Baptiſmum Ortodoxorum, aut etiam ab Hæreticis adminiſtratum in nomine Patris &c. cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, verum non eſſe, anathema ſit. Inter Hæreticos ad Eccleſiam Catholicam redeuntes, quidam a veris Atheis non differentes rebaptizantur : alii ſolam recipiant divini Chriſmatis Unctionem : Neque baptizantur vero, neque Chriſmate unguntur nonnulli, qui recipiuntur fidem Eccleſiæ Catholicæ confitentes. Si quis ergo dixerit, Hæreticorum baptiſma ſordes eſſe, eoſque qui ad Eccleſiam redeunt, rebaptizandos, anathema ſit, quippe docet quidpiam doctrinæ Sanctorum Patrum, & ſeptimo canoni ſecundi Generalis Concilii contrarium*. Hanc itaque veritatem Orientis, & Occidentis conſenſu fultam hac propoſitione ſuſcipimus demonſtrandam.

PROPOSITIO II.

Ratum eſt baptiſma ab Hæretico vel Schiſmatico ritu Evangelico adminiſtratum.

I. Quamvis *hujus rei*, ait præclare Auguſtinus lib. 1. adverſus Creſconium Donatiſtam, *certum de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, quum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat auctoritas*. Hæc ſcribens Auguſtinus digitum intendebat ad plenarium Concilium, in quo adunata Eccleſia, quam Paulus *columnam & firmamentum veritatis* appellat, omnem de controverſia hac dubitationem jam ſuo judicio ſuſtulerat, cujus judicii auctoritati divino ipſo verbo commendatæ refragari abſque ſacrilegio Donatiſtas non poſſe, probat Auguſtinus, tum quod Chriſtus Eccleſiam *audiendam* edixerit, tum quod Cyprianus ipſe, cujus auctoritate ii plurimum abutebantur, univerſæ *Eccleſiæ ſine dubio ceſſiſſet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium fuiſſet*; Si enim Cyprianus Petrum laudat, & prædicat *ab uno poſteriore Collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Provinciæ ſuæ Concilio univerſi orbis auctoritati, patefacta veritate, ceſſiſſet?* Niſi ergo quis univerſam Eccleſiam, quæ ſæculo quarto Baptiſma ab Hæreticis vel Schiſmaticis Evangelico ritu collatum valere, neque iterari poſſe decrevit, a ſpiritu veritatis deſertam in errorem graviſſimum impegiſſe, ideoque funditus tunc interiiſſe velit, repugnare jam veritati nequit, quæ, ut ait Auguſtinus, *univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmata eſt*, quamque ut deſinente ſæculo quarto ſcribebat S. Siricius Papa, *totus Oriens, Occidenſque cuſtodit*.

II. Huic adfine eſt momentum alterum, quod ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine petebant Sancti Stephanus Papa, Hieronymus, Auguſtinus, & Vincentius Lirinenſis, cujus conſuetudinis quanta ſit auctoritas, docuit Paulus 1. ad Cor. XI. : *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*; quæſtionem etenim, quam ibi verſabat, quamque jam ductis e Scriptura, & naturali ratione argumentis tranſegerat, dirimit tandem abſolvitque Eccleſiæ conſuetudine, eaque omnem ſuſtulit contentionem, ex quo Pauli effato alteram hanc inſtituimus demonſtrationem: Nullus eſt legum Chriſti ſanior Interpres, quam perpetua Eccleſiæ conſuetudo; ſi quid enim Eccleſia ſemper in uſu habuit, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur, ajebat Auguſtinus, conſuetudinem autem non rebapti-

zan-

zandi eos, qui ab Hæreticis rite baptizati fuerant, jam dudum in Eccleſia obtinuiſſe, Cyprianus ipſe confeſſus eſt ajens, illam *per Agrippinum Prædeceſſorem ſuum quaſi cæpiſſe corrigi*, ſeu potius, ut Auguſtinus ſcite adnotat, *cæpiſſe corrumpi*, atque, ut Hieronymus ſcribit in Dialogo adverſus Luciferianos, *ſi negandum quiſpiam putaverit, Hæreticos a majoribus noſtris ſemper fuiſſe ſuſceptos abſque* [novo *baptiſmo ſcilicet*, *legat B. Cypriani epiſtolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Epiſcopum, & inveteratæ conſuetudinis lacerat errorem*, cujus conſuetudinis initia, quum in nullo Concilio occurrant, ad Apoſtolos, & ad Chriſtum ipſum ſecundum Auguſtini regulam referenda ſunt: contentioſi itaque ſunt, & latam a Chriſto de Baptiſmate legem perverſe interpretantur, quotquot illud ab Hæreticis evangelico ritu adminiſtratum iterandum eſſe pronunciant, quum Eccleſia Dei nunquam talem habuerit conſuetudinem.

III. Plures Auguſtini libri, quos de hoc argumento edidit, exſcribendi forent, ſi omnia, quibus ille errorem hunc inſectatus eſt, momenta vellemus adferre. Præter ea quæ in tractatu de Sacramentis in genere de miniſtri improbitate agentes breviter complexi ſumus, quæque huc aptiſſime referri poſſunt, nonnulla ſummatim ex eodem Auguſtino delibamus, quæ conficiendæ rei ſatis ſuperque ſunt. Primum, quod ex Auguſtino promptum unice vertat Angelicus hoc eſt: „ Quum ſolus „ Chriſtus ſit, qui baptizat in Spiritu Sancto, miniſter inſtrumentarie ſolum operatur, non propria, ſed Chriſti virtute „ agens; ſed recta fides, ſicut & charitas „ ad propriam miniſtri virtutem pertinent; „ ſicut ergo Sacramenti perfectio miniſtri „ charitatem neceſſario non exigit, ita „ nec rectam ejus fidem, ideoque ut peccator, ita & infidelis verum baptiſma „ conferre poteſt, modo adſint cætera, quæ „ ad ejus perfectionem neceſſario requiruntur, quia, ut ait Auguſtinus, baptiſmus non eſt ipſorum, ſed Chriſti, „ nec ipſi ſunt, qui baptizant, ſed Chriſtus. “ Hinc Cyprianum ejuſque in errore ſocios, quibus ratum erat Baptiſma ab improbo, non ab infideli miniſtro collatum, hoc quod ad hominem vocant, argumento perſtringit Auguſtinus: *Baptizant malevoli*, & *invidi*, *ſicut concedit ipſe Cyprianus: ſic ergo poſſunt etiam Hæretici baptizare, quia Baptiſmus Sacramentum Chriſti eſt, invidia vero, & hæreſis opera diaboli, quæ quiſquis habuerit, non hinc efficit, ut ſi habeat Sacramentum Chriſti, ipſum etiam numeretur inter opera diaboli*. Poſtremo veteres, ac recentes Anabaptiſtæ altero hoc Auguſtini argumento percelluntur: Idem eſt Chriſti nomen, ſive a probo & fideli, ſive a ſacrilego & infideli prolatum fuerit: ubique integra eſt Scriptura Evangelii, etiamſi innumerabili falſarum opinionum varietate aſſeratur: idem ergo eſt Baptiſma ſive apud Catholicos, ſive apud Hæreticos, neque horum infidelitate contaminatur, quia ſicut illud nomen eſt Jeſu Chriſti, Scriptura verbum Dei, non hominum, ita & iſte Baptiſmus eſt Jeſu Chriſti.

IV. Momentum ex plenarii Concilii definitione conflatum impeti hoc argumento poteſt. Si ea eſt Eccleſiæ in plenario Concilio collectæ auctoritas, ut illi omnes acquieſcere neceſſe ſit, qui factum eſt, ut celeberrimi quarti ſæculi Patres Athanaſius, Baſilius Magnus, & Epiphanius illi non acquieverint? Ut enim certum eſt, illos plenario Concilio, quod tantopere commendat Auguſtinus, poſteriores fuiſſe, ita explorata res eſt, eos aliam a Concilii hujus definitione ſententiam retinuiſſe: Athanaſium quidem, qui orat. 2. Arianorum Baptiſma rejecit ceu vacuum & inutile, etſi eſſet illud verbis evangelicis conſecratum, Baſilium vero, qui in epiſt. ad Amphilochium Hæreticos omnes rebaptizandos eſſe, diſerte docuit, poſtremum denique, qui in expoſitione Catholicæ fidei ſcribit, controverſiam hanc *nullius Synodi judicio fuiſſe finitam*. Verum jam adnotavimus, minus æquos in Magnum Athanaſium eſſe Recentiores illos, qui tantum Doctorem rebaptizantibus annumerant; vacuum, & inutilem Arianorum Baptiſmum pronunciat, quod *in eo inſit quidem Religionis ſimulatio, ſed revera nihil ad pietatem queat conferre*, quibus plane ſignificavit, ſe non de Sacramenti veritate, ſed de ſalutari effectu, gratia nempe, loqui, qua certe non donabantur ii, qui ab Arianis Baptiſma petentes cum iis ſocietatem erroris inibant, quibus *inutilis erat aqua, quippe cui deerat pietas*, aſperſique ab iis, quorum errori conſentiebant, *impietate fœdabantur potius, quam redimebantur*. Mentem ejus apertius ducimus ex Epiſt. ad Rufinianum, in qua de recipiendis agens, quos

diſſolvantur, recolenda perpetuo ſunt, quæ quos Ariani Baptiſmo tinxerant, ſolius pœnitentiæ, ac manuum impoſitionis, juxta Nicænum Canonem, meminit, non Rebaptiſmi.

V. Quum a veri ſpecie procul abſit, quod nonnulli reponunt, ignoraſſe ſcilicet Baſilium canones plenarii Concilii, quibus controverſia hæc, teſte Auguſtino, eliquata, atque finita eſt, quid facias tanto Viro, quem plane conſtat, etiam poſt Nicæni ſanctionem pro Anabaptiſmo ſtetiſſe? Sed in Nicænam Synodum ſe non peccare, bona fide putavit homo Sanctiſſimus, quod canonem ab eo editum, exiſtimarit, non eſſe fixam dogmatis regulam, ad quam omnes fidem ſuam exigere, neceſſe foret, ſed merum diſciplinæ caput, quod variæ regionum conſuetudini non officeret. Habuiſſe illum quæſtionem hanc ſolius æconomicæ diſpenſationis, ac diſciplinæ loco, aperte patet ex iis, quæ in eadem epiſtola diſerte habet; canone etenim primo ait: *Quoniam nonnullis Aſiaticis omnino viſum eſt propter multorum æconomiam, & diſpenſationem*, eorum nempe Hæreticorum, *Baptiſma ſuſcipi &c.* can. autem 47. inquit, *ſi autem prohibita eſt apud nos hæc rebaptizatio, ſicut & a Romanis, alicujus æconomiæ gratia &c.* Nicænum ergo & Arelatenſe iterandi Hæreticorum Baptiſmatis interdictum alicujus æconomiæ gratia latum exiſtimans, quid mirum, ſi ob inveterata, quam Firmilianus Deceſſor ſuus induxerat, Provinciæ, ſuæ conſuetudine non receſſerit? Idem Epiphanio viſum eſſe, opinatur Clariſſimus Notiſius, alii tamen ſentiunt, eo loci agere Epiphanium de ſolis Arianis, a quibus adminiſtratum Baptiſma iterandum eſſe, *nullius Synodi judicio* decretum eſt, quoniam Arianos ea ætate evangelicam Baptiſmi formam violaſſe, non conſtat.

VI. Alterum momentum ex Eccleſiæ conſuetudine ductum infirmare Adverſarii hoc argumento nituntur. Quum Cyprianus in epiſt. ad Jubajanum ſcribat, *multos jam annos eſſe, & longam ætatem, ex quo convenientes in unum Epiſcopi plurimi ſtatuerant, eos baptizandos, qui ab Hæreticis ad Eccleſiam veniunt*, perperam tot Epiſcoporum Apoſtolicæ conſuetudinis vetuſtas opponitur; quis enim credat, tot inſignes pietate Epiſcopos auſos eſſe a conſuetudine, quam ab Apoſtolis derivatam fuiſſe, noviſſent, certo judicio deſciſcere? Quid quod Firmilianus cum Orientalibus vigentem in Oriente conſuetudinem novo Hæreticos Baptiſmo abluendi, a Chriſto & ab Apoſtolis repetit, ſcribens ad Cyprianum, *hoc ſe ab initio tenere, quod a Chriſto, & ab Apoſtolis traditum eſt, nec meminiſſe ſe hoc in Oriente aliquando cœpiſſe, quum ſemper illic obſervatum eſſet, ut nonniſi una Dei Eccleſia noſceretur, & ſanctum Baptiſma nonniſi ſanctæ Eccleſiæ computaretur?* Jure autem Apoſtolicam hanc traditionem Firmilianus cum Orientalibus jactabat, quum canone inter Apoſtolicos 45. cautum ſit, *deponendum Epiſcopum vel Presbyterum, qui Hæreticorum Baptiſmum vel ſacrificium admiſerit*, can. vero 46. *deponendum Epiſcopum, vel Presbyterum, ſi eum, qui vere habet Baptiſmum, de integro baptizaverit, vel ſi eum, qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit.*

VII. Non eſt tamen, cur his moveamur: Inconcuſſa facti veritas eſt, conſuetudinem quam Agrippinus omnium mortalium primus non corrigere, ſed corrumpere cœpit, ætatem ejus plurimum antevertiſſe, cujus quum in nullo Concilio inſtitutio deprehendatur, repetenda illa eſt ab Apoſtolis juxta certiſſimam Auguſtini regulam; quod vero conſuetudinis hujus correctionem, ſeu verius corruptionem *ante annos multos, & longam ætatem Epiſcopi plurimis* Cyprianus adſcribit, oratoria auxeſis eſt hominis cauſæ ſuæ plus æquo ſtudentis; inter illud enim Aggripini Concilium, & Cypriani ad Jubajanum epiſtolæ epocham, in qua S. Martyr *multos hos annos, & longam ætatem* exaggerat, anni vix quadraginta interceſſerant; quare Auguſtinus ad rectam temporum ſeriem cauſam hanc revocans ſcribit, Cyprianum, quum hujus conſuetudinis mutandæ auctoritatem, quam ſequeretur, quæreret, nonniſi *in Africa ſola factum paucis ante ſe annis Agrippini Concilium reperiſſe*. Ut autem recens erat hoc Agrippini Concilium, ita nec fuit illud ex *Epiſcopis plurimis* adunatum; præterquamquod enim non niſi ex ſolis Aphricæ Epiſcopis coaluit, omnes ad illud Aphricæ Epiſcopos confluxiſſe, quis credet, quum neque id pateretur Eccleſiæ tunc temporis perſecutionibus divexatæ conditio, neque latum de rebaptizandis Hæreticis in eo Concilio decretum in Aphrica tota obtinuerit, & ipſa, quæ fervente plurimum hac controverſia Cyprianus poſtmodum habuit, Concilia non admodum

dum

dum numeroſa, argumento ſint, Agrippini Concilium certe ex Epiſcopis plurimis non fuiſſe conflatum?

VIII. Quotcumque vero fuerint Epiſcopi, qui in unum cum Agrippino convenientes a conſuetudine hac deſciverunt, reponimus, quæ Creſconio Donatiſtæ Cypriani auctoritatem & ſcripta opponenti repoſuit Auguſtinus: *ea libertate, ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri, cujus laudem aſſequi non valeo, hoc, quod aliter ſapuit, non accipio, non accipio, inquam, quod de baptizandis Hæreticis, & Schiſmaticis B. Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit;* erravit etenim illæ poſt Agrippinum, ejuſque Concilium, quod conſuetudinem, quam omnium primus refixerat Agrippinus, exiſtimaret, non Apoſtolicam, ſed *humanam traditionem* eſſe, *pravam & falſam*, vetuſtate quidem fretam, tamen a veritate deſertam. Idem de Firmiliano, eique aſſentientibus Orientalibus pronunciamus, qui Chriſti Apoſtolorumque traditionem de iterum tingendis iis, quorum non fuiſſet Baptiſma verbis Evangelicis conſecratum, ad quodcumque Baptiſma extra Eccleſiam, licet rite adminiſtratum, perperam extendentes, in Synodis Iconienſi & Synnadenſi redeuntes a qualibet hæreſi novo Baptiſmo abluendos eſſe ſanxerunt. Quum autem neque Cyprianus, neque Firmilianus, neque veterum Anabaptiſtarum ullus, licet in arceſſenda undique erroris ſui momenta intenti, memoratos Apoſtolicos canones ne innuerint quidem, unum id argumento eſſe poteſt, canones hos tertio ſæculo poſteriores eſſe, & falſo Apoſtolicos jactitari. Inter Eruditos jam convenit, quod & Clariſſimus Beveregius locupletiſſime demonſtravit, canones vulgo Apoſtolicos e trium priorum ſæculorum Conciliis fuiſſe decerptos, atque in unum corpus ab ignoto quodam Collectore compactos, eos iccirco, qui Rebaptiſmum adſtruunt, e Synodis Iconienſi, & Synnadenſi depromptos.

IX. Quibusnam vero momentis Cyprianus, ejuſque aſſeclæ conſuetudinem, quam fatebantur *vetuſtate robuſtam*, diſiicere aggreſſi ſunt? *Quum dixerit Chriſtus in Evangelio*, ajebant illi, *ego ſum veritas, non, ego ſum conſuetudo, veritate manifeſtata cedat conſuetudo veritati . . . nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt:* eam porro conſuetudinem cum veritate pugnare, videbantur ſibi plane conficere, & pluribus Scripturarum oraculis & naturali ipſa ratione. Præter ea divini eloquii teſtimonia, quæ de miniſtri probitate agentes jam diluimus, alia plura Cyprianus in ſuis de hoc argumento epiſtolis undequaque corroſerat, ea nimirum, quibus docemur, *immunda omnia eſſe, quæ tangit immundus, non audiri peccatores a Deo, vitandos Hæreticos eſſe, neque jugum ducendum cum infidelibus, nullam eſſe conventionem Chriſti cum Belial, unum eſſe Baptiſma, & unam fidem*; verum iccirco Baptiſma ibi non eſſe, ubi vera fides non eſt, ſolam Eccleſiam *Chriſti ſponſam* eſſe, ideoque ex ea ſola filios Dei naſci poſſe, in ſola Eccleſia fontem aquæ vitalis eſſe, extra eam vero *aquam adulteram & mendacem*, non recipiendos Hæreticos, nec *eis dicendum Ave &c.* Multa quoque in epiſtola præſertim ad Jubajanum e ratione petita Rhetor diſertiſſimus exaggerabat, patrocinari ſcilicet hæreſi & ſchiſmati eos, qui collatum extra Eccleſiam Baptiſma probant, quaſi vero apud eos Chriſti Eccleſia ſit, apud quos vera eſſe Chriſti Sacramenta putantur, non poſſe Hæreticos Chriſti miniſtros eſſe, quum Eccleſiæ membra non ſint, non poſſe Spiritum Sanctum dare, quo ipſi carent, irrita eſſe eorum Sacramenta, quum jure careant ea adminiſtrandi, vanum extra Eccleſiam eſſe Baptiſma aquæ, ut extra eam Baptiſma ſanguinis, ſive martyrium nihil prodeſt.

X. *Etſi autem novitiæ huic adinventioni*, Vincentii Lirinenſis verba iterum uſurpamus, *tam rara vis ingenii adfuerit, tanta eloquentiæ flumina, tanta veri ſimilitudo, tanta divinæ legis oracula . . . quæ horum omnium vires? Donante Deo, nullæ: ſed univerſa tamquam ſomnia, tamquam ſuperflua abolita, antiquata, & calcata ſunt.* Multa quidem collegerat Cyprianus utriuſque fœderis oracula, ſed plane novo, & malo more intellecta, quod Auguſtinus in ſuis adverſus Donatiſtas libris luculentiſſime demonſtravit, animadvertens, Cyprianum Sacramentum, & Sacramenti rem minus ſcite confudiſſe, neque *perceptionem Sacramenti* inter, & vitæ *ſanctificationem* internoviſſe, pleraque illam, quæ vel e Scripturis, vel e ratione urgebat, ab ipſo ſolvenda eſſe, qui iniquorum Baptiſma probabat; quare Auguſtinus omnia ferme in Cyprianum ipſum acute retorquet. Ut autem Sanctiſſimi Martyris objecta facilius diſſol-

diſſolvantur, recolenda perpetuo ſunt, quæ ſuperius non ſemel adſtruximus, Baptiſma ſcilicet rite collatum non miniſtrantium eſſe, ſed Chriſti, homines in eo adminiſtrando merum inſtrumentum agere, Chriſtum autem eſſe, qui *in Spiritu Sancto baptizat*, inſtrumentum non propria, ſed principis cauſæ virtute operari, effectum vero non inſtrumentariæ, ſed præcipuæ cauſæ conditionem ſequi, & ſimilitudinem accipere, niſi quidquam impediat. Hoc conſulto duximus adnotandum, quoniam, ut egregie ait D. Thomas, quod Hæretici Sacramentum quidem conferant, non vero Sacramenti rem, ſive gratiam, ex malitia ſuſcipientium eſt, qui ſcienter ab eis extra neceſſitatis articulum Sacramenta petentes illis in errore conſentiunt; ipſique ſibi impedimento ſunt, ne rem Sacramenti percipiant, ſeu ut jam diximus, *pernicioſe tradit Baptiſmum, non quia talis tradit, ſed quia tali tradit*.

XI. His prælibatis, ſingula facillime diluuntur, ſi opus Chriſti a miniſtri opere ſecernamus. Immundos eſſe fatemur Hæreticos ac Schiſmaticos, quæque propria eorum ſunt, opera immunda eſſe, negamus tamen, contaminari ab eis ita poſſe Baptiſma, ut irritum ſit, etſi fuerit verbis evangelicis conſecratum, quia Baptiſma hoc non eorum opus eſt, ſed Chriſti. Revocanda huc ſunt, quæ de Chriſti nomine, quod idem eſt ſive a pio, ſive a ſacrilego dictum fuerit, de Evangelio, quod integrum manet, ſive a fideli recte, ſive ab Hæretico perverſe intellectum fuerit, Auguſtinus ſcite diſſerebat. Neque advertit Cyprianus, ea, quæ ex Pſalmis & Evangelio urgebat, poſitioni ſuæ incommoda eſſe; Si enim nullum ſit Baptiſma, quod Hæreticus vel Schiſmaticus adminiſtrat, quia ſunt ii contra Chriſtum, neque audiuntur a Deo, Pſaltes etiam oleum peccatoris execratur, reliquum eſt, ut idem de improborum Baptiſmate pronuncietur, quod tamen Cyprianus ratum habebat. Ut ergo valet, quod hi adminiſtrant, Baptiſma, quia non ſuum, ſed Chriſti Baptiſma dant, ita reiiciendum non eſt, quod illi conferunt, quia ſolus Chriſtus eſt, qui per quemcumque baptizat in Spiritu Sancto. Quæ de vitandis Hæreticis, de non dicenda eis ſalute, de non ineunda cum eis ſocietate Cyprianus e Scripturis intorquet, in ipſum recidunt, quum Paulus 1. ad Cor. 5. vetet & conſuetudinem jungi cum fratribus *fornicariis*, & *avaris*, aut *maledicis*, aut *ebrioſis*, aut *rapacibus*, & cum ejuſmodi *cibum ſumi*. Sicut ergo Cyprianus recte interpretatur, hoc Pauli interdicto unum id effici, a fratribus ejuſmodi quempiam Sacramenta quidem legitima, ſed extra neceſſitatis articulum non legitime petere ac ſuſcipere, ita quæ de vitandis Hæreticis idem Paulus, & Joannes edicunt, unum id probant, ab Hæreticis Baptiſma illegitime dari, nec abſque crimine, niſi neceſſitas urgeat, adhiberi eos poſſe Baptiſmi miniſtros, etſi valeat, maneatque, ſi illum rite contulerint.

XII. Argumento ex fidei & Baptiſmatis unitate petito reſpondebat primo Auguſtinus. *Si duos Baptiſmos facit, qui dicit, quia & Hæretici baptizant, cur non & ille duos Baptiſmos facit, qui dicit, quia & iniqui baptizant?* 2. *Apoſtolus ut unam fidem, ita & unam ſpem eodem loco commemorat: fuerunt tamen ipſis Apoſtolorum temporibus, quibus una ſpes non erat, & unum Baptiſma erat: ex ipſo itaque fonte in nos ducitur veritas, ut appareat nobis ſic fieri poſſe, ut, cum ſit una Eccleſia, ſicut ſpes una, & Baptiſma unum, habeant tamen unum Baptiſma, qui non habent unam Eccleſiam*. Eccur vero? Quia Chriſtus Baptiſmi auctor ejus unitatem atque virtutem nec probitati, nec ſpei, nec fidei miniſtrantium alligavit, ſed illam in ritu a ſe præſcripto conſtituit, qui ſi adhibitus fuerit, Baptiſmi comprobat unitatem propter unitatem Auctoris, etſi varia ſit interior miniſtrantium diſpoſitio. Quid vero, ſi ſola Catholica Eccleſia Chriſti ſponſa eſt? Sola ne ergo generarare filios poteſt? *Si propterea*, reponebat acute Auguſtinus, *filios Dei generare non poteſt Hæreſis, quia Chriſti ſponſa non eſt, nec turba illa malorum intus conſtitutorum poteſt, quia & ipſa Chriſti ſponſa non eſt, deſignatur enim ſponſa Chriſti ſine macula, & ruga: Aut non omnes ergo baptizati ſunt filii Dei, aut poteſt & non ſponſa generare filios*. Directe vero reſpondemus, Adverſariorum objecta eodem ſemper vitio laborare, principem enim cauſam ab inſtrumento, opus Chriſti ab hominum meritis, Sacramentum denique a Sacramenti re non diſtinguere. Solus ille, qui in Spiritu Sancto baptizat, ſolus eſt, qui intituto a ſe Baptiſmate filios generat, præbente ad id opus nudum miniſterium Eccleſia; quod vero quidam extra Eccleſiam

bapti-

Digitized by Google

baptizati non renaſcantur in filios Dei, & Sacramentum, non rem Sacramenti percipiant, ſola eorum malitia in cauſa eſt, qui uterum ſponſæ deſpiciunt, & adulteram ſectantur: Cæterum ſi nulla ſuſcipientium malitia obſit, puta quum baptizantur infantes, vel adulti bona fide, vel urgente neceſſitate extra Catholicam Eccleſiam Baptiſma ſuſcipiunt, ſpiritualiter eos regenerari, Deique filios effici, certum eſt, hoc in eis plane operante Sacramento Chriſti, quod miniſtrantium impietate pollui non poteſt, ait Auguſt., *quia Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit, ſive ad ſalutem bene utentium, ſive ad perniciem male utentium.*

XIII. Idem vitium ſubeſt argumento alteri, quod ex fonte aquæ vitalis in ſola Eccleſia poſito Adverſarii ducebant; Sacramenti enim veritatem negant extra Eccleſiam eſſe poſſe, quod extra eam Sacramenti fructus, ſalus nempe, eſſe non poſſit: id vero perperam inferri, egregie probat Auguſtinus ea ipſa e Scripturis petita ſimilitudine, quam ii jactabant: *Eccleſia*, ait, *Paradiſo comparata indicat nobis, poſſe quidem homines Baptiſmum etiam foris accipere, ſed ſalutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tueri; nam & flumina de fonte Paradiſi, ſicut Scriptura teſtatur, etiam foras largiter manaverunt, nec tamen, quo illa flumina pervenerunt, eſt felicitas vitæ, quæ in Paradiſo commemoratur: Sic ergo Baptiſmus Eccleſiæ poteſt extra Eccleſiam eſſe, munus autem beatæ vitæ nonniſi intra Eccleſiam reperitur*. Quorſum vero ea teſtimonia ab Adverſariis exaggerata, quibus inſectatur *Deus ciſternas diſſipatas*, quas derelicto *fonte aquæ vivæ* ſibi fodiunt homines, aquas *infideles*, *mendaces*, *alienas*, a quibus cavere jubet? Quum exploratа res ſit, perſtringi a Deo ejuſmodi ſymbolis prava hominum opera, hæc ne in adminiſtratum ab Hæreticis, vel Schiſmaticis Baptiſma torqueri poſſunt, quod certiſſime conſtat, non illorum opus eſſe, ſed Chriſti? Quis *prophanam* dixerit, & *adulteram* aquam, ſuper quam *nomen Dei invocatur, etiamſi a prophanis, & adulteris invocetur? Quum nec ipſa creatura, aqua ſcilicet, nec ipſum nomen, quo conſecratur, adulterum ſit, Baptiſmus Chriſti verbis evangelicis conſecratus, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt, quamvis illi ſint impudici, & immundi*: ita præclare Auguſtinus.

XIV. Neque plus negotii faceſſunt, quæ Adverſarii e ratione promebant. Si hæreſi faveмus & Schiſmati, ratum habentes Baptiſma extra Eccleſiam traditum, favebant ergo impietati, quotquot probabant Baptiſma ab impiis adminiſtratum. Verum, ut Adverſarii miniſtrorum impietatem execrantes, Baptiſma ab eis collatum probabant, quia non impiorum, ſed Chriſti erat, nec ullo poterat tradentium ſcelere contaminari, ita Hæreſim, & Schiſma deteſtantes traditum ab Hæretico, vel Schiſmatico Baptiſma recipimus, quod illud non miniſtri, ſed Chriſti ſit, qui ſolus ubicumque & per quoſcumque baptizat. Etſi autem, quidquid Hæreticorum proprium eſt, in vera Chriſti Eccleſia ſit deſtruendum, id tamen perperam de Sacramentis quoque ab eis rite traditis pronunciatur, quæ non eorum, ſed Chriſti ſunt; alioqui & deſtruenda erunt Sacramenta ab impiis adminiſtrata, ſi eſt ſacrilegum, quidquid a ſacrilego traditur, erit & ipſum Jeſu Chriſti nomen, ſicut invicte argumentatur Auguſtinus, ſacrilegum, quum per illud ſacrilegi aliquid operantur, *& qui dicit deſtruendum eſſe Baptiſmum Chriſti, quando illo Hæretici baptizant, conſequens eſt, ut dicat, negandum eſſe Chriſtum, quando illum dæmones confitentur*. Secundum & tertium argumenti caput propoſitione ultima tractatus de Sacramentis in genere jam diſſolutum eſt: ibi enim cum Angelico repoſuimus, Chriſtum, qui principaliter in Sacramentis operatur, inſtrumentis uti vel fide & charitate ſibi conjunctis, vel, quum fide, & gratia careant, ſibi motione quadam unitis, eorumque miniſterio Sacramenta applicare, & ſalutarem eorumdem effectum in ſuſcipientibus rite diſpoſitis edere; cum Optato vero Millevitano miniſtros improbos, aut infideles ſanctificare alios inſtrumentarie poſſe, quia non ſua, ſed Dei Sacramenta miniſtrant, a quo ſolo habent illa ſanctificandi virtutem.

XV. Quod autem, qui extra Eccleſiam ſunt, jure careant Baptiſmum adminiſtrandi, unum id efficit, ut nimirum, quam ſibi uſurpant, adminiſtratio ſacrilega, ac illegitima ſit, non autem, ut verum non ſit Sacramentum, quod adminiſtrant. Hinc ſcite ajebat Auguſtinus: *Hæreticos, & Schiſmaticos Baptiſmum non juſte & legitime poſſidere concedimus, non poſſidere autem non poſſumus dicere, quum Sacramentum Dominicum in Evangelicis verbis agnoſcimus: Baptiſmum ergo legitimum habent, ſed non legitime habent; ita enim habet quiſquis,*

quemadmodum utitur, *non autem legitime utitur*, *qui eo contra legem utitur*. Poſtremo inter Baptiſmum ſanguinis ſive martyrium, & Baptiſmum aquæ latiſſimum intereſt diſcrimen; *non enim eorum meritis*, ait egregie Auguſtinus, *a quibus miniſtratur*, *nec eorum*, *quibus miniſtratur*, *conſtat Baptiſmus aquæ*, *ſed propria veritate*, *ac ſanctitate propter eum*, *a quo inſtitutus eſt*, *male utentibus ad perniciem*, *bene utentibus ad ſalutem:* martyrium autem, quum opus ſit hominis, totam a charitate illud ſubeuntis virtutem habet, quare ſi quis mortem oppetat charitate deſtitutus, inutiliter ſanguinem fundit, ſcribente Apoſtolo, *ſi tradidero corpus meum*, *ita ut ardeam*, *charitatem autem non habuero*, *nihil mihi prodeſt*.

XVI. *Solet etiam quæri*, ait in Lib. de Baptiſmo Auguſtinus, *utrum approbandum ſit Baptiſma*, *quod ab eo*, *qui non accepit*, *accipitur?* Adnotat D. Thomas, Auguſtinum noluiſſe quæſtionem hanc definire; dicit enim tum memorato libro de Baptiſmo, tum lib. 2. contra epiſt. Parmeniani, *hanc quidem aliam quæſtionem eſſe*, *utrum & ab his*, *qui nunquam fuerant Chriſtiani*, *poſſit Baptiſmus dari*, *nec aliquid affirmandum eſſe ſine auctoritate tanti Concilii*, *quantum tantæ rei ſufficit*. *Poſt vero*, ſubdit Angelicus, *per Eccleſiam determinatum eſt*, *non baptizatos*, *ſive ſint Judæi*, *ſive Pagani*, *poſſe Sacramentum Baptiſmi conferre*, *dummodo in forma Eccleſiæ baptizent*. Hanc Eccleſiæ definitionem repetit D. Thomas ex Nicolai I. Romani Pontificis reſcripto, qui a Bulgaris hac de quæſtione conſultus reſpondit, *conſtare*, *baptizandos non eſſe eos*, *qui ab homine ſive Judæo*, *ſive Pagano in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis fuerant baptizati*, cui addi poteſt Eugenii quarti doctrina in decreto pro Armenorum inſtructione declarantis, *in caſu neceſſitatis etiam Paganum baptizare poſſe*. Neque jam de veritate hac cuiquam licet ambigere; præter ſolemnem enim Eccleſiæ definitionem, qua omnis de ea controverſia jamdudum ſublata eſt, iiſdem iis momentis evincitur, quibus permota pridem Eccleſia in plenario Concilio pronunciarat, ratum eſſe, neque iterandum Baptiſma ab Hæreticis & Schiſmaticis forma Evangelica conſecratum: quare, etſi Auguſtinus pro ſingulari ſua modeſtia de re nondum Eccleſiæ judicio ſolemniter eliquata, noluerit certam ſententiam ferre, ne videretur plenarii Concilii finitionem antevertere, declaravit tamen, in quam ſententiam abiiſſet, *ſi quis illum in Concilio*, *ubi talium rerum quæſtio verſaretur*, *conſtitutum urſiſſet*, *ut diceret*, *quid ipſe ſentiret*, *nequaquam dubitarem*, ajens, *habere eos Baptiſmum*, *qui ubicumque*, *& a quibuſcumque illum verbis Evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione*, *& cum aliqua fide accepiſſent*.

XVII. Sane ſi verum perfectumque eſt Baptiſma, quod improbi intra Eccleſiam, vel extra eam Schiſmatici, & Hæretici præſcripto ritu miniſtrant, quia Baptiſma quum Chriſti ſit, propria veritate ac ſanctitate conſtans propter eum, a quo inſtitutum eſt, a miniſtrantium meritis & fide non pendet, cur non idem de eo pronuncietur, quod Judæus vel Paganus rite tradiderit? Si idem eſt Chriſti nomen, ſive a Chriſtiano, ſive ab Ethnico dictum fuerit, cur non & idem erit Baptiſma, ubicumque & a quocumque collatum? Accedit & potiſſima ratio illa, qua adverſus Donatiſtas ſæpe pugnabat Auguſtinus, quamque ex eo promptam non ſemel urger Angelicus: „ Chriſtus eſt, qui principaliter baptizat ſecundum illud Joan. „ I., *ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem*, *& manentem*, *hic eſt qui baptizat*: Dicitur autem ad Col. 3. *quod in Chriſto non eſt Gentilis & Judæus*, *circumciſio & præputium*, *Barbarus*, *& Scytha*, *ſervus & liber*, *ſed omnia & in omnibus Chriſtus*; Sicut ergo quia „ Baptiſmus Chriſti eſt, & in omnibus „ & per omnes Chriſtus baptizat, non „ rejicitur, quod Schiſmatici & Hæretici „ miniſtrant, Baptiſma, ita nec rejiciendum eſt, quod Pagani, aut Hebræi, „ ſeu homines non baptizati contulerint. “ Quæ vero poſitioni huic videntur incommoda, perſpicue ab eodem Angelico diſſolvuntur docente, poſſe non baptizatos Sacramentum tradere, quo ipſi carent, quia homo baptizans exterius tantum miniſterium adhibet, Chriſtus autem baptizat interius, qui omnibus hominibus uti poteſt ad quodcumque voluerit; quare Nicolaus Papa reſpondit, poſſe a *non baptizatis Baptiſma conferri*, *quia Baptiſma non illorum ſed Chriſti eſt*.

XVIII. Licet autem non baptizati nec re nec Sacramento ad Eccleſiam pertineant, poſſe eos tamen in tradendo Baptiſ-

ptiſmo miniſtros Chriſti, & Eccleſiæ agere, demonſtrat Angelicus, quia poſſunt intentione & ſimilitudine actus ad Eccleſiam pertinere, quatenus nimirum facere intendunt, quod illa facit, ejuſque formam ſervant in tradendo Baptiſmo, ſicque operantur ut Chriſti miniſtri, qui virtutem ſuam baptizatis non alligavit, ſicut nec etiam Sacramentis. Nequeunt quidem non baptizati alia Sacramenta conferre, ut nec ſuſcipere, Baptiſma tamen, ait Angelicus, „ ut ſuſcipere ipſi, ita tra„ dere aliis poſſunt, quia alia Sacramen„ ta tantæ neceſſitatis non ſunt, ut Ba„ ptiſma: ad miſericordiam autem ejus, „ qui vult omnes homines ſalvos fieri, „ pertinet, ut in his, quæ ſunt de neceſ„ ſitate ſalutis, facile homo remedium „ inveniat, quare ſicut ne homo remedio „ tam neceſſario fraudetur, inſtitutum „ eſt, ut & Baptiſmi materia maxime „ communis ſit, aqua nempe, quæ a „ quolibet facile haberi poteſt, ita mini„ ſter Baptiſmi ſit quicumque, ne pro„ pter hujus Sacramenti defectum homo „ ſalutis diſpendium patiatur. „ Hæc ex D. Thoma, qui & Gregorii III. reſponſum, quod quum Nicolai I. reſcripto pugnare videtur, interpretans, ait, loqui illum de Baptiſmo a Paganis, qui formam Evangelicam non adhibuerant, adminiſtrato. S. enim Bonifacium Moguntinum Antiſtitem memoratum Pontificem de Baptiſmo ejuſmodi conſuluiſſe, ſatis indicat circumſpectum Pontificis reſponſum hac conditione affectum: *Quos a Paganis baptizatos aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*, nec non & Goſſa laudatum caput, *Quos a Paganis*, ita exponens: *Scilicet in forma Eccleſiæ non fuerant baptizati*.

PROPOSITIO III.

Ratum non ſolum eſt, ſed etiam culpa vacat Baptiſma a Laicis cujuſcumque ſexus, urgente neceſſitate, collatum.

„ I. HOc etiam ſcire ad rem perti„ net, ait Calvinus lib. 4. in„ ſtit. cap. 15., perperam fieri, ſi privati „ homines Baptiſmi adminiſtrationem ſi„ bi uſurpent, neque enim aut mulieri„ bus quibuslibet mandavit Chriſtus, ut „ baptizarent, ſed quos Apoſtolos conſti„ tuerat, iis mandatum hoc dedit. „ Hinc non ſacrilegii ſolum Laicos damnat, quos neceſſitas miniſterium hoc obire coegerit, ſed irritum eſſe pronunciat, quod ab eis fuerit adminiſtratum, multoque ſatius eſſe ſcribit, ſinere, ut infantuli abſque Baptiſmo obeant, quam ut Laicus eos tingere auſus Dei, qui ſolis Presbyteris hoc demandavit, ordinationi injuriam inferat. Multam in conſtabiliendo hoc magiſtri ſui errore operam ponit Forbeſius lib. x. Theologicarum inſtitutionum c. 14. & 15., ad cujus calcem hæc habet: „ ex „ eis autem, quæ diſſeruimus, efficitur, „ eos, quos baptizavit quilibet alius, „ qui non eſt Presbyter, non accepiſſe „ verum Baptiſmi Sacramentum, neque „ via ordinaria poſſe certo ſciri, eos eſſe „ baptizatos, ergo tutiſſimum eſt, ut ta„ les iterum baptizet Presbyter. " Quam vero inepte, & futiliter pro magiſtro ſuo pugnarit adverſus Catholicam veritatem, cuique perſpectum fiet, quum momenta diluemus, quibus ſibi viſus ille eſt, rem egregie confeciſſe. Agat interim eum Calvino Forbeſius, & cum Forbeſio Benedictus Pictetus, vimque argumentorum, quibus hoc Catholicæ doctrinæ caput firmatur, elidant, ſi poſſunt, vel labefactent.

II. Quamvis Clariſſimum Bellarminum, alioſque Polemicos Tractatores eximie colamus, nolumus tamen iis momentis uti, quæ ipſi ad veritatem hanc confirmandam conferre ſolent, quod ea non videantur eſſe undequaque firma, nec conficiendæ rei ſatis idonea. Sephoram uxorem Moſis, quæ filium ſuum circumcidit, non advocabimus, ut illi faciunt, neque Apoſtolos, qui vivente Chriſto, a quo nondum fuerant Sacerdotio initiati, baptizaſſe leguntur, neque illud urgebimus, quod ex ter mille hominibus ſacro Pentecoſtes die baptizatis ipſi inſtruunt, argumentum, ut probent, poſſe Laicos Baptiſmi miniſtros eſſe, quum videantur Apoſtoli, qui ſoli tunc Presbyteri erant, non potuiſſe tantæ multitudini Baptiſmo tingendæ ſufficere, neque Ananiæ Diſcipuli, a quo, etſi, ut ajunt ipſi, non Presbytero baptizatus eſt Paulus, exemplum afferemus; ſunt enim hæc omnia, quæ ipſi e ſacris litteris ſumunt, ambigua, & non una exceptione infringi poſſunt: quorſum autem lubrica argumenta torqueamus, quum nobis decretoria ſup-

petant ex ipſis adverſariorum principiis ſponte fluentia ? Illud primo verſabimus, quod nobis Calvinus ipſe ſuppeditat loco jam memorato ſcribens : „ Quod autem „ multis ab hinc ſæculis, adeoque ab „ ipſo fere Eccleſiæ exordio, uſu rece„ ptum fuit, ut in periculo mortis Laici „ baptizarent, ſi miniſter in tempore non „ adeſſet, non video, quam firma ratio„ ne defendi queat. Ne ipſis quidem ve„ teribus, qui hunc morem tenebant, vel „ patiebantur, conſtabat, an recte id fie„ ret. "

III. Ex hac Calvini confeſſione hæc adverſus illum, ejuſque Aſſeclas argumenta exiliunt. Primo ab ipſo fere Eccleſiæ exordio mos obtinuit, ut Laici in mortis diſcrimine baptizarent, moremque hunc veteres Patres vel tenuerunt, vel paſſi ſunt, aut ergo in re graviſſima, & Chriſtianæ religionis fundamentali capite tunc erravit Eccleſia, atque in ipſo ferme ſui exordio defecit ; falſa iccirco ſunt, quæ de illibata aureæ illius ætatis fide & diſciplina toties Calvinus prædicat, aut errat ipſe turpiſſime improbans, irritumque pronuncians, quod probavit illa, ac ſemper in uſu habuit : 2. Calvinus ipſe, Lutherus eorumque Diſcipuli, quum de infantium Baptiſmo nihil Scriptura diſerte habeat, veterum Patrum documentis, & perpetuo prioris Eccleſiæ uſu dogma hoc adverſus Anabaptiſtas ſtrenue tutantur ; quum ergo neque Scriptura Laicis baptizandi, ſi neceſſitas premat, miniſterium conceptis verbis abjudicet, neque negare Novatores poſſint, ab ipſa ferme Apoſtolorum ætate morem hunc paſſim in Eccleſia viguiſſe, aut probandum adminiſtratum ab eis Baptiſma, aut rejiciendus Pædobaptiſmus : utrumque enim caput ſola Eccleſiæ purioris ævi conſuetudine & traditione fulcitur, quæ autem paribus momentis nituntur, aut ex æquo recipienda, aut pariter repudianda : 3. Eccleſia Anglicana eadem hac traditione & conſuetudine mota ratum habet Baptiſma a Laicis cujuſcumque ſexus collatum, in re ergo graviſſima errat illa, ſicut eodem hoc nomine totam Romanam Eccleſiam in errore eſſe, Calvinus, & plerique de ejus grege contendunt : non eſt ergo Anglicana vera Chriſti Eccleſia, vera non eſt ſecunda Eva viventium mater, quæ non viventes Deo filios Baptiſmate parit, ſed hujus falſitate doctrinæ eos potius in ipſis cunabulis perdit : impie ergo & ſacrilege reliqui Calviniani cum Anglicana ſocietate ceu vera, & legitima Chriſtiani gregis portione Eccleſiaſticam communionem colunt : ſimili ferme modo adverſus Jacobum I. Angliæ Regem Cardinalis Perronius argumentatur.

IV. His addi poteſt momentum illud, quod ex altero Novatoribus, nobiſque communi principio exurgit, omnium ſcilicet in re quapiam conſenſionem certiſſimum eſſe veritatis argumentum, certiſſime iccirco valere Baptiſma a Laicis quibuslibet adminiſtratum, quod multis abhinc ſæculis, adeoque ab ipſo ferme Eccleſiæ initio Chriſtianorum omnium uſus probavit, & hodie probant cum Occidentalibus Orientales omnes, quemadmodum documentis locupletiſſimis demonſtrarunt Renaudotius, & Petrus Arcudius lib. I. Concordiæ cap. XI. quod eſt *de miniſtro Baptiſmi*. Quibuſnam vero argumentis adductus eſt Calvinus, ut hoc Chriſtianæ doctrinæ caput, quod probe norat, omnium ſæculorum uſu, omniumque gentium conſenſione firmatum, improbaret ? „ Non mulieribus, aut cujuſque „ conditionis hominibus, ait ille, ſed iis „ tantum, quos Apoſtolos conſtituerat, „ mandavit Chriſtus, ut baptizarent ; So„ li ergo Apoſtolorum Succeſſores mini„ ſterio hoc ſancte & rite fungi poſ„ ſunt ; " neque ex antiqua Eccleſiæ diſciplina quidquam adverſus hoc Chriſti mandatum effici putat, quum veteres Patres dubitarint, an, etſi paſſim id in more eſſet, Laici recte Baptiſmum adminiſtrarent ; hanc enim dubitationem præ ſe tulit Auguſtinus, quum ait in lib. contra epiſt. Parmeniani, *ſi Laicus neceſſitate compulſus Baptiſmum dederit, neſcio an pie quiſquam dixerit, eſſe repetendum : nulla enim neceſſitate urgente ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt ; ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt*.

V. Quum nullus ſit, ut ſæpe adnotavimus, legum Chriſti ſanior interpres, quam perpetuus Eccleſiæ uſus, Eccleſia autem ab ipſo fere ſui exordio Baptiſma probarit a Laicis urgente neceſſitate collatum, fatendum eſt, iis Chriſti Domini verbis Apoſtolos quidem, eorumque Succeſſores Epiſcopos ac Presbyteros juſſos fuiſſe Baptiſma jure ſuo ac officio ſolemniter miniſtrare, nec tamen a Mini-

ſte-

ſterio hoc extra ordinem obeundo, quum neceſſitas premit, inferioris gradus Clericos & Laicos divina illa juſſione remotos; alioqui Calvinus fateri cogitur, Eccleſiam ipſa ferme Apoſtolorum ætate a ſpiritu veritatis deſertam legitimum hujus Dominici mandati intellectum non fuiſſe aſſecutam, aut illud probe cognitum palam violaſſe, quorum utrumque concipi abſque impietate non poteſt. Falſo autem addit ille, Veteres dubitaſſe, an recte id fieret; quid enim iis Tertulliani verbis conſtantius, magiſque a dubitatione remotum: *Dandi quidem jus habet ſummus Sacerdos, qui & Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate. . . . etiam Laicis jus eſt . . . in neceſſitatibus utaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit; tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, quum urget circumſtantia periclitantis, tunc enim reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod libere potuit?* Num dubitationem præferunt ea Hieronymi verba in dial. adverſus Luciferianos, *baptizare, ſi neceſſitas cogat, ſcimus, etiam licere Laicis?*

Eccur vero Calvinus integrum Auguſtini teſtimonium non exſcripſit, ex quo germanam ejus mentem faciliime intellexiſſet? Poſt verba a Calvino recitata continenter adjicit Auguſtinus: *Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non dici poteſt non datum, quamvis recte dici poſſit illicite datum, illicitam autem uſurpationem corrigit Pœnitentis affectus: quod ſi non correxerit, manebit ad pœnam uſurpatoris, quod datum eſt, vel ejus, qui illicite dedit, vel ejus, qui illicite recepit, non tamen pro non dato habebitur.* Quis, niſi velit ſibi ipſe vim inferre, non percipit, duo ad Catholicæ Eccleſiæ mentem ab Auguſtino certiſſime figi, ratum videlicet, nec repetendum eſſe Baptiſma a quolibet cuilibet datum, illicite tamen dari a Laico extra neceſſitatis articulum, quoniam ille tunc alienum ſibi munus uſurpat? Non dubitat ergo Auguſtinus, ſicut cum Calvino blaterat Gerardus Voſſius, repetendus ne ſit Baptiſmus a Laico neceſſitate compulſo adminiſtratus, an non, quum illum tum ibi, tum alibi ſæpe pronunciet diſertiſſime, etiam non cogente neceſſitate collatum manere, nec pro non dato haberi poſſe: videtur ſolum pro ſingulari ſua modeſtia ſuum nolle judicium interponere, atque impietatis damnare eos, qui forte illum iterandum eſſe ſentirent, quoniam, etſi probe noſſet, uſu in Eccleſia receptum, ut Baptiſma hoc ratum eſſet, nec repeti permitteretur, nondum tamen Eccleſia id fieri lato ſolemniter judicio vetuerat, nec, ſi quis forte id auſi eſſent, eos expreſſe damnaret.

VII. Quid ad hæc Forbeſius? „ Fateor, ait, Auguſtino viſum eſſe, non denuo baptizandum eſſe eum, qui fuiſſet a Laico, quamvis hoc munus illicite uſurpante, baptizatus. Idipſum quoque pleriſque placuiſſe video: Id autem eis viſum eſſe conſtat ex præconcepta illa opinione ſimplicis neceſſitatis hujus Sacramenti, quam opinionem erroneam & falſam eſſe, docuimus. Ratio etiam, qua utitur Tertullianus, eumque ſecutus Hieronymus, nempe, quod ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt, inimica eſt Romanenſium doctrinæ; nam ea ſtante poterit quilibet ſolemniter baptizatus, non expectato caſu neceſſitatis, etiam præſentibus Clericis, publice & ſolemniter baptizare: Item poterit, qui Euchariſtiam accepit, eandem aliis dare, Presbyter ordinare Presbyterum (quod Papiſtis diſplicet) & Diaconus Diaconum, quæ incommoda proſpiciens Bellarminus fatetur, bonum argumentum non eſſe, hic habet Baptiſmum, ergo poteſt dare: nondum igitur apud Antiquos invenerunt Papiſtæ, ubi tuto pedem figant. "

VIII. Invenimus tamen, ubi tutiſſime figamus pedem, Eccleſiæ ſcilicet conſuetudinem ab ipſa ferme Apoſtolorum ætate, Calvino fatente, vigentem, in qua tam firmiter ſtamus, ut nullo Novatorum impetu moveamur. Quum enim id conſtanter retineamus, quod prioris ævi Eccleſia in uſu habuit, idemque de neceſſitate Baptiſmi ſentiamus, quod ſenſiſſe illam Novatores ipſi concedunt, ſi in utroque hoc graviſſimo capite erramus, erravit ergo & illa, cujus doctrinam & uſum ſequimur, ideoque in ſuis ferme primordiis extincta eſt, quod abſurdum Novatoribus omnibus horrori eſt: ſed de Baptiſmi neceſſitate, quam temere & falſo a Veteribus animo conceptam fuiſſe Forbeſius ſcribit, propoſitione ſequenti agen-

Digitized by Google

agendum erit; Minus certè idonea eſt, multiſque laborat incommodis ea Tertulliani, & Hieronymi ratio, adverſus quam rantas excitat tragedias Forbeſius, & Bellarminum, qui illam interpretari nititur, impotenter exagitat: quid porro? Illud reverenter excipimus, quod Patres tradunt, ut lucupletes doctrinæ ſua ætate in Eccleſia receptæ teſtes: ſi quid vero ex proprio ſenſu addunt, quo doctrinam Eccleſiæ confirment, in eo aut excipiendo, aut rejiciendo auſcultamus Auguſtino nos commonenti, Eccleſiaſticos quoſque Scriptores, quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, ita legendos eſſe, ut non ideo verum putemus, quod ipſi ita ſenſerunt vel ſcripſerunt, ſed quia probabili ratione id nobis perſuadere potuerunt; novimus enim non ſemel a Patribus ad veritates certiſſimas confirmandas adhiberi argumenta non firma. Si itaque ea Tertulliani, & Hieronymi ratio minus apta, quum ſit tamen omni exceptione major teſtificatio, quam conſuetudini ſuo ævo in Eccleſia vigenti perhibent, ſatis illa ſuperque eſt confirmandæ veritati, quam propugnamus.

IX. Longam ſubinde Forbeſius inſtituit argumentorum ſeriem: „ Primo Gregorius in regiſtro ait, *Imperiali conſtitutum eſt ſanctione, ut ea, quæ contra legem fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam pro infectis habenda ſint*: non inutile ergo ſolum, ſed & irritum eſt Baptiſma a Laicis adminiſtratum adverſus legem Chriſti, qui hoc miniſterium ſolis Presbyteris demandavit: 2. Chryſoſtomus miniſterum Baptiſmi ſolis vindicat Sacerdotibus, ſicut Euchariſtiæ celebrationem; quemadmodum ergo nulla efficere neceſſitas poteſt, ut Laicis liceat Euchariſtiam conficere, ita nec Baptiſma conferre: 3. Quum Laicis Romanenſes concedunt, quod in hoc miniſterio præcipuum eſt, & ſolis Sacerdotibus injunctum, ſcilicet baptizare, nonne ridiculi ſunt, qui accidentario ceremoniarum apparatu eis interdicunt, quaſi vero in his aſſumendis humanis ſitum eſſet opus Sacerdotale vel Apoſtolicum, ac non potius in ipſo divinitus inſtituto Baptiſmate? 4. Apoſtolicarum conſtitutionum lib. 3. cap. x. vetantur Laici Sacerdotale munus exercere, veluti Sacrificium, Baptiſmum, mannum impoſitionem. 5. Patres Elibetitani Concilii can. 38. ſoli fideli, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, poteſtatem faciunt baptizandi in neceſſitate infirmitatis poſitum Cathecumenum: ut quid ergo Pontificii ad quoslibet Laicos ejuſmodi facultatem extendunt? Poſtremo Tridentinum docet, Pœnitentiæ Sacramentum lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe, ut nondum regeneratis ipſum Baptiſma: ſi tamen non ſit copia Presbyteri, numquam a Romanenſibus Pœnitentiæ adminiſtratio Laicis tribuitur: cur ergo Laicis jus faciunt baptizandi abſente Presbytero? “

X. Non eſt tamen in diſſolvendis ſingulis admodum laborandum. Supremum legiſlatorem Chriſtum, qui Apoſtolos, eorumque Succeſſores juſſerat, docere omnes gentes, & baptizare, neceſſitatis articulum excepiſſe, in quo Laicis fas eſſe voluerit, eo miniſterio fungi, quod ipſe Apoſtolis eorumque Succeſſoribus attribuerat, certo diſcimus ex univerſalis Eccleſiæ conſuetudine Apoſtolicæ ætati ferme coæva; inde enim intelligimus, Eccleſiam a ſpiritu veritatis, quem Chriſtus illi promiſerat, accepiſſe legitimum legis a Chriſto latæ intellectum, numquam alioqui eo tempore, quo, Novatoribus annuentibus, vera erat Chriſti ſponſa ſumpturam ſibi, ut graviſſimam ſponſi ſui legem infringeret, ſi eam noviſſet, eſſe abſolutam, & nulla exceptione affectam.

XI. Hinc etiam docti ſumus, Euchariſtiæ celebrationem ita a Chriſto ſolis Presbyteris attributam, ut nulla efficere neceſſitas poſſit, ut cuiquam infra Presbyteros liceat eam conficere, quod numquam uſu receptum fuerit in Eccleſia Catholica, ut inferioris ordinis Clerici & Laici eam conficerent, numquam id Eccleſia paſſa fuerit, proſcripſerit immo illa Hæreticos quoſdam, ceu ſacrilegos divini inſtituti violatores, qui Sacramenti hujus celebrationem ſibi, quum Laici eſſent, ſumebant, vel etiam fœminis demandabant; neque vero ceremoniarum, quas Baptiſmo adventitias eſſe fatemur, apparatu Laicis interdicimus, quaſi vero non in Baptiſmate ipſo, ſed in ceremoniis his Sacerdotale, vel Apoſtolicum opus ſitum eſſe, putemus, ſicuti nobis Forbeſius exprobrat. Ipſe neceſſitatis articulus, in quo ſolo, quum miniſtri ſacri copia non eſt,

Ba-

Baptiſmi adminiſtrationem Laicis licere ſentimus, facit, ut nequeant illæ, ſive a ſacro, ſive a Laico miniſtro adhiberi, debeatque miniſter de ſumma rei, ideſt de eo, quo Sacramenti ſubſtantia perficitur, unice ſollicitus eſſe; Si enim tantum temporis ſuppetit, ut peragi commode poſſint omnia, quæ vetuſtiſſimo Eccleſiæ inſtituto in uſu ſunt, quis non videt, eam tum non urgere neceſſitatem, qua ſola fit, ut collatum a Laicis Baptiſma non ſolum valeat, ſed etiam culpa vacet?

XII. Quam fluxa ſit Conſtitutionum vulgo Apoſtolicarum auctoritas, nemo Eruditorum ignorat; quoniam vero etſi omnibus ratum ſit, falſo eas Apoſtolis auctoribus tribui, authumant tamen plerique antiquiſſimas illas eſſe, & quarti ſæculi exordio priores, oſtendendum breviter eſt, nihil habere illas, quod veritati, quam tuemur, adverſetur. Quum paſſim in Eccleſia tunc, Calvino teſte, mos obtineret, ut Laici, ſi Presbyter non adeſſet, baptizarent in mortis diſcrimine, & morem hunc Patres vel tenerent, vel paterentur, manifeſtum eſt, Apoſtolicis conſtitutionibus ſolam interdici Laicis ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem, quam Sacerdotum propriam eſſe ſemper Eccleſia cenſuit, non vero privatam, & in neceſſitatis articulo; quare doctiſſimus Cotelerius Marhæum Blaſtarem Canonum apud Græcos collectorem, & Theodorum Scutariotam manifeſti erroris redarguit, quod Baptiſma a Laicis collatum irritum judicarint, auctoritatem jactantes Apoſtolicorum canonum Laicis prohibentium ſacerdotalia munera, *etiamſi neceſſitas* ingruat, quum in iis ne verbum quidem ſit de neceſſitate, ſed ſolum a ſacris functionibus plebs arceatur. Eliberitanum canonem vero quorſum Forbeſius jactitat, quum eo diſerte probetur dogma quod verſamus, poſſe ſcilicet a Laico Baptiſma dari, nec repeti illud poſſe? Cur autem a Concilio poteſtas hæc ſpeciatim fiat Laico lavacrum integrum habenti, ſeu pœnitentiæ canonicæ non ſubjecto, & monogamo, ratio in promptu eſt, quam viri Clariſſimi Mendoza, & Albaſpinæus tradunt. Agit in eo canone Concilium de Cathecumeno, qui cum pluribus navigans repentina infirmitate corripitur: tunc autem, quum abſente Presbytero plures itineris ſocii periclitanti ſubvenire Baptiſmate poſſint, annon decet maxime, & Eccleſiæ legibus conſentaneum eſt, ut Pagano fidelis, fideli autem irregulari alter, qui nullo Eccleſiaſtico impedimento tenetur, in adminiſtrando Baptiſmate præferatur? Poſtremo Forbeſii argumento idem reſponſum adhibendum eſt, quod ſecundo ex Euchariſtiæ celebratione ducto adhibuimus.

XIII. Adverſus collatum a fœminis Baptiſma Calvinus intorquet: „ De mulieribus citra ullam exceptionem ſancitum fuit in Concilio Carthaginenſi, ne baptizare omnino præſumant. Qualis vero ante Auguſtinum conſuetudo fuerit, primum ex Tertulliano colligitur, non permitti mulieri loqui in Eccleſia, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre. Ejuſdem rei locuples teſtis eſt Epiphanius lib. 1. contra hæreſes, ubi Marcioni exprobrat, quod mulieribus daret baptizandi licentiam, & quum ludibrium eſſe pronuncians dare fœminis baptizandi licentiam, ultimam neceſſitatem non excipiat, ſatis apparet, corruptelam hanc ab eo damnari, ut nullo prætextu ſit excuſabilis. Libro etiam tertio, ubi ne ſanctæ quidem Chriſti Matri id fuiſſe permiſſum docet, nullam reſtrictionem addit. " His Magiſtri ſui argumentis alia hæc ex Apoſtolicis conſtitutionibus Forbeſius addit: „ Hic titulus noni capitis lib. 3. Conſtitutionum: *Quod non oportet mulieres baptizare; eſt enim impium, & a Chriſti doctrina alienum*, in eo autem capite hæc argumenta ſubduntur: 1. non convenit iſtud cum Chriſti inſtitutione: 2. Chriſtus Apoſtolos mittens ad baptizandum, non miſit cum eis fœminas ad hoc faciendum: 3. non eſt mulieribus tributum munus docendi, nec ergo baptizandi: 4. Si mulierum eſſet baptizare, Chriſtus a Matre ſua, non a Joanne baptizatus eſſet: Poſtremo hoc Gentilium ſapit impietatem, qui fœminas initiabant, ut in Dearum ſuarum cultu Sacerdotio fungerentur. "

XIV. Hæc tamen vana ſunt, nec quidquam negotii faceſſunt. Quin neceſſe ſit Gratiani, & Petri Lombardi auctoritatem afferre, qui Carthaginenſis Concilii canonem ita exhibent, *Mulier baptizare non præſumat, niſi neceſſitate cogente*, quam lectionem a Binio, & Bellarmino adoptatam merito Forbeſius exagitat, quod nulla

la

la veterum Concilii codicum fide nitatur, integer ipſe Concilii canon legitimam nobis intelligentiam præbet; Quum enim canon his verbis conceptus ſit *mulier quamvis docta & ſancta, viros in Conventu docere, vel aliquos baptizare non præſumat*, recte infert Angelicus, ſolam mulieribus *in conventu*, publicam ſcilicet & ſolemnem Baptiſmi adminiſtrationem interdici, ſicut docere in conventu vetantur. Cæterum ſicut poſſunt privata doctrina aut monitione quempiam inſtruere, ita & privatim poſſunt in neceſſitatis articulo baptizare. Eundem habent ſenſum Tertulliani verba; quum enim ſcribat non permitti *loqui in Eccleſia, ſed nec docere, nec tingere*, manifeſte declarat, ſe de publico baptizandi munere loqui, quod mulieribus interdictum eſt, ut & loquendi in Eccleſia ſeu concionandi, & docendi officium. Quid ſibi Epiphanius velit, perſpicue patet ex argumento, quod verſat; agit enim adverſus Marcionitas, Marcoſianos, Pepuzianos, atque Colliridianos Hæreticos, *apud quos fœminæ Epiſcopi erant ac Presbyteri*, & Sacerdotalia quæque munia obibant. Hoc præſertim eos momento perſtringit, afficiendam potius hoc honore fuiſſe ſanctam Dei Matrem, quam aliam quamque mulierculam, *ſi Sacerdotio fungi mulieribus mandatum foret, aut Canonicum quidpiam præſtare in Eccleſia*; quum autem ne ſanctæ quidem Chriſti Matri Sacerdotale munus concreditum fuerit, ludibrium erat, vulgaribus fœminis id committere. Nono illo denique Apoſtolicarum conſtitutionum capite arceri mulieres a publico atque ſolemni Baptiſmi miniſterio, nihilque in eo eſſe, quod Catholicæ doctrinæ incommodum ſit, tam exploratum eſt, ut in diſſolvendis ſingulis, quæ Forbeſius inde exſcripſit, tempus inutiliter poneremus.

XV. Plus difficultatis habere videtur, quod adverſus Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ in hoc capite conſenſionem, ex Petro Arcudio, Thoma a Jeſu, & Vanſlebio opponi poteſt. Arcudius in ſua Concordia lib. I. cap. XI. ait: „ Supereſt, ut „ de legitimo Baptiſmi miniſtro dicamus, „ quod eo alacrius aggredior, quo totam „ ferme Græciam, Ruſſiam, Moſcoviam, „ & alias Provincias, quæ in Chriſti fi„ de ritu Græco perſeverant, ex imperi„ tia in eo verſari errore, ſcrupulo, & „ religione animadverto, ut abſente Pres„ bitero, malint permittere, ut infantes „ ſine Baptiſmo decedant, quam eos ſa„ lutari lavacro abluere, quod exiſtiment, „ ſibi Laicis ne in neceſſitate quidem licere „ hoc munere fungi. “ Thomas autem a Jeſu lib. *De converſione Gentium*, & Vanſlebius *in Ægypti deſcriptione* referunt, apud Ægyptios validum non haberi Baptiſma, ſi ab alio, quam a Presbytero, & extra Eccleſiam fuerit adminiſtratum, & ante quadrageſimum ab ortu diem, etſi in extremo mortis diſcrimine verſetur infantulus, moremque hunc tam conſtanter, & rigide, in Thebaide præſertim, a Cophtis retineri, ut infantulos ſinant abſque Baptiſmo decedere.

XVI. At bene habet, quod Arcudius idem laiſ m illam perſuaſionem non Eccleſiæ Græcæ, non Patribus, & Theologis adſcribit, ſed plebeculæ, quam, ait, ex imperitia in eo errore verſari, a quo illam conſtanti & receptiſſima majorum ſuorum doctrina conatur adducere: „ Porro, ſubdit „ ille, hac in re nullo utor argumentandi „ genere, ſed Græcorum ſententias in me„ dium proferam, qui ne minimum quidem „ a Latinis diſſentiunt. De Laicis Nice„ phori Conſtantinopolitani Patriarchæ ca„ non ſextus decimus circumfertur: Infan„ tes non baptizatos oportet, (ſi quo in „ loco qui reperiatur, ubi non ſit Sacer„ dos) baptizari: Quod ſi Pater, aut qui„ libet alius eos baptizaverit, peccatum „ non committit. Idem docet Hieremias „ pariter Patriarcha cap. 7. ſuæ cenſuræ „ ajens: Baptiſmus in neceſſitate a non con„ ſecrato collatus non rejicitur. Idem con„ cedit Philadelphienſis in ſuo tract. de „ Sacramentis ſcribens: Abſente Sacerdo„ te baptizare poteſt etiam Laicus, ſive „ ſit fœmina, ſive maſ. Fuit hæc veritas „ determinata in Conciliis, quibus Græ„ ci interfuerunt, Lateranenſi 4. ſub In„ nocentio III. can. I., ubi dicitur, Sa„ cramentum Baptiſmi a quocumque ri„ te collatum proficit ad ſalutem, & Flo„ rentino, ut conſtat ex decreto Eugenii „ pro Armenis, quod quidem Græci non „ rejecerunt, immo tacito conſenſu appro„ barunt. Græcis igitur Doctoribus recte „ de miniſtro docentibus optandum eſt, „ ut etiam Græcorum plebs eorum placi„ ta in neceſſitate ſine mora, & ſcrupu„ lo exequatur. “ Hæc Arcudius, qui quum erroris hujus ſolam Græcorum plebem accuſet, ipſam Eccleſiam Græcam a

cu'pa

culpa liberat; quum enim, ut ait Ariſtoteles, *id eſſe aut facere dicatur civitas, quod in ea Primarii, ac Optimates eſſe dicuntur, aut facere*, nequit profecto error hic Eccleſiæ Græcæ imputari, qui ſolius plebis eſt, non optimatum, Paſtorum ſcilicet & Doctorum.

XVII. Thomæ a Jeſu, & Vaslebii narrationi graviſſimum adhibemus Renaudotii reſponſum. „ Leviſſima eſt, ait ille, „ Prioris auctoritas, Poſterioris etiam le„ vior. Mirum non eſt, in regiones in qui„ bus jam a pluribus ſæculis ſub Barbaro„ rum tirannide Chriſtiani gemunt, plures „ abuſus irrepſiſſe, quum & in florentiſſi„ mas Eccleſias, labente tempore, irrepant, „ niſi eos vigilantia Paſtorum, aut averiat, „ aut eradicet. Explorata tamen res eſt, „ errorem hunc, ſi alicubi apud Ægyptios „ obtinuit, ſtatutis Patriarcharum adverſa„ ri, & canonibus apud Ægyptios receptiſ„ ſimis, quos jam adtulimus, quique O„ rientalibus omnibus Chriſtianæ profeſ„ ſionis Societatibus communes ſunt. Nul„ lum reperire eſt antiqui, vel medii ævi „ canonem, quo irritum declaretur colla„ tum a Laico cujuſque ſexus, urgente „ neceſſitate, Baptiſma, atque iterari ju„ beatur. Plures contra occurrunt in col„ lectionibus apud Ægyptios, quibus ejuſ„ modi Baptiſma probatur, & vetatur re„ peti: Ex hujus generis regulis æſtiman„ da eſt Eccleſiarum fides & diſciplina, „ non ex eo, quod imperiti Presbyteri, „ ac Laici forte ſecus egerint. Hæc do„ ctiſſimus Vir. “

PROPOSITIO IV.

Baptiſmus Divino jure ad ſalutem neceſſarius eſt.

I. DE Baptiſmi neceſſitate dictari, ut Novatorum cavillationibus occurramus, præmittendum ducimus cum doctiſſimo Cardinali Perronio Jacobo I. magnæ Britaniæ Regi reſpondente, non eam nos Baptiſmi neceſſitatem adſtruere, quam ex ipſa terminorum habitudine, ſeu neceſſario idearum nexu ortam Philoſophi *ſimpliciter abſolutam* dicunt; nihil enim eſt talis ad ſalutem noſtram neceſſitatis, quoniam ſi voluiſſet Deus, nullum eorum, quæ ad eam efficiendam inſtituit, mediorum aſſumere, nihil omnipotentiæ ejus obeſſet, quin alio quovis modo nos in ſalutem adduceret. Non eſt itaque ſimpliciter abſoluta Baptiſmi neceſſitas, ſed quæ in divina voluntate, & inſtitutione fundatur, qua inſtitutione manente nulla eſt adverſus neceſſitatem hanc temporum, locorum, & perſonarum exceptio; quare non divinæ potentiæ limites figimus, ſicut nobis Novatores improperant*, quaſi vero non potuerit Deus aliter, quam per Baptiſma, homines ſalutis æternæ compotes facere, ſed ita illud neceſſarium eſſe contendimus, ut ſine eo nemini ſalus pateat, quod Deus pro ſupremo ſuo arbitrio voluerit, abſque medio hoc obtineri ſalutem a nullo poſſe, juſſeritque, baptiſma ab omnibus ſuſcipi. Divina hac inſtitutione, & voluntate ſuppoſita, geminam Catholici quique Baptiſmi neceſſitatem agnoſcunt, primam, ut ajunt, medii, præcepti alteram, & dogmatis loco habent, infantibus neceſſitate medii, adultis vero non medii ſolum, ſed & præcepti neceſſitate opus eſſe Baptiſmo ad ſalutem, quam veritatem can. 5. Tridentina Synodus definivit: *Si quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

II. Non eſt nobis hoc loco futura res cum antiquis Eccleſiæ peſtibus Cajanis, Archonticis, Manichæis, qui Baptiſmum aquæ, ceu Dei mali opus averſantes; illum non ſolum ad ſalutem non neceſſarium, ſed & exitialem eſſe putabant, neque cum Pelagianis; qui, quum inſano illo tenerentur errore, nullam ab Adamo in poſteros traduci originariam labem, cœlorumque regnum ab æterna vita perperam diſtinguentes, non patere quidem cœlorum regnum parvulis abſque Baptiſmo obeuntibus blaterabant, patere tamen abſque eo æternam vitam ſive ſalutem, a qua nulla eos culpa vel aliena vel propria removebat, ſed cum Calvino, & pleriſque de ejus grege; Calvinus enim ſuis in commentariis in Joannem, & lib. 4. inſtit. cap. 15. principii loco ponit, „ non „ arceri a regno cœlorum infantes, quos „ e præſenti vita migrare continget, an„ tequam mergi aqua datum fuerit . . . „ Infantes etenim noſtros, ideſt parenti„ bus Chriſtianis natos, ait ille, antequam „ naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronun„ ciat Deus, quum ſe nobis in Deum fo„ re promittit, & ſemini noſtro poſt nos: „ hoc verbo continetur eorum ſalus. “ Subinde doctrinam Eccleſiæ de Baptiſmi neceſ-

neceſſitate inſectatur ajens, „ quantum
„ damni invexerit dogma illud male ex-
„ poſitum, Baptiſma eſſe de neceſſitate
„ ſalutis, pauci animadvertunt, ideoque
„ minus ſibi cavent. " In eandem hanc Eccleſiæ doctrinam, ceu temere & *falſo conceptam*, *aſperam*, *& inclementem* Forbeſius invehitur, eique expugnandæ ſex capita addicit.

III. Hinc orta apud pleroſque Calvinianorum perverſa ſententia illa, non valere Baptiſma a Laicis urgente neceſſitate adminiſtratum, quod nullum, ut ait Calvinus, periculum ſit, ne puer, ſi abſque Baptiſmo deceſſerit, regenerationis gratia privetur, qua jam in utero vi divinæ promiſſionis donatus eſt, ideoque nulla fingi neceſſitas poſſit, quæ Laicis jus tribuat baptizandi. Hinc teterrima illa, quam in ſuo triumpho fidei de Pictteti erroribus Dominus Vernetus exagitat, apud Genevenſes conſuetudo, ut nonniſi in publicis cætibus miniſtri Baptiſma conferant, malintque infantulos abſque Baptiſmo obire, quam publici cœtus horam antevertere. Exitioſiſſimum errorem hunc, quem Lutherani ipſi averſantur, refutaturi illud unice urgemus notiſſimum Chriſti effatum Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, quo eam, quam expoſuimus, Baptiſmi neceſſitatem a Chriſto diſerte doceri, Veteres quique Patres conſtantiſſime tradunt, Hermas Apoſtolici ævi Scriptor *in Paſtore*, Juſtinus martyr in *Apologia ſecunda*, Irenæus lib. 2. adverſus hæreſes, Tertullianus in lib. de Baptiſmo, Cyprianus, Baſilius Magnus, Gregorius Nazianzenus, uterque Cyrillus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique paſſim, qua facti veritate præmiſſa, quam Calvinus, Forbeſius, & Pictetus admittunt, ita argumentationes inſtruimus.

IV. Primo quum nullum ex antiquis Patribus reperire ſit, qui ex iis Chriſti Domini verbis ſummam Baptiſmi neceſſitem non inferat, aut germanum eorumdem intellectum aſſecuti ſunt omnes, aut omnes errarunt: Si primum, qui ergo omnes in eundem Scripturæ ſenſum convenientes contemnunt, non homines contemnunt, ſed Deum ipſum, a quo in id fuerunt illi, teſte Paulo ad Epheſ. 4. deſtinati, ut Chriſtianum populum ſacras litteras edocerent: Si ſecundum, Deo ergo ipſo Auctore in ipſo lerme ſui exordio erravit Eccleſia, Doctores ſibi a Chriſto datos ſequens, & in ſacrorum codicum intelligentia in eorumdem veſtigiis inſiſtens; ita enim eſt Patrum omnium in Scripturæ interpretatione error cum Eccleſiæ errore conjunctus, ut Vincentius Lirinenſis ſcribat, *Epheſinam Synodum in ſceleratam Neſtorii temeritatem invectam fuiſſe, quod ſacras litteras ſe primum, & ſolum intelligere, & omnes eos ignoraſſe jactitans, quicumque ante ſe magiſterii munere præditi ſacra eloquia verſaverunt, totam etiam Eccleſiam errare contenderet, quæ ignaros, ut ipſi videbatur, Doctores ſequeretur*. 2. Quum non de baptizandis infantibus, ſed de cauſa ob quam baptizandi ii eſſent, Auguſtinum inter & Pelagianos concertatio eſſet, Catholicorum omnium Perſonam agens Auguſtinus ſerm. 294. de verbis Apoſtoli hæc habet: *Nos dicimus, infantes, niſi baptizati fuerint, ſalvos eſſe non poſſe, nec vitam æternam habere: ajunt illi, non ſalutis, aut vitæ æternæ cauſa baptizandos illos . . . removeantur pauliſper humanæ rationis conjecturæ, & divina, juxta Apoſtoli monitum, arma ſumantur. Interrogemus hominem, Chriſtianus es? Ait Chriſtianus ſum. Audi ergo Evangelium tu, qui pueros non baptizatos in regnum cœlorum vis inducere, audi Evangelium: Niſi quis renatus &c. Hæc Domini ſententia eſt*; qui ergo adverſus tam diſertam Domini ſententiam Baptiſmi neceſſitatem explodunt, æternæque vitæ aditum pueris non baptizatis aperiunt, judice Auguſtino, Chriſtiani non ſunt.

V. 3. Calvinus, ejuſque Diſcipuli nos ad felicia Auguſtini tempora provocant, ut, quantum ad illibata, quæ tunc temporis in Eccleſia vigebat, fide diſcordet doctrina noſtra, intelligamus; veram ergo habent, & erroris puram doctrinam Auguſtini ætate in Eccleſia receptam; quum ergo Auguſtinus non ſolum ſexcentis in locis pro hac Baptiſmi neceſſitate pugnarit acerrime, ſed epiſt. 166. ad Hieron. ſcribat: *qui docere auſus fuerit, infantes ex hoc mundo abſque J. X. Sacramento abeuntes in Chriſto Jeſu vivificatos eſſe, iſte contra Apoſtoli doctrinam loquitur, & totam Eccleſiam damnat; ideo enim properatur, & curritur, ut baptizentur infantes, quia perſuaſum eſt, ſolo hoc Sacramento poſſe illos in Chriſto Jeſu vivificari*, ipſa Adverſariorum provocatione conficitur, veram eſſe, quæ in Romana

Eccle-

Eccleſia ſemper obtinuit, de Baptiſmi neceſſitate doctrinam, quæ eadem eſt, ac Eccleſiæ Auguſtini ævo florentis; falſam contra, atque impiam, quæ a Calvino inducta eſt, quippe quæ totam Auguſtiniani ævi Eccleſiam damnat. Doctrinæ Calvinianæ falſitas ac impietas evidentius apparet ex eo Conſtantinopolitani Symboli articulo, *Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum*; quum enim Baptiſmi ad peccatorum remiſſionem, ſine qua ſalus eſſe non poteſt, inſtitutionem ac neceſſitatem, quarto ſæculo palam profiteretur Eccleſia, credendamque omnibus in ea, quam edidit in ſecundo æcumenico Concilio, fidei forma proponeret, qua fronte Calvinus, ejuſque Aſſeclæ ad Auguſtini ævum, & priora Auguſtini ſæcula provocant, quibus exploratum eſt, eandem fuiſſe, quæ Romanæ eſt, ut de aliis quibuſque, ita & de hoc fidei capite publicam & conſtantem Eccleſiæ perſuaſionem?

VI. Ea Chriſti ſententia preſſus Calvinus negat, loqui Chriſtum de materiali Baptiſmo, atque aquæ nomine aliud ſignificare voluiſſe, quam Spiritum Sanctum, qui ſæpe eo nomine in ſacris litteris metaphorice deſignatur. Reponentibus Catholicis, abſurdam prorſus eſſe interpretationem hanc, quæ battologiam Chriſto affingit, quaſi vero Chriſtus inepte dixerit, *niſi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, & Spiritu Sancto*, reſpondet ille, geminam Mathæi & Lucæ 3. phraſim occurrere, Joannes enim Baptiſta de Chriſto ait, *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, ſpiritus & ignis nomine idem omnino ſignificans. Mira tamen eſt, ait Cardinalis Perronius, Calvini aut ſupinitas, aut ignorantia; Ignem enim Joannes addidit, non ut Spiritum ſanctum, quem jam memoraverat, iterum denotaret, ſed ut exterius, & viſibile Symbolum ignis exprimeret, quod Spiritus Sancti Baptiſma, quo Apoſtoli a Chriſto ipſa Pentecoſtes die perfuſi ſunt, comitatum eſt. Quis profecto negare poteſt, ſpectare ea Joannis verba ad viſibilem Spiritus Sancti in Apoſtolos illapſum, quum Chriſtus referri illa manifeſte docuerit, ipſo Aſcenſionis ſuæ die Apoſtolis ajens, *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies?* Quum ergo, Interprete Chriſto, Spiritus & ignis, quorum Joannes meminit, non idem, ſed diverſa ſignificent, interiorem ſcilicet Spiritus Sancti in Apoſtolos effuſionem, & viſibile linguarum ignearum ſymbolum, quod occultum Spiritus Sancti illapſum proſecutum eſt, perverſe Calvinus verbis iis Joannis abuſus eſt, ut inferret, Chriſtum ea locutione: *Niſi quis renatus &c.* aquæ pariter nomine nonniſi Spiritum Sanctum indigitaſſe.

VII. Ait Calvinus „non egere Baptiſ„mo fidelium infantes, quia Paulus ipſe „illos in materno utero jam ſanctifica„tos eſſe pronunciat." Ubinam vero Paulus hæc habet? Calvinus primus & ſolus intoleranda temeritate Pauli verbis mox excutiendis tò in *materno utero* adiecit in Baptiſmi officio, quod in Synagogæ ſuæ uſum inſtituit, quum in Paulo nihil ejuſmodi occurrat, hæcque ſincera ſit Apoſtolici textus lectio 1. ad Cor. cap. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, etſi quæ mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa non dimittat illum; ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem Sancti ſunt;* quum autem eodem hoc Pauli teſtimonio Pelagiani pugnarent, idemque, quod Calvinus, ex eo niterentur inferre, infantes ſcilicet æternæ vitæ compotes abſque Baptiſmo eſſe poſſe, retudit illos validiſſime, & ineunte quinto ſæculo damnavit Catholica Eccleſia; quare quum Calvinus, ejuſque Diſcipuli Pelagianorum argumentum in eundem plane ſcopum inſtaurent, & errorem recoquant ab Eccleſia, quo tempore pura adhuc, ipſis fatentibus, erat, jam confixum, uno hoc nomine indigni eſſent, quibus reſponderemus. Cæterum quoniam hic Pauli textus eorum Achilles eſt, & nonnihil præfert obſcuritatis, in argumento primum, quod inde conflant Calviniani, refellendo, mox in exponendis Apoſtoli verbis opera ponenda eſt.

VIII. *Sanctificatio*, ait Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, *quam fidelium pueris Apoſtolus tribuit, ad hanc certe quæſtionem non pertinet de Baptiſmo, & de peccati origine & remiſſione, neque ad ſalutem confert, quæ eſt in Chriſto Jeſu: ait enim ibidem, ſanctificatum eſſe virum infidelem per mulierem fidelem, hanc etiam infidelem ſanctificatam*

eſſe per virum fidelem. Uſquene vero deſipiet aliquis, ut exiſtimet, virum infidelem, quia uxorem fidelem habet, non egere Baptiſmo: jam peccatorum remiſſione donatum, & regni cælorum compotem, quia ait Apoſtolus, ſanctificatum illum eſſe per mulierem fidelem? Quum ergo eandem filiis ſanctificationem Paulus adſcribat, quam alterntri Parentum conjugem fidelem habenti, manifeſtum eſt, non loqui Apoſtolum de ſanctitate interiori, quæ quidpiam momenti habeat ad ſalutem. Urgenti vero Calvino, quid ergo ſibi vult eo loci Paulus, reponimus, Auguſtinum, quum prius exiſtimaſſet Apoſtolum loqui de diſpoſitione ad ſanctificationem, quatenus infideles viri fœminis fidelibus juncti videbantur minus a converſionis gratia remoti, ut & eorum filii, ſubinde confeſſum eſſe ingenue, neſcire ſe, de qua ſanctificatione agat Apoſtolus, ſcire tamen ſe certiſſime non loqui illum de ſanctificatione ad ſalutem; quare etſi aliud ſcire non poſſumus, quam quod ſe ſcire ſaſſus eſt Auguſtinus, & ipſa Apoſtolicæ orationis ſerie probavit, Paulum nempe de Evangelica ſanctificatione non loqui, Calvini argumento obterendo hoc ſatis ſuperque eſt.

IX. Quum vero non una apud Patres ac Interpretes ſit hujus Apoſtolici textus expoſitio, eam amplectemur, quæ ad Apoſtoli mentem propius videtur accedere. Quum Paulus alterutrum conjugum Chriſti fidem amplexum hortetur, ut infidelem ſecum habitare conſentientem non dimittat, hac eos ratione a conſilio dimittendi infidelem conjugem deducere nititur, *alioquin*, *ajens*, *filii veſtri immundi eſſent*, ideſt illegitimi communi hominum opinione haberentur, *nunc autem*, id eſt ſi commanere pergitis, *Sancti ſunt*, ideſt in hominum oculis nullam præferunt civilem labem. Quum etiam tunc Ethnicorum ſuperſtitio dominaretur, conjux infidelis a fideli dimiſſus ſecum facile traxiſſet filios jam ſuſceptos, eoſque idolorum cultui devoviſſet: in eo autem rerum ſtatu, commanente utroque conjuge, etſi diſparis cultus, eorum filii ſancti erant, ideſt Chriſtianæ religionis myſteriis faciliime initiabantur, experimento ipſo ſæpe docente, conjugem fidelem curaſſe, ut proles quoque Chriſtianæ religioni nomen daret, non repugnante infideli, qui conſentiebat in conjugale contubernium abſque Creatoris injuria. An Apoſtolicæ ſententiæ interpretatio hæc plane congruat, definire non poſſumus: certo tamen certius eſt, nihil ex Pauli verbis erui a Calvinianis poſſe, quo ſuum errorem ſuffulciant, quum extra dubitationem ſit, non loqui Paulum de interiori & Evangelica ſanctitate, qua ſola delentur peccata, & ſalus æterna paratur.

X. Pergit Calvinus, illud jactitans, quod Gen. 17. Deus Abrahæ dixit: *Statuam pactum meum inter me, & te, & inter ſemen tuum poſt te fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te*, quibus verbis contineri puerorum ſalutem pronunciat, quod iis teſtetur Deus, infantes noſtros, antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos, in qua promiſſione acquieſcendum eſt, quum ejus effectus neque a Baptiſmo, neque ab ullis acceſſionibus pendeat. Verum non advertit ille, ex eodem hoc teſtimonio argumentum exurgere, quo hæc inſana ejus poſitio funditus profligatur; non enim fœdus a Deo cum Abrahamo ejuſque progenie initum abſolutum erat, ſed certis conditionibus illigatum, fidei nempe Abrahæ in futurum mediatorem, atque circumciſioni, quam Deus Abrahæ ejuſque ſemini edixerat; quare in veteri lege incircumciſi, nec fidei Abrahæ charactere conſignati, etſi carnalem ab illo originem ducerent, neque ad Dei fœdus ſpectabant, neque divinæ promiſſionis participes erant, jubebantur immo a Deo de populo ſuo deleri. Quum ergo circumciſioni Baptiſma ſucceſſerit, quod fidei in unum omnium mediatorem Sacramentum eſt, & cui Chriſtus novum a ſe conditum fœdus, æternæque vitæ promiſſionem adjunxit, ab hoc fœdere, & Chriſti promiſſis certe alieni ſunt, quotquot abſque hoc fidei Sacramento deceſſerint, licet parentibus fidelibus nati, niſi Baptiſmum aquæ ſuppleverit aut Baptiſma flaminis, aut martyrium.

XI. Regerit Calvinus: „ Si perditi ſint
„ omnes, quibus aqua ablui non contin-
„ git, deterior noſtra conditio eſt, quam
„ veteris populi; veniſſe enim Chriſtus
„ cenſebitur non ad implenda, ſed a-
„ bolenda promiſſa, quando promiſſio,
„ quæ tunc ante octavum diem ſaluti
„ conferendæ per ſe erat ſatis efficax, nunc
„ abſque ſigni adminiculo rata non eſſet: „

Quæ-

Quædam tamen Calvinus ut certa ſumit, quæ incomperta ſunt, neque omnibus rata. Quid ſi cum Magiſtro ſententiarum aliiſque reponerem, Hebræos parvulos ante octavam diem abſque circumciſione demortuos ab æterna ſalute excidiſſe? Quid ſi alios ſequi vellem opinantes, licuiſſe Judæis, puerulos periclitantes ante diem lege ſtatutam circumcidere? Quid denique, ſi Theologis bene multis ſubſcriberem contendentibus, præſcriptam fuiſſe divinitus Judæis circumciſionem non in originariæ labis remedium, ſed unice in ſignum, quo ab alienigenis diſtinguerentur? His tamen miſſis, reſpondeo cum Tertulliano lib. de Bap. cap. 13.: *fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini paſſionem, & reſurrectionem; at ubi fides aucta eſt credendi in nativitatem, paſſionem, & reſurrectionem ejus, addita eſt ampliatio Sacramenti, obſignatio Baptiſmi &c. lex enim tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta, ite, inquit, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris &c. Huic legi collata definitio illa, niſi quis renatus fuerit &c. obſtrinxit fidem ad Baptiſmi neceſſitatem*. Fuerit ergo efficax in veteri lege conferendæ parvulis ante octavum diem obeuntibus ſaluti proteſtatio fidei a Parentibus edita, & exteriori aliquo ſigno parvulis applicata, ut plures Scholaſtici docent, non moramur: negamus tamen, poſt Evangelii promulgationem cuiquam abſque lavacro regenerationis, niſi illud ſuppleat Baptiſmus flaminis aut martyrium, patere poſſe cœlorum regnum, quia ea Chriſti definitio, *niſi quis &c.* obſtrinxit fidem ad Baptiſmi neceſſitatem, quam verbis iis diſertiſſime contineri, Catholica Eccleſia perpetuo credidit, atque docuit.

XII. Nunquid porro hac Baptiſmi neceſſitate effecta nunc eſt gratia Dei reſtrictior, quam ſub lege, ſicuti Calvinus ineptit? Immo eſt illa multo amplior tum ob majorem Baptiſmi facilitatem, tum ob præſtantiores ejus effectus, quos omnes Calvinus impiiſſime ſuſtulit, reclamantibus licet Chriſto in Evangelio, Petro & Paulo in Epiſtolis, & cum univerſis Patribus Catholica Eccleſia, negans deleri Baptiſmo peccata, gratiam conferri, regnum cœlorum pandi, nudamque ei tribuens rationem ſigni effectus hos, quos in materno utero divina promiſſio jam operata eſt, unice denotantis. Quod tandem Calvinus addit, non ideo baptizari fidelium liberos, ut filii Dei tunc primum fiant, qui ante alieni fuerint ab Eccleſia, ſed ſolemni potius ſigno ideo recipi in Eccleſiam, quia promiſſionis beneficio jam ante ad Chriſti corpus pertinebant, intolerandum prorſus eſt; præterquamquod enim inſolentiſſimus homo totam his verbis damnat Eccleſiam, quæ unum ſemper confeſſa eſt *Baptiſma in remiſſionem peccatorum*, univerſoſque Patres, quorum hæc conſtans ſententia fuit, liberos ſive fidelium, ſive infidelium, quos omnes Paulus *natura filios iræ* pronunciat, nonniſi *per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti* renaſci, & filios Dei fieri, Pelagianis ipſis deterior eſt; *Pelagianorum enim hæreſis*, ait Auguſtinus lib. 3. *de anima, & ejus origine, quæ nullam in parvulis culpam agnoſcit originis, nunquam iis auſa eſt, regnum cœlorum abſque Baptiſmo aperire: Tu vero* (in Te, Calvine, hæc Auguſtini verba aptiſſime cadunt) *Tu vero confeſſus habere eos peccatum originis, novitate multo pejore contendis, hoc cum quo naſcuntur, peccatum eis abſque ſalutari Baptiſmo remitti, eoſque regni cœlorum participes fieri.*

XIII. Refutato Calvino, non admodum operoſum erit Diſcipulorum ejus Forbeſii, & Picteti objecta diſſolvere. Arguit primo Forbeſius, non poſſe nos antiquorum Patrum, qui ea Domini verba perperam interpretati ſunt, patrocinium jactare, niſi eadem cum iis agnoſcamus Euchariſtiæ neceſſitatem ex cap. 6. Joannis; quare ſicut ea Patrum opinio de Euchariſtiæ neceſſitate a Scholaſticis & Papiſtis jure reiicitur, eadem facilitate hæc eorum de Baptiſmi neceſſitate interpretatio reiici poteſt. Verum mentitur ille turpiſſime, exploratæ rei loco conſtituens, Patres ea Chriſti verba Joan. 6. *Niſi manducaveritis &c.* de Sacramentali Euchariſtiæ ſumptione omnibus, etiam parvulis, neceſſaria interpretatos eſſe. Legitimam eorum mentem in tractatu de Euchariſtia, præeuntibus Auguſtino, & Thoma, aperuimus, neque vacat, alibi dicta repetere. Verba ſolum dabimus Tridentini Concilii ſeſſ. 21. cap. 4., in quo docet, *parvulos rationis uſu carentes, nulla neceſſitate obligari ad Sacramentalem Euchariſtiæ ſumptionem*. Morem ſubinde commemorans antiquitus obtinentem, parvulis ſcilicet *a Baptiſmo recentibus Sacramentum hoc miniſtrandi, neque ideo tamen*, ait, *culpanda eſt antiquitas, ſi*

eum

eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit ; ut enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt , ita certe nulla eos ſalutis neceſſitate id feciſſe , ſine controverſia credendum eſt . Cur ergo Scholaſtici & Papiſtæ reiicerent opinionem Patrum de Euchariſtiæ neceſſitate , quæ Patrum nunquam fuit , ſed a Calvino , Forbeſio , aliiſque de ejus grege afficta eſt Patribus ?

XIV. Alterum, in quo triumphat Forbeſius, argumentum ſic ab eo propoſitum: illud neceſſitate medii ad finem aliquem neceſſarium non eſt , ſine quo finis obtineri poteſt , abſque Baptiſmo aquæ, fatentur Papiſtæ, flaminis vel ſanguinis Baptiſmo ſalutem haberi poſſe, ergo &c. quam eſt imbecillum, atque ridiculum ! Morari nolumus , quæ imperite ille miſcet , confundens omnia, ut argumenti ſui vim magnificet: preſſe reponimus, eam, quæ medii dicitur, neceſſitatem Baptiſmi ad ſalutem a nobis adſtrui , quod eam laudata Chriſti verba manifeſte contineant , eamque ex iis Eccleſia perpetuo intulerit, cujus auctoritatem ac interpretationem poſthabere nequit Forbeſius, niſi illam in ipſis ſui primordiis graviſſime erraſſe , ac defeciſſe concedat. Aquæ porro Baptiſma Baptiſmo flaminis, ſeu Baptiſmi ſincero voto in adultis , Baptiſmo etiam ſanguinis , ſeu martyrio ſive in adultis , ſive in parvulis in odium fidei pro Chriſto occiſis ſuppleri docemus, quod ita ſemper Eccleſia crediderit , quam proinde æquum eſt credere , ab Apoſtolis fuiſſe edoctam , ut illos a Chriſto , eum eſſe laudatæ Dominicæ ſententiæ legitimum ſenſum , quem ſi illa non eſt aſſecuta , ab ipſo ſui initio erravit, oportet , & quidem in re graviſſima , ideoque defierit. Quum hæc perpetua Eccleſiæ fides, & conſtans Dominici effati interpretatio veritas facti ſit in omnium Patrum ſcriptis , & vetuſtiſſimis Eccleſiæ monumentis teſtatiſſima , nihil regerere poteſt Forbeſius , quod in caput ſuum directe non recidat , & poſita a magiſtro ſuo, & Novatoribus omnibus communia principia non quatiat.

XV. Nimii eſſemus, ſingula perſequentes , quæ Forbeſius & Pictterus obiiciunt : duo tantum perſtringemus, quorum diſſolutio majorem veritati lucem adferre poterit. Argutantibus iis , impium & crudele eſſe , infantes a regno cœlorum excludere, ſi medio careant , quod in eorum poteſtate non erat , idem reponimus , quod Juliano Pelagiano Auguſtinus: *Dicat iſte , ſi poteſt , quomodo puer ille teſtamentum Dei diſſipavit , octo dierum , quantum ad illum proprie pertinet , innocens infans , & tamen nullo modo id Deus , vel ſacra Scriptura mendaciter diceret . Tunc ergo diſſipavit teſtamentum Dei , non hoc de imperata circumciſione, ſed illud de ligni prohibitione, quando per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit , in quo omnes peccaverunt*. Sicut ergo parvuli non circumciſi peribant, non ob neglectam circumciſionem, quæ certe ab eorum arbitrio non pendebat , ſed ob originis vitium in eos a Protoparente traductum, ita infantes a regno cœlorum exulare, docet Eccleſia, non quod Baptiſmatis aut re , aut voto caruerint , ſed quia *natura ſunt filii iræ , & in iniquitate concepti*, ad quam delendam Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, quo qui carent , infantes non ideo pereunt, quod illud omiſerint, ſed quia a macula, quæ illos a regno cœlorum removet, emundati non ſunt. Cavillantibus iiſdem, Chriſtum quum ait, *qui vero non crediderit, condemnabitur*, ſolius fidei, non Baptiſmi neceſſitatem prædicaſſe , quia damnationis reos pronunciavit eos , qui fide , non qui Baptiſmo caruerint , reſpondemus , peccare illos impudenter in Chriſtum, qui jam præmiſerat , *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit* , fidei ſimul ac Baptiſmi neceſſitatem indicans ad ſalutem ; ideo vero non addidit, qui non crediderit, & baptizatus non fuerit , condemnabitur , quia , ut quis a ſalute excidat, ſatis eſt, ſi aut fide careat, aut Baptiſmo ; *bonum* enim , aut ajunt *Philoſophi , ex integra cauſa , malum autem ex quocumque defectu*, ſeu ad ſalutem obtinendam ſervanda ſunt omnia , quæ Chriſtus inſtituit ; *quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus* , ait Jacobus Apoſtolus.

XVI. Hactenus adverſus Calvinum , ejuſque Diſcipulos: de eadem nunc Baptiſmi neceſſitate adverſus Catholicos quoſdam agendum eſt , quorum in hoc capite gravis error diſſimulari non poteſt . „ Hi „ neſcio quo pietatis obtentu protecti dicere audent, ait Clariſſimus Soto, pueros „ abſque Baptiſmo obeuntes, miſericordia „ Dei

„ Dei Baptiſmi defectum ſupplente, ab originali culpa mundatos ad regnum cœlorum admitti; quoniam vero de hac re per ora vulgi circumfertur doctiſſimus Cajetanus, illum nomino, quem tamen ſemper nonniſi honoris gratia, nominare ſoleo; Is enim ſuis in commentariis in 3. D. Thomæ partem quæſt. 68. (ſub correctione tamen, & quæ ſua erat modeſtia, ac religio, nihil pertinaciter aſſerendo) utrumque ceu probabile profert, art. ſcil. 2. ajens, in caſu neceſſitatis, nempe ubi non eſt aquæ copia, videri Baptiſmum in voto Parentum cum exteriori præſertim aliquo ſigno, puerorum ſaluti ſufficere: art. poſtmodum 11. de pueris agens, qui nondum nati ſunt, ſed in materno utero periclitantur, ſcribit (ſub eadem cenſura tamen) poſſe eos pari modo ſalvari Baptiſmo in voto Parentum, cum aliqua benedictione, & Trinitatis invocatione. At vero ſalva ſemper Doctoris eximii auctoritate utramque opinionis ejus partem falſam eſſe non dubito. “ Hæc Dominicus Soto celeberrimus Tridentini Concilii Theologus de ſingulari Cajetani opinione; quam licet a Tridentinis Patribus nulla cenſura, Hieronymo Seripando ejuſdem Concilii Legato agente, fuiſſe notatam, ſcribat in Tridentini Concilii hiſtoria Cardinalis Pallavicinus, illam tamen S. Pius Quintus ex commentariis ejus in tertiam D. Th. partem juſſit expungi.

XVII. Ex pluribus momentis, quibus laudatus Soto, quoſdam præſertim ſuæ ætatis Theologos perſtrinxit, qui, quod Cajetanus temperatiſſime inſinuaverat, conſtanter aſſeverabant, paucula ſeligemus, ſed validiora: Primo quum univerſales ſint ex Chriſti ſententiæ, *Niſi quis renatus &c. Oportet vos renaſci denuo; Qui crediderit & baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*, annon pluſquam temeratius auſus eſt, quempiam inde ſubducere abſque expreſſa Dei revelatione per Eccleſiæ ſcitum? Ea enim eſt Scripturæ ſinceritas, ut niſi exceptio aliqua eodem Dei eloquio exprimatur, aut Eccleſiæ auctoritate fiat, ſacrilega ſit ea gloſſa, quæ adverſus generalem Scripturæ ſententiam privilegium, aut Dei miſericordiam obtendit: 2. Quum æque generalis ſit ea Chriſti ſententia: *Niſi pœnitentiam egeritis*, *omnes ſimul peribitis*, ac altera, *niſi quis renatus &c.* nec Deo plus repugnet actuale abſque pœnitentia, ac originale peccatum abſque Baptiſmo remittere, ſi adfirmare liceat, abſque Baptiſmo vel re, vel voto ſuſcepto emundari quempiam poſſe ab originali culpa, quidni pari facilitate adſerere liceat, cuipiam impœnitenti ex Dei miſericordia actualia peccata remitti poſſe? Poſterius hoc autem, quam erroneum, atque abſurdum ſit, nemo non videt: prius ergo æque abſurdum eſt & erroneum: 3. Auguſtinus in epiſt. 166. ad Hieronymum ſcribit, eos, qui dixerint, *vivificari in Chriſto parvulos ſine Baptiſmo de hac vita exeuntes*, *contra Apoſtolicam prædicationem venire*, *totamque Eccleſiam condemnare*, *in qua ad baptizandos parvulos propterea properatur*, *& curritur*, *quia ſine dubio creditur*, *aliter eos in Chriſto vivificari non poſſe*; qui ergo aliud præter communem legem ex Dei miſericordia medium commenti ſunt, quo parvuli ſive adhuc maternis uteris clauſi, ſive jam editi abſque Baptiſmo ſalventur, ii ab Apoſtolica doctrina & perpetua Eccleſiæ fide aberrarunt.

XVIII. Præcipuum ac ferme unicum Adverſariorum argumentum quodam pietatis velamine obtectum, hoc eſt, non decere ſcilicet divinam bonitatem, ut pueris, qui antequam Baptiſmo idonei ſint, in utero moriuntur, Deus aliquod ſalutis remedium non inſtituerit, idemque ferme de iis dicendum, qui jam in lucem excluſi vel aquæ inopia, vel aliqua negligentia immaturi obeunt abque Baptiſmo: ſed miraculum eſt, novum hoc pietatis genus ab antiquis Patribus iiſque piiſſimis agnitum non fuiſſe, tunc vel maxime quum Pelagiani hoc eodem Achille tam erant Eccleſiæ infeſti; centies enim apud Auguſtinum legere eſt, argutatos eſſe Pelagianos, gratiam Dei fatum, vel perſonarum acceptionem potius eſſe, quam gratiam, ſi ex duobus Adultis abſque ullo merito, alteri opitulatur Deus, ut convertatur, non vero alteri, & ex duobus parvulis abſque hujus diligentia, & illius negligentia, hic Baptiſmo abluitur, ille abſque Baptiſmo moritur. Quid vero Catholicorum omnium nomine Auguſtinus? Nullam perpetuo hujus cauſam agnoſcens, niſi voluntatem Dei, qui quum nulli ſit debitor, nulli injuriam facit, ſi hunc eligat, illum vero deſerat, *cur ad illum veniat*, ait, *ad illum non veniat*, *occulta eſſe cauſa poteſt*, *injuſta non poteſt*; *hujus*

enim

enim profunditatis ſtupore perculſus Paulus ajebat, o altitudo divitiarum! ſubdenda ergo ſunt colla auctoritatibus Scripturarum .. nulla ex noſtro arbitrio, præter Baptiſmum, ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura Divina humanis omnibus ingeniis præferenda.

XIX. „ Sane, ſi argumentum hoc tam
„ eſſet urgens, quam iſti arbitrantur, ait
„ graviſſime laudatus Soto, pateret latiſ-
„ ſime ad eos uſque, qui adulta ſunt æ-
„ tate. Dum enim ex Ethnicis vel qui-
„ buſque infidelibus, alios in viam juſtitiæ
„ perducat lux fidei caſu quodam mirabili,
„ & ſpecie tenus fortuito, aliis in ſua ca-
„ ligine relictis, atque inter Chriſtianos duo-
„ rum eodem lecto pari culpa ſordentium
„ ſubitum fulmen alterum extinguat, al-
„ ter vero ſoſpes metu ſalutari perculſus
„ ſinceros pœnitentiæ fructus deinde agat,
„ in quam, rogo, cauſam referre poſſu-
„ mus, niſi quod Deus *Jacob dilexit*, *Eſau*
„ *autem odio habuit*, & quod ex eodem
„ lecto, ex eodem agro, ex omni denique
„ ætate, ſorte, & negotio mortalium aſ-
„ ſumatur unus, & relinquatur alter, ſi-
„ cut Chriſtus Lucæ 17. ait? Sicut ergo
„ in adultis propriæ cujuſque culpæ impu-
„ tandum eſt, quod relinquatur, & *non*
„ *volentis, neque currentis, ſed miſerentis*
„ *Dei eſt*, quod aliquis aſſumatur, ita
„ quod ex eadem perditionis maſſa extra-
„ hantur puerorum aliqui, ut baptiſmate
„ abluti fiant juxta Apoſtoli phraſim *vaſa*
„ *in honorem, miſerentis Dei eſt*, qui oſten-
„ dere voluit *divitias gloriæ ſuæ in vaſa*
„ *miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*;
„ adſcribendum vero culpæ ad parvulos ex
„ Adamo traductæ, quod eorum aliqui in
„ eadem perditionis maſſa relicti abſque
„ Baptiſmo decedant, & *vaſa iræ* ſint
„ *apta in interitum*, quin divinæ bonitati
„ quidpiam detrahatur, quam licet Deus
„ in omnibus manifeſtet, ait præclare An-
„ gelicus, non tamen eodem modo, ſed in
„ aliquibus per modum miſericordiæ, in
„ aliis per modum juſtitiæ. "

XX. Diluendis Adverſariorum objectis, quæ ex generali Dei voluntate omnium hominum ſalutem ſincere complectente, & ex morte, quam Chriſtus in eundem finem obiit, peti poſſunt, non eſt, cur vacemus; non enim noſtrum eſt, ſed eorum, qui de voluntate Dei, & medicinali Servatoris gratia agunt. Adnotare ſat fuerit, Eccleſiam ſemper profeſſam eſſe, Deum ſincere velle omnes ſalvos fieri, & Chriſtum pro omnibus obiiſſe, nunquam tamen ſalutem æternam præter Baptiſmum infantibus promiſiſſe, quam non promiſit idem ille, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ſemetipſum dedit redemptionem pro omnibus, quod argumento eſt, Theologos, quos refellimus, ſuam hanc de parvulorum ſine Baptiſmo obeuntium ſalute opinionem perperam invexiſſe, ut laudatorum dogmatum firmitati conſulerent. Iiſdem vero argumentum ex veteri lege ducentibus, in qua parvuli ante octavum diem vita functi, fide parentum alio ritu, quam circumciſione, applicata ab originaria labe mundabantur, idem reponendum eſt, quod ex Tertulliano hoc idem obiicienti Calvino jam repoſuimus. Arguentibus denique, parvulos ut aliena culpa infecti ſunt, ita poſſe aliorum fide atque voto mundari, reſpondemus, Apoſtoli canonem eſſe, ut in uno peccaverunt omnes, ita nonniſi in uno omnes vivificari; quemadmodum autem ii ſolum in Adamo moriuntur, *qui ex concupiſcentia carnis*, ut ait Auguſtinus, *& lege peccati, & mortis carnaliter generantur*, ita nonniſi ii in Chriſto vivificantur, qui ex eo ſpiritualiter renaſcuntur. Solo autem regenerationis lavacro, aut ejus voto, aut Baptiſmo ſanguinis, vivificari in Chriſto homines poſſe poſt Evangelii promulgationem, conſtantiſſime Eccleſia docuit: præter itaque Scripturarum auctoritatem, & perpetuam Eccleſiæ doctrinam excogitatum eſt a nonnullis modus alius, quo poſſint pueri ſpiritualiter in Chriſto renaſci atque vivificari ....

PROPOSITIO V.

Ratum eſt & ſanctum Baptiſma adminiſtratum Infantibus.

I. A Baptiſmi neceſſitate ad eos, qui illum ſuſcipiunt, recta progredimur, præmonſtrante nobis hunc ordinem Doctore Angelico, qui poſt excuſſam Sacramenti hujus neceſſitatem, de iis quæſtionem inſtituit, quibus fas, aut nefas eſt, illud adminiſtrare. Etſi autem plura quærat ille de adultis, puta peccatoribus, Hæreticis aut Schiſmaticis, amentibus ac furioſis in ſola tamen quæſtione hæremus, quam art. 9. ipſe excitat, *ſintne* videlicet *baptizandi pueri*, quod hæc

exte-

Digitized by Google

cæterarum graviſſima eſt, ad quam finiendam tres poſtremos de Baptiſmo canones edidit Tridentinum adverſus Anabaptiſtas, infauſtam Luteranæ Sectæ propaginem. Hi enim veterum Valdenſium, Henricianorum, & Catharorum deliramentum ſextodecimo ſæculo in Germania inſtaurantes atrox Pædobaptiſmo bellum indixerunt, illum non ſacrilegum ſolum, ſed & irritum pronunciantes, novoque Baptiſmo eos tingere auſi, qui ante rationis uſum baptizati fuerant, unde illis Anabaptiſtarum ſive Rebaptizantium nomen ad infamiæ notam adhæſit. In errorem hunc licet ab hominibus ſuarum partium exſuſcitatum tum voce, tum calamo acerrime invectus eſt Lutherus, eumque non uno ſuorum librorum loco multum exagitavit Calvinus, ac ſubinde inſectati ſunt plures utriuſque Sectæ Scriptores, divina agente providentia, ut neque ſcientes, neque volentes validiſſima Catholicis miniſtrarent arma, quibus pleroſque eorum errores profligarent.

II. Quum Pædobaptiſmum nulla Dei inſtitutione fundatum eſſe jactarent Anabaptiſtæ, ſed hominum duntaxat audacia, pravaque curioſitate invectum, ſtulta deinde facilitate uſu temere receptum, Calvinus lib. 4. inſtit. cap. 16. demonſtrare aggreſſus eſt, illum certa ſcripti Dei verbi auctoritate fulciri; ſed neque, quæ protulit ille ex veteri & novo fœdere teſtimonia, rem conficiunt, neque ullus eſt in Scripturis perſpicuus locus, quo veritas hæc probari directe poſſit; quare merito ait Clariſſimus Bellarminus, *ſeclusa traditione non ſcripta* non poſſe veritatem hanc adverſus Anabaptiſtas evinci. Quæ ſit traditionis hujus ad firmanda Chriſtianæ fidei capita efficacitas, non eſt, cur probemus, quum refellendis Anabaptiſtis ſatis ſuperque ſit, veritatem facti proferre, quam nemo eorum negavit hactenus, neque negare poteſt, Pædobaptiſmum ſcilicet ipſa Apoſtolorum ætate univerſim in Eccleſia viguiſſe, moremque hunc ab Apoſtolis ortum in prioris ævi Eccleſia retentum fuiſſe religioſiſſime. Quin neceſſe ſit plures veritatis teſtes advocare, Juſtinum M. in Apol. 2., Irenæum lib. 2. adverſus hæreſes, Tertullianum in lib. de Baptiſmo, Cyprianum in epiſt. ad Fidum, Nazianzænum orat. in Sanctum Baptiſma, Hieronymum lib. 3. contra Pelagianos, alioſque multos, in ore duorum aut trium teſtium ſtabit hoc verbum, ſecundum Chriſti & Pauli ſententiam. Primus huic facti veritati teſtimonium perhibet Origenes in cap. 6. epiſt. ad Romanos hæc habens: *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem ſuſcepit, etiam parvulis Baptiſmum dare, ſciebant enim illi, quibus myſteriorum ſecreta commiſſa ſunt divinorum, quia in omnibus genuinæ eſſent ſordes peccati, quæ per ſpiritum, & aquam ablui deberent.*

III. Teſtis alter graviſſimus Auguſtinus in epiſt. 28. ad Hieronymum Cypriani de infantium Baptiſmo ſententiam, editumque ea de re in ſexaginta ſex Epiſcoporum Concilio decretum memorans, ait, *non aliquod decretum novum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſervans ad corrigendum eos, qui putabant, non eſſe ante octavum diem nativitatis parvulum baptizandum, mox natum rite baptizari poſſe, cum ſuis quibuſdam Coepiſcopis cenſuit.* His præmiſſis ita Anabaptiſtas urgemus: Primo non Origenes ſolum, & Auguſtinus, ſed veteres quique Patres Pædopaptiſmi ſua ætate in Eccleſia obtinentis locupletiſſimi teſtes, ejus originem ad Apoſtolos referunt: alterutrum ergo fateantur Anabaptiſtæ, neceſſe eſt, aut viros illos graviſſimos, & ſanctiſſimos, Apoſtolico ævo proximos, quorum aliqui ab iis, qui Apoſtolos audiverant, eruditi ſunt, omnes in ducenda ab Apoſtolis moris hujus origine erraſſe, quod abſque inſigni temeritate ne cogitari quidem poteſt, aut morem hunc non hominum audacia, & prava curioſitate invectum fuiſſe, ſed ipſa Dei inſtitutione fundatum eſſe; nefas enim eſt ſuſpicari, Apoſtolos morem hunc, quem cum Chriſti inſtituto pugnare blaterant Adverſarii, arbitratu ſuo induxiſſe, & Eccleſiæ commendaſſe: 2. Quamquam nullus occurrat primi ſæculi Scriptor, qui Pædobaptiſmo tunc in Eccleſia celebrato locuples perhibeat teſtimonium, extra controverſiam tamen eſt, illum in Eccleſia paſſim fuiſſe uſitatum 2. 3. & 4. ſæculis, quum hanc facti veritatem & laudati Patres, & Concilia plura tertio & quarto ſæculo habita, & Romani Pontifices Siricius, & Innocentius I., quorum alter ante quarti ſæculi exitum, alter ipſo quinti initio floruit, graviſſima teſtificatione ſua confirment; non pugnat ergo cum Chriſti inſtitutione, & mandato Pædobaptiſmus; alioqui adſtruant

Anabaptiſtæ, oportet, paulo poſt Apoſtolorum obitum univerſam Eccleſiam intercidiſſe, quippe quæ in errorem graviſſimum divinæ legi, ut ajunt ipſi, directe contrarium, & innumeris exitiabilem jam tum deflexerat.

IV. Nugantibus Anabaptiſtis, nuſquam reperiri vel infantem unum per Apoſtolorum manus fuiſſe baptizatum, reſpondet Calvinus, „ Etſi id nominatim a ſacris Scriptoribus non narretur, quia tamen neque excludunt illos, quoties familiæ alicujus integræ ab Apoſtolis baptizatæ mentionem habent, quis inde, niſi inſanus ratiocinetur, eos non fuiſſe baptizatos? Si quid valerent id genus argumenta, mulieres pariter cœna Domini eſſent interdicendæ, quas Apoſtolorum ſæculo ad eam admiſſas fuiſſe non legimus; ſed in his fidei regula contenti ſumus: dum enim reputamus, quid ferat cœnæ inſtitutio, ex eo etiam, quibus communicandus ſit illius uſus, facile judicium eſt, quod in Baptiſmo obſervamus; ſiquidem ubi animadvertimus, quem in finem fuerit inſtitutus, evidenter conſpicimus, non minus infantibus competere, quam natu grandioribus, nec eo privari illos poſſe, quin Dei auctoris voluntati manifeſta fraus fiat. Quod autem apud ſimplicem plebem diſſeminant, longam annorum ſeriem poſt Chriſti reſurrectionem præteriiſſe, quibus incognitus erat Pædobaptiſmus, in eo fœdiſſime mentiuntur; ſiquidem nullus Scriptor eſt tam vetuſtus, qui non ejus originem ad Apoſtolorum ſæculum pro certo referat." Hæc Calvinus recte, cujus quoque reſponſum ſubjiciam, quo alterum Anabaptiſtarum argumentum retudit, ut Dei providentiam demiremur ex inimicorum ore teſtimonium extorquentis, eiſque immitentis ſpiritum vertiginis, ut nunc aſſerant, quod paulo ante negaverant; Calvinus enim Anabaptiſtarum argumento preſſus cap. 16. n. 17. eam neceſſitatem Baptiſmi aperte adſtruit, quam ad capitis quintidecimi calcem ſuſtulerat.

V. Regerentibus Anabaptiſtis, arcendos a Baptiſmo pueros, quod per ætatem non ſint idonei, qui ſignatum illic myſterium aſſequantur, ſpiritualem nempe regenerationem, quæ cadere in primam infantiam nequit, nec alio loco eos habendos, quam pro Adæ filiis, donec in ætatem adoleverint ſecundæ nativitati congruentem, reponit Calvinus, „ refragari his omnibus Dei veritatem; nam ſi inter filios Adæ ſinendi ſunt, in morte relinquantur, quando in Adam nihil quam mori poſſumus. Contra vero Chriſtus eos ad ſe adduci jubet: quid ita? quia vita eſt; eos ergo ut vivificet, ſui participes facit: Anabaptiſtæ vero eos longe abactos morti adjudicant; nam ſi tergiverſantur, non ideo perire infantes, ſi filii Adæ reputentur, Scripturæ teſtimonio eorum error revincitur, nam quum in Adam omnes mori pronunciet, ſequitur nullam niſi in Chriſto vitæ ſpem reſtare. Quo igitur vitæ hæredes ſiamus (quod non citra regenerationem fiet) nos cum eo communicare oportet. At, quomodo, inquiunt, regenerantur infantes nec boni, nec mali cognitione præditi? Reſpondemus, opus Dei, etſi captui noſtro non ſubjaceat, non tamen eſſe nullum. Si ingenitam ſibi corruptionem ex matris utero afferunt, ea repurgatos eſſe, oportet, antequam in regnum Dei admittantur, quo nihil inquinatum ingreditur. Si peccatores naſcuntur, ut David, & Paulus affirmant, aut Deo ingrati inviſique maneant, aut juſtificentur, neceſſe eſt. Et quid ultra quærimus, quum palam ipſe Judex affirmet, nullis patere in vitam cæleſtem ingreſſum, niſi renatis?" Hæc Calvinus, qui utinam ſibi conſtitiſſet.

VI. Quum inſtarent ferociter Anabaptiſtæ, illud Chriſti Mathæi ultimo opponentes, *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, atque inde inferentes, removendos a Baptiſmo pueros, qui neque doctrinæ, neque fidei capaces ſunt, reſpondet apte Calvinus, „ Potiſſimum eo loci a Chriſto de prædicando Evangelio mandatum dari, cui baptizandi miniſterium appendicis inſtar ſubnectit, neque aliter de Baptiſmo ſermonem haberi, niſi quatenus docendi functioni ejus adminiſtratio ſubeſt; Apoſtolos enim mittit Chriſtus ad Evangelium omnibus gentibus promulgandum, ut undique in regnum ſuum perditos ante homines doctrina ſalutis colligant. Quos autem illos & quales? Certum, nullam niſi de iis, qui doctrinæ recipiendæ pares ſint, eſſe mentionem. Subin-

„ de

„ de addit, tales, ubi inſtructi fuerint, baptizandos, adjecta promiſſione, ſalvos fore, qui crediderint, & baptizati fuerint. An de infantibus toto illo ſermone vel ulla ſyllaba? Quæ igitur hæc, qua nos impetunt, argumentandi erit formula, qui adulta ſunt ætate, inſtruendi ſunt, ut credant, prius, quam baptizentur, Baptiſmum ergo communem facere infantibus, nefas eſt? Non aliud ex hoc loco oſtendent, quam prædicandum eſſe Evangelium iis, qui audiendi capaces ſunt, antequam baptizentur, quum de iis tantum agatur, non vero impediendos a Baptiſmo infantes. “

VII. Rem ſubinde Calvinus aptiſſima ſimilitudine declarat ajens: „ Si quis alimentis privandos infantes cavilletur hoc prætextu, quod Apoſtolus non permittit, ut edant, niſi qui laborant, nonne dignus erit, qui ab omnibus conſpuatur? Cur ita? Quia quod de certo hominum genere, ac certa ætate dictum fuerat, ad omnes indifferenter rapit. Nihilo in præſenti cauſa major illorum eſt dexteritas; quod enim ad adultam ſolum ætatem pertinere, nemo non videt, ad infantes trahunt, ut hæc quoque ætas ſubjaceat regulæ, quæ nonniſi grandioribus poſita fuerat. Chriſti non ante trigeſimum annum baptizati exemplum eorum cauſam nequaquam fulcit; tunc enim Chriſtus ſua prædicatione ſolidum Baptiſmi fundamentum jacere inſtituebat; quare quum Baptiſmum ſua doctrina inſtituere vellet, quo majorem ſuæ inſtitutioni auctoritatem conciliaret, ſuo ipſius corpore ſanctificavit, idque, qua maxime decebat, temporis opportunitate, quum ſcilicet ſuam prædicationem auſpicaretur. Denique nihil aliud conficient, niſi Baptiſmum originem, & exordium ſumpſiſſe ab Evangelii prædicatione. Quod ſi annum trigeſimum præfigere libet, cur eum non obſervant Anabaptiſtæ, ſed, ut quiſque eorum judicio ſatis profecit, eum ad Baptiſmum recipiunt? “ Hæc exſcribere voluimus ex Calvino, ut Dei potentiam laudemus, ſicut olim populi ſui, ita nunc communes Eccleſiæ ſuæ hoſtes in ſemetipſos armantis, ut mutuis vulneribus ſe concidant. Cæterum expeditiori reſponſo uti poſſumus ex perpetua Eccleſiæ doctrina, & conſuetudine ducto; quum enim ab ipſa Apoſtolorum ætate in more habuerit illa Pædobaptiſmum, niſi tunc nullam fuiſſe Chriſti Eccleſiam velint Anabaptiſtæ, fatendum eſt, eam a ſpiritu veritatis edoctam fuiſſe, quæ de fide, & pœnitentia Baptiſmo præmittendis Scriptura frequenter habet, ad ſolos adultos ſpectare, & Chriſti trigeſimo ætatis anno ad Baptiſmum accedentis exemplum neque fixiſſe regulam, quam ſequeremur, neque legem ſanxiſſe, qua teneremur.

VIII. Reliqua adverſariorum objecta ſtrictim jam perſequamur: Ajunt 1. ineptos eſſe Baptiſmo pueros, qui rationis impotes nequeunt Sacramentum velle, quod ſuſcipiunt, quam tamen voluntatem ſeu intentionem Romanenſes docent neceſſariam iis eſſe, qui baptizantur. 2. Quum nos *ſalvos faciat Baptiſma*, ut ſcribit Petrus, *non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*, qui poſſunt infantes eſſe, quorum pro ætate illa, nulla poteſt eſſe conſcientia, neque interrogationes percipiendi facultas? 3. Quum Tridentinum can. 7., & 8. definierit, eos, qui baptizantur, non ſolius tantum fidei, ſed & univerſæ legis Chriſti, imo & omnium Sanctæ Eccleſiæ præceptorum, quæ ſcripta vel tradita ſunt, ſervandorum debitores fieri, annon iniquum eſt, infantes neque volentes, neque ſcientes tanto debito obſtringere, & duræ huic neceſſitati ſubjicere? Id Tertulliano ipſi, & Gregorio Nyſſæno viſum eſt injuſtum, quare prior in lib. de Baptiſmo c. 18. parvulos ad Baptiſmum non admittendos eſſe pronunciat, niſi quum adulti Chriſtum noſſe potuerint, atque ſalutem petere, alter oratione 40. In ſanctum lavacrum cenſet, baptizandos eſſe ea ætate pueros, qua myſticas res audire, & reſpondere poſſunt, & licet minus plene intelligant, imbuuntur tamen & informantur. Hinc & ſancta illa in veteri Eccleſia conſuetudo, neminem *facto Baptiſterio niſi adulta ætate admovendi*, ſicut referunt viri Clariſſimi Valafridus ſtrabo lib. de rebus Eccleſiaſticis, & Ludovicus Vives celeberrimus librorum Auguſtini de civitate Dei Scholiaſtes.

IX. Satis ſuperque duæ priores argumenti partes obtritæ eſſent uno illo reſponſo, quod ex conſtanti Eccleſiæ conſuetu-

tudine mox petivimus; ſi enim non erravit illa ab ipſo Apoſtolorum ævo Pædobaptiſmum in uſu habens, evidens eſt, edoctam illam fuiſſe divinitus, neceſſitatem hanc intentionis ſolos adultos afficere, & laudata Petri verba, quemcumque demum ſenſum habeant, in ſolos adultos cadere. Cæterum ne videamur aliorum reſponſa parvi facere, ea ſubjicimus, quæ utrique huic argumento D. Thomas adhibuit. „ Regeneratio ſpiritualis, quæ „ Baptiſmo fit, ait ille, nativitati carna„ li eſt quodammodo ſimilis, quantum „ ad hoc, quod ſicut pueri in maternis „ uteris conſtituti, non per ſe ipſos nutri„ mentum accipiunt, ſed ex nutrimento „ matris ſuſtentantur, ita etiam pueri an„ te rationis uſum quaſi in utero matris „ Eccleſiæ conſtituti, non per ſe ipſos, „ ſed per actum Eccleſiæ ſalutem ſuſci„ piunt. Si autem, ut ait Auguſtinus, „ recte fideles vocantur, quoniam fidem „ per verba geſtantium quodammodo pro„ fitentur, poſſunt eadem ratione dici in„ tendentes non per actum propriæ in„ tentionis, ſed eorum, a quibus offerun„ tur . . . . Sicut puer quum baptizatur, „ non per ſe ipſum, ſed per alios credit; „ ita non per ſe ipſum, ſed per alios in„ terrogatur, & interroganti confitentur „ fidem Eccleſiæ in perſona pueri, qui „ huic fidei aggregatur per fidei Sacra„ mentum. Conſcientiam autem bonam „ conſequitur puer etiam in ſe ipſo non „ quidem actu, ſed habitu per gratiam „ ſanctificantem. Hactenus ex D. Tho„ ma.

Veritatem memoratis Tridentini canonibus definitam firmiſſime retinemus, eam quoque rejicimus erroris & temeritatis plenam Eraſmi adſertionem, parvulos ſcilicet, quum adoleverint, interrogandos, an ratas habeant promiſſiones per eorum Sponſores factas, neque ad Chriſtianam vitam cogendos, ſi eas confirmare noluerint, adverſus quam jam a Pariſienſi Facultate confixam poſtremus de Baptiſmo Canon a Tridentino editus eſt. Quid vero? Iniquum ne fuerit, hanc eis ante rationis uſum obligationem per Baptiſmum injicere, a qua reſilire certe nequeunt, quum per ætatem facti ſunt ſui juris? Si Baptiſmus, & Chriſtianæ vitæ profeſſio quidpiam adiaphorum eſſent, nec niſi conſilii loco habenda, non eſſet, cur Anabaptiſtis & Eraſmo ſuccenſeremus; verum, quum certo certius ſit, præter eam, quæ medii eſt, neceſſitatem, adultos divino quoque præcepto ad ſuſcipiendum Baptiſma, & capeſſendum Chriſtiani nominis inſtitutum obſtringi, quæ, amabo, pueris injuria fit, ſi Sacramento tinguntur, ſine quo ſalutem habere non poſſunt, ſi recentes ab utero profeſſioni illi addicuntur, quæ ab adultis quibuslibet ſuſcipienda neceſſario eſt, & ſancte tenenda, ſi ſalvi eſſe velint? Optime potius iis conſulitur; præter enim alia bene multa Pædobaptiſmi commoda, illud ad rem noſtram opportune facit, quod animadvertit Angelicus, *decere* ſcilicet *parvulos baptizari, ut a pueritia nutriti in iis, quæ ſunt Chriſtianæ vitæ, in ea firmius perſeverent, ſecundum illud Proverb. 22. Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.*

XI. De genuina Tertulliani mente non una eſt Interpretum ejus opinio. Poſt excuſſam diligenter integram orationis ejus ſeriem, mihi videor deprehendiſſe, quod & Domno Bernardo Marechal in ſua Latinorum Græcorumque Eccleſiæ Patrum concordia animadverſum eſt, peculiare Tertulliani placitum de parvulorum præſertim Baptiſmate differendo, niſi neceſſitas urgeat; Homo enim rigidioris diſciplinæ cultor immodicus, metuens, ne facile a gratia regenerationis exciderent, qui, dum adhuc eſſent rationis impotes, fuerant regenerati, ſuadere conatus eſt, differendum in eam ætatem Baptiſma, qua pares eſſent cognoſcendæ præſtantiæ Sacramenti, quo initiabantur. Cenſuit quoque adultorum cælibum Baptiſma procraſtinandum, *donec aut nuberent, aut continentia roborarentur*, ne incontinentiæ ſtimulis acti ſanctitatem Baptiſmi polluerent. Hæc tamen ejus, ut & Gregorii Nyſſeni in tertium ætatis annum differendum Baptiſma cenſentis, ſingularis opinio nihil nobis negotii faceſſit, qui Patres ſumme veneramur ut teſtes doctrinæ ſuo ævo in Eccleſia receptæ; ſi quid vero ſinguli ex proprio ſenſu proferunt, ab Auguſtino vetamur, illud abſque idonea probatione ſuſcipere; quare quum Tertullianus, & Nazianzenus iiſdem iis in locis, ex quibus argumenta petunt Anabaptiſtæ, Pædobaptiſmo ſua ætate in Eccleſia univerſim obtinenti teſtimonium diſertiſſimum præbeant, rationes vero, quibus ad Baptiſmi dilationem optandam

ad-

Digitized by Google

adducti ſunt, vim non habeant (ſalvo ſemper, quod tantis Viris debetur, obſequio) perſuadendi, adverſus præſertim antiquiſſimam, ductamque ab Apoſtolis univerſalis Eccleſiæ conſuetudinem, graviſſimæ iccirco eorum teſtificationi ſtamus, peculiari vero eorumdem opinione non permovemur.

XII. Nec tamen hæc eorum opinio quidpiam habet, quod Anabaptiſtarum errori affine ſit; etſi enim optarit uterque, ut parvulorum Baptiſma in eam ætatem protraherentur, qua vel plene Chriſtum noſſe, & petere ſalutem poſſent, aut imperfecte ſaltem imbui, & informari, nunquid Pædobaptiſmum hic, aut ille improbavit; & irritum, aut illegitimum pronunciavit? Soli Vvaldenſes, Henriciani, & Cathari in Anabaptiſtis redivivi id auſi ſunt, ſæpe iccirco ab Eccleſia confixi; qui nec illud arripere poſſunt, quod ibidem Tertullianus adjecit. *Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Licet enim nonnullis viſus ſit Tertullianus originariæ labis traductionem iis verbis negaſſe, abfuiſſe illum tamen ab hoc errore longiſſime, probat laudatus Marechal locupletiſſimis ejuſdem Tertulliani teſtimoniis, quibus traduci in omnes Adæ filios peccatum & mortem, diſerte docet; quare innocentes parvulos dixit, quod peccatis propria voluntate admiſſis nondum inquinati ſint, ad quæ delenda Baptiſmo opus habeant. Quam ſcite denique graviſſimis & coævis Pædobaptiſmi ab ipſa pene Apoſtolorum ætate in Eccleſia uſu recepti teſtibus opponuntur Strabo noni ſæculi Scriptor, & Viveſius ſextidecimi ſæculi intemperans criticus, meliuſque de re Gramatica, quam Sacra, aut Hiſtorica meritus! Nonne etenim fluxa & nulla eſt Scriptorum auctoritas, qui tantum ab iis ſæculis diſtant, quorum doctrinæ, & diſciplinæ aliud nobis exhibere ſpecimen volunt, quam quod teſtes omni exceptione majores, & ſyncroni tradiderant? Omnes ſane Hiſtoriæ & Criticæ leges ignoraſſe videntur, qui ex ſeris Scriptoribus errori ſuo præſidium arceſſunt.

PROPOSITIO VI.

Perinde valet Baptiſma, ſive aſperſione, ſive infuſione, ſive immerſione, hacque una, vel trina adminiſtretur.

I. Quæſtioni de ſuſcipientibus Baptiſmum alteram D. Thomas ſubjicit de Baptiſmi effectibus, quam prætterimus intactam, tum quod nonnulla jam de argumento hoc delibavimus propoſ. 4. de Sacramentis in genere, tum quod in eadem hac de Baptiſma tractatione ſalutarium ejus effectuum non ſemel mentionem habuimus, remiſſionis ſcilicet omnium peccatorum, regenerationis in filios Dei, & reſervationis regni cœleſtis, niſi ſuſcipientis fictio hos effectus impediat; neque defenſionem ſuſcipimus reliquorum Tridentini canonum, quibus adverſus Novatores edixit, baptizatos non *ſolius fidei, ſed & totius divinæ legis ſervandæ fieri debitores, neque ab Eccleſiæ præceptis liberos eſſe, neque vota, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo jam factæ irrita eſſe*; quum enim Theologiæ morum Tractatores hanc ſibi provinciam jure vendicent, & laudata fidei capita in tract. de legibus adverſus Novatores tueantur, nolumus in alienos fines excurrere. Quod ergo noſtrum vere eſt, perſequentes, varium primo excutimus adminiſtrandi Baptiſmi modum, propoſitione ſequenti ceremonias explanaturi, quarum aliæ pervetuſto Eccleſiæ inſtituto ſolemni Baptiſmi adminiſtrationi præeunt, aliæ eam comitantur, aliæ ſubſequuntur, quum Romanæ Eccleſiæ adverſarii gravem nobis de utroque hoc capite litem inferant.

II. Quoniam autem in D. Thomæ veſtigiis jubemur inſiſtere, ejuſque inconcuſſa doctrina tum ad firmanda fidei capita, tum ad refellenda Novatorum objecta maximo nobis, & ferme perpetuo uſui eſt, obſequentis gratique animi officium poſtulat, ut impactam ei a nupero Cenſore Gallo Anonymo calumniam propulſemus. Scribit ille in opere, cui titulus *Animadverſiones in ſcripta recentia* tomo nono, in quo D. Thomæ vitam ab Antonio Touronio nuper editam verſat, D. Thomam aliorum Scholaſticorum more de inquirenda veteris Eccleſiæ diſciplina non fuiſſe ſollicitum, ſed putaſſe eandem ſemper in Eccleſia viguiſſe diſciplinam, quæ ſuo ævo vige-

Digitized by Google

vigebat . . . tam fuiſſe ab hac Eccleſiaſtica eruditione imparatum, ut mutationes ignorarit in Sacramentorum adminiſtratione labente tempore inductas. At nihil eſt hac cenſura iniquius, nihil falſius. Non alio, quam oculis opus eſt, ut ejus iniquitas & falſitas deprehendatur, recteque Vir Clariſſimus Bernardus de Rubeis, qui noviſſimam operum D. Thomæ editionem Venetiis curat, in diſſertatione vigeſimaoctava, quam diſpungendæ cenſuræ huic addixit, animadvertit, Cenſorem, qui D. Thomæ hanc imperitiam affinxit, ſeſe imperitiſſimum prodidiſſe, qui D. Thomæ ſcripta vel numquam legerit, vel ſi legit, non intellexerit; tot enim Eccleſiaſticæ hujus eruditionis veſtigia in eo paſſim occurrunt, ut, quamquam neque ſciverit, quæ nonniſi poſt multos ab ejus obitu annos, poſt improbos Criticorum labores, poſt innumera e tenebris eruta antiquitatis monumenta effulſerunt, *iis tamen, quæ per eam tempeſtatem dabantur*, Eraſmo teſte, *tam dextre uſus ſit, ut nullus ſit etiam recentium Theologorum, cui par fuerit diligentia, cui ſanius ingenium, cui ſolidior eruditio*..

III. Quum de Euchariſtia, aliiſque, quæ poſt eam numerantur, Sacramentis ſpeciatim ageremus, veterem atque variam in eorumdem uſu Eccleſiæ diſciplinam non ſemel ex D. Thoma depromſimus: quam probe autem noſſet ille non unum adminiſtrandi Baptiſmi modum, & qui ritus in ſolemni ejus adminiſtratione in primitiva Eccleſia vigebant, quibus obſoletis alii adjecti ſunt, mox dicenda aperient. Ablutionem in Baptiſmate uſitatam peragebant veteres *aſperſione*, *effuſione*, maximeque *immerſione*. Viget hodie, etſi non ubique, effuſionis modus; immerſionem ferebat *communior uſus* ævo Thomæ, ipſo adnotante 3. p. q. *66.* art. 7. juxta prævalentem apud Veteres conſuetudinem. Trinam olim immerſionem adhibitam clamat omnis antiquitas; neque tamen ex priſcis, & recentioribus defuerunt, qui Sacramentum una immerſione conferrent. Morem utrumque indicat Angelicus, teſtibus advocatis Gregorio Magno, & Concilio Toletano IV., eodemque Gregorio præeunte epiſt. 43. ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum docet, reprehenſibile nullatenus eſſe, infantem in Baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere. Huic D. Thomæ doctrinæ, quam propoſitione noſtra complexi ſumus, non Catholici omnes ſolum, ſed & Novatores quique ſubſcribunt, neque ullus eorum eſt, qui a Calvino diſſentiat lib. 4. inſtit. c. 15. ſcribente: „ mergatur ne totus, qui tingitur, „ idque ter, an ſemel, an infuſa tantum „ aqua aſpergatur, minimum refert, ſed „ id pro regionum diverſitate Eccleſiis li„ berum eſſe decet, quamquam & ipſum „ baptizandi verbum mergere ſignificat, „ & mergendi ritum veteri Eccleſiæ ob„ ſervatum fuiſſe conſtat. “

IV. In Latina Eccleſia non unus ubique eſt adminiſtrandi Baptiſmi modus. Baptiſmus licet fieri poſſit, ait Romanum Rituale, aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem, primus tamen, & ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu pro Eccleſiarum conſuetudine retineatur. Perraro adhibetur aſperſio, quod ejus perrarius priſcis ſæculis uſus fuerit: obtinet etiam num in nonnullis Eccleſiis immerſio, eaque trina, communior tamen jamdudum eſt aquæ ſuperinfuſio. Ritum hunc reprehendunt improbantque Græcorum ſchiſmaticorum aliqui, & licet Renaudotius ſcribat, Græcorum aut Orientalium neminem hactenus auſum eſſe, Baptiſmum infuſione collatum irritum pronunciare, deceptus tamen eſt vir Clariſſimus, quum ſæculo quartodecimo id auſus fuerit Mathæus Blaſtarius, in ſuo Nomocanone iterum baptizandos ſcribens, *qui unam demerſionem ab alterius ſectæ miniſtris ſunt baptizat*, & ſæculo quintodecimo Marcus Epheſius in ſua Encyclica epiſtola Græcos Antiſtites carpens, quod Latinorum Baptiſma probarent *aquæ infuſione a ſummo vertice datum*, quod diverſum ab eo eſt, quod trina immerſione perficitur, atque inde inferens, non poſſe Græcorum Latinorumque unum eſſe Dominum, & unam fidem, quum non unum eſſet eorum Baptiſma.

V. Quamquam vero memoratum Marcum Epheſium hujus adverſus Latinos criminationis auctorem Theologi noſtri paſſim exiſtiment, eſt tamen illa vetuſtior, & diu ante Marcum a Græcorum nonnullis Latinis intentata; ſæculo enim undecimo Michael Cerularius in ſua ad Petrum Antiochænum epiſtola, quam e Regiis codicibus edidit Doctiſſimus Cotelerius, Latinis vitio dat, quod *una immerſione baptizent*; Petrus quoque Antiochæ-

nus

nus in ſuo ad Michaelem reſponſo, quod ex iiſdem codicibus erutum Cotelerius vulgavit, ſcribit, Latinos a Vandalis didiciſſe Arianorum more agere, ac per unam immerſionem Baptiſmum celebrare. Extat & e Regia Bibliotheca ab eodem Cotelerio edita Græcorum ad Innocentium III. ſub tertiidecimi ſæculi initium epiſtola, in qua hoc inter cætera Latinis in culpa ponunt, quod *per unam immerſionem baptizent nomen Patris & Filii, & Spiritus Sancti ſuperdicentes, adeo ut hoc videatur eſſe Perſonarum commixtio*. Antiqua ſit hæc Græcorum accuſatio, facile eſt eam depellere, ac demonſtrare, nihil ad Baptiſmi ſubſtantiam referre, quocumque ex prædictis modis ille adminiſtretur, invicta nobis ſuppeditante momenta Doctore Angelico 3. p. q. 66. art. 7. & 8. in quibus inquirit, an immerſio, eaque trina, ſit de neceſſitate Baptiſmi.

„ VI. Aqua, ait ille, in Sacramento „ hoc ad uſum corporalis ablutionis aſſumitur, qua interior peccatorum ablutio „ ſignificatur, quare Baptiſma vocatur a „ Paulo *lavacrum aquæ*, *lavacrum regenerationis*, & baptizati non ſemel ab eo „ dicuntur *abluti corpus aqua munda*; „ quod ergo hoc, vel illo modo fiat ablutio, Baptiſmo accidit, neque modo diverſitas Baptiſmi unitatem ac ſubſtantiam violet, quum corporalis ablutio ad „ Baptiſmi eſſentiam ſpectans quolibet eorum modorum perinde fiat. " Decretorium eſt alterum, quod petit Angelicus ex Eccleſiæ conſuetudine, qua nullus eſt, ut ſæpe adnotavimus, legum Chriſti ſanior interpres; exploratiſſima enim facti veritas eſt, ad quam confirmandam nonnulla D. Thomas, multa vero Recentiores veterum rituum ſcrutatores documenta conferunt, non adeo immerſionis uſum, etſi olim communior eſſet, fuiſſe conſtantem, quin aſperſio, aut infuſio haud infrequenter fuerit ad Baptiſmum adhibita, neque merſionem trinam communiter adeo fuiſſe receptam, quin una ſæpe in uſu fuerit, qua veritate præmiſſa, ita demonſtrationem inſtituimus. Quum Sacramentorum ſubſtantia divini juris ſit, nec Eccleſiæ poteſtati obnoxia, ſi horum modorum alicui ita alligata eſſet Baptiſmi ſubſtantia, ut non poſſet æque alio perfici, nunquam id ſibi ſumpſiſſet Eccleſia, ut promiſcue aliis uteretur, probaretque Baptiſma vel aſperſione, vel effuſione, vel merſione una aut trina collatum; varios autem hos ablutionis in Baptiſmo modos antiquitus viguiſſe, ratumque fuiſſe habitum Baptiſma eorum modorum aliquo adminiſtratum, documentis evincitur locupletiſſimis, quæ in Martyrum Sanctorumque geſtis, Patrum ſcriptis, & Conciliorum decretis extant: ſenſit ergo Eccleſia, non ita in uno ablutionis modo poſitam eſſe Baptiſmi ſubſtantiam, quin aliis etiam perfici rite poſſit.

VII. Hinc etſi ipſum baptizandi verbum Chaldaicæ, & Syriacæ, ut & Græcæ linguæ uſu mergere proprie ſignificet, Chriſtus quoque tinctus fuerit per immerſionem, ſecus ac Pictores paſſim exhibent, qui Chriſtum aquæ infuſione baptizatum repræſentant, & Joannem teſta, ſeu concha aquam ſuper caput ejus, & humeros effundentem nobis effingunt, fatendum tamen eſt, Eccleſiam a Spiritu veritatis fuiſſe edoctam, Chriſtum nec verbis iis, *euntes docete omnes gentes*, *baptizantes* &c. neque exemplo ſuo legem fixiſſe de merſione ad Baptiſmum neceſſitate Sacramenti adhibenda; alioquin erraſſe dicenda erit Eccleſia, & Chriſti præceptionem in re graviſſima violaſſe, quæ alios a merſione modos indifferenter uſurpavit, probavitque Baptiſma vel aſperſione, vel effuſione collatum. Senſit ergo illa, τὸ *baptizantes* ampla illa latiorique ſignificatione a Chriſto fuiſſe uſurpatum, qua *baptizandi* verbum apud Hebræos & Græcos pollet, apud quos etſi proprie pro *merſione*, late tamen pro *ablutione* haud ſemel ponitur, neque omnia ad Chriſti Domini formam ita eſſe exigenda, ut quæcumque ejus exempla præcepti neceſſitatem nobis inducant; alioquin irritum e. g. habendum erit Baptiſma, quod non fuerit adminiſtratum in fluvio, quum Chriſtus ad Joannem acceſſerit, ut ab eo in Jordane tingeretur.

VIII. Quid vero ſi tertio ſæculo nonnulli ratum non habuiſſe videntur Baptiſma eorum, qui *ſalutari aqua loti non fuerant*, *ſed perfuſi*, ut Cornelius Papa in ſua ad Fabium Antiochenum epiſtola de Novatiano agens, qui in lectulo jacens Baptiſmum ſuſceperat aqua perfuſus, & Magnus Epiſcopus, ut ex Cypriani ad eum reſponſo patet? Quid ſi Cyprianus ipſe, licet Baptiſma quocumque modo collatum probet, liberum tamen cuique eſſe vult, ut, *quod putat*, *ſentiat*, *& quod ſenſerit faciat*, ideſt Baptiſma perfuſione admini-

ſtra-

ſtratum improbet, iteretque? Quid ſi Patres multi ritum trinæ immerſionis in Baptiſmo ex traditione Apoſtolica repetunt, immo Cryſoſtomus, & Pelagius Papa illum ex Chriſti præcepto manaſſe ſcribunt? Quid ſi canone inter Apoſtolicos 49. gradu dejici jubetur Presbyter, qui *non perfecerit tria unius myſterii Baptiſmata*, ſive trina merſione Baptiſma non dederit, & ſeptimo Concilii primi Conſtantinopolitani capite, hæc de Eunomianis ſtatuta leguntur, *Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur, ut Gentiles acceptamus, & tum demum eos baptizamus?* Quid denique ſi ſola immerſio videtur Chriſti ſepulturam exprimere, cui, teſte Apoſtolo *conſepelimur per Baptiſmum in mortem?* Sola quoque totius corporis immerſione videtur elui poſſe originaria labes, qua totum corpus inficitur.

IX. Nihil horum Catholicæ poſitioni infeſtum eſt; Primo enim Clariſſimus Valeſius egregie declarat, quid in Novatiani Baptiſmo culparit Cornelius. „ Qui
„ in lecto ægri baptizabantur, quum mer-
„ gi a Sacerdote non poſſent, aqua dun-
„ taxat perfundebantur; quorum Baptiſ-
„ mus minus perfectus habebatur, quip-
„ pe qui non ſponte, ſed metu mortis
„ ſuſceptus videretur ab hominibus delirio
„ laborantibus, & nullo amplius ſenſu
„ præditis: quamobrem *Clinici* ad Pres-
„ byterii gradum promoveri vetantur Con-
„ cilii Neocæſarienſis canone 12. Hi quo-
„ que, poſtquam ex morbo convaluiſſent,
„ Epiſcopum adire neceſſe habebant, ut
„ ſuppleret, quæ eorum Baptiſmo deſue-
„ rant. Arguitur ergo a Cornelio Nova-
„ tianus, quod quum urgente potius mor-
„ tis neceſſitate, quam ſponte in lecto ba-
„ ptizatus fuiſſet ab Exorciſtis, qui il-
„ lum curabant, (hoc enim indicant e-
„ piſtolæ verba) poſtea recuperata vale-
„ tudine non adiiſſet Epiſcopum, ut re-
„ liqua Baptiſmi ſolemnia ſuppleret, quod
„ Eccleſiaſtica regula præcipiebat. Dua-
„ bus ergo de cauſis Cornelius de Nova-
„ tiani Baptiſmo, non an ratus ille fuiſ-
„ ſet, ſed an ſuſcipienti ſalubris, dubita-
„ vit, tum quod jam jam moriturus,
„ ideoque probabiliter mortis metu Baptiſ-
„ ma ſuſcepiſſet, tum quod liberatus a
„ morbo, reliqua non percepiſſet, quæ
„ debebant ſecundum Eccleſiaſticam regu-
„ lam percipi. “

X. Magnum, ad quem eſt Cypriani Epiſtola, de plebe Chriſtiana laicum fuiſſe, opinatur Joannes Oxonienſis, quod cum Cyprianus *filium* vocat, quem ſi de clero fuiſſet, *fratrem* vocaſſet, niſi forte ita filium vocet, ut Timotheum Paulus in fide filium. Verum Laicus ne ille fuerit, an Epiſcopus, dubitaritne etiam ille de Clinicorum Baptiſmi veritate, an vero de ſolo fructu, non diſputamus: quæcumque fuerit Magni dubitatio, illam conſtanter Cyprianus abegit ajens, *quantum fide concipere, & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt, ut Chriſtianus judicetur legitimus, quiſquis fuerit in Eccleſia lege & jure fidei divinam gratiam conſecutus*. Sententiam hanc ſuam, quæ & Eccleſia erat, Martyr Sanctiſſimus argumentis pluribus firmat, ſed eo in primis, quod quum ſit omnium locupletiſſimum, miror, a Theologis noſtris prætermitti: Eorum qui ſecus opinabantur, dubitationem inde ortam, quod quidam ex iis, qui ægri baptizabantur, ſpiritibus adhuc immundis tentabantur, Cyprianus fidenter eximit ſubdens, *ſciat, Diaboli nequitiam pertinacem uſque ad aquam ſalutarem valere, in Baptiſmo vero omne nequitiæ ſuæ virus amittere*. Hujus rei primo figuram petit ex Exodo, dein documentum affert ferme ea ætate quotidianum, & vulgatiſſimum, quo Deus ipſe Clinicorum Baptiſma, & verum, & ſalutare eſſe, teſtatum illo ævo faciebat. *Hoc hodie geritur, ut per exorciſtas voce humana, & poteſtate Divina* flagelletur, uratur, & torqueatur Diabolus, & *quum exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpe dicat, in eo tamen, quod dixerit, fallat; quum tamen ad Baptiſmi ſatisfactionem venitur, ſcire debemus, & fidere, quia illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur. Hoc & rebus ipſis experimus, ut neceſſitate urgente in ægritudine baptizati, & gratiam conſecuti careant immundo ſpiritu, quo antea movebantur, & laudabiles, & probabiles in Eccleſia vivant &c.* Hæc Cyprianus.

XI. Scribit ille quidem, verecundiam ac modeſtiam ſuam nemini præjudicare, quo minus unuſquiſque, quod putat, ſentiat, aut quod ſenſerit, faciat: num vero oppoſitum ſentientibus liberum eſſe vult, ut Clinicos novo Baptiſmo tingant? Ita quidem nonnullis videtur, qui toti ſunt in Cypriani humilitate, ac modeſtia commendanda, nec advertunt, hanc Cypriani modeſtiam fore Catholicæ veritati

inſi-

infeſtam, ſi iterandi Clinicorum Baptiſmatis facultatem Cyprianus de hoc Baptiſmo dubitantibus adimere pro ſua modeſtia noluiſſe dicatur. Cœterum Cypriani ſcopum, & contextum integrum expendentibus patet, abeſſe illum a mente hac, imo ut certum ſibi & adverſariis ponere, Clinicorum Baptiſma iterari non poſſe. En Cypriani verba; *mea ſententia hæc eſt, ut Chriſtianus judicetur legitimus L. aut ſi aliquis exiſtimat, eos nihil conſecutos, ſi inanes & vacui ſunt, non decipiantur, ut ſi convaluerint, baptizentur: Si autem baptizari non poſſunt, qui jam Baptiſmo Eccleſiaſtico ſanctificati ſunt, cur in fide ſua, & Domini indulgentia ſcandalizentur . . . ut habeantur Chriſtiani quidem, ſed non ſint cæteris adæquandi?* Hæc Cypriani verba perſtringunt plures, qui ea ætate aquæ perfuſione baptizatos in lectulo non Chriſtianos ſed Clinicos quaſi ludibrii cauſa vocabant, aut ſi Chriſtianos habebant, infra tamen cæteros, nec æquali gratia donatos, atque ex iis preſſum hoc argumentum exiſtit: Si Clinici inanes & vacui ſunt Baptiſmi fructu, decipiendi non ſunt, ſed cum convaluerint, baptizandi: atqui homines Eccleſiaſtico Baptiſmo jam ſanctificati baptizari non poſſunt, ergo perperam cenſentur inanes, & vacui Baptiſmi ſui fructu, perperam Chriſtiani non legitimi, aut aliis inæquales habentur. Permiſit itaque Cyprianus, ut eam quiſque de Clinicis opinionem, quam volebat, haberet, ageretque cum eis, pro ut ſentiebat, eos a Clero removens, prout eorum temporum mos ferebat, non tamen ut de Baptiſmi eorum veritate quiſpiam dubitaret.

XII. Reliquorum diſſolutio levioris eſt operæ: trinam in Baptiſmo merſionem Apoſtolicæ traditionis eſſe fatemur, negamus tamen ſpectare illam ad Baptiſmi ſubſtantiam, quum traditionem hanc non fidei morumque eſſe, ſed diſciplinæ, quæ reformabilis eſt, & obnoxia mutationi, ſatis ſuperque declaret Eccleſiæ conſuetudo, quam jam expendimus. Eadem Eccleſiæ conſuetudo evincit, merſionem hanc trinam divini juris non eſſe; quare ne Chryſoſtomum, & Pelagium Papam erraſſe dicamus, ea verbis illorum adhibenda eſt interpretatio, quam tradit Angelicus, ſenſiſſe illos, trinam merſionem a Chriſto non *in re ipſa*, ſed *in ſuo ſimili* præceptam eſſe, in hoc ſcilicet, quod juſſit Chriſtus, Baptiſma conferri in nomine Patris &c. quum enim expreſſa trium Perſonarum invocatio in Baptiſmo a Chriſto præcepta ſit, ad majorem Trinitatis expreſſionem trina merſio adhiberi Apoſtolica ætate cœpit, diſſimili tamen formæ & uſus materiæ ratione; formæ ſiquidem a Chriſto præſcriptæ uſus, utpote divini juris, conſtans ſemper, atque immotus fuit, modus vero adhibendæ materiei nec ſemper, nec ubique unus & idem, quod argumento eſt, formam quidem a Chriſto fuiſſe fixam, in quam nihil juris ſibi ſumpſit unquam Eccleſia, trinam vero merſionem non niſi ad majorem formæ expreſſionem inductam ad Sacramenti ſubſtantiam non ſpectare.

XIII. Canonem vulgo Apoſtolicum ex Cotelerii editione integrum perpendentes, intelligimus, latum fuiſſe illum adverſus quoſdam Hæreticos, qui non in Trinitatis nomine, ſed in Domini morte baptizabant; his enim verbis conceptus eſt canon: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non tres merſiones fecerit, ſed unam merſionem, quæ detur in mortem Domini, deponatur; non enim dixit Dominus in mortem meam baptizate, ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris &c.* Cur vero Conſtantinopolitana Synodus Eunomianorum Baptiſma irritum pronunciavit, ex Theodoreto diſcimus lib. 4. hæreticarum fabularum cap. 3. hæc de Eunomio ſcribente: *Sancti etiam Baptiſmatis legem a Domino & Apoſtolis traditam evertit, & contrariam aperte ſanxit, non oportere dicens, ter illum, qui baptizatur, immergere; nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem*; quis enim dubitet, iterandum eſſe Baptiſma abſque expreſſa Trinitatis invocatione collatum? Etſi autem, ait Angelicus, ſepulturæ Chriſti figura magis expreſſe immerſione repræſentetur, ideoque hic baptizandi modus ſit communior, & laudabilior, effuſione tamen & aſperſione idem hoc myſterium, licet non ita expreſſe, repræſentatur; nam, quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua ejus pars aquæ ſupponitur, ſicut Chriſti corpus poſitum ſub terra fuit. Quum etiam, ut idem Angelicus ait, ſola anima ſubjectum originalis peccati ſit, non autem caro, ſola anima a culpa illa mundatur virtute Baptiſmi, in quo ex divina inſtitutione corporalis ablutio adhibetur ad interiorem ablutionem ſignificandam ac efficiendam; quare quum aſ-

perſione, perſuſione ac immerſione corporalis ablutio æque fiat, horum modorum quolibet interior Baptiſmi effectus ſignificatur.

PROPOSITIO VII.

Ritus, quo Eccleſia in baptizando utitur, omni ſuperſtitione vacat, & ſanctus eſt.

I. Qui ſingularis illius, qua pollebat Angelicus, veterum rituum peritiæ ſpecimen cupit, adeat illum in 4. ſent. diſt. 2. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula 3., in qua quum adnotaſſet, eorum Sacramentalium, quæ ad ſolemnitatem Baptiſmi pertinent, quædam fuiſſe in primitiva Eccleſia, quæ nunc non ſunt, quædam vero adhuc obtinere, cum vetuſto librorum de Eccleſiaſtica Hierarchia Scriptore, ritum Baptiſmi exponit, qui in primitiva Eccleſia, ac ſæculis ab ævo noſtro remotioribus ſervabatur in ſolemni celebratione Baptiſmi, quando Cathecumeni adulti ad Baptiſmum veniebant; In eos, qui antiquati jamdudum ſunt, ſolemnis Baptiſmi ritus non vacat inquirere, quum non levis a nobis ponenda ſit opera in defendendis iis, quos Romana Eccleſia etiamnum religioſiſſime retinet. Qui ii ſint, cur ſingillatim enumeremus, quum in Romano Rituali proſtent, eorum uſus omnium oculis pateat, quum infantulus ad Baptiſma admovetur? Omnes has ceremonias Novatores non exploſerunt ſolum, ſed & in Romanam Eccleſiam, quæ illas ſancte cuſtodit, plenis conviciorum plauſtris invehuntur. Calvini verba exſcribemus, tum quod omnes ferme ritus recenſeat, tum quod ipſa ejus verba arma nobis validiſſima miniſtrant, quibus rabidus ejus in Eccleſiam furor coerceatur.

II. „ Quod ad externum ſymbolum pertinet, ait ille lib. 4. inſt. cap. 15., utinam genuina Chriſti inſtitutio valuiſſet, quantum par erat, ad cohibendam hominum audaciam. Quaſi enim res eſſet contemptibilis, aqua ex Chriſti præcepto baptizari, inventa eſt aquæ benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ conſecrationem pollueret. Additus poſtea cereus cum chriſmate, exuflatio vero januam ad Baptiſmum aperire viſa eſt. Etſi autem me non latet, quam vetuſta ſit advenritiæ hujus farraginis origo, reſpuere tamen mihi, & piis omnibus fas eſt, quidquid ad Chriſti inſtitutionem addere, auſi ſunt homines. Quum autem videret Satan, ſtulta mundi credulitate inter ipſa fere Evangelii exordia ſine negotio receptas eſſe ſuas impoſturas, ad craſſiora ludibria prorupit: hinc ſputum, & ſimiles nugæ palam in Baptiſmi probrum effrœni licentia invectæ, quibus experimentis diſcamus nihil vel ſanctius eſſe, vel melius, vel tutius, quam unius Chriſti auctoritate contentos eſſe. " Hæc Calvinus, ex cujus verbis hæc adverſus illum argumenta conflamus. Primo Calvino omnibuſque Novatoribus annuentibus vetuſtiſſima eſt harum ceremoniarum origo, & fere inter ipſa Evangelii initia recepta, quandoquidem negare non poſſunt, & illas primis ſæculis paſſim in Eccleſia obtinuiſſe, & earum initia ad Apoſtolorum traditionem, & Tertulliano, Baſilio M. Hieronymo, & Auguſtino referri, non illas ergo Satan invexit: aut ſi illæ a Satana profectæ ſunt, mendaces ergo tot ii, etſi omni nomine maxime ſpectabiles Patres, & Apoſtolorum ævo proximi, qui earum originem Apoſtolicam eſſe teſtantur.

III. 2. Si ceremoniæ iſtæ Diaboli impoſturæ ſunt, & ludibria, necnon exoticæ ſordes, quibus Sacramenti puritas obruitur, ſicut ibidem Calvinus ſubjicit, Chriſtus ergo Eccleſiam ſuam ipſo ferme ſui exordio reliquit, quam paſſus eſt a Satana in re graviſſima decipi, ejuſque impoſturas ſtulta credulitate recipere: non ſtetit ergo Chriſtus promiſſis ſuis, quibus fidem ſuam Eccleſiæ obſtrinxit, de portis inferi nunquam adverſus eam prævalituris &c. 3. Nihil, Calvino judice, ſanctius, melius, & tutius eſt, quam unius Chriſti auctoritate contentos eſſe; quum ergo ceremoniæ iſtæ Chriſti auctoritate fulciantur, ſacrilegi, & impii ſunt, qui eas & reiiciunt, & derident; nonne etenim Apoſtolorum & Eccleſiæ poteſtas Chriſti poteſtas eſt, quum ad Rom. 13. ſcribat Apoſtolus, *non eſt poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt?* Quum ergo exploratiſſima facti ſit veritas, quam negare Novatorum nullus auſus eſt, harum ceremoniarum alias ab Apoſtolis ipſis, ſicut Patres bene multi de aquæ Baptiſmatis, oleique conſecratione, baptizati inunctione, abrenunciatione Satanæ, exorciſmis, exuflatione, Crucis ſigno teſtantur, alias paulo poſt Apoſtolorum obitum a Sanctiſſimis Eccleſiæ Patribus fuiſſe inſtitutas, & perpetua atque univerſali Eccle-

ſiæ

ſiæ Dei conſuetudine conſecratas, ea, qua Chriſtus Apoſtolos & Eccleſiam donavit, auctoritate nituntur ceremoniæ iſtæ, ideoque qui illas ſpernunt, Chriſtum ipſum ſpernunt, habendique ſunt Ethnici, & Publicani, quippe qui Eccleſiæ inſtituta contemnunt, quam Chriſtus audiri juſſit.

IV. Hinc Divus Thomas, quum de ſingulorum Sacramentorum ceremoniis agit, earumdem ſanctitatem uno hoc argumento tuetur. Eccleſia regitur a Spiritu Sancto, qui nihil inordinatum operatur; quum ergo ceremonias has Eccleſia in uſu habuerit eo etiam tempore, quo rectam illam a Spiritu Sancto fuiſſe Novatores ipſi fatentur, impium eſt, & ſacrilegum ceremoniis his ab ea tunc inſtitutis, ſuoque uſu conſecratis quidpiam inordinatum, ac ſuperſtitioſum affingere. Quo vero magis pateat earum ſanctitas, & condecentia, ut & Novatorum impietas, qui in eas tot maledicta coniiciunt, audiamus Angelicum, qui fines exponit, ob quos in ſolemni Baptiſmi adminiſtratione illæ adhibentur. „ Primo quidem, ait, ad excitandam fidelium devotionem, & reverentiam ad Sacramentum; Si enim ſimpliciter fieret ablutio in aqua abque ſolemnitate, facile ab aliquibus æſtimaretur quaſi quædam communis ablutio: 2. ad fidelium inſtructionem, quum enim ſimplices, qui litteras neſciunt, erudiendi ſint per ſenſibilia quædam ſigna, puta per picturas, & alia hujuſmodi, per ea, quæ in Sacramentis aguntur, vel inſtruuntur, vel ſollicitantur ad inquirendum de his, quæ per hæc ſenſibilia ſignificantur; quare quum præter principalem Sacramenti effectum, quædam alia ſcire oporteat circa Baptiſmum, conveniens fuit, ut etiam quibuſdam exterioribus ſignis repræſentarentur. 3. quia per orationes, benedictiones, & alia hujuſmodi cohibetur vis Dæmonis ab impedimento ſpiritualis effectus. " Hæc Divus Thomas, quibus quid ſanctius, quid non Scripturis ſolum, ſed & naturali ipſi rationi magis conſonum?

V. Multa Novatores in ceremonias iſtas intorquent, ac primo reſpuendas illas eſſe contendunt, quod ſola hominum audacia additæ fuerint ad Chriſti inſtitutionem præter divini verbi auctoritatem. 2. Quod nullus ſit earum uſus & fructus, quum ſine iis rite celebrari poſſit Baptiſma. 3. Quod Auguſtinus ipſe in celebri ad Januarium epiſt. libertatem cunctis fecerit has ceremonias reſpuendi, quum ſcripſit, habere illas liberam obſervationem, eoſque culpat, qui Religionem, quam Deus pauciſſimis, & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis liberam eſſe voluit, ſervilibus oneribus premunt. 4. Quum Romanenſes ſibi fas eſſe duxerint, plures ritus ſecundo ipſo Eccleſiæ ſæculo in Baptiſmi adminiſtratione jam receptos expungere, ut dies celebrando Baptiſmati addictos, lactis, mellis, & vini dulcis deguſtationem, Confirmationis, & Euchariſtiæ infantulis a Baptiſmo recentibus adminiſtrationem, cur aliis non liceat, alios libertate Evangelica aut prætermittere, aut abolere, præſertim quum horum rituum aliqui apud Græcos nunquam in uſu fuerint, neque ſint, ut ſal, & ſaliva, aliqui indecori adeo Romanenſibus ipſis bene multis videantur, ut ſal, ſputum, & inſuflatio, ut nunquam ad ritus hos in Baptiſmo uſurpandos adduci potuerint, omnes denique myſterio vacent, & puram oleant ſuperſtitionem? Quid enim myſterii habent olei, & Chriſmatis uſus, & multiplex illa diverſarum corporis partium inunctio, candida veſtis, qua baptizatus induitur, ſuſceptorum, ſive ſponſorum præſentia? Quid ſibi volunt Catechiſmus, & exorciſmi? Nonne, quum perrarus jam ſit Adultorum Baptiſmus ſolus autem ferme in uſu ſit Baptiſmus, infantium, nonne ridiculus jam eſt Cathechiſmus, quoniam nec fidem poſſunt per ſe ipſos pueri confiteri, neque pro eis alius, quum & iniquum ſit quempiam nec ſcientem ad aliquid obligare, & incertum omnino, an pueri, quum legitima ætate fuerint, fidei ſint aſſenſuri? Quum etiam exorciſmi energumenis adhibeantur, quorſum in omnium Baptiſmo exorciſmi ſiunt, quum non omnes baptizandi certe ſint arreptitii?

VI. Sunt tamen hæc omnia inepta adeo, ut nihil negotii nobis exhibeant; etſi enim has ceremonias ad Chriſti inſtitutionem additas fateamur, non illas tamen hominum audacia præter Divini verbi auctoritatem adjecit, quemadmodum Novatores impudenter effutiunt, ſed quum Apoſtoli ipſi nonnullas, alias Sanctiſſimi prioris ævi Paſtores ea, qua a Chriſto donati fuerant, auctoritate induxerint, reſpui illæ non poſſunt, niſi Chriſtus ipſe in Apoſtolis, & Paſtoribus iis, quos *Spiritus Sanctus*, ut ait Paulus, *poſuit regere Eccleſiam Dei*, ſper-

ſpernatur. Quid vero ſi abſque iis rite celebrari poteſt Baptiſma? Conſequitur ſolum, ait D. Thomas, non eſſe illas de neceſſitate Sacramenti: ſuperfluas autem illas eſſe, inutiles, aut etiam ſuperſtitioſas, ideoque aut prætermitti illas poſſe pro libito, aut abſolute reiiciendas eſſe, impia Novatorum poſitio eſt ex teterrimo illo, quod poſt Lutherum adoptaverunt, principio fluens, nulla ſcilicet ferendarum legum auctoritate pollere Eccleſiam, ideoque neminem niſi volentem inſtitutis ejus obſtringi, quod quum innumeris divini verbi teſtimoniis locupletiſſimis adverſetur, efficitur falſa eſſe & impia omnia, quæ ex principio illo Novatores eliciunt. Sunt etiam procaces adeo, ut ea in erroris ſui præſidium perverſe trahant, quæ habet Auguſtinus in laudata ad Januarium Epiſtola, quibus hæc propoſitio noſtra manifeſte confirmatur; tantum enim abeſt, ut Auguſtinus eo loci ceremonias uſu Eccleſiæ conſecratas reiiciendas eſſe decernat, aut earum obſervationem liberam eſſe velit, ut diſerte doceat, *inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe, illud contemnere, quod ab univerſa, quacumque ſe diffundit, Eccleſia cuſtoditur*.

VII. Plura adferri poſſent Auguſtini teſtimonia, qui validam originariæ labis in omnes traductæ demonſtrationem ab eo petit, quod circa baptizandos in univerſo mundo Sancta Eccleſia uniformiter agit, quum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis Sacramentum venientes non prius fontem vitæ adeunt, quam exorciſmis, & exuflationibus Clericorum ab eis immundus ſpiritus abigatur, & ipſi vel per ſe, vel verbis eorum, a quibus portantur, ſe Diabolo renunciare reſpondebant. Hos aliosque ritus in ſolemni Baptiſmi celebratione communiter ſua ætate uſitatos Auguſtinus ex Apoſtolica auctoritate manare haud ſemel ſcribit, nec prætermitti abſque periculo poſſe. Quæ ergo, judice Auguſtino, liberas habent obſervationes, non ceremoniæ Baptiſmi ſunt univerſalis Eccleſiæ uſu atque auctoritate firmatæ, ſed variæ particularium Eccleſiarum conſuetudines, quæ quum ubique receptæ non ſint, univerſos certe fideles non obſtringunt, quarum, quum nonnulla protuliſſet exempla, ſubdit, *Totum hoc genus rerum liberas habet obſervationes*, eoſque vituperat, qui non legitima auctoritate, ſed humana præſumptione præter conſuetudinem, & abſque ulla utilitate religionem ipſam ſervilibus oneribus premunt; quæ autem onera hæc ſervilia ſint, a nonnullis Religioni tunc temporis addita, Auguſtinus tam explicate ſignificat, ut mirum ſit, potuiſſe a Novatoribus ejus verba adverſus ceremonias Baptiſmi torqueri; *Omnia talia*, ait, *quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diverſorum locorum diverſis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix, aut omnino numquam inveniri poſſint cauſæ, quas in iis inſtituendis homines ſecuti ſunt, ubi facultas tribuitur, ſine ulla dubitatione cenſeo reſecanda*.

VIII. Quum *hæc poteſtas perpetuo in Eccleſia* fuerit, ſicut Tridentinum declarat ſeſ. 21. cap. 2., *ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaverit, ſuam hanc Sancta Mater Eccleſia in Sacramentorum adminiſtratione auctoritatem agnoſcens, ut aliorum, ita* & hujus Sacramenti ceremonias aliquas diuturna licet conſuetudine roboratas, gravibus juſtiſque cauſis adducta mutavit. Hinc etſi ab ipſo ferme Chriſtianæ Religionis exordio ſolemnis Baptiſmi celebratio in Paſchatis tantum, & Pentecoſtes pervigilio ubique ferme perageretur, lac, mel, & alicubi vinum dulce guſtanda Neophytis præberentur, iique, etſi infantuli eſſent, e veſtigio confirmarentur, & Euchariſtiæ participes fierent, jamdudum tamen hæc vel expreſſe, vel tacite Eccleſia ſuſtulit, quod & ſuſcipientium utilitas, & Sacramentorum veneratio, & varia rerum, temporum locorumque conditio id poſtularet. Quoniam vero in iis antiquandis ea poteſtate uſa eſt Eccleſia, qua illam a Chriſto inſtructam fuiſſe Paulus haud obſcure innuit 1. ad Cor. 4., faſne iccirco cuique privato erit, eos, quos illa univerſim retinet, & retineri ab omnibus jubet, ritus negligere, aut rejicere? Qui tam præpoſtere argumentantur, ii Eccleſiaſticam Hierarchiam evertunt, Deique ordinationi reſiſtunt, a quo *ſunt*, teſte Paulo, *quæcumque ordinatæ ſunt, poteſtates*. Qua fronte vero pleraſque Baptiſmi ceremonias, ceu prophanas novitates, & abu-

Digitized by Google

abuſus a Romana Eccleſia invectos traducere, & criminari audent, quas exploratum eſt a Græcis, omnibuſque aliis Chriſtianæ profeſſionis Orientalibus cœtibus, qui a duodecim & amplius ſæculis a Romanæ Eccleſiæ communione disjuncti ſunt, religioſiſſime retineri, & in ſolemni Baptiſmi celebratione uſurpari? Quum Crucis ſignum toties iteratum, aquæ benedictionem, olei, & chriſmatis uſum, inunctionem, exorciſmos, exuflationes, Satanæ abrenunciationem, ſponſores, Græci, aliique Orientales ex traditione Apoſtolica ducant, quum omnes Chriſtiani nominis Eccleſiæ tametſi loquela, moribus & doctrina plurimum diſcrepantes, hæc omnia ab ipſa ferme Evangelii promulgatione in uſu habuerint hactenus, habeantque, ceu accommodata maxime ad fidelium ædificationem, & commendandam Baptiſmi dignitatem, nonne inſolentiſſimæ dementiæ eſt, hæc rejicere ceu Satanæ impoſturas, atque ludibria, quæ ſtulta mundi credulitate invaluerint? Non eſt quidem apud Orientales ſalis & ſalivæ in Baptiſmo uſus; quid porro? Culpanda ne Latina Eccleſia, apud quam a pluribus ſæculis iſta obtinent? Quum & Græci nonnullas ceremonias peculiares ad Baptiſmum adhibeant, quæ præter Latinæ Eccleſiæ morem ſunt, duo hæc, quæ ſunt Catholicis omnibus certa, ſequuntur, has videlicet ceremonias, quum ad Baptiſmi ſolemnitatem, non ſubſtantiam ſpectent, pro locorum temporumque diverſitate diverſas eſſe, morem tamen & ritum Eccleſiæ ſuæ a quolibet ſervandum eſſe juxta præclaram Auguſtini regulam in memorata ad Januarium epiſtola, *quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, pro eorum, inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſſe*, præſertim vero juxta plures Summorum Romanæ Eccleſiæ Antiſtitum conſtitutiones.

IX. Fieri ne etiam poteſt, ut, qui Evangelio credunt, ſputi in Baptiſmo uſum improbent, ceu indecorum? Quum Chriſtus Marci 7. Surdum, & mutum ſputo curaſſe, Joan. 9. hominem a nativitate cæcum luto ex ſaliva facto illuminaſſe legatur, in his vero miraculis Baptiſmi figuram animadverterint Ambroſius, Auguſtinus, aliique Patres, culpari nequit Eccleſia ob ſalivæ in Baptiſmo uſum, niſi & Chriſto, ad cujus imitationem hunc illa ritum inſtituit, vitio detur, quod ad ea, quæ Baptiſmi figura erant, edenda miracula ſputo uſus fuerit. Qua autem de cauſa nonnulli divini verbi in Oriente Præcones ſacramentalia quædam in Baptiſmi adminiſtratione abolenda, aut omittenda eſſe cenſuerint, non eſt loci hujus excutere. Illud extra litem eſt, inconſultam eorum agendi rationem ab Apoſtolica Sede fuiſſe improbatam; Summi enim Pontifices Clemens XI., Benedictus XIII., & Benedictus XIV. feliciter regnans, decretum confirmarunt ab immortalis memoriæ viro Cardinali Taurnonio Apoſtolicæ Sedis, cujus in Oriente Legatum agebat, auctoritate, ineunte hoc ſæculo, latum: *A Sacramentorum adminiſtratione exordium ſumentes, diſtricte prohibemus, ne in baptizandis tam pueris, quam Adultis cujuſcumque ſexus, & conditionis, omittantur ſacramentalia, ſed omnia palam adhibeantur, & ſignanter ſaliva, ſal, & inſuflatio, quæ ex Apoſtolica traditione Eccleſia recipit, ac ob recondita in ſacris his ceremoniis divinæ erga nos bonitatis myſteria ſancte, & inviolabiliter cuſtodivit.* Quidni vero decretum hoc Romana Eccleſia probaret, confirmaretque, quod tertio decimo Tridentini canoni de Sacramentis in genere plane reſpondet, quo anathemate plectuntur, qui dixerint, *receptos & approbatos Catholicæ Eccleſiæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe?*

X. Quid denique in Baptiſmi ceremoniis lateat, paucis ex Angelico delibatis exponimus: „ Olei, ait, & Chriſmatis
„ uſus adhibetur in Baptiſmate non ad
„ Sacramenti ſubſtantiam, ſed ad quam-
„ dam ſolemnitatem; primo enim oleo
„ ſancto baptizandus inungitur, & in pe-
„ ctore, & in ſcapulis, quaſi athleta
„ Dei, ut ait Ambroſius in lib. *de Sa-*
„ *cramentis*, ſicut pugiles inungi conſue-
„ verant: poſt Baptiſmum vero ait Ra-
„ banus, ſtatim a Presbytero ſignatur in
„ vertice cum ſacro Chriſmate, ſequente
„ ſimul oratione, ut Chriſti regni parti-
„ ceps fiat, & a Chriſto Chriſtianus dici
„ poſſit, vel, ut inquit Ambroſius, un-
„ guen-

„ guentum ſuper caput effunditur, quia „ ſapientis ſenſus in capite ejus, ut ſcilicet paratus ſit, omni petenti de fide „ rationem reddere. Baptizato vero traditur candida veſtis in ſignum gloriæ „ reſurrectionis, ad quam per Baptiſmum „ homines regenerantur, & ad vitæ puritatem ſignificandam, quæ a baptizatis „ ſervanda eſt, ſecundum illud ad Rom. „ 6., *in novitate vitæ ambulemus*. " Quorſum vero ab ipſis Eccleſiæ primordiis, ſicut Juſtinus M., Tertullianus, aliique Patres teſtantur, ſponſores, qui baptizatum a ſacro ſonte ſuſcipiant, inducti fuerint, declarat idem Angelicus ajens, quum nonnulla ſit inter carnalem nativitatem, & ſpiritualem, quæ per Baptiſmum fit, ſimilitudo, ſicut pueri recenter nati nutrice indigent, & pedagogo, ita & in ſpirituali regeneratione Baptiſmi requiri aliquem, qui nutricis & pedagogi vice fungantur, & Neophytum de fide inſtruat, & de his, quæ ad Chriſtianæ vitæ officia pertinent, eumque ic circo de ſacro fonte ſuſcipiat, quaſi in ſuam inſtructionem, & tutelam.

XI. Neque vero ridiculus eſt, pergit Angelicus, præmiſſus parvulorum Baptiſmo Catechiſmus; etſi nec audire, nec credere, nec confiteri fidem, nec Chriſtianæ vitæ profeſſione obſtringere ipſi ſe poſſint; ſicut enim Mater Eccleſia accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, & aliorum cor ut credant, ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, & intellectum, ut per alios inſtruantur: ille autem, qui pro puero baptizato reſpondet *credo*, non prædicit puerum, quum ad legitimos annos pervenerit, crediturum, alioqui diceret, *credet*, ſed in perſona pueri Eccleſiæ fidem profitetur, quæ puero communicatur, cujus Sacramentum ei tribuitur, & ad quam per alium obligatur, quum neque abſurdum, neque iniquum ſit, quempiam in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, per alium obligari. Similiter & Suceptor pro puero reſpondens, promittit ſe operam daturum ad hoc, ut puer credat, ideſt, ut quum fuerit rationis compos, fidem, quæ illi una cum gratia in Baptiſmo infuſa eſt, actu profiteatur, & dignam Chriſtiano homine vitam ducat, qua de cauſa *Suſceptores*, qui & *offerentes*, *Patrini*, & *Compatres* in priſcis Eccleſiæ monumentis, *Sponſores* quoque, & *fidejuſſores* perſæpe appellantur, quod eorum, quos e ſacro fonte ſuſcipiunt, inſtitutionis, ſi neceſſitas poſtulet, curam in ſe recipiunt.

XII. Neque tandem ineptus eſt exorciſmorum uſus, etſi baptizandi non omnes ſint energumeni; „ hi enim dicuntur, ait Angelicus, quaſi interius „ laborantes ex intrinſeca Diaboli opera„ tione: licet autem non omnes ad Ba„ ptiſma accedentes corporaliter ab eo „ vexentur, omnes tamen non baptizati „ poteſtati dæmonum ſubjiciuntur, ſal„ tem propter originalis peccati reatum; „ quare quum omnis, qui ſapienter ali„ quid agere proponit, prius operis ſui „ impedimenta removeat, ſapienter Ec„ cleſia exorciſmos Baptiſmo præmittit „ ad Dæmonem expellendum; eſt enim „ ille humanæ ſalutis hoſtis, quæ homi„ ni per Baptiſmum exhibetur, aliquam „ etiam in hominem poteſtatem habet „ ex hoc ipſo, quod originali, vel etiam „ actuali peccato obnoxius eſt, ideoque „ ante Baptiſmum convenienter pellitur „ Dæmon per exorciſmos, ne hominis ſa„ lutem impediat, quam quidem expul„ ſionem ſignificat exuflatio: benedictio „ autem cum manus impoſitione adhi„ betur ad præcludendam expulſo viam, „ ne redire poſſit." Hæc ex Divo Thoma, quibus tractationem abſolvimus de Baptiſmo.

DE CONFIRMATIONE.

I. POſt explicatos Baptiſmi ritus, ait Cl. Martene, conſequens eſt, ut de Confirmatione ſermonem inſtituamus, tanta enim eſt horum Sacramentorum connexio, ut ab invicem ſeparari non debeant; Præterquamquod, ut ait Angelicus, non quidem dignitatis, aut neceſſitatis, ſed veluti naturæ ordine Baptiſmum e veſtigio excipit Confirmatio, hæc, quam Veteres *manuum impoſitionem*, *conſignationem*, *ſpirituale ſignaculum*, *Sacramentum Chriſmatis*, *Chriſma ſalutis*, Græci *Chriſma Sanctum*, & *ſupercæleſte*, *unguenti myſterium* appellant, tanquam *Sacramentum plenitudinis gratiæ*, *ultimum Baptiſmi complementum*, *perfectio*, & *conſumatio* ſemper habita eſt, non quod hujus integritati quidpiam deſit, quominus veri Chriſtiani ſimus, ſed quod per Baptiſmum *quaſi modo geniti infantes*, per Con-

Confirmationem virtute Spiritus Sancti imbuti in viros perfectos creſcamus. Hinc vetus illa Eccleſiæ conſuetudo in Occidente ad duodecimi ſæculi finem uſque deducta, in Oriente vero etiam num ubique obtinens, baptizatos etiam parvulos illico confirmandi, cujus rei indubiam fidem faciunt, non Latinorum modo Rituales, ac Pontificales libri, Græcorumque Euchologia, ſed Patres ferme omnes, qui de his rebus aliquando ſcripſerunt, quorum teſtimonia idem Martenius exſcribit. De Sacramento hoc non pro rei quidem amplitudine, ac dignitate, ſed, quantum anni hujus reliquiæ ferunt, dicturi, communem ejus apud Theologos finitionem, adferimus: *Confirmatio novæ legis Sacramentum eſt, quo baptizati ad Chriſti fidem firmiter retinendam, ac intrepide profitendam, Spiritus Sancti plenitudine roborantur.*

II. Licet diverſæ ſint de Confirmationis natura Novatorum opiniones, quum Lutherus Confirmationem ſolius Eccleſiaſtici ritus, & Sacramentalis ceremoniæ cæteris ceremoniis ſimilis loco habendam eſſe decernat, Melanchon, cui non uno ſuorum operum loco conſentit Calvinus, illam collocet in quadam exploratione doctrinæ priſcis Eccleſiæ ſæculis uſitata, in qua poſt editam a Neophytis fidei confeſſionem imponebantur eis ab Epiſcopis manus, addita precatione, & cum ſolemni benedictione dimittebantur, Dallæus, Forbeſius, & Pictetus cum Magiſtro ſuo Calvino privilegium fuiſſe contendant ſoli naſcenti Eccleſiæ a Chriſto conceſſum ad conferendas baptizatis gratias gratis datas ſenſibili ſigno, manuum ſcilicet impoſitione, omnes tamen in eadem illa e Sacramentorum albo conſentiunt; imo Calvinus & lib. 4. inſt. cap. 19. a ſect. 4. uſque ad 14, & *in Tridentini Concilii antidoto*, *& in præfatione ad Catechiſmum Latinum*, tot in eam maledicta conjicit, totque Romanam Eccleſiam, cui Confirmatio verum Sacramentum eſt, contumeliis onerat, ut cuicumque legenti furere potius videatur, quam ſcribere: adeo non omnem ſolum veritatis ſpeciem, ſed & pudorem & honeſtatem omnem abjecit. Quoniam vero ille ſect. 5. memorati capitis ita nos provocat: „ Hæc prima Miniſtri lex eſt, „ ne quid ſine mandato obeat. Age, mini- „ ſterii hujus mandatum aliquod produ- „ cant, & verbum non addam; ſi mandato deficiuntur, ſacrilegam audaciam „ excuſare non poſſunt. Si ex hominibus „ eſt Confirmatio, vana & frivola eſſe „ convincitur: Si e cælo perſuadera vo- „ ſunt, probent. " Confirmationem non *fictitiam, neſcio quam rem*, ut ait ille, *poſteriori ætate inductam, ſed e cælo eſſe*, id eſt divinam inſtitutionem referre, ideoque veri nominis Sacramentum eſſe, probamus.

PROPOSITIO I.

Confirmationem novæ legis verum Sacramentum eſſe, verbi Dei ſcripti auctoritate conficitur.

I. Veritatem hanc divini eloquii teſtimoniis firmaturi, duo tantum illa laudabimus, quæ Veteres Eccleſiæ Patres in hanc rem frequentius, & validius adhibuiſſe leguntur. Primum Act. 8. occurrit: *Quum audiſſent Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad illos Petrum, & Joannem, qui quum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu: Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Alterum eorumdem Act. 19. legitur: *Baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & quum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetebant.* Ex duobus his teſtimoniis hanc demonſtrationem inſtruimus: Genuinam veri Sacramenti notionem Novatores omnes in eo collocant, quod ſignum ſenſibile ſit divinitus inſtitutum gratiæ promiſſionem adnexam habens; hæc omnia porro in Confirmationem perfecte quadrant; eſt ergo illa veri nominis Sacramentum; quid enim ſenſibile magis manuum impoſitione? Juncta huic ſublimi ſigno gratiæ promiſſio, ex effectu dignoſcitur, quum Spiritum Sanctum omnes acciperent, quibus imponebant manus Apoſtoli, qui neque Spiritum Sanctum ſenſibilis ſigni applicatione accepiſſent, niſi fuiſſet illud in hunc finem a Chriſto inſtitutum.

II. Præterea: Refert Lucas, Apoſtolos Jeroſolymis degentes, quum audiſſent, Samaritas a Philippo Diacono ad Chriſti fidem

Digitized by Google

fidem adductos, atque ab eo baptizatos fuiſſe, Petrum & Joannem in hunc finem eo allegaſſe, ut eis Spiritum Sanctum traderent, quem nondum acceperant, hos vero manuum impoſitione oratione juncta uſos eſſe, ut Neophyti Spiritum Sanctum acciperent; edocti ergo a Chriſto fuerant Apoſtoli, ſenſibili ſigno illi adjunctam fuiſſe divinitus Spiritus Sancti promiſſionem, & collationem; alioqui quomodo Petrum & Joannem hujus rei gratia Samariam mittere auſi eſſent, hi vero tantum opus manuum impoſitione perficere, ſi nulla erat Spiritus Sancti promiſſio, nulla ſenſibilis ritus, cui adnexa illa eſſet, divina inſtitutio? Rurſus: ex ejuſdem Lucæ narratione patet, Apoſtolos jam fuiſſe de Samaritarum fide certiores effectos, quum Petrum, & Joannem Samariam miſerunt; non ergo ad doctrinæ explorationem, neque ad ſuſcepti Baptiſmatis approbationem, Petrus & Joannes manus illis impoſuerunt, quos Philippi prædicatione permotos in Chriſtum jam credidiſſe, & ſponte Baptiſma ſuſcepiſſe conſtabat: neque ea manuum impoſitio mera fuit Baptiſmi appendix; quis enim credat ad puram ceremoniam omni ſpirituali effectu vacuam, quæ nudum eſſet Baptiſmi a Philippo collati additamentum, perficiendam Apoſtolorum præcipuos miſſos fuiſſe? Quum etiam Lucas referat, accepiſſe omnes Spiritum Sanctum, quibus Petrus & Joannes impoſuerant manus, gratias vero gratis datas, etſi in Eccleſiæ primordiis frequentiores, non omnibus tamen, qui Spiritum Sanctum habebant, fuiſſe communes, Paulus 1. ad Cor. 12. doceat, inde conficitur, eam manuum impoſitionem privilegium non fuiſſe naſcenti Eccleſiæ conceſſum ad hujuſmodi dona ſigno ſenſibili Neophytis communicanda; non aliud ergo eſſe potuit, quam Sacramentum, ſicut Eccleſia perpetuo credidit.

III. Multa Calvinus, ejuſque aſſeclæ adverſus conflatas a nobis e recitatis Scripturæ teſtimoniis demonſtrationes intorquent: „ Manuum impoſitionem, ait „ Calvinus, ab Apoſtolis adhibitam, in- „ terpretor, ut ipſo geſtu ſignificarent, „ ſe Deo commendare, & veluti offerre „ eum, cui manus imponebant: Has „ quoque imponebant pro eo tempore, „ quo viſibiles Spiritus Sancti gratias ad „ eorum preces adminiſtrari Domino pla- „ cebat; quum ergo ceſſarint illa virtu- „ tum miracula, & manifeſtæ operatio- „ nes, quæ per manuum impoſitionem „ diſtribuebantur, quid pro ſe jactant „ manuum impoſitionem, quam Apoſto- „ lis quidem in uſu fuiſſe legimus, ſed „ prorſus in alium finem? Quod autem „ Lucas dicit, baptizatos in nomine Je- „ ſu Chriſti fuiſſe, qui non accepiſſent „ Spiritum Sanctum, non ſimpliciter ne- „ gat, ullo Spiritus Sancti dono prædi- „ tos, qui in Chriſtum corde crederent, „ & eum ore confiterentur, ſed acceptio- „ nem Spiritus intelligit, qua manifeſtæ „ virtutes, & viſibiles gratiæ perciperen- „ tur. Quod ſi manuum impoſitione „ Apoſtolos ſe imitari evincant, unde ta- „ men oleum, quod vocant ſalutis? „ Quis eos in oleo ſalutem quærere do- „ cuit, quis roborandi vim illi attribue- „ re? “ Hæc Calvinus, quibus Pictetus addit, eam manuum impoſitionem, qua utebantur Apoſtoli, mandato Chriſti, & gratiæ promiſſione carere, quum nullibi legere ſit, præcepiſſe Chriſtum Apoſtolis, ut ea uterentur, aut promiſſionem gratiæ illi adjunxiſſe, neque ſe intelligere, in quem finem potuerit Chriſtus Confirmationem hanc inſtituere, ideoque perperam a Pontificiis illam inter Sacramenta referri.

IV. Prima, quam Apoſtolicæ manuum impoſitioni Calvinus adhibet, interpretatio futilis omnino eſt, & a ſacri textus veritate aliena; meminiſſe ille debuerat, ſe eodem lib. 4. cap. 16. adverſus Anabaptiſtas de infantium Baptiſmo agentem ſcripſiſſe, Baptiſmo nos Deo offerri, initiari, conſecrari, Deumque viciſſim nos in fidem ſuam accipere; quum ergo jam baptizati eſſent, quibus impoſuerunt Apoſtoli manus, illa manuum impoſitio non eo certe ſpectavit, ut homines jam Deo oblatos, & conſecratos, & in fidem a Deo receptos, Deo commendarent, ac veluti offerrent Apoſtoli. Quamquam quid opus eſt, ut hæc confectemur, quum & finis, in quem manus impoſuerunt Apoſtoli, & effectus manuum impoſitioni reſpondens, præpoſteram hanc ejus interpretationem explodant? Petrum & Joannem manuum impoſitioni orationem legimus addidiſſe, ut Neophyti *acciperent* Spiritum Sanctum, qui *nondum in eos venerat*, quem acceperunt mox ut Apoſtoli ſacro illo ritu defuncti ſunt; eo itaque

geſtu

geſtu non ſignificarunt Apoſtoli, ſe Deo commendare, ac veluti offerre Neophytos, ſed in eos Spiritum Sanctum oratione advocarunt, & impoſitione manuum tradiderunt. Altera vero, quam adjicit, interpretatio, quæque Novatoribus omnibus communis eſt, ſolide refellitur præclara D. Thomæ doctrina 1. p. q. 43., quæ de Divinarum Perſonarum miſſione eſt, ex qua plura petemus, quibus & inſanum Novatorum commentum obteramus, & veritatem Catholicam confirmemus.

V. „ Probat ille ar. 3., inviſibilem „ Divinæ Perſonæ miſſionem duntaxat „ fieri ſecundum gratiam gratum facien„tem, ſecundum quam & habetur ab „ homine, & ſpecialiter inhabitat homi„nem, operationem vero miraculorum, „ ſicut & prophetiæ donum, & gratiam „ quamlibet gratis datam gratiæ gratum „ facientis manifeſtationem eſſe, juxta „ illud Apoſtoli 1. ad Cor. 12. *Unicuique* „ *datur manifeſtatio Spiritus ad utilita*„*tem*; quare ſi alicui ſola daretur hæc „ gratiæ ſanctificantis manifeſtatio abſque „ gratia, non diceretur ille ſimpliciter „ Spiritum Sanctum accipere, niſi forte „ cum determinatione aliqua, ſicut dici„tur, dari cuipiam Spiritum propheti„cum, vel miraculorum, quatenus a „ Spiritu Sancto prophetandi, vel mira„cula faciendi virtutem habet. “ Art. vero ſexto docet, Spiritus Sancti miſſionem, & ſecundum inhabitationem gratiæ fieri, & ſecundum innovationem quamdam per gratiam, ideſt eos omnes Spiritum Sanctum accipere, quibus vel gratia gratum faciens infunditur, vel ejuſdem gratiæ incrementum, & virtutis profectus adſertur. Articulo denique ſeptimo explicat, opus non eſſe, ut inviſibilis divinarum Perſonarum miſſio ſemper viſibili aliquo ſigno manifeſtetur, ſed duntaxat, quoties, teſte Apoſtolo, id Eccleſiæ utilitas poſtulat, quæ quidem utilitas eſt, ut viſibilibus ejuſmodi ſignis confirmetur fides, & propagetur, quare quum hæc fidei confirmatio, & propagatio, ut ait idem Apoſtolus ad Hebræos 2. „ per „ Chriſtum & Apoſtolos principaliter fa„cta ſit, viſibilis Spiritus Sancti miſſio „ principaliter fieri debuit ad Chriſtum, „ ad Apoſtolos, & ad aliquos primitivos „ Sanctos, in quibus Eccleſia quodammodo „ fundabatur, ita tamen ut viſibilis Spi„ritus Sancti ad Chriſtum in Baptiſmo „ miſſio demonſtraret miſſionem inviſi„bilem, non tunc, ſed in conceptionis „ ſuæ principio ad eum factam. “

VI. Ad rem itaque. Placuiſſe Domino in Eccleſiæ primordiis, ad Apoſtolorum preces, & manuum impoſitionem viſibiles Spiritus Sancti gratias Neophytis adminiſtrari, concedimus: negamus tamen, ritum illum non in alium finem Apoſtolis in uſu fuiſſe; quum enim ii, quibus Petrus & Joannes manus impoſuerunt, Spiritum Sanctum accepiſſe dicantur, in eos quoque, quibus Paulus manus impoſuit, Spiritus Sanctus veniſſe legatur, inviſibilis ad eos facta eſt Spiritus Sancti miſſio ſecundum donum gratiæ gratum facientis, quæ tunc fuit viſibili ſigno manifeſtata, quod id Eccleſiæ utilitas, fidei ſcilicet confirmandæ ac propagandæ neceſſitas poſtularet; ſi enim iis data fuiſſet ſola ſanctificantis gratiæ manifeſtatio abſque gratia, non dicerentur abſolute Spiritum Sanctum accepiſſe, ſed prophetiæ, aut ſignorum, aut linguarum donum, quemadmodum perpetuo Scripturarum uſu fretus demonſtrat Angelicus; quum ergo Apoſtolorum preces, manuumque impoſitionem comitaretur interior Spiritus Sancti illapſus in eos, quibus ea viſibilia ſymbola adhibebant Apoſtoli, jure in ritu illo verum Sacramentum agnoſcimus, quippe qui & ſenſibilis erat, & ſanctificantis gratiæ collationem annexam habens, divinam certe præferebat inſtitutionem, quum ſolius Dei ſit, exterioribus ſymbolis, ſignificandæ conferendæque interioris gratiæ virtutem adjungere. Defierunt certe jamdudum ea virtutum miracula, & viſibiles operationes, quæ inviſibilem ad eos, quibus imponebant manus Apoſtoli, Spiritus Sancti miſſionem manifeſtabant, quod propagata jam & confirmata fide, iis Eccleſia non egeat; Cæterum quum non ceſſarit, immo ſit ad ſæculi finem uſque perduraturus finis ille præcipuus, ob quem & inſtitutus a Chriſto, & ab Apoſtolis adhibitus fuit hic ritus, inviſibilis nempe Spiritus Sancti miſſio, recte conficimus, ritum hunc inſtitutum a Chriſto, ut permanens eſſet, & perpetui in Eccleſia uſus, ideoque veri nominis Sacramentum.

VII. Samaritas, qui verbum Dei receperant, fuerantque a Philippo baptizati, aliquo Spiritus Sancti dono fuiſſe præditos, non du-

dubitamus; renati enim fuerant ex aqua, & Spiritu Sancto, & ſalvi facti per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem Deus in illos per Jeſum Chriſtum effuderat, ad eos icirco inviſibilis Spiritus Sancti miſſio in Baptiſmate facta fuerat ſecundum inhabitationem gratiæ, ſive ſanctificantis gratiæ infuſionem. Nunquid ergo, quod ait Lucas, *tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, eam ſolum denotat a Calvino confictam ſpiritus acceptionem, qua manifeſtæ virtutes, & viſibiles gratiæ perciperentur? Quum a Scripturarum loquendi more alienum ſit, ut quiſpiam Spiritum Sanctum accipere, aut eo repleri, Spiritus Sanctus in aliquem venire, aut in eo eſſe dicatur, ad quem inviſibilis per ſanctificantem gratiam miſſio non fiat, aut facta fuerit, ſi acceperunt ii Spiritum Sanctum, ſi in eos venit Spiritus Sanctus, quibus Apoſtoli manus impoſuerunt, ſecundum innovationem quandam per gratiam factus eſt in eos interior Spiritus Sancti illapſus, non ita quidem ut tunc primo cœperit in eis per gratiam & virtutes inhabitare, ſed gratiæ incrementum, & virtutis profectum eis adtulerit, effeceritque, ut ex aqua & Spiritu Sancto jam renati, & quaſi modo geniti per Baptiſmum infantes, nova per eam manuum impoſitionem virtute roborati in viros perfectos creſcerent. Quod vero de oleo ſalutis Calvinus addit, infra ſolvetur.

VIII. Pictеto blateranti eam manuum impoſitionem mandato Chriſti & gratiæ promiſſione carere, Calvinum ipſum opponimus lib. 4. Inſt. cap. 3. ſcribentem: „ licet nullum extet certum, ſcilicet ex„ preſſum, præceptum de manuum im„ poſitione, quia tamen Apoſtolis in per„ petuo uſu fuiſſe videmus, illa tam ac„ curata eorum obſervatio præcepti vice „ nobis eſſe debet . . . præterea non erit „ inane ſignum; nam ſi nihil fruſtra Spi„ ritus Dei in Eccleſia inſtituit, " hanc ceremoniam, quum ab eo profecta ſit, ſentiemus non eſſe inutilem. Calvino itaque judice perpetuus Apoſtolorum uſus ſatis ſuperque probat, eam manuum impoſitionem præceptam a Chriſto, neque inutilem ceremoniam eſſe, quum Spiritus Sanctus a quo illa profecta eſt, nihil fruſtra inſtituerit in Eccleſia; quare ineptit Pictetus idem effutiens, ſe animo non adſequi, quorſum potuerit Chriſtus ceremoniam hanc inſtituere. Ergone, quia nullam inſtituendæ confirmationis neceſſitatem Pictetus agnoſcit, divina ejus inſtitutio neganda eſt? Præter quam quod impia hæc & præpoſtera argumentandi ratio ipſa Religionis fundamenta convellit, & recta ducit ad teterrimos quoſque errores, quos Pictetus ipſe execratur, caſtigandæ ſacrilegæ ejus garrulitati ſatis ſuperque eſt mox recitata Calvini doctrina; ſi enim ceremonia illa a Spiritu Sancto profecta eſt, in aliquem finem, qui Dei ſapientiam, ac bonitatem deceret, inſtitutam illam fuiſſe, nemo, qui Chriſtianus eſſe, & audire velit, dubitaverit, quia nihil fruſtra in Eccleſia Spiritus Sanctus inſtituit, nec vero inſtituere poteſt; quare etſi peculiaris, in quem inſtituta illa ſit, finis incompertus nobis eſſet, divinam tamen ejus inſtitutionem hac de cauſa negare, nonniſi hominis eſſe poteſt, qui velit Deum ingenio ſuo metiri, & divinorum operum rationes ſuo arbitrio dijudicare.

IX. Cæterum qui divina eloquia animo præjudiciis vacuo excutit, facile deprehendit peculiarem hujus inſtitutionis finem, atque neceſſitatem. Tria Lucæ teſtimonia primo ſpectanda ſunt: Scribit ille in poſtremo Evangelii ſui capite, Chriſtum ipſa reſurrectionis ſuæ die Apoſtolis dixiſſe, *Ego mitto promiſſum Patris mei in vos, vos autem ſedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto*. Act. 1. Refert Chriſtum propediem aſcenſurum in cælum idem hoc promiſſum ſuum ſic confirmaſſe, *accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes &c.* Actorum denique 4. Apoſtolos & Diſcipulos ita Deum precantes inducit: *Nunc Domine reſpice in minas eorum*, ſcilicet Judæorum, *& da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum*, qua abſoluta oratione, motus eſt locus, in quo erant congregati, *& repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia &c.* Hinc intelligimus, cujus finis gratia Spiritum Sanctum Apoſtolis, aliiſque Chriſtus iterato promiſerit, quorſum eo egerent Apoſtoli, ut nimirum ejus virtute roborati teſtes Chriſti eſſent, ideſt publicum Evangelio teſtimonium libere ac intrepide ferrent, neque ab eo ferendo ullis minis, ullo ſuppliciorum metu abſterrerentur, ſed verbum

bum

bum Domini *cum omni fiducia* loquerentur. Id revera Apoſtolis, aliiſque, in quos illapſus eſt, Spiritum Sanctum præſtitiſſe, Lucas idem tam diſerte teſtatur, ut cæcus ſit, oporteat, qui hos Spiritus Sancti effectus in Apoſtolorum Diſcipulorumque invicta conſtantia, & evangelizandi fiducia nec videat, nec miretur.

X. Num porro ad ſolos Apoſtolos ea Chriſti promiſſio pertinuit, num ii ſoli ampliori Spiritus Sancti virtute opus habebant ad Chriſti fidem & firmiter retinendam, & libere profitendam? Sicut Chriſtus ipſe promiſit, ſeſe nobiſcum futurum *uſque ad conſumationem ſæculi*, ita Eccleſiæ ſuæ Spiritum Sanctum pollicitus eſt, qui nobiſcum *maneat in æternum*, cujus ſane uberiori gratia atque robore indigent omnes in Chriſto renati, ut fidem, cujus Sacramento regenerati ſunt, non verbis ſolum, ſed & operibus adverſus cujuſque generis hoſtes ſtrenue tueantur. Stetit quidem Chriſtus promiſſo ſuo, & pro ea, qua pollet, auctoritatis, & excellentiæ poteſtate, Apoſtolis, aliiſque *primitias Spiritus*, ut ait Paulus, *habentibus* rem Sacramenti contulit abſque Sacramento: verum ſicut ille, etſi Apoſtolos abſque ullo viſibili ſigno Sacerdotes ordinarit, peccata quoque remittere abſque Sacramento conſueverit, exteruos tamen ſacroſque ritus inſtituit, quibus & Sacrorum Miniſtrorum ordinatio perageretur, & peccatorum remiſſio fieret, quorum eſſet in Eccleſia perpetuus uſus, quia perpetua eſt effectuum his ſignis annexorum neceſſitas: ita etſi Spiritum Sanctum non ſolis Apoſtolis, ſed toti Eccleſiæ promiſſum in eos abſque Sacramento effuderit, ſactam tamen ceremoniam perpetuo in Eccleſia duraturam inſtituit, cui adnexa eſſet Spiritus Sancti plenitudo idem ſacra hac ceremonia conſecrantis ſpirituale robur additura, quod Apoſtolis ſacro Pentecoſtes die abſque Sacramento contulerat. Divinam ceremoniæ hujus inſtitutionem probat, ipſo Calvino teſte, adcurata Apoſtolorum obſervatio, quibus illa perpetuo in uſu fuit: adnexa illi gratiæ promiſſio dignoſcitur in ex effectu a Luca deſcripto: inſtitutam vero fuiſſe illam, ut in Eccleſia permanens eſſet, ſatis evincit peculiaris finis, ejuſque inſtituendæ neceſſitas.

PROPOSITIO II.

Eadem veritas tradito Dei verbo confirmatur.

„ I. Jam vero, pergit duodecima memorati capitis ſectione Calvinus, quum verbo Dei, & probabili ratione defici ſe vident, prætexunt, quod volent, vetuſtiſſimam eſſe hanc obſervationem, & multorum ſæculorum conſenſu firmatam; etiamſi id verum eſſet, nihil tamen efficiunt: non e terra eſt Sacramentum, ſed e cælo, non ex hominibus, ſed ex uno Deo. Deum ſuæ Confirmationis Auctorem probent, oportet, ſi Sacramentum haberi velint. Sed quid vetuſtatem objectant, quum Veteres, dum proprie loqui volunt, nuſquam plura duobus Sacramentis recenſeant? " Duo itaque nobis agenda incumbunt, primo ut oſtendamus, vetuſtatem dogmati huic apertiſſime ſuffragari, 2. ejuſdem auctoritate id certo effici, quod molimur, nimirum Sacramentum hoc non ex hominibus, ſed a Deo eſſe. Ac primum quidem, ſi velimus ſuſe perſequi, ut plerique faciunt, exſcribendis Patrum teſtimoniis ad rem facientibus paginæ plures vix ſatis erunt. Illuſtriora tantum promemus, atque ea potiſſimum, quæ divinam Sacramenti hujus originem ex laudatis Apoſtolicorum actuum locis ducunt. Cyprianus in epiſt. ad Jubajanum de eo agens, quod a Petro, & Joanne factum Lucas memorat, ut oratione pro Samaritis habita, & manu impoſita invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus, *quod nunc quoque*, ait, *apud nos agitur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manuum impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſignentur*. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, *an neſcis*, inquit, *Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis poſtea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus? exigis, ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum* &c.

II. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. hæc habet. *Quomodo Deus non eſt, qui dat Spiritum Sanctum? imo quantus Deus eſt, qui dat Deum? neque enim aliquis Diſcipulorum ejus dedit Spiritum*

Sanctum, orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant, quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia &c. Innocentius I. Romanus Pontifex in Epiſtola ad Decentium Eugubinum ſcribit: *de conſignandis infantibus manifeſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere . . . . Hoc Pontificium ſolis deberi Epiſcopis, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum.* Quorſum iis gemina aliorum Patrum teſtimonia congeramus, quum explorata facti veritas ſit, omnium oculis patens, tertii, quarti, & quinti ſæculorum Patres, ritus hujus uſum ſua ætate ubique in Eccleſia obtinentem, teſtatos eſſe, & ejus inſtitutionem e Scriptura repetiviſſe, eundemque illi effectum & finem præcipuum tribuiſſe, qui memoratis locis notatur a Luca? Jam vero demonſtratione hac, quæ ex recitatis teſtimoniis exurgit, Calvinum perſtringimus: Verum Sacramentum Calvino, & univerſis Novatoribus, eſt ſenſibilis & permanens ritus, Deum auctorem habens, cui ille gratiæ promiſſionem adjunxerit: laudati Patres, aliique plurimi, quos præterimus, ut & Concilia fælici illo ævo habita, Confirmationi hos characteres adſcribunt; eodem enim illo externo ritu ab Apoſtolis uſurpato, & ab eorumdem ætate ad ſua uſque tempora in Eccleſia univerſim adhibito eam perfici ad conſignandos Neophytos, & Spiritu Sancto replendos, diſerte tradunt; habita ergo ab iis fuit veri Sacramenti loco, non ergo perperam vetuſtatem objectamus, ſicut nobis Calvinus exprobrat.

III. Si autem Confirmatio verum Sacramentum Patribus fuit, an non ſatis eorum auctoritate conficitur, illam *non e terra, & hominibus, ſed e cælo, atque ab uno Deo eſſe?* Quum memorati Patres, aliique, quos mittimus, & plura prioris ævi Concilia ritum hunc, quo ab Eccleſiæ Præpoſitis Spiritus Sanctus Neophytis tradebatur, eundem illum eſſe doceant, quo ejuſdem effectus gratia uſos Apoſtolos refert Lucas, eandemque illi virtutem adſcribant, aut in Lucæ verbis hallucinati ſunt & errarunt, aut recte, & ad Lucæ mentem illa interpretati ſunt: ſi poſterius, falſæ ergo ſunt, & a Scriptoris ſacri mente alienæ tot illæ interpretationes a Calvino, aliiſque Novatoribus adhibitæ, quippe quæ cum Patrum interpretatione directe pugnant: Patrum ergo teſtificatione cæleſtis & divina Confirmationis origo probatur: Si prius, Spiritus ergo veritatis Veteres Patres defecit, & germanam narrationis Lucæ intelligentiam, quam illos latere voluit, Luthero, Calvino, aliiſque peſtibus in Eccleſiæ perniciem ſextodecimo ſæculo natis reſervavit, quodque multo gravius eſt, Eccleſiam non, ut promiſerat Chriſtus, *in omnem veritatem induxit*, ſed univerſam paulo poſt ejus exordium paſſus eſt errore graviſſimo detineri, hiſtrionicam Apoſtolorum imitationem affectare, Chriſtum conculcare, ſalutem, quæ in eo eſt, abjurare, verbum Dei pefundare, uſum Baptiſmi obſcurare, imo abolere, ſacroſanctas Dei inſtitutiones ſecure contemnere, &c. quum enim hæc omnia Romanæ Eccleſiæ Calvinus objiciat, quod habeat illa Confirmationem veri Sacramenti gradu, quo perficiuntur baptizati, ejuſque veritatem laudatis Lucæ teſtimoniis tueatur, quis non videt, hæc in purioris ævi Eccleſiam cadere, quam idem ſemper, quod Romana, ſenſiſſe, docuiſſe ac peregiſſe, locupletiſſima priſcorum Patrum, & Conciliorum teſtificatio demonſtrat?

IV. Nihil habet Calvinus, quod his opponat, niſi moleſtiſſimam cantilenam illam, Veteres ſcilicet, dum proprie loqui volunt, nuſquam plura duobus Sacramentis recenſere, de manuum impoſitione loqui, nec tamen illam Sacramentum vocari, Auguſtinum aperte affirmare, nihil aliud illam eſſe quam *orationem ſuper hominem*. Quam falſo ille ſcribat, nunquam plura duobus agnita fuiſſe Veteribus Sacramenta, abunde patet ex iis, quæ tam de ſingulis Sacramentis agentes, tum eodem hoc anno propoſitione prima de Sacramentis in genere e Veteribus ducta protulimus. Quid vero referret, ſi Veteres de manuum impoſitione loquentes, nunquam illam Sacramentum diſerte vocaſſent, quum extra litem ſit, eos rem ipſam vere adſtruxiſſe, omneſque veri Sacramenti notas in Confirmatione agnoviſſe? Cæterum mentitur ille, nunquam a Patribus Sacramentum vocatam Confirmationem. Quid iis diſertius, quæ Cypria-

Digitized by Google

prianus epiſt. 72. habet de Baptiſmo, & Confirmatione agens, *tunc plene ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi utroque Sacramento naſcantur ?* Quid iis Auguſtini verbis lib. 2. contra litteras Petiliani luculentius, *Sacramentum chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum Sacramentum eſt, ſicut & ipſe Baptiſmus ; ſed poteſt eſſe & in hominibus peſſimis : diſcerne ergo ſanctum viſibile Sacramentum, quod eſſe & in bonis, & in malis poteſt, illis ad præmium, iſtis ad judicium, ab inviſibili unctione charitatis, quæ propria bonorum eſt ?* Nonne Ambroſius in lib. de myſteriis, qui certiſſime genuinus ejus eſt fœtus, de Baptiſmo, Confirmatione ; atque Euchariſtia, diſſerens, quæ pro illius ævi diſciplina continenter miniſtrabantur, Confirmationem Baptiſmo, & Euchariſtiæ annumerat, illam, ut duo hæc, myſterium & Sacramentum vocat ajens : *nunc de myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere, quam ante Baptiſmum, ſi putaſſemus inſinuandam nondum initiatis, prodidiſſe potius, quam edidiſſe æſtimaremur ?* S. Pacianum alioſque mitto, quod tres iſti Calvino mendacii revincendo ſint ſatis.

V. Ea porro Auguſtini verba, *quid aliud eſt manuum impoſitio, niſi oratio ſuper hominem*, Catholicis de manuum impoſitione ad ſolemnem pœnitentium reconciliationem olim in Eccleſia uſitatam, non autem de Confirmatione interpretantibus reponit Calvinus, „ obgannire illos
„ putidis diſtinctionibus : extat liber, in-
„ quit, & in manibus hominum verſa-
„ tur : ſi in alium ſenſum detorqueo,
„ quam Auguſtinus ipſe ſcripſit, credo,
„ non conviciis modo pro ſolemni ſuo
„ more, ſed ſputis me obruant. „ Quum nobis ſolemne non ſit, conviciis adverſus Novatores agere, ſed eorum duntaxat errores pro modulo noſtro refellere, non a ſputis ſolum, ſed a convicio quolibet in Calvinum abſtinebimus, poſtquam demonſtraverimus apertiſſime, detorſiſſe illum Auguſtini verba in alium ſenſum. Calvino perlibenter damus, loqui Auguſtinum lib. 3. de bap. cap. 16. de iis, qui a Schiſmate ad Eccleſiæ unitatem redibant, negare, opus habere illos iteratione Baptiſmi, ſufficere manuum impoſitionem, ut per vinculum pacis illis Spiritum Sanctum Dominus largiatur ; quoniam autem abſurdum videri poterat, manuum impoſitionem repeti potius, quam Baptiſmum, diſcrimen Auguſtinus oſtendit, *quid enim* inquiens, *aliud eſt manuum impoſitio, quam oratio ſuper hominem ?* Inde tamen argumentum exurgit, quo hanc manuum impoſitionem, de qua eo loci Auguſtinus, ad ſolam pœnitentium reconciliationem, non ad baptizatorum confirmationem eſſe, decretorie conficitur : manus hæc impoſitio, quæ ſola eſt oratio ſuper hominem, non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt, ait Auguſtinus, qui tamen pluribus aliis in locis, in ſecundo præſertim libro adverſus literas Petiliani, *Sacramentum Chriſmatis*, ſive Confirmationis repeti non poſſe decernit ; quæ itaque manus impoſitio, teſte Auguſtino, pura eſt oratio ſuper hominem, Confirmatio non eſt, ſed ritus Eccleſiæ ad reconciliandos pœnitentes olim adhibitus.

„ VI. Verum, ait Calvinus, ea ma-
„ nuum impoſitio in eum finem ab Au-
„ guſtino dicitur fieri, ut per vinculum
„ pacis Dominus Spiritum Sanctum ad
„ Eccleſiæ unitatem redeuntibus largia-
„ tur, atque alibi, ait, Hæreticis corre-
„ ctis manus imponi propter copulatio-
„ nem charitatis, quæ eſt maximum Spi-
„ ritus Sancti donum, ſine quo non va-
„ lent ad ſalutem quæcumque alia ſancta
„ in homine fuerint ; cui ergo eundem
„ effectum Auguſtinus tribuit, quem
„ Confirmationi ſuæ Papiſtæ, eadem tri-
„ buenda eſt natura. “ Si tamen Calvinus Auguſtini doctrinam, quam tum alibi ſæpe, tum præſertim in libris de Baptiſmo conſtanter tradit, adſequi curaſſet, intellexiſſet oppido, quid ſibi Auguſtinus eo loci voluerit ; docet ille, Baptiſma extra Eccleſiam peccatorum remiſſionem non operari *propter diſcordiæ fœditatem, & diſſenſionis iniquitatem*, ac tum ſalubre eſſe, quum *ad Eccleſiæ pacem venerint, quoniam idem Baptiſmus, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operabatur ſalutem*, reconciliari iccirco Hæreticos, ut peccatorum remiſſionem, quæ per Spiritum Sanctum eſt, accipiant, quia ipſa reconciliatione ac pace præſtatur, ut ad remiſſionem peccatorum in unitate jam prodeſſe incipiat Sacramentum, quod acceptum in Schiſmate prodeſſe non poterat. Illa ergo manuum impoſitione, quæ correctis fiebat Hæreticis, conferri ait Auguſtinus,

Spi-

Spiritum Sanctum, & peccatorum remiſſionem fieri propter ſolam copulationem charitatis & pacis, quia nimirum ſublato ſectionis, & diſſenſionis obice Sacramenta extra Eccleſiam ſuſcepta, quæ propter diſcordiam foris operabantur mortem, Eccleſiæ unitati redditis, & manuum impoſitione eidem ſolemniter reconciliatis prodeſſe incipiebant ad gratiam, & ad ſalutem. Ea ergo manuum impoſitio non vi ſua, atque, ut Schola loquitur, per ſe, ſicut Sacramenta Evangelica faciunt; ſed propter vinculum pacis, & charitatis copulationem externo illo ſymbolo denotatam, & confirmatam, Spiritum Sanctum, auctore Auguſtino, largiebatur, multum idcirco aberat a Confirmationis natura.

VII. Cæterum audebit ne Calvinus adſerere, de iis, qui ab hæreſi & ſchiſmate ad unitatem Eccleſiæ redibant, quibus manuum impoſitio ſat erat, ut per vinculum pacis Spiritum Sanctum illis Dominus largiretur, loqui Auguſtinum tract. 6. in 1. Joan. Epiſt., ubi quum prænotaſſet, viſibilia ſigna, quæ interiorem Spiritus Sancti in primos credentes illapſum conſequebantur, tempori fuiſſe opportuna, & jam deſiiſſe, ſubdit: *Numquid modo, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum Sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando impoſuimus manus iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrum, utrum linguis loquerentur, & quum videret eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrum fuit, ut diceret, non acceperunt iſti Spiritum Sanctum, nam ſi accepiſſent, linguis loquerentur, ſicut tunc factum eſt?* Ad Hæreticos ne correctos, quibus ad reconciliationem manus imponitur, illud ſpectat, quod idem Auguſtinus ſermone 324. de puero quodam cathecumeno defuncto S. Protomartyris Stephani meritis ad vitam revocato habet: *Continuo tulit illum ad Presbyteros mater, baptizatus eſt, ſanctificatus eſt, unctus eſt, impoſita ei manus eſt, completis omnibus Sacramentis aſſumptus eſt?* Sentiat ergo Calvinus, nihil ſua hac argumentatione futilius eſſe, Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. aperte affirmat, manuum impoſitionem nihil aliud eſſe quam orationem ſuper hominem a ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem redeuntem, nullibi ergo manuum impoſitionem agnovit, quæ Sacramentum ſit, quo conſignentur, confirmentur, & Spiritu Sancto repleantur Neophyti, quum plura eaque locupletiſſima Auguſtini teſtimonia hanc ejus conſecutionem falſam eſſe revincant.

VIII. Refutato Magiſtro, facile erit Diſcipulorum ejus objecta refellere, quæ ſummatim brevitatis gratia perſtringemus. Primi & ſecundi ſæculi Patrum ſilentium perperam, a Dallæo præſertim, adverſus ſexcenta eaque diſertiſſima aliorum Confirmationem inter Sacramenta cenſentium teſtimonia jactari, intelligunt omnes, qui norunt, argumenti inficialis nullam eſſe vim adverſus adfirmantis auctoritatem. Quid cauſæ fuerit, cur Patres Apoſtolico ævo priores de hoc Sacramento tacuerint, ſatis oſtenſum eſt in tract. de Pœnitentia prop. 1. Mentitur ſubinde Dallæus ajens, Irenæum Confirmationis noſtræ, quæ chriſmate fit, originem Hæreticis Gnoſticis tribuere, quibus vitio dat, quod eum, qui initiatus eſt, opobalſamo inungerent; non enim Martyr ſanctiſſimus eos unctionis hujus auctores ait, ſed corruptores, qui ſanctum Eccleſiæ myſterium ſuperſtitioſis vocibus, & prophanis ritibus depravabant, ſicut Irenæum lib. 1. adverſus hæreſes cap. 18. legenti perſpicuum eſt. Inſcite quoque nugatur Dallæus idem in iis Tertulliani verbis in lib. de Baptiſmo num. 7. *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungi oleo in Sacerdotium ſolebant*, in aliis item, quæ habet ille in lib. de reſurrectione carnis ajens, *Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur*, quaſi vero ille in priori teſtimonio unctionis, quæ in Confirmatione fit, originem a lege Moſaica petens, novæ legis Sacramentum illam eſſe negarit, in poſteriori vero Confirmationem merum Baptiſmi ritum eſſe cenſuerit, quia ei *illuminationem*, quæ inter Baptiſmi effectus ponitur, adſcribit; quum enim benedictam unctionem noſtram de priſtina ſeu Moſaica diſciplina deſcendere Tertullianus ſcribat, quod nimirum unctione illa, quæ in veteri lege Sacerdotibus adhibebatur, fuerit præfigurata, ſi Confirmationem noſtram novæ legis Sacramentum eſſe icirco negaſſe dicendus eſt, pariter & Baptiſma noſtrum ab eo ſublatum fuiſſe, conſequens erit, cujus figuram & exemplum in piſcina Bethſaida, atque in Joannis Baptiſmo ibidem agno-

Digitized by Google

agnoſcit. Pudere ſane debuiſſet, Dallæum ſic ineptire, quum Tertullianus ibidem ſpecialem unctioni huic effectum tribuens alium ab effectu Baptiſmi, quo loco eam habuerit, ſatis oſtendat ajens : *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit, quomodo & Baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritalis effectus, quod delictis liberamur*.

IX. Quum vero Tertullianus ſpiritalem profectum Confirmationi, liberationem a delictis Baptiſmo deputet, manifeſtum eſt, non fuiſſe illi Confirmationem purum Baptiſmi ritum, præſertim quum in lib. de reſurrectione carnis hos quoque utriuſque Sacramenti effectus ſecernat, ablutioni carnis, quæ in Baptiſmo fit, animæ emundationem tribuens, unctioni vero & conſignationi, quæ in Confirmatione adhibetur, animæ conſecrationem & munimentum; quare ea *illuminatio* ſpiritalis, quam manuum impoſitioni, qua caro in Confirmatione adumbratur, reſpondere ait, non eadem illa eſt, quæ Baptiſmate adfertur, ſed infuſi jam luminis incrementum atque perfectio. Quam vero nugacius Dallæus idem eorum Patrum teſtimoniis abutitur, qui ſcribunt, Petrum & Joannem ſuppleviſſe quod deerat Samaritis jam baptizatis, chriſmationem, & manuum impoſitionem, ad implenda Baptiſmatis myſteria dirigi, donum Spiritus Sancti dari in Baptiſmate per impoſitionem manuum Epiſcoporum, atque inde infert, Confirmationem non aliud fuiſſe Patribus, quam Baptiſmi appendicem, & ceremoniam. Quum diu Eccleſiæ in more fuerit, adultis ac etiam infantibus a Baptiſmo recentibus Confirmationem ſtatim adminiſtrare, Patres, qui de Baptiſmo agunt, ad vigentem ſuo ævo conſuetudinem digitum intendentes, de Confirmatione ſermonem continenter inſtituunt, quam ſi quis ab eis idcirco inter Baptiſmi ceremonias numeratam fuiſſe dixerit, idem de Euchariſtia pronunciet, neceſſe eſt, quandoquidem iiſdem iis in locis Patres de illa verba faciunt, quod ſoleret illa poſt abſolutum Baptiſmi, & Confirmationis officium Neophytis e veſtigio miniſtrari. Quum etiam ibidem peculiarem Confirmationi ritum, peculiarem effectum, peculiarem miniſtrum, peculiarem etiam inſtitutionem adſcribant, perſpicuum eſt, adfirmaſſe illos, Confirmatione non ut nuda Baptiſmi ceremonia, ſed ut Sacramento diſtincto ſuppleri, quod baptizatis deeſt, impleri Baptiſmi myſteria, innovari baptizatos, quia nimirum Spiritus Sancti plenitudinem divina inſtitutione conferens baptizatos roborat, atque perficit per quamdam innovationem per gratiam ampliorem, qua a ſpirituali infantia ad perfectæ ætatis robur promoventur, ſicut egregie ait Angelicus.

PROPOSITIO III.

Eadem veritas conſtanti Eccleſiarum omnium conſenſione firmatur.

I. De Sacramento hoc in Dialogo adverſus Luciferianos agens Hieronymus merito ajebat, etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſum debere inſtar præcepti obtinere, quum Novatores ipſi concedant, nullum eſſe certius veritatis argumentum, quam ſi in eandem omnes uno ſenſu, atque una voce conſpirent. De perpetua hac Latinæ Eccleſiæ fide, quis dubitet, quum illi teſtimonium perhibeant locupletiſſimum quatuor ii omni exceptione majores, quos cæteris miſſis mox laudavimus, Cyprianus, Hieronymus, Innocentius I., & Auguſtinus, qui & Sacramenti hujus originem, & univerſalem ejus in Eccleſia uſum e recitatis Apoſtolicorum actuum locis, arceſſunt? Graviſſimæ tantorum virorum teſtificationi inutile fuerit, addere omnes ſequioris ævi Scriptores, quorum longam aciem inſtruunt Recentiores Theologi, quum veritatem hanc manifeſtiſſime exhibeant, & veluti oculis ſubjiciant tot ii Sacramentarii, & Pontificales libri, ex quorum codicibus antiquiſſimis, quorum nonnulli ante novem, aliqui ante decem ſæcula conſcripti ſunt, *ordinem ad conſignandos pueros* excerpſit, vulgavitque Martene, in quo Latina Eccleſia fidem ſuam hac, quæ in omnibus codicibus extat, & re atque ſenſu eadem eſt, oratione ab Epiſcopo dicenda teſtatur : *Deus qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, & per eos eorumque Succeſſores cæteris fidelibus tradendum voluiſti, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum, ut eorum corda, quorum frontes ſacro chriſmate delinivimus, & ſigno crucis confir-*

ma-

mavimus, *idem Spiritus Sanctus adveniens templum gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat*. Si ergo Veterum Patrum effato *legem credendi ſtatuit lex ſupplicandi*, atque Eccleſiæ fides ejus precibus, teſte Auguſtino, potiſſimum manifeſtatur, ſolemnius certe magiſque authenticum doctrinæ Latinæ Eccleſiæ documentum deſiderari non aliud poteſt.

II. Quum Antonius Caucus Cocyrenſis Antiſtes imperite ſcripſiſſet, Confirmationem Græcis Sacramentum non eſſe, his eum argumentis validiſſime refellit Allatius: Primo quod nunquam Græcos inter ac Latinos, etſi inter eos frequens fuerit de ejus forma, miniſtro, ac ætate, qua conferri debet, diſputatio, nunquam, an illa Sacramentum eſſet, dubitatum ſit, niſi ab eo, qui vel meridie ſolem lucere negaverit. 2. quod Euchologia omnia vetuſtiſſima, & recentiora manu exarata, atque etiam diu ante Caucum typis edita Sacramenti hujus ordinem atque ritum palam exhibeant, adeo ut nullus apud Græcos ſit, qui poſt ſuſceptum Baptiſma mox altero hoc Sacramento non initietur. 3. quod Græci omnes, qui de Sacramentis ſcripſerunt, tum veteres tum recentes, ſeptem novæ legis Sacramenta concorditer ſtatuant, & ſecundum inter ea Confirmationi locum tribuant. Laudat in hunc finem Simeonis Theſſalonicenſis, Gabrielis Philadelphienſis, Hieremiæ Conſtantinopolitani, Joannis Paleologi Junioris, aliorumque inſignium apud Græcos Theologorum teſtimonia, plurium in Oriente habitarum Synodorum decreta, ex quibus apparet maniſeſtiſſime, inter ſeptem novæ legis Sacramenta Chriſma, ſive ſacrum unguentum numeratum fuiſſe ſemper a Græcis ſecundo loco, ac numerari *juxta conſtitutionem Chriſti*, *Apoſtolorum traditionem*, *&* *Eccleſiæ conſuetudinem*. Iiſdem aliiſque argumentis Arcudius mendacii revicit Kemnitium, qui inverecunde ſcripſerat, ſeptenarium Sacramentorum numerum apud Græcos a Latinis tentatum, Armenis vero fuiſſe obtruſum.

Explorata hæc adeo, & certa ſunt, ut Clariſſimus Renaudotius fidenter ſcripſerit, Græcorum doctrinæ & diſciplinæ prorſus jejunos eſſe, qui perditiſſimi Apoſtatæ Cyrilli Lucaris teſtificationi fidem habentes, Græcorum Eccleſiam Sacramento hoc carere putarunt. Collatis in hanc rem ab Arcudio & Allatio documentis alia addit, & præclare verſat Vir præſtantiſſimus, qui & deſcriptis ex antiquiſſimis canonum collectionibus, & officiorum libris communi aliarum in Oriente Chriſtianæ profeſſionis ſocietatum uſu receptis, nec non ex illuſtribus earum gentium Scriptoribus, authenticis monumentis, demonſtrat, ut ſemper Latinis Græcos, ita Græcis Malchitas ſive Orthodoxos Syros, Jacobitas, Ægyptios, ac Æthiopes in hoc capite conſenſiſſe ſemper, & conſentire. Conſenſus hic porro certiſſimo illi, & toties a nobis laudato Tertulliani effato, *quod apud omnes unum invenitur*, *illud non eſt erratum*, *ſed traditum*, ſi ſubnectatur, evidentem illam, & neceſſariam conſecutionem inferi, quam ſæpe eadem hac via gradientes intulimus, nimirum dogma hoc Chriſtianorum omnium conſenſu ſultum veriſſimum eſſe, & divinitus traditum: illud quoque nobis argumentum ſuppeditat, quo Tertullianus idem perſtringebat Hæreticos, reſurrectionem carnis Chriſtianorum omnium confeſſione adſertam negantes, & carnalis ſapientiæ argumentis oppugnantes: *Non erit Chriſtianus*, ajebat ille, *qui eam negabit*, *quam confitentur Chriſtiani*, *&* *his argumentis negabit*, *quibus utitur non Chriſtianus*; Novatores ergo Chriſtiani non ſunt, qui veritatem hanc negant, quam omnes ubique gentium confitentur Chriſtiani, iiſque potiſſimum ad eam negandam argumentis utuntur, quibus utitur non Chriſtianus, cavillationibus ſcilicet, perverſa Scripturarum, Patrumque interpretatione, & illatis Romanæ Eccleſiæ calumniis ad creandam doctrinæ ejus invidiam.

IV. Forbeſius lib. 9. Theologicarum inſtitutionum cap. 4. totus eſt in explodendo conſenſu iſto, & jactanda Theologorum noſtrorum de hoc Sacramento acerrima concertatione; „ Alexander Alenſis, „ ait ille, in Theologiæ ſumma, quam „ Innocentii quarti juſſu editam, Alexan„ der IV. diplomate ſuo, & ſeptuaginta „ Doctorum ſuffragio probavit, negat Sa„ cramentum hoc a Chriſto inſtitutum, „ & ab Apoſtolis adminiſtratum, ejuſ„ que inſtitutionem Meldenſi Concilio ad„ ſcribit: Magiſtro ſuo concinit Bona„ ventura ajens, poſt obitum Apoſtolo„ rum Sacramenti hujus materiam & for„ mam ab ipſis Eccleſiæ Rectoribus, di„ ctante Spiritu Sancto, fuiſſe inſtituta,

„ Fer-

Digitized by Google

„ Fervet & inter Papiſtas de Sacramenti „ hujus materie controverſia; Cajetanus „ enim aliique multi oleum, quo fit un- „ ctio, non Sacramenti, ſed præcepti tan- „ tum neceſſitate, balſamo miſcendum „ eſſe contendunt: Suarez aliique pluri- „ mi ſtant ex adverſo. Niſi chriſma ab „ Epiſcopo conſecratum ad Confirmatio- „ nem adhibitum, irritum eſſe Sacra- „ mentum, Theologi omnes pronun- „ ciant, ait Philippus Faber: Secus ta- „ men Cajetano videtur, qui ſolo Eccle- „ ſiaſtico jure Chriſmatis ab Epiſcopo „ conſecrati uſum neceſſarium eſſe opina- „ tur. De hujus quoque Sacramenti for- „ ma, & miniſtro quot inter eos pugnæ? „ Perperam ergo Latinæ Eccleſiæ conſen- „ ſio jactatur, quæ inteſtinis iſtis Theolo- „ rum ſuorum diſſidiis ita turbatur, ut „ nihil apud eos reperire ſit certum, & „ conſtans. “

V. Hæc immodice pro more ſuo jactanti Forbeſio reponere primo poſſumus, quod ſæpe jam repoſuimus, non ex hujus aut illius Theologi ſingulari placito dijudicandam Eccleſiæ fidem, ſed ex communibus atque publicis documentis, Romanorum nempe Pontificum decretis, Conciliorum ſanctionibus, Ritualibus, & Sacramentariis libris, quibus conſuevit illa germanam doctrinam ſuam teſtatam facere, a qua ſi nonnulli Theologi deſciviſſe reviƈti fuerint, non poſſunt ex eorum aberratione adverſus perpetuam Eccleſiæ fidem argumentum cudere Novatores, quin plura fidei capita, quorum non eſt in ſacris litteris diſerta mentio, quæ tamen ipſi nobiſcum retinent, nutare fateantur, quæ a celeberrimis quibuſdam prioris ævi Scriptoribus legimus oppugnata. Quacumque ergo fama claruerint Alexander Alenſis, & Bonaventura, nihil ei detractum volumus: Erraſſe illos tamen, ea, quæ omnibus anteferenda eſt, veritas fateri cogit, quum & ſcripti, & traditi Dei verbi auctoritas, plurium Conciliorum ſuo illo Meldenſi multo antiquiorum canones, & Sacramentarii libri eodem Concilio priores oppoſitum luculenter evincant, nec in Meldenſi illo Concilio ad noni ſæculi mediętatem habito de Confirmationis inſtitutione verbum ullum, ſed de ſola Chriſmatis conſecratione ac inunctione Corepiſcopis interdicta, & ſolis Epiſcopis juxta decretum Innocentii I. attributa. Quam maligne Forbeſius obtrudit, ſummæ Alenſis approbationem excutere nolumus, ne in cujuſquam offenſionem incurramus. Fides penes Auctorem utpote Domeſticum ſit. Utut res ſe habeat, graviſſima Melchioris Cano verba ſubjicimus: Nemo quantumvis eruditus & Sanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit. Sanctus fuit qui in Chiliaſtarum errorem deſcendit, Sanctus fuit &c. atque horum opuſcula a Gelaſio comprobata ſunt. Qui legit, intelligat.

VI. De Sacramenti hujus materie multæ ſunt, eæque graviſſimæ inter Theologos controverſiæ. Quum Sacramentum hoc duplici ſenſibili ritu, impoſitione ſcilicet manuum, & unctione, verbiſque utrique ritui reſpondentibus, antiquiſſimo Eccleſiæ more, perficiatur, nonnulli ſolam manuum impoſitionem, alii ſolam inunctionem, alii alterutram, alii denique utramque Sacramenti hujus materiem eſſe contendunt. Quum vero in hujus Sacramenti adminiſtratione duplex manuum impoſitio fiat, altera, quum Pontifex, levata & extenſa ſuper confirmandorum capita manu, ut Romanum pontificale præſcribit, orationem recitat, qua ſeptiformis Spiritus in confirmandos advocatur, altera, quæ cum unctione ipſa neceſſario connexa eſt, quum pollice confirmari frons delinıri non poſſit, quin fronti apponatur, vel imponatur manus, ſtant pro priori aliqui, & poſteriorem ſolius conditionis loco habent, ſine qua perfici unctio non poteſt, pro poſteriori alii, prioremque ceremoniam putant, quæ Sacramento præmittitur. In hac tamen opinionum collectione fidei ſubſtantia in toto eſt; quem Theologorum noſtrum reperire eſt, qui ut Confirmationem veri Sacramenti loco & gradu habet, ita, ſi duos mox refutatos excipias, illam materia atque forma a Chriſto inſtituta conſtare non doceat? Quænam illa ſpeciatim, ſive, ut ajunt, in individuo ſit, diſputant inter ſeſe, eoſque diſputare patitur Eccleſia, quæ & nondum tulit ſolemne de re iſta judicium, & probe novit, Theologos ſuos a proſcriptis Novatorum erroribus procul abeſſe; nemo enim unus eſt, qui Novatores non execretur, impoſitionem manuum ceu *inutilem*, unctionem chriſmatis ceu *Spiritu Sancto injuriam* rejicientes, nemo unus, qui utrumque hunc ritum utpote traditione Apoſtolica, locupletiſſimis Patrum teſtimoniis, Eccleſiarum omnium con-

conſenſione, & Pontificalium omnium auctoritate fultum ſancte retinendum, adhibendumque, &, ſi alterurer omiſſus fuerit, religioſe ſupplendum eſſe, non ſentiat, ne Sacramenti veritas periclitetur, quamquam in figendo, qua neceſſitate Sacramenti ne, an præcepti, alteruter aut uterque adhibendus ſit, non conveniant.

VII. Solum ex olivis expreſſum oleum aptam Sacramento huic materiam eſſe, quoniam & perpetua totius Eccleſiæ diſciplina, & graviſſima veterum Patrum auctoritas docet, Theologorum omnium ſententia eſt; quoniam vero apud antiquos Patres, qui Sancti olei meminerunt, fruſtra balſami mentionem quæras, nec una eſt Orientis, & Occidentis diſciplina, Chriſma enim a Græcis non ex oleo & balſamo ſolum, ſed ex pluribus aromatibus, multiſque odoriferis erbis conficitur, hinc orta Cajetani & aliorum dubitatio, an præcepti ſolum, an etiam Sacramenti neceſſitate balſamum oleo miſcendum ſit. Cæterum, quia antiquiſſimus eſt in Occidente & Oriente hujus mixtionis uſus, hancque & Latinorum Pontificales libri, & Græcorum omnia Euchologia præſcribunt, ne unus quidem eſt, qui non doceat, nefas eſſe ad Sacramentum hoc ſimplex oleum, quod balſamo mixtum non ſit, adhibere. Chriſmatis quoque benedictionem, cujus diſertam mentionem habent Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus Hieroſolymitanus, quamque *tacita ſecretaque traditione haberi*, ſcribit Baſilius Magnus, quæque Latinæ Græcæque Eccleſiæ in uſu fuit, neceſſariam eſſe, conſtans Scholæ decretum eſt, neque Chriſma ab Epiſcopo non conſecratum poſſe abſque ſacrilegio ad hujus Sacramenti uſum adſumi. An vero abſque eo irritum quoque ſit Sacramentum, quum nondum Eccleſia ſolemniter definierit, Scholarum diſputationi permiſſum eſt, erratque Philippus Faber a Forbeſio laudatus, adverſus Cajetani opinionem, quam ipſe *ſingularem* appellat, Theologos omnes ſtare affirmans; quot enim Cajetano & antiquiores, & recentiores Theologi, iique Clariſſimi Chriſmatis ab Epiſcopo conſecrati uſum ſola præcepti neceſſitate in Confirmatione retinendum eſſe contendunt?

VIII. Conſequens eſt, Theologos, quos inter tanta eſt de Sacramenti hujus materia opinionum colliſio, de ejuſdem forma invicem diſſentire, neque tamen hæc eorum conflictatio dogmatis hujus veritatem, & Eccleſiæ conſenſum labefactat, quod tota extra dogmatis ſubſtantiam ſit. Quum Confirmatio omnibus verum Sacramentum ſit, ſuam illi ut materiem, ita formam omnes adſcribunt; quoniam vero Eccleſia & Spiritum Sanctum in confirmandos advocat oratione, quæ priorem manuum impoſitionem comitatur, & verbis iis *Signo te ſigno Crucis* &c. unctionem perficit, neque hactenus definivit expreſſe, quæ verba eſſentialis formæ loco habenda ſint, priora ne, an poſteriora, an alterutra, an utraque, in varias Theologi opiniones abeunt, qui tamen mira concordia decernunt, & orationem manuum impoſitioni junctam, & verba unctionem ſacram comitantia ob Eccleſiæ auctoritatem, uſumque antiquiſſimum prætermitti ſcienter abſque ſacrilegio non poſſe, licet inter eos non conveniat, qua neceſſitate utrumque horum ſit uſurpandum. Inſcite denique Forbeſius opponit Scriptorum noſtrorum de Sacramenti hujus Miniſtro diſſidia. Ignorare ne ille potuit, in eo capite, quod unum definivit Eccleſia, ſolos nimirum Epiſcopos ordinarios eſſe Confirmationis Miniſtros, ſummam eſſe omnium conſenſionem? Quid ergo ſi aliqui ita poteſtatem hanc ſolis Epiſcopis divino jure tributam eſſe contendunt, ut nunquam Eccleſia poſſit Presbyteris miniſterium hoc demandare? Quid ſi alii plures oppoſitum adſtruunt? Quid ſi horum quoque non una ſententia eſt, quorum alii cenſent, quemlibet in ſua Diœceſi Epiſcopum poſſe munus hoc Presbytero deferre, alii ſoli Romano Pontifici hanc delegandi poteſtatem attribuunt, quam nonnulli Juris Pontificii conſulti immodice adeo extendunt, ut ei jus tribuant non Presbytero ſolum, ſed & inferioris ordinis Clerico, immo & Laico, modo confirmatus ſit, miniſterium hoc committendi? Quum opinionum varietas hæc tota in adjunctis, intacta fidei ſumma, verſetur, perperam ad infirmandum Latinorum conſenſum obtruditur.

IX. Quæ adverſus perpetuam Orientalium in eodem hoc capite cum Occidentalibus conſenſionem objici ſolent, pleraque in tractatu de Sacramentis in genere propoſitione prima diluta ſunt, in qua ſeptenarium Sacramentorum numerum adſtruximus; inde ergo reſponſa petenda erunt.

Hic

Digitized by Google

Hic nonnulla tantum addemus, quæ ſpecialem difficultatem videntur iniicere, & Græcorum a noſtra doctrinæ diverſitatem innuere. Primo manuum impoſitionem, in qua Latini vel totam Sacramenti hujus materiam, vel partem collocant, Græca Eccleſia non habet, neque in Euchologiis ullum eſt ejus veſtigium: 2. Quum Orientales Chriſmate inungunt, hæc ſolum in uſu habent verba, *Signaculum doni Spiritus Sancti*, quæ a Latinorum forma multum differre nemo eſt, qui non videat: 3. Confirmationem in Oriente perveteuſto inſtituto miniſtrant Presbyteri, quod argumento eſt, in Sacramenti hujus miniſtro illos Latinis non conſentire. 4. Ruthenos Sacramentum hoc explodere tradunt cum Suarezio Theologi non pauci. Nihil horum tamen adverſus demonſtratam a nobis Orientalium conſenſionem quidquam evincit. Perpetuum impoſitionis manuum in Sacramento hoc adminiſtrando apud Græcos uſum luculentiſſime probat diſerta veterum Græcorum Patrum, Irenæi, Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti, aliorumque ad quartumdecimum uſque ſæculum Scriptorum teſtificatio, quorum verba Theologi noſtri longo ordine exhibent, neque ritum hunc Euchologia omnino reticent; quum enim omnia orationem habeant, qua ſeptiformis Spiritus in Neophytos advocatur, quæque extenſis & levatis ſuper earum capita manibus apud Latinos recitari conſuevit, intelligere non abs re poſſumus, illam eodem ritu a Græcis quoque recitari, licet ritum utpote majorum traditione, & perpetuo uſu notiſſimum Euchologia expreſſe non memorent. Addit Clariſſimus Renaudotius Orientalium monumentorum & rituum conſultiſſimus, manuum impoſitionem pleriſque Græcorum Ritualibus libris præſcriptam legi, cui etſi Orientales magnam efficaciam adſcribant, unctioni tamen principalis materiæ locum tribuunt, quo fit, ut Euchologia frequentiorem magiſque expreſſum de iſta ſermone habeant.

X. Græcorum formam, cujus ut a majorum traditione manantis, atque uſu in Oriente ubique receptæ meminit Conſtantinopolitana prima Synodus inter Œcumenicas ſecunda an. 381. habita, verbis quidem non ſenſu, a noſtra differre, Latinæ Eccleſiæ certiſſime perſuaſum eſt, quæ ſemper ratam habuit Confirmationem a Græcis hac forma adminiſtratam; ea enim omnia, ait Arcudius, hæc forma exprimit, quæ uſitata apud Latinos forma ſecundum D. Thomæ doctrinam hujus Sacramenti propria denotat, ſpiritualis nimirum roboris plenitudinem, efficientem ejus cauſam, & ſpiritualem notam ſeu characterem, quo confirmatus ceu Chriſti miles inſignitur. „ Exprimitur hic chara- „ cter; pergit Arcudius, quum dicitur *ſi-* „ *gnaculum*, nec ſiletur gratia, quum ſub- „ ditur, *Doni*, neque deſideratur primarius „ utriuſque hujus effectus auctor, quum „ adjicitur, *Spiritus Sancti*; Etſi autem „ hæc forma verbo careat, perfectam ta- „ men, ait idem Arcudius, ſententiam „ habet; miniſter enim cum unctione hæc „ verba jungens, id ſignificare cenſetur, „ *Accipe*, *vel tibi trado ſignaculum &c.* „ haud ſecus ac qui nummum aureum „ inopi porrigens unum id diceret, *en* „ *nummum aureum*, deſignaret profe- „ cto, ſe nummum aureum pauperi tra- „ dere. “ Quam ex Confirmationis apud Græcos miniſtro petunt; difficultatem propoſitione ſequenti expediemus. „ Rutheni „ denique, ait laudatus Arcudius, neque „ contemnunt hoc Sacramentum, & im- „ merito inter Hæreticos, qui hoc errore „ tenentur, a doctiſſimo Suarezio nume- „ rantur, forte ex aliorum narratione; ſi „ quis enim fuit error apud Ruthenos, „ qui forte nullus eſt, ille potius fuit ex „ defectu materiæ, quam aliunde, quia „ nimirum neque balſamum miſcebant „ oleo, iiſdemque orationibus, quibus o- „ leum infirmorum, feria quinta majoris „ hebdomadæ, chriſma conſecrabant. “ Hæc Arcudius.

PROPOSITIO ULTIMA.

Solus Epiſcopus Sacramenti hujus ordinarius Miniſter eſt.

I. PRimum Tridentini Canonem, quo Sacramenti hujus veritas definita eſt, pro modulo noſtro tutati, ſecundum præterimus adverſus Calvinum aliosque Novatores intortum, qui chriſma cujus eſt in Sacramento hoc apud Orientales & Occidentales omnes immemorabilis uſus, ſacrilega procacitate inſectantur. Quum enim ea, quæ ex antiquis Patribus, & vetuſtiſſimis ſive Occidentalis, ſive Orientalis Eccleſiæ Pontificalibus libris mox a nobis deprompta ſunt, & curſim indicata, probe

N 2 con-

conficiant, chriſmatis uſum a tacita, & ſecreta traditione fluentem in purioris ævi Eccleſia viguiſſe, ſatis illa ſuperque ſunt retundendæ infamæ calumniæ nobis illatæ a Novatoribus, injurios ſcilicet Spiritui Sancto nos eſſe, qui Sacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuimus. In tertio itaque, eoque poſtremo ejuſdem Concili canone definet brevis hæc noſtra de Sacramento iſto tractatio. Quum Novatores errorem hunc a Photio primum, qui ſæculo nono in Conſtantinopolitanam ſedem invaſit, & funeſtiſſimo Schiſmate Græcam Eccleſiam a Latina divulſit, inductum, a Waldenſibus duodecimo, & a Wicleſo quartodecimo ſæculo recoctum, inſtaurarint, quoslibet nimirum Presbyteros jure ſuo Confirmationis Miniſtros eſſe, vetuſtum errorem in Novatoribus redivivum Tridentina Synodus canone iſto protrivit: *Si quis dixerit, Sacræ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

II. Veritatis hujus etſi plura nobis momenta ſuppetant, duo illa tamen ſolum urgebimus, quæ in Epiſt. ad Decentium S. Innocentius I. nobis ſuppeditat: *De conſignandis*, ait, *manifeſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere; nam Presbyteri licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent: hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolum Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat, verum & illa lectio actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit, Petrum, & Joannem eſſe directos, qui baptizatis traderent Spiritum Sanctum.* Quum itaque Scripturæ auctoritate, & Eccleſiæ conſuetudine Sanctiſſimus ille Pontifex miniſterium hoc ſolis Epiſcopis adſerat, duo hæc momenta verſabimus, eorumque vim exeremus. Petrum & Joannem ab Apoſtolis fuiſſe miſſos, ut Samaritis a Philippo baptizatis Spiritum Sanctum manuum impoſitione conferrent, quod munus hoc ſolis Apoſtolis fuiſſet demandatum a Chriſto, conſtans eſt Patrum interpretatio, hocque Apoſtolorum exemplo factum eſſe, ut ſoli Epiſcopi eorumque ſucceſſores miniſterio hoc fungerentur, diſerte tradunt Cyprianus in Epiſtola ad Jubajanum, Anonymus Cypriano coævus, qui adverſus eundem de non iterando Baptiſmo ſcripſit, quique a pluribus S. Stephanus Papa haud inſcite eſſe creditur, Innocentius I. in Epiſt. mox laudata, Hieronymus in Dial. adv. Luciferianos, Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, Iſidorus Hiſpalenſis in lib. de Officiis Eccleſiaſticis, Venerabilis Beda in Comment. in Apoſt. acta; poſteriores Scriptores omnes, qui apud Latinos de hoc argumento ſcripſerunt: e Græcis vero Chryſoſtomus hom. 18. in Apoſt. acta, Iſidorus Peluſiota ejus Diſcipulus, Theophilactus atque Ecumenius, quorum omnium verba non exſcribimus, quod apud omnes ferme Recentiores Theologos occurrant.

III. Ex hac vero Patrum interpretatione ita argumentamur: Sanctorum omnium ſenſus, ait veriſſime Melchior Cano, ipſe Spiritus Sancti ſenſus eſt; Si ergo quotquot e Latinis Græciſque Patribus eum Apoſtolicorum actuum locum verſarunt, interpretati ſunt, ſolis Apoſtolis ordinarium confirmandi munus fuiſſe tributum a Chriſto, indeque ortum, ut ſoli *Præpoſiti Eccleſiæ*, ut Cyprianus, & Auguſtinus ajunt, *ſoli præcipui, & non alii*, ſicut Chryſoſtomus loquitur, idest ſoli *Pontifices, & Epiſcopi*, quemadmodum alii Patres exponunt, idem hoc munus in Eccleſia obeant, unus hic eorum ſenſus, ipſe Spiritus Sancti ſenſus eſt; Spiritus ergo Sanctus Scripturæ Auctor ſolis Epiſcopis hoc miniſterium adjudicat; alioqui ſi Novatores alium a Spiritus Sancti ſenſu in ejus textus intellectu Sanctorum omnium ſenſum fuiſſe velint, eiſque in laudata verborum Lucæ interpretatione Spiritum veritatis negent, proculdubio, ſubdit idem graviſſimus Theologus, eundem Spiritum Eccleſiæ tollant, quemadmodum, qui ab oculis videndi munus aufert, his reliquas etiam omnes corporis partes obſcurat; nam ſi oculus non fuerit lucidus, totum corpus tenebroſum erit. Negare ne etiam audebunt alterum, quod idem Innocentius ait, conſuetudinem ſcilicet Eccleſiæ demonſtrare, ſolis Pontificibus deberi, ut conſignent, & Paracletum Spiritum tradant? Præter Sanctiſſimum hunc Pontificem, qui ſæculo quinto incunte maxima pietatis ac doctrinæ laude floruit, conſuetudini huic teſtimonium perhibent locupletiſſimum, non ſolum paulo ſuperius memorati Scriptores, ſed & Cornelius Papa in epiſt. ad Fabium Antiochenum, Conſtitutionum vulgo Apoſtolicarum Auctor, qui ante quarti ſæculi initium vixiſſe ab Eruditis omnibus fertur, Illiberitanum, Neocæſarienſe, & Laodicænum Concilia ante Innocentium habita, aliaque eo vivente celebrata, omnes

deni-

denique Sacramentarii & Pontificales libri, qui non alium Sacramenti hujus Miniſtrum exhibent, quam Pontificem.

IV. Hac autem facti veritate ſuppoſita, eam argumentationem arripimus, qua in procemio in codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ Gulielmus Beveregius Anglicanæ Eccleſiæ Scriptor notiſſimus adverſus Dallæum Calviniarum Miniſtrum agit; quum enim Dallæus in ſuo *de Confirmatione* opere, Confirmationem meram eſſe Baptiſmi ceremoniam ac appendicem, eamque a Presbyteris æque ac ab Epiſcopis olim collatam fuiſſe, atque adhuc conferri poſſe contenderet, aliaque multa ab Anglicanæ Eccleſiæ doctrina, ac diſciplina abhorrentia in libris *de cultu Latinorum* efferret, hoc eum argumento Beveregius perſtringit: „ Inter omnes Chriſtianos convenir, omnium puriſſimam fuiſſe
„ ac perfectiſſimam Eccleſiam Apoſtolicam, ideſt ab Apoſtolis ipſis conſtitu
„ tam atque adminiſtratam: nihil etiam
„ communi Chriſtianorum fidei magis conſonum, quam primos Apoſtolorum Succeſſores commiſſam ſibi Eccleſiam illibatam incorruptamque ſervaſſe, eodemque modo ſuis Succeſſoribus tradidiſſe,
„ hoſque aliis, & ſic deinceps, ut nihil
„ dubii eſſe poſſit, quin per duo ſaltem
„ vel tria ab Apoſtolis ſæcula Eccleſia in
„ primitivo ſuo vigore, atque, ut ita loquar, virginitate floruerit, eodem nempe ſtatu, quo ab ipſis Apoſtolis relicta
„ fuit: Ergo ubi de Eccleſia univerſali
„ ejuſque conſenſu & conſuetudine verba
„ facimus, potiſſima ſine omni dubio primitivæ ratio habenda eſt, quam univerſa, quæ ſecuta eſt, Eccleſia, puriſſimam
„ ſemper habuit, & ad eam tamquam ad
„ aliarum regulam appellavit; Si ergo innumeri majoreſque omni exceptione teſtes de hac primitivæ Eccleſiæ conſuetudine dubitare non ſinunt, recte ajebat
„ Innocentius I., demonſtrari conſuetudine iſta, deberi Pontificium hoc ſolis Epiſcopis, ut conſignent, & Paracletum
„ Spiritum tradant. “

V. Refellenda primum Photii argumenta, quibus ille propoſitionem hanc noſtram in epiſt. *ad Archiepiſcopales thronos* adverſus Latinos conſcripta exagitat: „ Non licet Sacerdotibus, ajunt Latini, eos,
„ qui ſacro Baptiſmate initiantur, unguento ſanctificare, ſolis enim Pontificibus
„ hoc datum eſt. Unde venit hæc lex, &
„ quiſnam hujus conditor? Apoſtolorum
„ ne unus aliquis, an vero Patrum? an
„ etiam aliqua ex Synodis? Sed ubi &
„ quando congregata eſt hujuſmodi Synodus, & quorumnam calculis comprobata? Non licet Sacerdoti eos, qui baptizantur, unguento conſignare: igitur
„ neque omnino baptizare, neque ſacra
„ facere, ut tibi neque dimidiatus Sacerdos ſed integer ad prophanum ſtatum
„ reiiciatur. Conficit Sacerdos Chriſti Domini corpus & ſanguinem, & eos, qui
„ jam ſunt Baptiſmate initiati, per ea
„ Sacramenta ſanctificat, quomodo non
„ etiam ſanctificabit ungens chriſmate eos,
„ qui Baptiſmate initiantur? Baptizat Sacerdos baptizatum perficiens: quomodo
„ auferes a Sacerdote cuſtodiam & ſigillum illius puritatis, cujus ipſe eſt auctor? Verum quandoquidem ſignaculum
„ aufers, igitur neque permiſeris eum miniſtrum eſſe doni Baptiſmatis. “

VI. Græcum Græco opponimus, & Photii objecta ipſis Arcudii verbis refellere volumus, quod ille ſolide ſimul & preſſe memorata Photii argumenta diiiciat.
„ Legem quærit Photius, ait Arcudius.
„ *Exigis*, in Dial. adverſus Luciferianos
„ de eodem hoc Sacramento agens inquit
„ Hieronymus, *ubi ſcriptum ſit? In actibus Apoſtolorum*. Hoc idem reſponſum
„ ſibi habeat Photius, etſi enim de ea re
„ nullum eſſet Græcorum canon, facile
„ tamen ex Scriptura ſacra Act. 8. & 19.
„ id colligere potuiſſet; non enim temere
„ Petrus & Joannes miſſi ſunt, qui baptizatis a Philippo manus imponerent,
„ ut Spiritum Sanctum acciperent, &
„ quum alibi Scriptura Sacra de miniſtro
„ Baptiſmi nullam mentionem faciat,
„ quippe Miniſter, urgente præſertim neceſſitate, quilibet eſſe poteſt; Paulum
„ tamen impoſuiſſe manus, ut baptizati
„ acciperent Spiritum Sanctum, velut miniſtrum proprium, cui ex officio principaliter incumbebat, merito commemorat. „ Reſponſum hoc ſuum diſertiſſimo Chryſoſtomi teſtimonio firmat Arcudius; Hom. enim 18. in Apoſt. acta quærens, cur baptizati a Philippo Spiritum non accepiſſent, ait: *mea ſententia Philippus unus erat ex ſeptem, ſecundus a Stephano, ideo baptizans Spiritum Sanctum non dabat, neque enim facultatem habebat .... hoc erat peculiare Apoſtolis, unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.*

Con-

Confert in eandem rem Arcudius teſti-
monia duorum apud Græcos ſummæ aucto-
ritatis Scriptorum, Clementis ſcilicet Ro-
mani, quem Græci putant Conſtitutionum
Apoſtolicarum Auctorem, & Dionyſii A-
reopagitæ, cui libros *de Eccleſiaſtica Hie-
rarchia* iidem Græci adſcribunt, munus
hoc ſolis Pontificibus tribuentium.

VII. „ Igitur, inquit Photius, neque
„ baptizare omnino licet Sacerdoti. Igi-
„ tur dicamus nos, neque baptizare in
„ neceſſitatis articulo Diacono, aut Laico
„ licet, quia neuter in neceſſitate confir-
„ mare poteſt. Pergit Photius: neque ſa-
„ crum conficere. Quorſum id? quaſi ve-
„ ro neceſſario illud ſit conſequens, ut qui
„ ſacrificat, neceſſario quoque confirmet,
„ vel dimidiatus ſit Sacerdos, ſi confirma-
„ re non valeat. At enim, ait Photius,
„ Sacerdos baptizatum perficit per Sacra
„ mentum Euchariſtiæ, quod eſt longe
„ omnium præſtantiſſimum, cur non eun-
„ dem confirmatione perficiat? quia eam
„ perfectionem Sacramenti Confirmatio-
„ nis, quo militiæ Chriſti obligamur, con-
„ ferre, cujuſcumque Sacerdotis non eſt,
„ ſed ad Ducem exercitus ſpectat, Eu-
„ chariſtia vero æque reſpicit confirma-
„ tum, & non confirmatum, quod ſuo
„ exemplo docuit Chriſtus, qui Apoſtolis
„ primum Baptiſmo tinctis Euchariſtiam
„ impertivit, poſtremo eoſdem poſt ſuum
„ in cœlum aſcenſum per adventum Spi-
„ ritus Sancti confirmavit, ut propterea
„ non mirum ſit, ſi Sacerdos quoque ba-
„ ptizet, cœleſtique cibo baptizatos pa-
„ ſcat, eos tamen jure ordinario confir-
„ mare non poſſit. Quod ſi Photius col-
„ ligit, dimidiatum fore Sacerdotem, ſi
„ non confirmet, dimidiatum quoque Sa-
„ cerdotem fateatur neceſſe eſt, quia Sa-
„ cros Ordines conferre, chriſma confir-
„ mationis conſecrare, & cætera Pontifi-
„ cum munera exercere non poteſt; longe
„ enim perfectior eſſet, ſi hæc præſtaret.
„ O acumen Photianum, quam puerili-
„ ter ratiocinaris? “ Hæc Arcudius ...

VIII. Quo autem Photii ſophiſmata
plenius diluantur, præclaram adducimus D.
Thomæ doctrinam 3. p. q. 72. art. xi.
in quo inquirit, *an ſolus Epiſcopus hoc Sa-
cramentum conferre poſſit*. „ Ultima cujuſ-
„ que operis, ait ille, conſumatio ſupre-
„ mæ arti, aut virtuti reſervatur, ſicut
„ materiæ præparatio ad inferiores artifi-
„ ces pertinet, ſuperior formam dat, ſu-
„ premus autem eſt, ad quem pertinet
„ uſus, qui artefactorum finis eſt; ſicut
„ & Epiſtola ab Amanuenſi conſcripta a
„ Domino conſignatur. Fideles autem
„ Chriſti ſunt quoddam divinum opus,
„ ſicut prima ad Cor. 3. ait Apoſtolus, *Dei
„ ædificatio eſtis*: ſunt etiam quaſi quædam
„ *epiſtola Spiritu Dei ſcripta*, ut ait idem
„ 2. ad Cor. 3. quum ergo Confirmationis
„ Sacramentum ſit quaſi ultima Baptiſ-
„ mi conſumatio, ita ſcilicet, ut per Ba-
„ ptiſmum ædificetur homo in ſpiritualem
„ domum, & quaſi quædam ſpiritualis e-
„ piſtola conſcribatur, per Confirmatio-
„ nem vero quaſi domus ædificata dedice-
„ tur in templum Spiritus Sancti, & quaſi
„ epiſtola conſcripta ſigno crucis obſigne-
„ tur, hujus idcirco Sacramenti collatio
„ Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſum-
„ mam poteſtatem in Eccleſia, ſicut &
„ in primitiva per impoſitionem manus
„ Apoſtolorum, quorum vices gerunt E-
„ piſcopi, plenitudo Spiritus Sancti daba-
„ tur. “ Huic rationi, ſi alteram addas,
quam tradit quæſt. 65. art. 3., Confirma-
tione ſcilicet deputari hominem ad quod-
dam ſpeciale officium, nempe ad profiten-
dam Chriſti fidem, evincitur, *ſolius Epiſ-
copi eſſe, qui eſt quaſi Princeps in Eccleſia,
hoc Sacramentum conferre, quum nonniſi
Principis ſit milites conſcribere*.

IX. Diſpulſo Photio refellendus eſt Dal-
læus, qui omnium copioſiſſime veritatem
hanc in ſuo *de Confirmatione* libro oppu-
gnavit, Scripturarum auctoritatem, Pa-
trum teſtimonia, Conciliorum canones, &
Orientalium Eccleſiarum pervetuſtam di-
ſciplinam opponens. Potiora perſtringemus;
nec enim operæ pretium eſt minutiora quæ-
que perſequi. Quod ex Act. 9. profert,
Ananiam ſcilicet, Diſcipulum, qui Epiſ-
copus certe non erat, manus impoſuiſſe
Paulo, quam eſt inſulſum! In quem etenim
finem Ananiam Paulo manus impoſuiſſe,
Scriptura memorat? *Et vidit virum*, ait
Lucas, *Ananiam nomine introeuntem, &
imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat*.
Quis vero effectus hanc manuum impoſi-
tionem ſubſecutus ſit, memorat Sacer Hi-
ſtoricus ſubdens, *& continuo ceciderunt ab
oculis ejus tamquam ſquamæ, & viſum re-
cepit, & ſurgens baptizatus eſt*. Quid ve-
ro, ſi Lucas eundem Ananiam, dum Pau-
lo manus imponeret, ita loquentem inducit,
Saule frater, Dominus miſit me Deus . . .
ut videas, & implearis Spiritu Sancto?

Quum

Quum ea manuum impoſitio ad reddendum Paulo viſum, teſte Luca, directa fuerit, ejuſdemque Baptiſmo præmiſſa, alia certe fuit ab ea, de qua agimus, quæ ſolis baptizatis adhibetur; Dum ergo Ananias ait, *ut videas, & implearis Spiritu Sancto*, ſignificavit, a Chriſto ſe miſſum, ut Paulo manuum impoſitione viſum redderet, eumque adminiſtrato Baptiſmo ex Spiritu Sancto regeneraret, quod Lucas ipſe aperte innuit ſcribens, mox ut Ananias manus impoſuit, continuo Paulum recepiſſe viſum, ſubinde ab eo excitatum, ut abſque mora ſurgeret, & Baptiſmo peccata ablueret, baptizatum eſſe.

X. Paulo difficiliora ſunt, quæ ex Hieronymo colligit ſcribente in Dial. adverſus Luciferianos, *ad honorem potius Sacerdotii, quam legis neceſſitate obſervari, ut in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum Sanctum, & in epiſt. ad Evangelum, nihil Epiſcopum, excepta ordinatione, facere, quod non faciat Presbyter*. Prioris tamen teſtimonii ſenſus facile ex præcedentibus Hieronymi verbis eruitur. Præmiſerat Eccleſiarum hunc eſſe morem, ut baptizatis Spiritus Sanctus manuum impoſitione traderetur, morem hunc & ex Scripturæ auctoritate, & ex totius orbis in hanc partem conſenſu deſcendere, rurſus hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad baptizatos a Presbyteris & Diaconis Epiſcopus ad invocationem Spiritus Sancti manus impoſiturus excurrat, hanc vero obſervationem Eccleſiæ, ut baptizatus non niſi per manus Epiſcopi Spiritum Sanctum accipiat, ex ea auctoritate manare, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit. Hujus ergo Sacramenti & veritatem, & tributam ſolis Epiſcopis adminiſtrationem petit Hieronymus e Scriptura, & ex Eccleſiarum obſervatione ſive conſuetudine, quæ debet inſtar præcepti obtinere, quum *& alia multa, quæ per traditionem in Eccleſiis obſerventur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpent*. Quod ergo adjicit e veſtigio, *& multis in locis idem factum reperitur, ad honorem potius Sacerdotii quam legis neceſſitate*, non alium ſenſum habet, ut Arcudius, noſtrique Theologi paſſim exponunt, quam Sacramenti hujus adminiſtrationem, quum abſolutæ neceſſitatis non ſit, ſicut Baptiſma, non debuiſſe cuilibet demandari, ſed Epiſcopali honori reſervatam fuiſſe, quum Epiſcopi dignitas hinc plurimum commendetur, quod veluti Chriſtianæ militiæ dux baptizatos hoc Sacramento perficiat.

XI. Neque difficultatem injiciunt, quæ continenter adjungit: *Alioqui ſi ad Epiſcopi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, lugendi ſunt, qui . . . baptizati ante dormierunt, quam ab Epiſcopis inviſerentur*. Reſponſum imo noſtrum confirmant; quum enim Helladius Luciferianus prave ſentiret, non conferri in Baptiſmo Spiritum Sanctum, argumento ab abſurdo ducto eum Hieronymus refutat, conſequens nimirum fore, ut perirent, & lacrimis proſequendi eſſent, qui poſt Baptiſma decederent non conſignati ab Epiſcopo, ſi Spiritum Sanctum in Baptiſmate non acceperant, quod a communi Chriſtianorum doctrina abhorret. Quod ergo præmiſerat, *ad honorem potius Sacerdotii, quam legis neceſſitate fieri, ut baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum Sanctum*, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmo tribui, eo certe ſpectat, ut doceat, baptizatos non ideo conſignari a ſolo Epiſcopo, ut primo Spiritum Sanctum accipiant, aut legis neceſſitate, quaſi vero aliquo careant abſolutæ neceſſitatis, ſine quo obeuntes excidant a ſalute, ſed quum iis major dumtaxat Spiritus Sancti, quem jam habent, plenitudo, & ſuſcepti Baptiſmatis perfectio, & conſumatio per impoſitionem manuum Epiſcoporum accedat, Epiſcopatus dignitatem inde potiſſimum manifeſtari, cui & Scripturarum auctoritate, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine hæc baptizatorum perfectio & conſumatio attributa eſt. Brevius & forte felicius cum Clariſſimo Baronio reponere poſſemus, id ſibi velle Hieronymum, quamvis divino jure ſolis Epiſcopis tributum ſit, ut ex officio conſignent, non eam tamen eſſe legis hujus neceſſitatem, ut miniſterium hoc Epiſcoporum proprium non poſſit Eccleſiæ delegatione ſimplicibus Presbyteris delegari.

XII. De poſteriori Hieronymi teſtimonio quoniam plura jam diximus in tract. *de Ordine*, de Epiſcoporum ſupra Presbyteros excellentia diſſerentes, non eſt cur multum ſolliciti ſimus. Zelos actum Hieronymum adverſus petulantem Diaconum, qui ſe Presbyteris non æquabat ſolum, ſed etiam anteferebat, plus æquo Presbyterorum dignitatem extuliſſe, & Epiſcopali coæquaſſe, jam adnotavimus, ideoque verba, quæ in memorata epiſtola illi diſputationis fervore abrepto exciderunt, ex iis corri-

corrigenda eſſe, quæ aliis in locis habet de Epiſcoporum ſupra Presbyteros præſtantia, & in Dial. præſertim adverſus Luciferianos, in quo Confirmationis miniſterium ſolis Epiſcopis adjudicat. Immenſi eſſemus, omnia ſingillatim excutientes, quæ ex veterum Conciliorum canonibus Dallæus obiicit. Summatim ea complexi reponimus primo, perperam canones eos obtrudi, qui Presbytero vetant, chriſma conficere, & conſignare, quaſi vero ſolo Eccleſiaſtico jure, eoque non admodum antiquo id ſolis Epiſcopis delatum ſit; non enim quidpiam novi iis canonibus ſancitur, ſed quorumdam Presbyterorum inſolentia comprimitur, qui adverſus Scripturarum auctoritatem, Patrum traditionem, & Eccleſiæ conſuetudinem ſibi id muneris arrogabant: 2. Canones omnes, qui Presbyteris *chriſmandi*, ſeu *Chriſmate ungendi* poteſtatem faciunt, aut illis jamdudum factam fuiſſe innuunt, aut de *Chriſmatione*, quæ in vertice fit, & inter Baptiſmi ceremonias numeratur, non vero de ea, quæ fronti adhibetur, & ad Sacramentum Confirmationis pertinet, aut de Chriſmatione, qua Hæretici ad Eccleſiam redeuntes in Oriente, nec non in Galliarum & Hiſpaniæ Eccleſiis reconciliari olim ſolebant, rectiſſime a Theologis exponuntur; quod ſi contendas, de confirmandi poteſtate eos agere, adhuc in tuto res eſt; inde enim efficies, delegaſſe Eccleſiam Presbyteris munus hoc, quod Epiſcoporum eſt proprium, noſque conſentientes habebis, qui ita confirmandi officium divino jure Epiſcopis delatum fuiſſe docemus, ut poſſit Eccleſia juſtis de cauſis illud Presbyteris extra ordinem delegare.

XIII. Poſtremum objectionis caput paulo fuſius refellendum eſt, & difficultas inde exiſtens præclara ſapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. doctrina extricanda. „ Longe ante Photianum ſchiſma, ait il„ le lib. 7. *de Syn. Diœceſana* cap. 9., Græ„ corum moribus receptum fuiſſe, ut Pres„ byteri baptizatos infantes ſtatim ſacro „ Chriſmate inungerent, & confirmarent, „ demonſtrant Arcudius, Holſtenius, a„ liique: invaluiſſe eundem uſum apud „ alias Orientis Eccleſias, in Ægypto præ„ ſertim. Atteſtantur antiquus Auctor *com„ mentariorum in epiſtolas Pauli* inter ope„ ra D. Ambroſii, & Scriptor *quæſtionum „ veteris, & novi Teſtamenti* inter opera „ D. Auguſtini. Sunt qui conſuetudinem „ hanc a Latina Eccleſia ſemper improba„ tam affirmant, & argumenta petunt „ tum ex Nicolao I., qui paulo poſt ex„ ortum Photii ſchiſma, per Legatos ſuos „ iterum confirmari juſſit, quotquot in „ Bulgaria a Presbyteris, quos Photius il„ luc miſerat, fuerant ſacro chriſmate in„ uncti, tum ex Innocentio III., qui in „ cap. *Quanto de conſuetudine* diſerte da„ mnat morem Conſtantinopoli obtinen„ tem, quod quidam nimirum ſimpli„ ces Sacerdotes ea Sacramenta præſume„ rent fidelibus exhibere, quæ ab Apoſto„ lorum tempore fuerunt ſolis Pontificibus „ reſervata, ut eſt Sacramentum Confir„ mationis &c. quibus & Innocentii IV. „ ſententiam addunt, qui ad Ottonem Car„ dinalem Tuſculanum Sedis Apoſtolicæ „ in Oriente Legatum ſcripſit, conſignan„ dos in frontibus baptizatos a ſolis Epiſ„ copis, quia hæc unctio non debet, niſi „ per Epiſcopos, exhiberi. “

XIV. „ Verum ſi his Doctoribus aſſen„ tiendum ſit, pergit laudatus Pontifex, „ cogeremur quoque cum iiſdem admitte„ re, inanem atque irritam Græcorum „ Confirmationem eſſe; quum enim hæc „ a ſimplici Presbytero adminiſtrata vires „ aliunde habere nequeat, quam ab ex„ preſſa vel tacita Romani Epiſcopi dele„ gatione, nullum profecto eſſet hujus de„ legationis indicium, ſi huic Græcorum con„ ſuetudini ſemper Romani Pontifices obſti„ tiſſent. Eccleſiam autem Græcam Sacra„ mento Confirmationis carere, ut nonnul„ li aſſerunt, multis nominibus abſurdiſſi„ mum eſſe, in ſuis in Græcorum Eucho„ logium notis recte oſtendit Goarius; e„ quidem Confirmationem etſi a Presby„ tero apud Græcos adminiſtratam a La„ tinis Patribus ratam fuiſſe habitam, i„ pſius Florentini Concilii acta demon„ ſtrant; quum enim poſt unionem inter „ alias quæſtiones hanc quoque Latini pro„ poſuerint Græcis, *quare Epiſcopi non jun„ gunt ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes, „ quum hoc Pontificibus ſit datum, hæc a „ Latinis objecta Mitylenenſis Epiſcopus o„ mnia canonice legitimeque diſſolvit, præ„ terquam duo, de quibus Papa ſignifica„ vit Imperatori, cur ſcilicet matrimonia „ diſſolvantur, & Patriarcha non eligatur.* „ Locupletius eſt teſtimonium Gregorii „ Protoſyncelli, qui ceu Alexandrini Pa„ triarchæ Legatus eidem Concilio inter„ fuit, & poſtea Conſtantinopolitanus Pa„ triar-

„ triarcha creatus eſt, adverſus Marcum Epheſinum hæc ſcribentis: Verum Latini etiam noſtros conſignabant, & chriſmatos appellabant; ſed hæc non fuiſſe ex æquo & bono facta, conſtat ex eo, quod in noſtra unione nihil habuerunt, quod nobis obiicerent, ſed quum eſſemus orthodoxi, habiti ſumus ab orthodoxis orthodoxi.“

„ XV. Neque oppoſitum evincunt, quæ de Romanis Pontificibus referuntur; Nicolaus etenim I. Bulgaros iterum conſignari voluit, quia Sacerdotes, a quibus fuerant confirmati, a Photio *mœcho*, *&* *invaſore*, ideſt Pſeudo Epiſcopo fuerant delegati, nulla iccirco poteſtate inſtructi, ut Sacramentum illud adminiſtrarent. Innocentii vero tertii Decretalis ſolos reſpicit Latinos Sacerdotes; quum enim tunc temporis Conſtantinopolis Latinorum imperio ſubeſſet, multique Latinorum ſub Latino Patriarcha eam urbem incolerent, & Latini Sacerdotes auderent Confirmationem, Græcorum more, conferre, ad compeſcendum abuſum hunc Innocentius ad Lucium Vicarium ſuum hæc ſcripſit: *Diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut omnibus Latinis Presbyteris apud Conſtantinopolim conſtitutis diſtricte prohibeas, ne talia de cætero ſua temeritate præſumant*. Innocentii IV. Conſtitutio ad ſolum Cypri Regnum ſpectat, in quo quum multi eſſent Latini Antiſtites, Latinorum ritus cœperat prævalere, quem propagare per totum Regnum, & perpetuum fore cupiens Innocentius, delegationem hujus Sacramenti conferendi tacite ſaltem ab Apoſtolica Sede Græcis Sacerdotibus factam revocavit. In aliis vero locis, in quibus Confirmatio a Græcis Sacerdotibus collata ab Apoſtolica Sede improbata expreſſe non eſt, rata eſt habenda ob tacitum ſaltem privilegium iis ab Apoſtolica Sede conceſſum, cujus privilegii præſumptionem inducit Romanorum Pontificum conniventia, & tolerantia, qui hujus Græcorum moris probe conſcii neque obſtiterunt, neque illum improbarunt, ſicut poſt Goarium alioſque Arcudius recte diſſerit.“

„ XVI. Hæc quum ita ſint, ait Doctiſſimus Arcudius, deſinant Turrianus, & Stephanus Durantus, qui *de Catholicæ Eccleſiæ ritibus* ſcripſit, Viri alioqui pii, doctrinaque præditi non vulgari, ex Nicolai I. Epiſtola *ad Hincmarum* Græcis errorem hunc attribuere, quaſi vero pii Presbyterum eſſe ordinarium Sacramenti hujus Miniſtrum exiſtiment, quod falſiſſimum eſt; neque enim par eſt conſiderare, quid ex odio in Romanam Eccleſiam Photius effutierit, quid nonnulli item imperiti reſpondeant, ſed quid pro Græcorum conſuetudine reſponderi poſſit, quum mos iſte ſit antiquiſſimus, nec cœpto ſchiſmate cœperit . . . Tutiſſimum eſt dicere, Græcorum Presbyteros per ſuos Antiſtites, & Patriarchas ejuſmodi facultatem a Summo Pontifice obtinuiſſe, a quo omnis juriſdictio quaſi a capite in alios veluti membra, mediate, vel immediate derivatur, vel diffunditur; nam & Florentinum Concilium in decreto *pro Armenis* aſſerit, aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili cauſa Presbyteris hujus Sacramenti adminiſtrationem fuiſſe conceſſam, & ex legitimis ejuſdem Concilii actis compertum eſt, Græcos hac de re a Latinis interrogatos difficultatem legitime & canonice diluiſſe, & Summum Pontificem redditæ ab eis rationi acquieviſſe, quod unum tollendæ controverſiæ videtur ſufficere, quum hinc clariſſime appareat, Eugenii Summi Pontificis conſenſum ad roborandam Græcorum conſuetudinem acceſſiſſe:“ Hactenus de Confirmatione.

TRACTATUS DE PŒNITENTIA.

S*I ea in regeneratis omnibus*, Tridentini verba ſunt ſeſſ. 14. c. 1., *gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo, ipſius beneficio, & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus dives in miſericordia cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe in peccati ſervitutem, & Dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur.* De hoc itaque Sacramento verba habituri, quoniam non tam nobis curandum eſt, ut nihil prætermittamus quod ad plenam Catholicæ veritatis agnitionem, hæreſumque refutationem confert, quam ut brevitati ſtudeamus, ne aliis, quæ eodem hoc anno tradenda ſunt, temporis copia ſubtrahatur, Tridentino ipſo duce utemur, & doctrinam, quam novem capitibus complexum eſt, illuſtrantes, & quindecim canones, quibus Novatorum errores confixit, omni argumentorum genere conſtabilientes, confidimus fore, ut ſatis, & argumenti hujus amplitudini, & veſtræ utilitati faciamus, neque definitam infra eundem hunc annum de aliis tractationem tempore opportuno fraudemus.

ARTICULUS I.

An Pœnitentia verum ſit Sacramentum a Chriſto inſtitutum.

I. ETſi duplex apud Theologos Pœnitentiæ acceptio ſit, ſoleatque bifariam ſpectari, quatenus nimirum eſt Virtus, & quatenus eſt Sacramentum, morem cæteris non geremus, qui longas de Pœnitentiæ virtute diſputationes præmittunt, tum quod tantum nobis otii non ſit, tum quod de ea ſatis acturi ſimus, cum ad Pœnitentis actus, quos *Sacramenti hujus quaſi materiem* eſſe Tridentina Synodus declaravit, ſermo devenerit. In ſolius itaque Sacramenti Pœnitentiæ veritate ſive exiſtentia adſerenda articulus iſte verſabitur, atque in vindicando primo ejuſdem Tridentini canone his verbis expreſſo: *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, Deo reconciliandis a Chriſto inſtitutum, anathema ſit*. Quæ autem legitima ſit hujus Sacramenti notio, ex pervulgata inter Theologos ejus definitione colligitur: *Eſt novæ legis Sacramentum inſtitutum a Chriſto, quo fidelibus poſt Baptiſmum lapſis vere pœnitentibus, & confeſſis virtute clavium abſolutio Sacramentalis, & reconciliationis cum Deo beneficium impenditur.*

II. Quamquam Auctor librorum de re Sacramentaria fidenter enuntiet, neminem Hæreticorum toto quindecim ſæculorum ſpatio Pœnitentiæ Sacramentum ab Eccleſia ſuſtuliſſe, & primo id nefarie auſos ſæculo ſextodecimo Lutherum, Calvinum, & Zuinglium, fallitur tamen doctiſſimus Vir, quum tertio Eccleſiæ ſæculo bellum Sacramento huic indixiſſe Novatianos, locupletiſſimi teſtes ſint Sancti Epiphanius, Philaſtrius, Eulogius Alexandrinus, Ambroſius, atque Hieronymus, quorum auctoritati haud levem injuriam irrogat Iveninus licenter ſcribens, eos Novatianorum ſiſtema, atque mentem minus habuiſſe perſpecta. Quid enim, ſi poſteriores Novatiani ajebant, ut idem Ambroſius refert, ſe, *exceptis criminibus gravioribus, veniam levioribus relaxare? Non hoc quidem*, reponebat Ambroſius, *auctor veſtri erroris Novatianus, qui nemini dandam Pœnitentiam putavit*: Sed de Novatianorum, atque Montaniſtarum errore fuſius infra, quum ad hujus Sacramenti materiam ventum fuerit, ſicut & in Valdenſes, Wiclephiſtas, & Huſſitas calamum utiliter exercebimus, quum de Miniſtro Sacramenti hujus agemus: Novatores interim, adverſus quos laudatus Tridentini canon intortus eſt, concluſione hac refellendos aggredimur.

Pœnitentia verum eſt legis Evangelicæ Sacramentum.

I. Etſi Lutherus in peſtilentiſſimo *de Captivitate Babylonica* libro haud procul ab ejus initio ſublatis quatuor Eccleſiæ Sacramentis, tria tantum pro tempore ſibi ponenda eſſe ſcripſerit, Baptiſmum videlicet, Pœnitentiam, & Panem, ſibi tamen

men

men non conſtans ad ejuſdem libri finem ſubdit : „ Proprie ea Sacramenta vocari, „ viſum eſt , quæ annexis ſignis pro- „ miſſa ſunt, quo fit , ut ſi rigide loqui „ volumus; tantum duo ſint in Eccleſia „ Dei Sacramenta , Baptiſmus & Pa- „ nis. “ Cæterum, ſi rationem, qua ad duo tantum Sacramenta agnoſcenda, expungendam vero Pœnitentiam motus eſt, expendamus , ſuis eum armis confodere poſſumus, jactiſque ab eo principiis hujus quoque Sacramenti veritatem luculentiſſime demonſtrare : Ideo, Luthero judice, Baptiſmus tantum, & panis vera ſunt Sacramenta , quia in his ſolis, Lutheri verba do, & inſtitutum divinitus ſignum, & remiſſionis peccatorum promiſſionem videmus : Pœnitentia autem viſibili & divinitus inſtituto ſigno caret ; atqui Pœnitentia æque ac Baptiſmus, & Cœna viſibili ac divinitus inſtituto ſigno conſtat , atque annexam peccatorum remiſſionis, & gratiæ promiſſionem habet, ergo non temere ſolum, ſed etiam ſtulte eam e Sacramentorum albo Lutherus , cæterique Novatores eradunt. De minoris propoſitionis veritate tota nobis cum Sectariis controverſia eſt, quæ tamen facillime , penituſque dirimitur verbis iis , quibus Tridentina Synodus docet, Sacramentum hoc tunc præcipue fuiſſe a Chriſto inſtitutum , quum a mortuis excitatus *inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. His porro verbis nonne divina inſtitutio diſertiſſime exprimitur? Nonne verba hæc :* Sicut miſit me Pater, *& ego mitto vos: quorum remiſeritis peccata &c.* & judiciariam poteſtatem Apoſtolis delegatam, & ea utendi præceptum æque perſpicue innuunt , ac ea ; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* & ea quoque, *hoc facite in meam commemorationem*, docendi , baptizandi, ac conſecrandi facultatem, juſſionemque ſignificant? Niſi autem velimus, Chriſtum Apoſtolos judiciaria poteſtate donantem abſurdum , atque imprudentia plenum judicium inſtituiſſe, fatendum eſt, dum Judices conſtituit, pariter inſtituiſſe, ut delicta perſpecta haberent , ne in judicio turpiter aberrarent , ignorantes an ligare, vel ſolvere, remittere ne deberent, vel retinere. Hoc ſemel conſtituto , neceſſe eſt ut reus ſenſibili aliquo externoque ſigno peccata Sacerdoti aperiat , qui cauſſa cognita ſeduloque diſcuſſa ſolvendo aut ligando ſententiam ferat. Jam vero externo huic ritui divinitus inſtituto annexam eſſe peccatorum remiſſionis, & gratiæ promiſſionem, quis dubitare velit , quum abſolute Chriſtus enuntiet : *Quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis* , & alibi , *quæcumque ſolveritis ſuper terram , erunt ſoluta & in cælis?* Deſipit ergo Lutherus , Pœnitentiam viſibili , ac divinitus inſtituto ſigno carere , ideoque Baptiſmi, & Cænæ Sacramentis annumerandam non eſſe pronuntians.

Una hac demonſtratione ex jactis a Luthero principiis petita Novatores urgemus; tempore enim abuteremur , ſæculorum omnium præſcriptione, & conſtanti Patrum traditione rem hanc conficere aggredientes , quum l. 4. Inſtitutionum c. 15. Calvinus fateatur ingenue, „ ſcire ſe, „ aliud communiter receptum eſſe : erraſ- „ ſe tamen, qui poteſtatem clavium com- „ menti ſunt , eorumque errore partum „ nobis fuiſſe Pœnitentiæ Sacramentum.“

Solvuntur Novatorum objecta.

II. Objiciunt : Somnia conſectantur Papiſtæ , qui in laudatis Chriſti verbis judiciariam poteſtatem Apoſtolis traditam comminiſcuntur, atque ex iis Pœnitentiæ Sacramentum eliciunt, quum nonniſi collatam Apoſtolis prædicandi Evangelium facultatem ſonent.

At non ſomniare, ſed inſanire , & furere dicendi ſunt Novatores , dum hæc effutiunt. Quid enim poteſtati Evangelium annuntiandi cum peccatores ſolvendi, aut ligandi , peccata remittendi, vel retinendi facultate ? Ita ſane utriuſque miniſterii notio diſtincta , atque diverſa eſt; ut nonniſi ab emotæ mentis hominibus, qui mutare ſolent quadrata rotundis, confundi poſſit, neque neceſſe eſt , ut in evincenda utriuſque notionis diverſitate verba ponamus, quæ ſponte in cujuſque oculos, modo is non deliret, incurrit ; quare Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. ad capitis primi finem merito hæc adjecit : *Veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum Sancta hæc Synodus probans, atque recipiens , damnat eorum commentitias interpretationes , qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem falſo detorquent.*

III. Urgent : Numquam Apoſtolos ju-

judiciaria hac poteſtate uſos fuiſſe legimus; prædicaſſe eos quidem pœnitentiam in remiſſionem peccatorum, divinum eloquium ſæpe teſtatur; de remiſſis autem eorum miniſterio peccatis, in ſacris litteris ne verbum quidem, quod argumento eſt, eos traditam ſibi a Chriſto ſolam prædicandi Evangelii poteſtatem intellexiſſe.

Si quidquam argumento hoc efficiatur, conſequens erit, nec conficiendæ Euchariſtiæ poteſtate Apoſtolos fuiſſe a Chriſto donatos, quum nullibi conceptis verbis Scriptura referat, illos poteſtate ejuſmodi fuiſſe uſos. Quid ergo, ſi Apoſtoli judiciariam hanc poteſtatem nuſpiam exercuiſſe leguntur? Inficiale argumentum eſt, nihil omnino conficiens adverſus luculentiſſima Chriſti verba, qui laudato Joannis Capite Sacramentum hoc non inſtituit ſolum, ſed & illud adminiſtrare, & tradita ſibi facultate uti Apoſtolos juſſit ajens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.: Accipite Spiritum Sanctum* &c. Quis enim negare velit, Apoſtolos hanc Domini juſſionem, ſicut & Euchariſtiæ conficiendæ præceptum impleviſſe, quod ſacræ litteræ id diſerte non referant? ſpræſertim quum & Sacramenti hujus inſtitutioni, & perpetuo in Eccleſia uſui teſtimonium perhibeat locupletiſſimum conſtans ab Apoſtolis derivata traditio, & ad nos uſque deducta, cujus traditionis veritatem ipſi Novatores agnoſcunt, etſi ejus auctoritate nec minimum moveantur.

IV. Quamquam & illud falſum eſt, quod tam fidenter Novatores effutiunt, nullum exercitæ judiciariæ poteſtatis hujus exemplum in novi Teſtamenti libris occurrere. Mitto D. Petri verba, quibus Simonem Magum affatus eſſe legitur Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia* &c., quæ a nonnullis ad poteſtatem clavium referuntur, minus ſcite tamen, ut æſtimo. Illud urgeo, quod Paulus 2. ad Cor. 2. ſcribit, ſe Corinthio, quem ob inceſtuoſas cum uxore Patris ſui initas nuptias *tradiderat Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fieret*, pœnitentia ducto *donaſſe*, ideſt remiſiſſe *in Perſona Chriſti*, atque inde Apoſtolum judiciaria clavium poteſtate uſum conficio, præeunte Ambroſio, qui l. 1. de pœnitentia c. 16. Novatores hoc Pauli exemplo ita perſtringit: *Quum Apoſtolus peccatum remiſerit, qua vos auctoritate dimittendum negatis? Quis reverentior Chriſti Novatianus, an Paulus? Sed noverat Paulus Dominum miſericordem, noverat Dominum Jeſum ſeveritate magis Diſcipulorum offenſum, quam miſericordia*. Hujus judiciariæ poteſtatis uſum agnovit & Tertullianus in Paulo, qui tamen exemplo hoc errorem ſuum, quem e Montaniſtis hauſerat, damnari intelligens, negat in libro de *pudicitia*, Corinthium, quem a peccato Paulus abſolvit, eundem eſſe, quem Paulus idem Satanæ in interitum carnis tradiderat, quod oppido falſum eſt, & communi Patrum interpretationi contrarium.

V. Inſtant: Si Chriſtus vere hoc Sacramentum inſtituit, ſi illud vere adminiſtrarunt Apoſtoli, quid ergo cauſæ fuit, ut eorum Diſcipuli, quique eos proxime exceperunt, Eccleſiaſtici Tractatores, tam parcam & involutam ejus mentionem habuerint, immo plerique illud altiſſimo ſilentio preſſerint? Non divina itaque inſtitutione, ſed humana præſumptione Sacramentum hoc ſequiori ævo in Eccleſiam invectum eſt. Nonne etiam ea Chriſti apud Joannem verba, ex quibus Papiſtæ Pœnitentiæ Sacramentum exculpunt, de culparum remiſſione, quæ Evangelii prædicatione, vel Baptiſmatis collatione, vel injuriarum proximo condonatione fit, Cyrillus Hieronymus, Auguſtinus, & Theophilactus interpretantur?

℟. Iniquiſſime a Novatoribus nobiſcum agi; ſola enim Scriptura judice omnes fidei controverſias dirimendas eſſe contendunt, quavis traditione, & Patrum auctoritate poſthabita: quoties vero id ſibi e re ſua eſſe videtur, vel eorum ſilentium, vel ambigua eorumdem teſtimonia urgere non deſinunt. Animo tamen non cadimus, quandoquidem, ſi ad perpetuam, & conſtantem ſæculorum omnium traditionem, & praxim deducenda res ſit, futurum eſt, ut adverſarios pœniteat, quod hæc nobis objecerint. Obſcurene, & parce de Sacramento iſto locuti ſunt Tertullianus l. de pœnitentia c. 7. & 12., Cyprianus in Epiſtola ad Cornelium Papam, Pacianus Barchinonenſis Epiſcopus Epiſt. 1. adverſus Novatianos, Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio, Ambroſius l. 1. de pœnitentia, Hieronymus in Dialogis contra Pelagianos, Cyrillus Alexandrinus l. 12. in Joannem, Auguſtinus variis lo-

Digitized by Google

locis, Leo Magnus Epiſt. 91., quorum teſtimonia a Polemicis tractatoribus in Novatores intorta, non alio reſponſo ab eis eliſa ſunt, quam ſoli Dei verbo ſtandum eſſe, Patres errori fuiſſe obnoxios, & ſæpius erraſſe? Id ſaltem evictum eſt, mentiri Novatores impudentiſſime, dum aitum apud prioris ævi Patres de hoc Sacramento ſilentium jactant, cujus mendacii apertius revincuntur ex antiquiſſimis Latinæ & Orientalis Eccleſiæ Ritualibus libris, qui, quum varias exhibeant confeſſionis, abſolutionis, & ſatisfactionis formulas in utraque Eccleſia receptas, atque uſitatas, manifeſte teſtantur, Sacramenti hujus uſum apud Latinos, Græcoſque non humana præſumptione, ut Novatores calumniantur, ſed divina inſtitutione inductum eſſe.

VI. Fateor, apud primi & ſecundi Eccleſiæ ſæculi Scriptores nullam Sacramenti hujus mentionem occurrere: Quid porro? Quamquam argumentum hoc utpote inficiale nullius momenti ſit, ſicut jam ſatis oſtenſum eſt, ejus tamen futilitas magis perſpecta fiet animadvertenti, duobus prioribus Eccleſiæ ſæculis perpaucos fuiſſe Eccleſiaſticos Tractatores, qui aliquid litteris conſignarint. Nonnullos Euſebius memorat, quorum tamen opera vel omnino interciderunt, vel nonniſi maxima ſui parte mutilata ſuperſunt: Qui etiam aurea ætate illa calamum exercuerunt, ii aut Chriſtianam religionem adverſus Judæos, atque Ethnicos propugnarunt, ut Quadratus, Ariſtides, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Juſtinus, ejuſque Diſcipulus Tatianus, aut hæreſes tunc graſſantes retuderunt, ut Irenæus, Philippus Gortinenſis, Modeſtus, Bardeſannes, aliique. Quid mirum ergo, ſi nullam Sacramenti hujus mentionem injecerunt, quum id ab argumento alienum eſſet, quod ſibi propoſuerant pertractandum? Cæterum, qui labente ſæculo Montaniſtarum hæreſes ſcriptis exagitarunt, nempe Serapion Antiochenus Epiſcopus, Rhodon Aſcianus, Miltiades, Apollonius, & Aſterius Urbanus, & quæ ad eaſdem profligandas hæreſes in Aſia, & Græcia ad ſecundi ſæculi exitum celebrata Concilia ſunt, quorum ſententiam in Montaniſtas latam eodem tempore Galliarum Eccleſiæ confirmarunt, hoc Eccleſiæ dogma profecto ſilentio non preſſerunt, quum inter plures Montaniſtarum errores ab eis refutatos, atque confixos non ultimo loco cenſeatur peſtilentiſſimus ille *de obſerantis*, ut Hieronymi verbis utar, *ad omne pene delictum Eccleſiæ foribus*, ſeu de gravioribus quibuſdam culpis, quarum remittendarum Eccleſia nullam a Chriſto poteſtatem acceperit. Utinam pretioſa illa tam venerandæ antiquitatis monumenta non periiſſent! obſtruendo Novatorum ori nihil iis eſſet aptius, atque efficacius.

VII. Quid vero illud eſt, quod oblganniunt, ſæpius laudata Chriſti verba non de collatis Eccleſiæ clavibus, ſed aliter a nonnullis Patribus explicari? Vel unum afferant, qui ab iis Chriſti Domini verbis ſenſum, quem, ut ait Tridentinum, *Catholica Eccleſia ſemper intellexit*, excludat, quique non iiſdem verbis Sacramentum hoc adſtruat, & confirmet, & libenter dabimus quidpiam ab eis non omnino ineptum efferri. Verum quum iidem Patres, quorum teſtimoniis abutuntur, & Sacramenti hujus veritatem diſerte docuerint, & eodem hoc Joannis textu in ejus confirmationem uſi fuerint, nonne ineptiunt, arripientes avidiſſime myſticas alias minuſque proprias interpretationes, quas Patres memorato textui adhibuerunt? Aliud longe eſt Chriſti Domini verba de ſolo prædicandi miniſterio intelligenda eſſe contendere, quod ſoli hactenus auſi ſunt Novatores merito idcirco anathemate ab Eccleſia perculſi, aliud, amiſſo primario ac litterali eorumdem ſenſu de judiciaria poteſtate Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus a Chriſto collata, alios ex iis, etſi myſticos minuſque proprios, ſenſus exculpere, quod a nonnullis Patribus non in hujus tantum, ſed in aliorum plurium Scripturæ textuum interpretatione innoxie factum eſt.

VIII. Quid etiam ſi in veteri lege nullum fuit Pœnitentiæ Sacramentum, & ſolius interioris pœnitentiæ actibus adulti delictorum veniam conſequebantur? Placuit Chriſto Sacramentum hoc in nova lege inſtituere, & peccatorum remiſſionem, atque reconciliationis cum Deo beneficium ſignis ſenſibilibus alligare: inſtitutionem hanc diſertiſſime Scriptura teſtatur; quis velit Chriſto obloqui, quod hominum ſaluti novo hoc medio proſpexerit, & tot iis Moſaicæ legis purificationibus, quæ *inquinatos ſanctificabant*, teſte Apoſtolo, *ad emundationem carnis*, Sacramentum hoc iis præfiguratum ſubrogare voluerit,

rit,

rit, quo Sanguis Chriſti nobis applicatus, *emundat conſcientiam noſtram*, ut idem Apoſtolus ait, *ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi?*

IX. Ad hujus articuli calcem addendum eſt, Sacramentum hoc fuiſſe a Chriſto poſt reſurrectionem inſtitutum, quod diſerte traditur a Tridentino, ſeſſ. 14. cap. 1. *Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, quum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis &c. quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.* Prudentiſſime porro Concilium docuit, Sacramentum hoc a Chriſto *tunc præcipue* fuiſſe inſtitutum, quod probe noſſet, de judiciaria quoque poteſtate Patres interpretari, quæ Chriſtus idem ante reſurrectionem ſuam ad Diſcipulos dixiſſe legitur Math. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper teram, erunt ſoluta, & in cœlo*; Quare conſulto particulam illam *præcipue* Concilium adjecit, ut intelligamus, remittendorum criminum facultatem in laudato Mathæi capite a Chriſto prædictam fuiſſe atque promiſſam, poſt reſurrectionem vero, ut Joannis 20. legimus, actu collatam, vel, quemadmodum egregie D. Thomas animadvertit, Dominum, cum ab ipſo ſuæ prædicationis initio hominibus indixerit, non ut pœniterent ſolum, ſed etiam pœnitentiam agerent, ſignificaſſe determinatos modos actuum, qui ad hoc Sacramentum requiruntur, Miniſtrorum officium determinaſſe Math. 16. & 18, hujus vero Sacramenti efficaciam, & virtutis ejus originem poſt reſurrectionem manifeſtaſſe, tum Joannis 20., tum Lucæ ultimo, quando ait: *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes;* virtute etiam nominis Jeſu Chriſti patientis, & reſurgentis hoc Sacramentum efficaciam habet in remiſſionem peccatorum.

ARTICULUS II.

An Pœnitentia Sacramentum ſit a Baptiſmo diſtinctum.

I. ETſi Lutherani molles, ſive Confeſſioniſtæ, qui Philippum Melanctonem Lutheri Diſcipulum auctorem habent, Pœnitentiæ Sacramentum a Baptiſmo diſtinguant, rigidiores tamen Lutheri aſſeclæ illud cum Baptiſmo confundunt, mordicus retinentes, quod Lutherus in l. de Babylonica captivitat: ſcripſerat „ periculoſum, imo falſum eſſe, opinari, „ pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam poſt „ naufragium, & perniciosum errorem eſ„ ſe, putare, per peccatum excidiſſe vim „ Baptiſmi, & navem hanc eſſe illiſam, „ quum ſemper firma maneat in divina „ promiſſione: qui crediderit, & baptiza„ tus fuerit, ſalvus erit, ut prorſus non „ dubitemus, nos eſſe ſalvos, poſtquam „ ſumus baptizati . . . Si fides Baptiſmi „ adſit, hæc eſt vera pœnitentia, qua a „ peccatis purgatur abſque ullo pœnali „ opere, & ſalvus fit. “ Calviniani omnes Magiſtro ſuo ſubſcribunt l. 4. Inſtitutionum c. 15. docenti, „ a peccantibus „ poſt Baptiſmum nova quærenda non eſ„ ſe in aliis neſcio quibus Sacramentis ex„ piationis remedia, ſed ſatis eſſe, Ba„ ptiſmi memoriam iterare, ut ſordes o„ mnes obruantur, atque tegantur, & „ de peccatorum remiſſione ſecurus ſem„ per certuſque ſit. “ Exitialem errorem hunc, quo humanæ malitiæ effuſæ laxantur habenæ, & ad flagitia quæque ampliſſima via ſternitur, Tridentina Synodus ſeſſ. 14. can. 2. compreſſit: *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit*, cujus canonis veritatem pro virili tuebimur.

Pœnitentia Sacramentum eſt a Baptiſmo plane diverſum.

II. Ad veritatis hujus confirmationem non aliunde nobis petenda momenta ſunt, quam ex eodem Tridentino Concilio ibidem c. 2. hæc docente: *Sacramentum hoc multis rationibus a Baptiſmo differre cognoſcitur.*

ſcitur; *nam materia & forma*, *quibus Sacramenti eſſentia perficitur*, *longiſſime diſſidet* &c. atque hinc primum in Novatores argumentum inſtruimus : Ideo nemo inter eos eſt, qui Sacramentum Cœnæ a Sacramento Baptiſmatis alterum eſſe non fateatur, quia utriuſque diverſa ſunt ſymbola, ſive ſenſibilia ſigna divinitus inſtituta, annexam habentia gratiæ promiſſionem : quid autem, amabo, pœnitentiæ ſymbolis cum iis, quibus ex Chriſti inſtitutione Baptiſmum conſtare Novatores admittunt, quæque poſt veteres Scholaſticos Florentinum, & Tridentinum *materiam*, & *formam* appellant ? Jam articulo ſuperiori demonſtatum eſt, Pœnitentiam verum eſſe novæ legis Sacramentum haud ſecus ac Baptiſmum & Cœnam, quod ſenſibili atque externo ritu conſtet, quem Chriſtus inſtituit, & cui gratiæ promiſſionem adjunxit : ritum hunc autem quam longiſſime a Baptiſmi ritu diſtare, nemo eſt, qui non videat : ex duobus itaque Sacramentis nonniſi temere, atque perverſe Novatores unum conflant.

III. Alterum diſcriminis hujus momentum ducitur a Tridentino e diverſitate Miniſtri, & Perſonarum, quibus ambo hæc Sacramenta adminiſtrantur : Pœnitentiæ miniſter judex eſt in ſolos fidei domeſticos, ſeu baptizatos homines traditam ſibi poteſtatem exercens, quos admiſſi poſt Baptiſmum criminis alicujus reos Chriſtus ante hoc tribunal ſiſti voluit Sacerdotum ſententia ſolvendos, quæ Tridentini propoſitio ex dictis abunde patet : Baptiſmi vero miniſtrum quis in eo conferendo judiciaria poteſtate uti, ideoque judicem agere, niſi deſipiens dixerit ? Rationem mitto, qua Tridentinum id plane conficit, naturali ipſo lumine notam, judicium videlicet nonniſi in ſubditos exerceri, baptizantem idcirco judicem eſſe non poſſe, quod qui Baptiſmo ſeſe tingendos offerunt, nondum ſint Eccleſiæ filii, & Apoſtolus ſcribat : *quid mihi de iis*, *qui foris ſunt*, *judicare* ? Ipſis Lutheri & Calvini principiis veritas hæc evidenter oſtenditur, quomodo enim judicem agere poteſt Baptiſmum conferens, ſi ad Baptiſmum accedens aut reus non eſt, aut nullam Baptiſmate peccati remiſſionem conſequitur ? Nonne Calvinus l. 4. Inſtit. cap. 15. Baptiſmi neceſſitatem explodit, quia infantes noſtros, antequam naſcantur, ſe adoptare in ſuos pronuntiat Deus, quum ſe nobis in Deum fore promiſit, ſeminique noſtro poſt nos, quo verbo continetur puerorum ſalus ? Nonne Lutherus in libello adverſus execrabilem Bullam Antichriſti (hoc nomine Leonem X. Romanum Pontificem, qui plures ejus ſacrilegos articulos confixerat, cohoneſtat) veluti fidei dogma conſtituit, in puero poſt Baptiſmum negare remanens eſſe peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare ? Relinquitur ergo, non idem cum Baptiſmo eſſe Pœnitentiæ Sacramentum, cum utriuſque Miniſter longe diverſus ſit, multumque diſpar Perſonarum conditio, quibus utrumque adminiſtrari, Chriſtus inſtituit.

IV. Eandem hanc veritatem tertio momento hoc Tridentinum ibidem evincit ajens, voluiſſe Chriſtum, Eccleſiæ filios, ſi poſt Baptiſmum ſe aliquo crimine contaminaverint, non repetito Baptiſmo ablui, ſed ante pœnitentiæ tribunal ut reos ſiſti, ut Sacerdotum ſententia non ſemel, ſed, quoties ad ipſum pœnitentes confugerint, liberari poſſent ; quis porro inde non percipit amplam utriuſque Sacramenti diverſitatem ? Baptiſma ſemel rite collatum iterari non poſſe, fidei caput eſt, quod Lutherani, & Calviniani quique adverſus Anabaptiſtas tuentur ; Pœnitentiæ autem Sacramentum toties iterari poſſe ac debere, quoties neceſſitas exigit, præter antiquiſſimam, ac conſtantem Eccleſiæ praxim, indicant apertiſſime tum ſæpius memorata Chriſti Domini Sacramentum hoc inſtituentis verba, abſoluta prorſus, atque indefinita, tum ea, quibus Sacramenti hujus inſtitutio prædicta, atque promiſſa legitur Math. 18. ; præpoſtere itaque atque ſacrilege duo hæc Sacramenta a Novatoribus confunduntur.

V. His adjici poſſet ultimum momentum, quod a diverſis utriuſque Sacramenti fructibus ibidem repetit Tridentinum ; verum quum fructus hos obſtinate pernegent Novatores, ne extra inſtitutum ſermo noſter cogatur excurrere, eo prætermiſſo aliud hoc argumentum in adverſarios urgemus : Baptiſmum ſigillum eſſe, quo Deus hominem in ſuum adoptatum eſſe teſtificatur, Calvini poſitio eſt, quam ex reſponſo Zuinglii ad confeſſionem Lutheri hauſit : quæ ergo inſania, quis furor, Catonino ſupercilio pronuntiare, quoties lapſi fuerimus, ſolam repetendam eſſe Baptiſmi memoriam, hac ſola armandum

ani-

animum, ut ſemper de quarumlibet culparum remiſſione ſecuri ſimus? Fac, hominem acceptis a Rege litteris ſigillo regio obſignatis declaratum Regis amicum, fieri læſæ Majeſtatis reum; putas, eum extremo ſupplicio liberandum, gratiamque priſtinam initurum a Rege, ſi tantum regii ſigilli meminerit? Inſaniret oppido, qui animum induceret, ut id vel crederet, vel ſperaret. Sapere ne ergo Calvinum dicemus, dum licentiſſime ſcribit, ad delenda quævis admiſſa poſt Baptiſmum ſcelera, & reconciliationis cum Deo beneficium obtinendum non alio opus eſſe, quam Baptiſmi ſemel ſuſcepti recordatione?

VI. Calvinianis denique, & rigidioribus Lutheri diſcipulis jugulum petimus argumento, quod nobis ſuppeditat Cardinalis Armandus Richelius l. 4. Controverſiarum cap. 8. de numero Sacramentorum: Articulo tertio Apologiæ Confeſſionis Auguſtanæ, in cujus verba Lutherani ferme omnes noſtra ætate jurant, hæc leguntur: „ Vere igitur ſunt Sacramenta Baptiſ- „ mus, cœna Domini, abſolutio, quæ „ eſt Sacramentum Pœnitentiæ; nam hi „ ritus habent mandatum Dei, & pro- „ miſſionem gratiæ, " quo præmiſſo ab hoc dilammate ſe expediant: Aut pœnitentia Sacramentum eſt a Baptiſmo diſtinctum, aut ipſi cum Lutheranis in unius, ejuſdemque Religionis ſocietatem non coeunt, neque fratres ſunt, ejuſdem, ut ipſi jactitant, Eccleſiæ filii, ejuſdemque myſtici corporis membra; Lutherani enim plerique Pœnitentiam ut Sacramentum a Baptiſmo diverſum non confitentur ſolum, ſed & in uſum adſumunt; quod ſi reponant, non violari Eccleſiaſticam unitatem, quod caput hoc, in quo diſſident, fundamentale non ſit Religionis Chriſtianæ dogma, ergo inique a Romana Eccleſia defecerunt, quod Pœnitentiam a Baptiſmo diſtinguat, atque injuſte hanc quoque ſchiſmati, defectionique ſuæ cauſam prætexunt.

Refelluntur Novatorum objecta.

VII. Objicit Lutherus: Per peccatum vis Baptiſmi non excidit, neque poſterioribus ſceleribus aboletur, quum immobilis ſit divina promiſſio: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Utquid ergo Papiſtæ adverſus tam clara Chriſti Domini verba Sacramentum aliud comminiſcuntur, quo patrata poſt Baptiſmum delicta expientur? Gemina habet Calvinus loco ſuperius memorato.

Si hæc ita ſint, videant Lutherani, quomodo cum hac Patriarchæ & magiſtri ſui doctrina eam, quam ipſi retinent, & ſectantur, valeant conciliare. Si enim magnus ille Evangelii reſtitutor pernicioſi erroris damnat, quotquot expiandis poſt Baptiſmum culpis aliud a Baptiſmi memoria remedium quærunt, quorſum ipſi tum *in Summa doctrinæ de Pœnitentia*, tum in variis fidei confeſſionibus, Auguſtana, Saxonica, Withembergenſi, atque Argentinenſi ſanciunt, retinendam eſſe confeſſionem, in qua quæritur abſolutio, quandoquidem coram Deo valet abſolutio, qua poteſtas clavium privatim alicui peccata remittit? Videant Calviniani, quam religioſe eximio illi ſanctæ, ut ipſi ajunt, reformationis Parenti auſcultent; Calvinus enim, a cujus doctrina Genevenſis Senatus conſulto cautum fuit, Miniſtris quibuſcumque & Civibus nefas eſſe diſcedere, docuit, ſola Baptiſmi recordatione armandum animum, ut de culparum quarumlibet remiſſione ſemper ſecurus ſit, & nonniſi ex pingui errore commentitium Pœnitentiæ Sacramentum inductum; ipſi vero, teſtibus Meſtrezatio, & Molinæo, palam aperteque fatentur, Chriſtum Eccleſiæ ſuæ poteſtatem contuliſſe remittendi peccata, qua facultate fideles Paſtores donati ſunt, licet peccator vere ab eis non abſolvatur, niſi eum ſerio pœniteat. Siccine Magiſtris Diſcipuli concinunt? Sed hoc mirabile divinæ providentiæ argumentum eſt, quæ hoſtium Eccleſiæ ſuæ linguas ita confundit, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui, & Satanæ regnum inteſtina diviſione diſſolvatur, quod Lutherus ipſe confeſſus eſt, in Pſalmum quintum hæc ſcribens: „ Nulli Hæretici „ victi ſunt vi, aut aſtu, ſed mutua diſ- „ ſenſione, nec aliter cum eis pugnat „ Chriſtus, quam miſſo inter eos ſpiritu „ vertiginis, & diviſionis, ſicut inter Si- „ chimitas Judicum 9. & inter Babelicæ „ turris operarios Geneſis 11., & in nova „ lege inter Arianos, Donatiſtas, & Pe- „ lagianos, " quibus addere debuiſſet ſuos, & Calvini gregales.

VIII. Cæterum quia Lutherus & Calvinus ea Chriſti promiſſione abutuntur, indeque prave conficiunt, ſolam Baptiſmi

mi recordationum & fidem eluendis quibuſcumque culpis, & ſaluti obtinendæ ſufficere, ſacrarum litterarum teſtimoniis revincendi ſunt, errare turpiſſime, vimque nefariam laudatis Chriſti verbis inferre. Si ſolius Baptiſmi rememoratio certam culparum omnium remiſſionem, æternamque ſalutem fidelibus adfert, quorſum Petrus Simonem Magum a Philippo Diacono jam baptizatum, & graviſſimi poſtmodum ſceleris reum, ſerio hortatus eſt, ut Pœnitentia, non Baptiſmi memoria, tantum crimen expiare ſatageret, ajens: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi?* Quorſum Chriſtus ipſe in Apocalypſi Joanni præcipit, ut Angelis, Epiſcopis ſcilicet, Epheſi, Pergami, Sardis, & Laodiceæ ſcribat, moneatque eos, promptam ſinceramque Pœnitentiam agere, graviter alioqui puniendos? Quorſum Jacobus Apoſtolus peccatores non ad Baptiſmi memoriam, ſed ad Pœnitentiam, gemitus, lacrimaſque revocat ajens: *Emundate manus, peccatores, & purificate corda . . . lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, gaudium in mærorem?* Nimii eſſemus, ſi alia vellemus, & ex Pauli epiſtolis, & ex prioris ævi Eccleſiæ praxi, & veterum Patrum traditione teſtimonia huc conferre, quibus planum, perſpectumque fieret, nihil eſſe eo Lutheri & Calvini commento falſius, & abſurdius, quod ex duobus aliis erroribus fluit *de juſtitia inamiſſibili*, deque firmiſſima propriæ ſalutis certitudine, quos non eſt temporis hujus, ac loci refellere.

Urget Calvinus: Etſi Baptiſmus ſemel adminiſtratus præteriiſſe viſus eſt, poſterioribus tamen peccatis non deletus; puritas enim Chriſti in eo nobis oblata eſt, ea ſemper viget, nullis maculis opprimitur, ſed omnes noſtras ſordes obruit, & extergit; perperam itaque aliud a Baptiſmi memoria Sacramentum expiationis excogitatur.

IX. Non eſt, cur in hoc Calvini argumento refellendo verba ponamus, quum totum ex peſtilentiſſimis iis erroribus contextum ſit, quos e Luthero hauſtos, ceu novæ reformationis fundamenta jecit, & veluti præcipuas ſeceſſionis a Romana Eccleſia cauſſas obtrudit. Quare etenim Baptiſmum ſemel collatum nullis poſterioribus criminibus aboleri ſæpe ſcribit, niſi quia fundamentalis fidei articuli loco conſtituit, ſola divinarum promiſſionum fide hominem juſtificari, non interiori aliqua & inhærente juſtitia, ſed ſolius juſtitiæ Chriſti extrinſeca imputatione, ac puritatis oblatione, quæ electorum tantum eſt propria, quæ ſemel accepta nulla poteſt ratione amitti, quæque ita cum fide connexa eſt, ut nemo juſtificatus ſit, niſi qui ſe juſtificatum eſſe crediderit, hancque fidem firmiter tenens, nullius culpæ reatu ab æterna ſalute poſſit excidere? Hæc autem cum Catholica doctrina aperte pugnare quis non intelligit, quorum falſitatis Calvinus vel hoc uno argumento manifeſte revincitur, quod nullo divini eloquii teſtimonio fundamentalia hæc doctrinæ ſuæ capita probare potuerit, imo diſertiſſimis ſacrarum litterarum textibus immania hæc ejus paradoxa directe contraria ſint?

X. Inſtat Calvinus: „ Immobilis eſt ea Chriſti promiſſio *qui crediderit* &c. Qui ergo poſt Baptiſmum in peccata labitur, habet, quo ſe erigat, & conſoletur: recolat Baptiſma ſuſceptum, divinæ promiſſioni firma fide adhæreat, nihil ambigat, ſibi obventura, de quibus ore Dei certior factus eſt, nec alio eget, ut mundus, ſalvuſque ſit. Sane qui aliud abluendis fidelium culpis lavacrum comminiſcuntur, in eo errant, quod non cogitant, poteſtatem clavium, de qua loquuntur, a Baptiſmo ſic pendere, ut nullo modo ſeparari debeat; nonne etenim Apoſtolus mundationem omnem, & ſpiritualium ſordium abſterſionem ad ſolum Baptiſmum refert, ad Epheſios ſcribens, Chriſtum ſe *ipſum pro Eccleſia tradidiſſe, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ* &c.? Neque hæc mea interpretatio eſt, ſed magni Auguſtini, tum alibi ſæpe, tum l. 1. de nuptiis & Concupiſcentia laudata Apoſtoli verba explicantis: *Sic accipiendum eſt, quod ait Apoſtolus, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala regeneratorum hominum mundentur, atque ſanentur, non ſolum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam, quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptiſma, quoties peccatur, toties repetatur, ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit, ut non ſolum antea, verum etiam poſtea quorumlibet peccato-*

„ *rum venia fidelibus impetretur*. Quid his „ Auguſtini verbis luculentius ac diſertius? “

XI. Quoniam Calvinus eadem ſemper oberrat chorda, eandemque occinit cantilenam, compeſcenda demum eſt ejus inſcitia garrulitas. Itane vero, quia promiſit Chriſtus, ſalvum fore, qui crediderit, & Baptiſma ſuſceperit, non alio opus eſt ad culparum quarumlibet remiſſionem, atque ſalutem, quam divinæ promiſſionis fide, & Baptiſmi recordatione? Quid itaque cauſæ fuit, ut Chriſtus idem propediem aſcenſurus ad Patrem Apoſtolos juſſerit, docere *omnes gentes, baptizantes eos &c. docentes ſervare omnia, quæcumque eis* ipſe mandaverat? Si a baptizaris omnia ſervanda ſunt, quæcumque Chriſtus mandavit Apoſtolis, obtinendæ itaque peccatorum veniæ atque ſaluti non ſufficit promiſſionum fides, & Baptiſmi memoria, ſed omnia inſuper adjicienda, quæ Apoſtolis ipſe præcepit, inter quæ quum Joannes adminiſtrandi pœnitentiæ Sacramentum non facultatem ſolum, ſed etiam præceptum recenſeat, ſicut articulo ſuperiori probatum eſt, nemini baptizato in peccatum lapſo venia, & ſalus patet, niſi & hoc quoque Domini mandatum ſervet. Alia plura in hac rem divini eloquii teſtimonia ſuppeterent; placet tamen ad hominem, ut ajunt, adverſus Calvinum arguere, jactiſque ab eo principiis premere illum, atque confundere.

XII. Primo quum Calvinus ſæpe promittat, & jactitet, quidquid effert, a ſe probandum diſertis adeo, & claris Scripturæ textibus, ut interpretatione non egeant, det e novo vel veteri inſtrumento teſtimonium aliquod, quod commentitiam illam fidei diviſionem *in hiſtoricam, miraculorum, & promiſſionum* ſaltem innuat, illudque quod Chriſtus ait, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. non de fide univerſim, ſed de ſola, eaque firma *promiſſionum* apprehenſione, ac jugi Baptiſmi memoria intelligendum eſſe, nos doceat. 2. Si fide ſola, & repetita Baptiſmi recordatione conſtat fidelibus culparum venia, atque æterna ſalus, ut quid ergo non uno ſuarum Inſtitutionum loco ſcribit, neceſſario ſumendam a fidelibus Euchariſtiam, quia redemptionem, a peccatis abſolutionem, ſanctificationem, æternamque vitam nobis applicat, & communicat? 3. Si baptizati peccatis ſuis oppreſſi, Baptiſmi ſolum reminiſcentes habent, quo ſe erigant, & conſolentur, nugatur itaque, aut delirat, l. 3. Inſtitutionum c. 4. ſcribens: „ Exigua „ ſane non eſt fidelis hominis conſolatio, „ Jeſu Chriſti Legatum præſentem habe„ re, cui demandatum eſt, ut eum ab„ ſolvat, quique in nomine Domini ſui, „ ejuſque auctoritate & præcepto ſe ab„ ſolutionem petenti impartiri denun„ tiat; „ & paullo infra: “ Annon fi„ delis inſigne bonum eſt, quod culpa„ rum veniam ab iis obtineat, quibus „ Chriſtus ait: *quodcumque alligaveritis*, „ *aut ſolveritis ſuper terram, ligatum* „ *erit, aut ſolutum in cælis?* “ Denique ſi certo ſalvus eſt quicumque crediderit, & baptizatus fuerit, ſalutis æternæ itaque expers certo erit, qui non crediderit, nec fuerit Baptiſmo tinctus, ſubdente Chriſto: *Qui vero non crediderit, condemnabitur*, & apud Joannem diſertiſſime pronuntiante: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua* &c. qua fronte ergo l. 4. Inſtit. c. 15. adverſus tam perſpicua ſupremi Legiſlatoris verba ſcriptitare audet, ſalutis æternæ compotes fieri infantes fidelium, etſi abſque Baptiſmo decedant? Merito ſane in blateronem hunc inſaniſſimum torqueri poſſunt, quæ in Tridentini Concilii Patres impudentiſſime in ſuo Antidoto ſcripſit: „ Bos ſibi ephippia uſurpat, „ vel potius aſinus lyram, infinitam ſibi „ licentiam dum arrogat, ut qualemcum„ que pro ſua libidine Scripturæ ſenſum „ affinxerit, eum mox amplecti, neceſſe „ ſit. “ Quæ autem ſit germana verborum Chriſti intelligentia, audiat ex S. Gregorio M.: Qui crediderit &c. *Fortaſſe unuſquiſque apud ſemetipſum dicat: Ego jam credidi, ſalvus ero. Verum dicit, ſi fidem operibus tenet; vera etenim fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit*. Videtur Gregorius, abſonam Calvini & Novatorum omnium commentationem prænoviſſe, quam non ſuo tantum ſenſu, ſed Scripturarum auctoritate, & perpetua Eccleſiæ traditione convellit.

XIII. Ex hactenus dictis apparet, haud minorem a Calvino Pauli verbis violentiam inferri, dum Apoſtolum in peſtilentiſſimi erroris ſui præſidium vel obtorto collo trahere nititur. Quid enim ſi Chriſtus ſeipſum pro Eccleſia tradidit, *ut eam ſanctificaret, mundans lavacro a-*

quæ in verbo vitæ ? Ergone mundatio omnis filiorum Eccleſiæ a quibuslibet culpis ſoli Baptiſmatis virtuti ſemper manenti, & in memoriam revocatæ a Paulo tribuitur ? Nec micam ſalis in cerebro habeat, oportet, qui tam perverſam inde elicit conſecutionem. Tradidit quidem ſe ipſum Chriſtus, ut ſanctificaret Eccleſiam, mundans lavacro aquæ &c. ideſt ut Sacramento Baptiſmatis homines ab originaria, aliiſque actualibus maculis emundatos regeneraret, Eccleſiæ ſuæ filios efficeret, & myſtici corporis ſui membra formaret. Calvini autem intereſt, demonſtrare, aliud quodcumque ab Apoſtolo eo loci, vel alibi, lavacrum excludi, quo Chriſti ſanguis nobis applicetur, & contractæ poſt Baptiſmum ſpirituales ſordes abſtergantur. Id neque hactenus potuit Calvinus oſtendere, neque futurum eſt, ut Calvinianorum quiſquam oſtendat; aliud enim eſt, virtute paſſionis Chriſti emundari homines, quum baptizantur, quod unum Paulus affirmat, aliud, ſi baptizati ſeſe criminibus inquinent, non alibi, quam in Baptiſmi ſemel ſuſcepti memoria, quærendam eſſe emundationem, quod nunquam Paulo in mentem venit, eique Calvinus impudenter affingit.

XIV. Hic etiam in Calvinum torqueri poſſent, quæ paullo ſuperius adtulimus, dum Chriſti verba, quibus ille abutitur, exponeremus: ſed ne jam dicta iteremus, ad Auguſtini interpretationem, in qua mirifice geſtit, calamum convertamus; ac primo quis Calvini inconſtantiam non miretur, Auguſtini interpretatione pugnantis, quum ipſe frequenter, Novatoreſque omnes cum eo, fundamentalis dogmatis loco habeant, Scripturam Dei ferre non poſſe authenticum interpretem, niſi Deum ipſum, a quo inſpirata eſt, neque Patrum, aut Conciliorum, ſed ſolius Scripturæ eſſe, genuinum ſui ipſius ſenſum exprimere ? Hoc tamen miſſo, noſtrum erit oſtendere, tam longe abeſſe a Novatorum errore Auguſtinum, quam ab occaſu oriens diſtat: egit enim in proferendo Auguſtini textu Calvinus, quod Hæreticis familiare ſemper fuit, quemadmodum Cypriano animadverſum eſt in l. de unitate Eccleſiæ peſſimam eorum fidem ſic caſtiganti: *Corruptores Evangelii, & Interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partis memores, & partem ſubdole comprimentes, ut ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli unius ſententiam ſcindunt*, quod Calvinum fraudulentiſſime præſtitiſſe, ne vera Auguſtini mens appareret, ſuis quiſque oculis poteſt certior fieri, legens, quæ continenti orationis ſerie adjicit Auguſtinus: *Quid enim prodeſſet ante Baptiſmum pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſtea, niſi præcederet ? In ipſa quoque oratione Dominica, quæ eſt quotidiana noſtra mundatio, quo fructu diceretur, dimitte nobis delicta noſtra, niſi ab eis, qui baptizati ſunt, diceretur ? Item eleemoſynarum largitas cui tandem ad dimittenda peccata prodeſſet, ſi baptizatus non eſſet ?*

XV. En itaque germanam Auguſtini mentem, quæ ex poſterioribus ejus verbis a Calvino prætermiſſis elicitur. Totus ibi eſt Auguſtinus in commendanda Baptiſmatis neceſſitate, cui tamquam ſpiritualis vitæ radici atque principio, & Sacramentorum januæ mundationem omnem regeneratorum hominum, quæ vel Pœnitentiæ Sacramento, vel orationis Dominicæ recitatione, vel eleemoſynarum largitione fit, eatenus tribuit, quatenus, niſi Baptiſma præceſſerit, neque Sacramenti Pœnitentiæ capax quiſpiam eſt, neque poteſt eleemoſynis juxta Scripturæ monitum peccata redimere, fruſtra etiam petit oratione Dominica, quotidiana ſibi delicta remitti, quemadmodum, ut cum Clariſſimo Eſtio Theologi omnes advertunt, congrue poteſt naturali generationi atque nativitati adſcribi hominis incrementum, virile robur, atque perfectio, morborumque depulſio, quod horum, & ſimilium effectuum prima radix & fundamentum ſit natura a genitoribus communicata, quamquam neque adoleſcere, neque maturitatem adſequi poſſit abſque cibo, aliiſque vitæ ſubſidiis, neque abſque medicaminum ope ſanitati reſtitui.

XVI. Alia plura in promptu eſſent Auguſtini teſtimonia, quibus invicte conficitur, docuiſſe illum, baptizatorum ſcelera non amplius regeneratione auferri, ſed alia curatione ſanari. Quorſum tamen ea huc conferremus, quum adverſarios ipſos nobis aſſentiri, adhibitamque Paulo & Auguſtino a nobis interpretationem veritas coegerit adoptare ? Puduit enim tandem doctiores inter Calvinianæ Sectæ Miniſtros tam immanis erroris a Calvino, & Beza vulgati, non præterita

ſcilicet, atque præſentia ſolum, ſed & futura quæque peccata Baptiſmo remitti in æternum, atque ab his ſuæ Reformationis Apoſtolis tam nefarii, abſurdique dogmatis invidiam avertant, non aliud eos voluiſſe contendunt, quam Baptiſmum originem atque radicem eſſe remiſſionis omnium peccatorum, quæ aliis divinitus inſtitutis mediis obtinetur, idque confirmant confeſſione fidei Eccleſiarum Reformatarum, in qua Calvini, & Bezæ verbis ſenſus iſte ſubjicitur. An Calvini & Bezæ doctrina expoſitionem hanc ſuſcipiat, non vacat, expendere: ipſa tamen Adverſariorum confeſſio interpretationem, quæ laudatis Pauli, & Auguſtini textibus a Catholicis adhibetur, legitimam, veramque eſſe, certo demonſtrat.

XVII. Ex his primo conſequitur, merito a Patribus Pœnitentiam *ſecundam poſt naufragium tabulam* appellari, latumque jure fuiſſe anathema a Tridentino in Lutherum, quod veritatem hanc *perniciosum errorem* eſſe, impudentiſſime pronuntiarit. Quam vero apte Pœnitentia ſecunda poſt naufragium deperditæ gratiæ tabula a Patribus nuncupetur, declarat egregie D. Thomas ajens, quædam novæ legis Sacramenta per ſe ad ſalutem hominis ordinari, Baptiſmum nempe, qui eſt ſpiritualis generatio, Confirmationem, quæ ſpirituale augmentum confert, atque Euchariſtiam, quæ ſpirituale nutrimentum eſt; Pœnitentiam vero ad eam quaſi per accidens ordinari, ſcilicet ex ſuppoſitione peccati; non enim Pœnitentia egeret homo, niſi actualiter peccaret, egeret tamen Baptiſmo, Confirmatione, atque Euchariſtia, idque exemplo corporalis vitæ confirmat, ad quam homo per ſe indiget generatione, augmento atque alimento, medicamine tamen opus non habet, niſi infirmetur. Quoad itaque ſpiritualis integritatis ſtatum, qui prædictis tribus Sacramentis confertur & conſervatur, ſecundum locum obtinet Pœnitentia, ideoque ſecunda poſt naufragium tabula metaphorice dicitur; ſicur enim ad navigantium ſalutem primo neceſſe eſt, ut navis ſervetur integra, ea vero illiſa, atque fracta non aliud remedium ſuppetit, niſi ut tabulam quis arripiat, eique adhæreat, ita in vitæ hujus mari primum remedium eſt, ut collatam ſibi in Baptiſmate integritatem homo conſervet, quam ſi peccando amiſerit, alterum remedium eſt, ut eam Pœnitentia ſatagat reparare.

XVIII. 2. Conſequitur, Sacramentum hoc non abſolute neceſſarium eſſe ad ſalutem, ſed hypothetice, ſive ex ſuppoſitione; illud enim abſolute neceſſarium eſt, ait D. Thomas, quem Theologi quique ſequuntur, abſque quo nemini omnino patet aditus ad ſalutem, quo ſenſu medicinalis Chriſti gratia, & Baptiſmi Sacramentum, quo homo in Chriſto renaſcitur, abſolutæ neceſſitatis ſunt; quot autem abſque Sacramenti hujus neceſſitate vitam æternam adſecuti ſunt, ii nimirum, qui nunquam a baptiſmali integritate exciderunt? Deus enim, ut 2. Paralipomenon c. ult. legimus, *non poſuit Pœnitentiam juſtis, & his, qui ſibi non peccaverunt*. Suppoſito vero peccato nemini reditus eſt ad ſalutem abſque Pœnitentiæ Sacramento vel in re, vel in voto; *peccatum enim*, pergit D. Thomas, *quum conſummatum fuerit, generat mortem*, ut legimus Jacobi 1., ideoque neceſſe eſt, ut hoc a peccante removeatur, quod abſque Pœnitentiæ Sacramento nequit fieri, in quo operatur virtus paſſionis Chriſti per abſolutionem Sacerdotis ſimul cum opere Pœnitentis, qui gratiæ cooperatur ad deſtructionem peccati.

XIX. Quæ autem ſit hujus Sacramenti neceſſitas, declaravit Tridentinum ad laudati ſecundi capitis finem hæc habens: *Eſt autem hoc Sacramentum lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ſicut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus*; quare manifeſte & neceſſario conficitur, omnibus poſt Baptiſmum gravis peccati reis neceſſitate medii Sacramentum hoc, vel actu ſuſceptum, ſi facultas adſit, vel ſaltem voto, ſi illa deſit, neceſſarium eſſe, quum ejus neceſſitatem Baptiſmatis neceſſitati Tridentinum æquiparet.

ARTICULUS III.

De hujus Sacramenti materia.

I. Juxta D. Thomæ doctrinam inter Catholicos receptiſſimam duplex eſt hujus Sacramenti materies, proxima videlicet, & remota; proxima ſunt ipſius pœnitentis actus, qui de peccatis dolet, ea confitetur, & pro iiſdem ſatisfacit; remota vero ipſa peccata ſunt Sacramento

Pœ-

Pœnitentiæ deſtruenda. Nonniſi de proxima *hujus* Sacramenti materie Florentinum Concilium verba habet in decreto ſuper unione Armenorum, ejuſque verba Tridentinum exſcribens de pœnitentis actibus tantum agit, & Lutherum perpetuam hanc Eccleſiæ doctrinam impie ſubſannantem anathemate iſto percellit : *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pœnitente, quaſi materiam hujus Sacramenti, videlicet contritionem, confeſſionem, atque ſatisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema ſit.* De remota vero materie neutrum Concilium ſermonem instituit, quod nulla jamdudum ſit in Eccleſia de hoc capite controverſia, nullusque invectus fuerit error a Novatoribus, adverſus quos Tridentinum coactum fuit; etſi enim recentes Hæretici ab antiquis, velut aſpides a viperis, ut Tertullianus ait, venenum mutuati ſint, & pleroſque inſtaurarint veterum Hæreticorum errores, non recoxerunt tamen Montaniſtarum, ac Novatianorum deliria, qui ſecundo & tertio Chriſtiani nominis ſæculo, *miſericordiæ hoſtes, interfectores Pœnitentiæ, charitatis proditores*, ut eos S. Cyprianus appellat, mordicus contendebant, delinquentibus poſt Baptiſmum nullam miſericordiam adhiberi jam poſſe, mortalia peccata non poſſe ab Eccleſia donari, immo perire ipſam, ſi peccantibus indulgeat, quædam eſſe peccata *immundabilia* (ita ea vocat Tertullianus in l. de pudicitia, quem Montaniſtarum hæreſi imbutus edidit), homicidium nempe, mæchiam, idolorum cultum, hiſque ſimilia, quorum remittendorum nulla a Chriſto tributa Eccleſiæ poteſtas fuit.

II. Quum itaque exitialis hic error ante ſæculi quinti medietatem extinctus ad hæc noſtra tempora jaceat, nec a quoquam fuerit exſuſcitatus, operæ pretium non eſt, ut in eo convellendo immoremur, etſi fieri id paſſim ſoleat ab ævi noſtri Theologis, quibus ſane plus otii eſt, latiuſque vagari licet, ſed illud ponimus ut inconcuſſum, & Chriſtianorum omnium confeſſione certiſſimum, peccata quælibet poſt Baptiſmum admiſſa, utut gravia, atque immania, remotam Sacramenti hujus materiem eſſe, quum nullum ſit, aut excogitari poſſit, ad quod poteſtas clavium non extendatur, quodque virtute ſanguinis Chriſti hoc Sacramento applicata deſtrui non poſſit, atque aboleri; quis enim niſi impie atque ſacrilege velit peccati alicujus relaxationem Eccleſiæ poteſtati ſubducere adverſus generalem atque indefinitam Chriſti Domini enuntiationem : *Amen dico vobis .... quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo : Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiſeritis peccata* &c.? Neque blaſphemiam in Spiritum Sanctum excepiſſe dicendus eſt Chriſtus, dum ait Math. 12., eam neque in hoc ſæculo neque in futuro remitti. Si enim hujus blaſphemiæ nomine veniat, ut Auguſtinus interpretatur, *fraternæ charitatis per invidiam, ac malitiam oppugnatio, ſi homo in hac tam ſcelerata mentis perverſitate vitam finiverit*, nemo non intelligit, conſtantem cordis duritiem, quæ nec inſtante morte emollitur, ſeu finalem impœnitentiam irremiſſibile peccatum eſſe; perire enim neceſſe eſt, quem nec in vitæ exitu pœnitet, dicente Chriſto : *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Si autem, ut pleriſque Patribus placet, Chriſtus nomine blaſphemiæ in Spiritum Sanctum nequiſſimum Phariſæorum Scribarumque ſcelus ſignificavit, qui divinæ bonitatis, ſanctitatis atque potentiæ perſpicua opera immundi ſpiritus ſeu diaboli virtuti adſcribebant, peccatum hoc non abſolute dictum a Chriſto irremiſſibile Patres ildem exponunt, ſed conſueto Scripturarum loquendi more, quæ aliquid fieri non poſſe pronuntiant, quod nonniſi difficillime, atque perraro fiat; quum enim crimen illud ex peſſima animi diſpoſitione, atque conſummata malitia procederet, gravius multo erat iis quæ vel ignorantia, vel metu, vel concupiſcentia admittuntur, ideoque rarius & difficilius remiſſionem obtinet, quia & majorem divinæ bonitati injuriam irrogat, & divinæ gratiæ majorem obicem ponit; quare Chryſoſtomus in hunc locum ait : *Quid eſt, quod dicit? Significare voluit, hoc peccatum præ omnibus minus eſſe ignoſcibile.*

III. Hoc præmiſſo, ad tres recenſitos pœnitentis actus, quos Sacramenti hujus partes, ſeu quaſi materiem eſſe, laudata Concilia declararunt, ſermonem convertimus, neque morari volumus Scholaſticorum ſubtilitates, & tempus, & verba ponere in definiendo, an ad Pœnitentiæ Sacramentum actus hi *intrinſece*, & *ſubjective*, ut Thomiſtis placet, an *extrinſece*

tan-

tantum & *objective* pertineant, quæ Scoti, & Diſcipulorum ejus, necnon Durandi opinio eſt. Quorſum enim res ſuſo calamo perſequeremur, quæ nihil habent utilitatis, atque neceſſitatis, quaſque ſalva veritatis fideique ſubſtantia in ſola ferme vocum diverſitate verſari, perdoctis utriuſque Scholæ viris jam pridem animadverſum eſt? Nemo enim Theologorum eſt, cujuſque demum Scholæ ille ſit, qui Novatores non execretur impie blaterantes, veram Pœnitentiam perfici ſolis terroribus conſcientiæ incuſſis, & ſpeciali fide, qua credimus remiſſa nobis per Chriſtum eſſe peccata, quique non adſtruat, ad Pœnitentiæ Sacramentum divino præcepto tres memoratos actus neceſſario requiri, licet non idem de modo ſentiat, quo ex iis Sacramentum hoc integratur. Prudentiſſimo itaque conſilio utrumque Concilium declaravit, tres laudatos actus Sacramenti hujus *quaſi materiam* eſſe; nec enim perperam particula *quaſi* appoſita ab utroque fuiſſe cenſenda eſt, ſed conſulto, ut cordatus quiſque intelligeret, propoſitum utrique fuiſſe, veram Eccleſiæ doctrinam promere, oppoſitos errores convellere, a Scholaſticorum vero diſputationibus, quæ, intacta dogmatum ſubſtantia, hinc inde fervebant, ſibi temperare, quod & nobis propoſitum hactenus fuit, eritque deinceps.

IV. *Hæc de partibus hujus Sacramenti*, Tridentini verba ſunt cap. 3. ſeſſionis *de Pœnitentia*, *Sancta Synodus tradens*, *ſimul eorum ſententias damnat*, *qui Pœnitentiæ partes incuſſos conſcientiæ terrores*, *& fidem eſſe*, *contendunt*, quam damnationem canone quarto verbis gravioribus innovat: *Si quis dixerit*, *duas tantum eſſe Pœnitentiæ partes*, *terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ agnito peccato*, *& fidem conceptam ex Evangelio*, *vel abſolutione*, *qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata*, *anathema ſit*, cujus damnationis æquitas ſequentis propoſitionis argumentum erit.

Sacramenti Pœnitentiæ eſſentia in conſcientiæ terroribus, & ſpeciali fide perverſe a Novatoribus collocatur.

V. Lutherum primum erroris hujus artificem non aliis argumentis validius refutamus, quam quæ ex principiis ab eo jactis ducuntur: Pœnitentia verum eſt novæ legis Sacramentum, Luthero ipſo aſſentiente, atque in aſſertionibus contra Lovanienſes art. 31. ſcribente: „ Pœnitentiam cum virtute clavium abſolventium „ Sacramentum libenter confitemur &c. „ Sacramenti propria notio hæc eſt, ut ſit inviſibilis gratiæ viſibilis forma divinitus inſtituta, quam Sacramenti notionem iiſdem pœne verbis præfert non ſolum Calvinianorum omnium Cathechiſmus, ſed & Confeſſionis Auguſtanæ apologia, in cujus verba Lutherani omnes jurant; art. 3. hæc habent: „ Sacramenta vocamus ritus „ externos, qui habent Dei mandatum, „ & quibus eſt addita promiſſio gratiæ: “ quomodo ergo poteſt Pœnitentiæ Sacramentum ex conſcientiæ terroribus & fide ex Evangelio concepta, velut ex partibus coaleſcere, quum Sacramentum externam, ſubjectamque ſenſibus rem eſſe oportere, Novatores omnes admittant, conſcientiæ autem terrores, & fidei motus interiores tantum ſint, neque poſſint ſub ſenſum cadere?

VI. Neque vim argumenti hujus infringet Novatorum quiſpiam, ſi reponat, & contritionem cordis inter Pœnitentiæ partes a nobis cenſeri, licet mere interna ſit, & ſenſibus non obnoxia; Etſi enim contritio intime cordi adhæreat, & vere ſit interior animi dolor, ideoque eſſe nequeat immediate ſenſibilis, ſenſibus tamen mediate obiicitur, quatenus exterioribus confeſſionis, ſatisfactionis, aliiſque reſipiſcentiæ ſignis manifeſtatur, quod luculenter docuit D. Thomas ajens, „ contritionem „ ſecundum eſſentiam in corde eſſe, at„ que ad interiorem Pœnitentiam perti„ nere, virtualiter tamen ad Sacramentum „ illud ſpectare, quatenus confitendi, & „ ſatisfaciendi propoſitum annexum ha„ bet; “ contritio ſiquidem, ut recte Cajetanus admonuit, non quomodocumque eſt hujus Sacramenti pars, ſed quatenus ad Eccleſiæ claves refertur, eſtque exterioris Pœnitentiæ initium & ratio, prout voluntatem includit compenſandi delictum ad arbitrium Sacerdotis: Terror autem, quo peccator Evangelium audiens concutitur, atque fides illa ſpecialis, quam ex ejuſdem Evangelii promiſſionibus concipit, ita in mente, cujus actus ſunt, reſident, & clauduntur, ut nullo exteriori ſigno manifeſtentur, ideoque Sacramentum, quod eſt divina inſtitutione ſenſibile, conſtare nequeunt.

VI. Neque eſt, cur regerant, Peccatorem

rem

rem Evangelii minis perterrefactum confiteri actus ſuos, atque a miniſtro abſolvi; quicumque enim Novatorum hoc effugium arripit, ut parem eſſe terrorum conſcientiæ ac contritionis, quam inter Pœnitentiæ partes Eccleſia numerat, rationem inde conficiat, Lutheri ipſius doctrinam, quæ toti reformationi communis eſt, refutatur; Primo etenim ſenſibilis, atque exterior ritus ad Sacramenti notionem adtinens, divinam inſtitutionem referre debet, quæ cujuſque ſectæ hominum poſitio eſt: Quid ergo, ſi terrores conſcientiæ incuſſi fiunt peccatorum confeſſione ſenſibiles? Non declarantur ſane externo aliquo ſigno, quod e Chriſti inſtitutione, atque præcepto originem ducat, ſed quod ab humana poteſtate, judice Luthero, cui Pſeudo-Reformati quique ſubſcribunt, illegitime inductum eſt; hæc enim tom. 1. pag. 77. habet: „ Confeſſionem Deus non præcepit, „ verum Papa ad eam coegit homines. „ Etſi ergo conſcientiæ terrores confeſſione ſenſibiles fiant, jacta ab adverſariis ipſis principia vetant, ne eos Sacramenti hujus partibus annumeremus. 2. Satis non eſt, Novatorum omnium teſtimonio, ad veram Sacramenti notionem, ut ritu conſtet externo atque ſenſibili divinitus inſtituto, niſi annexam habeat gratiæ promiſſionem, niſi gratiam contineat, quam ſignificat, niſi Deus eo ceu cauſa inſtrumentali a ſe in hunc finem aſſumpta, nobis gratiam ſuam exhibeat, donet, & applicet, quæ Calvini in Antidoto Concilii Tridentini, omnium Gregalium ejus in fidei Cathechiſmo, & Lutheranorum omnium apud Hemnitium doctrina eſt. Quorſum itaque, ut commentitias illas Pœnitentiæ partes tueantur, ad confeſſionem, abſolutionemque confugiunt quibus nulla gratiæ promiſſio adjuncta eſt, nulla prorſus efficacia ineſt? Lutherum audiant memorato loco de confeſſione ſcri„ bentem: Non admodum ſollicitus ſis de „ eo, quod tu dicis, ſed major cura ſit de „ iis, quæ audis ab altero, qui remiſſio„ nem peccatorum Dei nomine tibi annun„ tiat; neque multum refert, ſive is ſit „ Sacerdos, aut publicus Eccleſiæ miniſter, „ ſive quilibet Chriſtianus, nam verbum, „ quod loquitur, non ſuum ſed Dei eſt, „ quod in confeſſione ad te unum dicitur, „ ut prorſus nihil de voluntate Dei erga „ te dubites; & in concluſionibus an. 1518. „ editis: Remiſſio culpæ non innititur „ contritioni, nec officio, ac poteſtati Sa„ cerdotis, ſed fidei; verum eſt enim, „ quod non Sacramentum fidei, ſed fides „ Sacramenti juſtificat. “ Abſolutio itaque, atque confeſſio nequeunt Sacramenti partes ulla ratione cenſeri, ſi fidei ſoli promiſſio gratiæ annexa eſt, eaque ſola culparum remiſſio, & juſtificatio noſtra perficitur.

VIII. Aliud ex Novatorum omnium principiis adverſus eos argumentum elicitur. Nihil eis ratum magis, fixumque eſt, quam ſcriptum Dei verbum ſolam eſſe fidei regulam, neque cenſeri aliquid poſſe inter fidei capita, quod diſerte non ſit in divino eloquio traditum, qua de cauſa Lutherus in concionibus Withembergæ habitis an. 1518. tres Pœnitentiæ partes a Florentino Concilio memoratas impudenter irriſit rejecitque ceu inane Scholaſticorum inventum, quod nullo Scripturarum teſtimonio fulciretur, atque in ſcripto contra Lovanienſes edito propoſitione 37. hæc audaciſſime effutiit: „ Pœnitentia tradita a „ Lovanienſium Synagoga, ſcilicet, quod „ ſit contritio, confeſſio, & ſatisfactio, „ nulla eſt niſi Judæ proditoris, & ſimi„ lium, & ideo, ut hæretica eſt damnan„ da, “ ſed nullum hactenus a Novatoribus proferri potuit Scripturæ teſtimonium, quod acceptis verbis doceat, vel ex quo neceſſaria conſecutione fluat, terrores conſcientiæ, atque ſpecialem fidem Sacramenti Pœnitentiæ partes eſſe; temere ergo & ſacrilege duas has commentitias Pœnitentiæ partes inter fidei articulos referunt.

IX. Poſtremo, ſi terrores conſcientiæ incuſſi, atque fides Pœnitentiam conſtituunt; quidni idem de ſpe, charitate, religione, & moralibus quibuſque virtutibus pronuntietur? Quæ enim potior ratio eſt, cur ex terroribus, atque fide Pœnitentia conſurgat, non autem ex aliarum virtutem choro? Evangelium ſiquidem non ſolum peccata redarguit, metumque inicit, non ſolum remittere nobis per Chriſtum peccata annuntiat, fidemque excitat, ſed & ſperare nos jubet, atque diligere, Deum in ſpiritu & veritate colere, humilitatem, miſericordiam, caſtimoniam, aliaſque virtutes ſectari: Nonne ergo evidens eſt, duas has Pœnitentiæ partes Novatorum arbitrio confictas eſſe, jure idcirco Eccleſiæ judicio proſcriptas?

Quum Lutherus, atque Confeſſioniſtæ nihil hactenus e Scripturis, atque ex antiquis Eccleſiæ magiſtris extundere potuerint,

rint, quod errori ſuo vel ſpecie tenus faveret, nulla quoque objectio eſt, in cujus refutatione nobis hærendum ſit.

ARTICULUS IV.

De primo Pœnitentis actu, ſeu contritione.

I. HÆc eſt legitima contritionis notio a Tridentino ſeſ. 14. c. 4. tradita, atque ex D. Thoma hauſta: *Contritio animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero*. Motum hunc contritionis quovis tempore fuiſſe ad impetrandam peccatorum veniam neceſſarium, & nunc ideſt poſt Evangelicæ legis promulgationem ita demum ad obtinendam culparum remiſſionem diſponere, ac præparare, ſi cum divinæ miſericordiæ fiducia, cœteriſque, quæ ad ſuſcipiendum rite Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur, conjunctus ſit, ſacra Synodus ibidem docet; Novatores tamen, quibus nihil antiquius eſt, quam ut omnia ferme Chriſtianæ Religionis dogmata, vel quatiant, vel everiant, hoc quoque fidei caput oppugnant, etſi illud ſit naturali rationi ipſi apprime conforme, atque inconcuſſi principii loco retinent, quod art. 7. a Leone X. damnato Lutherus ait: „ Veriſſimum eſt proverbium, & omni doctrina de contritionibus hucuſque data præſtantius: de cœtero non facere; optima pœnitentià, nova vita. " Proverbium autem hoc falſiſſimum eſſe, & ſacrarum litterarum veritati directe contrarium, noſtrum erit, oſtendere.

Contritio non ſolum, ceſſationem a peccato, & novæ vitæ propoſitum, atque inchoationem, ſed etiam veteris odium, atque deteſtationem continet.

II. Propoſitio hæc Tridentini verbis expreſſa adlatis ab eodem momentis firmiſſime conſtabilitur. Vera Pœnitentiæ forma non aliunde petenda eſt, quam e divino eloquio, in quo Deus non pœnitere ſolum peccatores juſſit, ſed & pœnitendi modum præſcripſit. Quis porro hic eſt vere, & ex animo pœnitendi modus? Nimii eſſemus, ſi omnia Scripturarum teſtimonia huc facientia vellemus urgere: duo tantum laudabimus, primum, quo utitur Tridentinum, ex 18. Ezechielis excerptum, alterum e Joelis 2. petitum. *Ait Dominus Deus: Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris:* En anteactæ vitæ odium, & admiſſorum ſcelerum deteſtationem: *Projicite a vobis omnes prævaricationes, in quibus prævaricati eſtis:* En ceſſationem a peccato: *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*: En novæ vitæ propoſitum, atque inchoationem. Æque perſpicua ſunt ejuſdem Dei apud Joelem verba: *Nunc ergo dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde veſtro, in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum*. Quid ſane eſt, ad Dominum in toto corde, in fletu & planctu converti, quid corda ſcindere, niſi male exactos annos, Ezechiæ inſtar, in amaritudine animæ recogitare, de patratis criminibus corde dolere, eaque lacrymis tergere? Quid ſibi vult iterata illa juſſio, *convertimini ad Dominum Deum veſtrum*, niſi amorem, quo noxiis rebus adhæferatis, ad Dominum Deum meliori conſilio transferte, novæque vitæ initium facite?

III. Aliud momentum ibidem inſtruit Tridentinum ex vere pœnitentium, quos Scriptura commendat, exemplo: *Certe qui illos Sanctorum clamores conſideraverit: Tibi ſoli peccavi &c. Laboravi in gemitu meo &c. Recogitabo tibi omnes annos meos &c. & alios hujus generis, facile intelligit, eos ex vehementi anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe*. His ne ergo ſat fuit a peccato ceſſare, novamque vitam auſpicari? Horum ne Pœnitentia non anteactæ vitæ deteſtatione, ſed ſola melioris vitæ inchoatione perfecta fuit? Quum autem *quæcumque ſcripta ſunt*, teſte Apoſtolo ad Rom. 15. *ad noſtram doctrinam ſcripta* fuerint, inde Novatores intelligant, in quo vera Pœnitentiæ notio iſta ſit, nimirum, ut graviſſimis Cypriani verbis utar, in *converſione ad Dominum tota mente, qua peccator Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimens, Deo mæſtitia ſatisfaciens, lamentationibus, & lacrymis ingemiſcens ad delictorum veniam Dominum ſuum inflectit*.

IV. Solidiſſime falſam illam Pœnitentiæ ideam a Luthero primum invectam, & ab ejus gregalibus adoptatam, S. Juſtinus Martyr in fine Dialogi cum Tryphone exemplo Davidis obterit, ejuſque verba in Novatores perbelli cadunt: *Davidi peccatum tum demum remiſſum eſt, quum ita ploravit, & lamentatus*

eſt;

Digitized by Google

eſt, ſicut de eo ſcriptum. Si viro tanto non eſt ante remiſſa noxa, quam Pœnitentiam egit, ac tum demum quum tantopere flevit, quam tandem impuri iſti, & nullius mentis, comploratique adeo homines, niſi lamentati fuerint, & planxerint, & Pœnitentiam egerint, ſpem habere poſſunt, non imputatum iri illis a Domino peccatum?

V. Longe aliam quoque ab inſano Lutheri commento veræ Pœnitentiæ notionem ex filii prodigi parabola promptam Tertullianus omnibus poſt Baptiſmum lapſis proponit ajens: *Deus te filium ſuum, etſi nudus redieris, recipiet: . . . ſed ſi pœniteat ex animo, ſi immundum relinquas pecus, ſi Patrem repetas vel offenſum, deliqui, dicens, Pater, nec dignus ego jam vocari tuus. Deliqui in te, & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, & maceror, & exerucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.* Longius, quam par eſt, ſermo noſter excurreret, ſi conferre hoc vellemus Cypriani, Cleri Romani ad Cyprianum, Baſilii, Chryſoſtomi, Paciani, Ambroſii, Auguſtini, & ſequioris ævi Patrum teſtimonia uno ore docentium, veræ Pœnitentiæ medicamen confici primo ex peccatorum deteſtatione, atque ſincera eorumdem condemnatione, quos omnes Lutherus intolerabili arrogantia flocci fecit, dum proverbium illud ſuum, quod oppugnamus, veriſſimum eſſe, & quavis doctrina de contritione hactenus tradita præſtantius, inſolentiſſime pronuntiavit.

VI. Poſtremo ad Scripturarum doctrinam & exempla ratio ipſa naturalis accedit, ſtultiſſimam Novatorum poſitionem aperte redarguens, atque damnans. Nihil eſt mortalium animis penitius inſitum, quam in amicitia reconcilianda neceſſe fore, ut eum pœniteat, qui injuriam irrogavit, ſeu illatæ injuriæ dolorem animo concipiat; duo enim hæc ex vi nominis, omniumque gentium conſenſu in idem recidunt, qua pœnitentia præmiſſa eum, qui læſus eſt, oblivio capit injuriæ; quomodo ergo poteſt fieri, impii juſtificatio, ſive cum Deo injuriis affecto reconciliatio, niſi de irrogatis Deo injuriis vere doleat? Quum enim Deus naturam non deſtruat, ſed perficiat, abſurdum prorſus eſt, animo fingere, decreviſſe illum, peccatorem alia via a ſe gratiam inire, quam quæ naturali ipſo lumine coſtituta, atque comperta eſt, nimirum ut qui alterum læſit, & ab ejus amicitia excidit, nonniſi prævia injuriæ deteſtatione, reconcilietur.

Eliduntur Novatorum cavillationes.

VII. Arguit Lutherus apud Roffenſem ar. 5. Scripturarum uſu Pœnitentia dolor aut pœna non eſt, ſed ſola conſilii, mentiſque mutatio, neque pœnitere aliud in ſacris litteris ſonat, quam ſapere poſt erratum, & ad recte vivendum animum inſtituere; quare Eraſmus in tertium Mathæi caput animadvertit, ubicumque Pœnitentiæ vocabulum Latinus interpres uſurpat, Græco in fonte Metanæam eſſe, quæ vox ſolam mutationem cogitationis & mentis, ſive tranſmentationem ſignificat; Pœnitentia itaque nihil aliud eſt, quam nova vita.

Nihil argumento hoc, quod tantopere Novatores exaggerant, infirmius eſt ac futilius: Primo etenim ſi de rerum naturis ex vocum ſignificatione, aut etymologia judicium ferendum ſit, quam frequenter, & turpiter in figendis veris rerum notionibus errabunt homines? Vel ipſis Dialecticæ tyronibus exploratum adeo hoc eſt, ut in eo exemplis declarando vanum ſit, verba ponere. 2. Illud omnino falſum eſt, quod tam fidenter Lutherus enuntiat, Pœnitentiæ vocabulum, ſive latine ſive græce efferatur, ſolam conſilii mutationem, novamque vitam ſignificare; nonne etenim apud probatiſſimos quoſque prophanos Auctores nomen hoc duo complectitur, & a priori conſilio reſilitionem, & animi dolorem de aliquo præpoſtere facto? Tempore abuteremur, loca omnia recitantes, quibus Cicero hoc ſenſu pœnitendi verbum uſurpat: Gallus Aſinius, & Largius Licinius accuratiſſimi verborum penſitatores docent, tum latine dici nos pœnitere, cum quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, & conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in iis noſtram demutamus. Eadem ferme Aulus Gellius, & optimi quique latinæ linguæ prophani Auctores, quibus ſi Eccleſiaſticos velimus addere, res erit ad liquidum plane deducta, quorum tamen teſtimonia mittimus, quod ubique proſtent, atque omnibus notiora ſint, quam ut oporteat, ea huc conferre.

VIII. Quæ de latino vocabulo diximus, eadem de Metanæa dicenda ſunt, qua ſacræ novi Inſtrumenti litteræ, Græcique omnes Eccleſiaſtici Auctores recentiores & antiquiſſimi uno conſenſu utuntur ad idem pror-

prorſus ſignificandum, quod Pœnitentiam Latini vocarunt; etſi enim apud nonnullos, ut apud Platonem in Gorgia, Xenophontem in Cyro, & Clementem Alexandrinum l. 2. ſtromentum, Matanæa pro ſententiæ mutatione quandoque ſumatur, frequentiſſima tamen hæc eſt apud probos quoſque auctores Ethnicos & Chriſtianos dictionis hujus ſignificatio, nimirum ut eo nomine veniat dolor de priori ſententia, aut triſti aliquo ex ea conſecuto corde conceptus. Id luculenter oſtendit Clariſſimus Morinus l. 1. de Pœnitentia c. 1. Plutarchi & Luciani teſtimonia recitans, Hermæ quoque Apoſtolorum Diſcipuli in Paſtore, Ignatii in epiſt. ad Smitnenſes, Clementis Alex. l. 1. ſtromatum, Chriſoſtomi, aliorumque Græcorum Doctorum, qui ab Eccleſiæ primordiis ad hunc uſque diem ſcripſerunt. Hanc porro græcæ vocis acceptionem e ſacris novi teſtamenti Scriptoribus mutuati ſunt Eccleſiaſtici Tractatores; nuſquam enim Evangeliſtæ, & Apoſtoli Metanæa vocabulo utuntur, quin eo non ſolam reſipiſcentiam, ſed & animi dolorem, imo & dura ſatiſfactionis opera denotent. Plura in promptu eſſent teſtimonia, quibus & id fieret cuique perſpectum, & Eraſmi atque Lutheri inſcitia revinceretur ſcriptitantium, Scripturarum uſu Pœnitentiam latine, & Metanæam græce ſolum reſipiſcentiam, ſeu prioris conſilii mutationem ſignificare, & intoleranda cujuſdam Novatoris audacia caſtigaretur, qui in novi Teſtamenti translatione, quaſi vero præ antiquo Interprete, & Hieronymo recognitore plus ſaperet, reſipiſcentiam perpetuo Pœnitentiæ ſubſtituit, perinde ac ſi græca vox Metanæa ſolum ab errore ad ſanam mentem reditum amplecteretur. Unum duntaxat laudabimus Pauli 2. ad Cor. c. 7. teſtimonium, ex quo decretorie conficitur, Paulum græco vocabulo, quod latine Pœnitentiam ſonat, animi de peccato dolorem, a peccato ceſſationem, & exteriores Pœnitentiæ fructus, ſive ſatisfactionem complexum eſſe. Quum Apoſtolus prima epiſtola ſua varia Corinthiorum delicta graviter redarguiſſet, ut eos ad reſipiſcendum adduceret, audiens, id ſibi pro voto accidiſſe, hæc epiſtolæ 2. cap. 7. ſcribit: *Gaudeo, quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam; contriſtati enim eſtis ſecundum Deum . . . quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: Ecce enim ſecundum Deum contriſtari vos quantam in vobis operatur ſollicitudinem, indignationem, deſiderium, æmulationem, vindictam &c.* quoties Pœnitentiam latine legimus, græce eſt Metanæa, quam vocem ſi reſipiſcentiam vertas, ſententiam Apoſtoli falſam efficies, quemadmodum Melchiori Cano ſcite animadverſum eſt; non enim triſtitia reſipiſcentiam, ſed e converſo reſipiſcentia triſtitiam operatur, quandoquidem ex quo aliquis ſapere incipit, ſuumque erratum agnoſcit, quod eſt reſipiſcere, naturaliter ſequitur, ut de errato triſtetur & doleat; quum itaque Apoſtolus ait, triſtatos fuiſſe Corinthios ad Pœnitentiam, eorumque triſtitiam ſalutarem Pœnitentiam ſeu Metanæam operatam eſſe, non pro reſipiſcentia Metanæam poſuit, ſed voluntariam vindictam, quam de ſe ipſis Corinthii dolentes ſumpſerant, atque ſatisfactionem, quam de erratis, quæ agnoverant, atque flebant, Deo exhibuerant. Hæc apud Paulum adeo clara ſunt, ut ſolis quiſque oculis poſſit ea percipere.

IX. Urget Lutherus: „ Paulus ad Galatas 6. ait: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*; Vides, ut Apoſtolus nullam pœnitudinis præteritorum rationem habet, ſed unam in Chriſto, ideſt apud Chriſtum vitæ novitatem valere ſcribit? Optime itaque Ambroſius a Magiſtro laudatus: *Vera Pœnitentia ceſſare a peccato*: Lactantius quoque l. 6. inſtitutionum c. 13. *Agere Pœnitentiam nihil aliud eſt, quam profiteri, ſe non ulterius peccaturum.* “

Nolumus Lutherum morari a vero Apoſtoli ſcopo toto oſtio aberrantem: Demus ei, quod de novitate vitæ ex Apoſtolo obtrudit. Quid vero? Stolidiſſimus homo ſuis ſe laqueis implicat, nemo enim novum hominem induit, quin præteritum exuerit, quod Paulus ipſe ſuis in Epiſtolis ſæpe commendat, 1. ad Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio*, ad Rom. 13. *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*, ad Coloſſenſes 3. *Deponite omnia, expolianter veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum* &c. Quid ſibi vult, veterem hominem exuere, & veterem converſationem deponere, niſi priorem vitam deteſtari? Si ergo novum hominem induere, teſte Paulo, non poſſumus, niſi veterem abjecerimus, novam

vitam

vitam profecto non auſpicamur, neque nova creatura ad Pauli mentem efficimur, niſi anteactam odio habeamus, atque animi dolore aboleamus.

X. Proverbium autem illud, quod ex Ambroſio depromptum Lutherus inſcite jactitat, *vera* ſcil. *Pœnitentia nova vita*, vel *ceſſare a peccato*, in eos optime quadrat, qui, cum novæ vitæ propoſitum crebro concipiant, & Pœnitentiam inceptent, a ſano tamen conſilio faciliime dimoventur, & in priſtina peccata identidem relabuntur. Eo itaque dicto monentur homines, novam vitam optimum eſſe veræ Pœnitentiæ ſignum ex quo dignoſcimus, recte vivendi propoſitum tum firmas in corde radices jeciſſe, quum novæ vitæ fructus conſtanter fert. Cur autem Lutherus hoc Ambroſii effatum tam avide arripit, & ad erroris ſui preſidium trahit, veram autem Pœnitentiæ notionem vel prætetit, vel flocci facit ab eodem Ambroſio traditam ſerm. 40. *Pœnitentia eſt male preterita plangere, & plangenda iterum non committere ?*

Lactantius vero Pœnitentiam eo loci minus adæquate ac proprie definivit, atque a Clariſſimo Morino reprehenditur, quod ſcripſerit, Metanæam *ſignificantius dicere reſipiſcentiam, quam latine Pœnitentiam.* Cæterum ejuſdem ſexti inſtitutionum libri cap. 24. integram, atque adæquatam Pœnitentiæ notionem his verbis complexus eſt ajens : *Reſipiſcit, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſe ipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad recte vivendum, tum illud maxime cavet, ne rurſum in eoſdem laqueos inducatur.*

XI. Inſtat Lutherus : Qui dolorem de perpetratis culpis in Pœnitentia requirunt, ii Apoſtolo palam aperteque adverſantur, qui ad Philippenſes 3. nos commonet, ut ad anteriora tendamus, nec poſteriora ſive præterita reſpiciamus, ſeque in exemplum proponens ait : *Quæ quidem retro ſunt obliviſcens, ad ea vero quæ ſunt priora, extendens me ipſum* &c.

Vere Lutherus impingit meridie quaſi in tenebris, quia miſcuit ei Dominus ſpiritum ſoporis, atque vertiginis, ut videns non videat, & audiens non intelligat. Etſi verus Apoſtoli ſcopus in cujuſque legentis oculos ſponte incurrat, nulloque negotio pateat, nihil minus eo loci Apoſtolum velle, quam quod ei Lutherus affingit, demus tamen Luthero, de patratis culpis ibi Apoſtolum loqui, quid inde ? „ Apoſtoli textum etſi violentiſſi„ me a Luthero detortum nitide exponi„ mus cum D. Thoma, ad poſteriora, „ ad prave ſcilicet geſta non debere ho„ minem amore regredi, ſed potius eo„ rum ita obliviſci, ut ad ea iterum non „ afficiatur; eorum tamen recordari de„ bere, ut ea deteſtetur, qua ratione ab „ eis recedit, & elongatur, quod a Da„ vide ſaluberrime actum legimus ſæpe „ clamante : *Dolor meus in conſpectu meo* „ *ſemper* . . . . *Cogitabo pro peccato* „ *meo* . . . *Peccatum meum contra me eſt* „ *ſemper.*

Reponit Lutherus : Quorſum pœnitentem ad priora deteſtatione regredi, Papiſtæ volunt ? Nonne ſtultum eſt, de præteritis dolere, quæ non poſſunt non eſſe, neque divina ipſa omnipotentia removeri ?

XII. At qui iſta regerit, non inſanit ſolum, ſed furit. Stulte ne locutus eſt Deus, quum videns quod multa malitia hominum eſſet in terra, ut Gen. 6. legimus, *pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit* &c. ? Stultum ne quidpiam præcepit, per Ezechielem, & Joelem jubens, impios pœnitentiam agere de cunctis iniquitatibus, *& corda ſcindere in fletu, & planctu* ? Stultitiæ ne Lutherus audebit arguere Davidem, Ezechiam, Manaſſem, & Petrum, quorum de admiſſis culpis dolorem, gemitus, atque lacrymas ſacræ litteræ non referunt ſolum, ſed & plurimum laudant ? Diſcat inſanus Apoſtata ex D. Thoma, quiſnam conatus irritus, ac ſtultus eſt : „ Dolere „ de eo, quod factum eſt cum intentione „ conandi, ut factum non fuerit, ſtul„ tum eſſet : hoc autem Pœnitens non „ intendit, ſed dolor ejus eſt diſplicentia, „ ſeu retractatio facti præteriti cum in„ tentione removendi ſequelam ejus, ſci„ licet offenſam Dei, & reatum pœnæ, „ quod ſane ſtultum non eſt. “

XIII. His adverſus Novatores firmiſſime conſtitutis, nonnullorum etiam Theologorum opinio refellitur, qui ad veræ Pœnitentiæ rationem veteris vitæ deteſtationem neceſſario requiri ſentiunt, non item novæ vitæ propoſitum ; Nonne etenim Deus, & *projicere nos jubet omnes*

prævaricationes noſtras, quod de præteritis dolendo præſtatur, & *facere nobis cor novum*, & *ſpiritum novum*, *ſcindere corda in fletu* & *in planctu*, dum priſtinas iniquitates in amaritudine animæ recogitamus, & *ad Dominum toto corde converti*, quibus verbis, ut recte Auguſtinus ratiocinatur, *non ſolum a peccatore petitur*, *ut gemat*, *ſed etiam ut convertatur*, *novamque vitam animo concipiat*, & *velit?* Nonne ea tantum conditione veniam impio pollicetur, ſi de omnibus peccatis ſuis Pœnitentiam egerit, & omnia mandata cuſtodierit, quod nonniſi ad animi propoſitum referri poteſt, quum homini Pœnitentiam agenti non omnia ſimul Dei præcepta cuſtodienda occurrant? Veritatem hanc invicte confirmant ea omnia teſtimonia, quæ ex prophanis, & Eccleſiaſticis Auctoribus jam protulimus, & naturalis ipſa ratio, qua docemur, ad penſandam injuriam irrogatam, & violatam amicitiam redintegrandam ſatis non eſſe, de illata injuria dolere, ſed & illud exigi, ut offenſor animum gerat ab inferendis deinceps injuriis abſtinendi, & Florentini ac Tridentini Conciliorum doctrina contritionem definientium animi dolorem atque deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.

XIV. Etſi autem poſt tam nitidam utriuſque Concilii definitionem Theologi quidam ſubtilia magis, quam utilia conſectantes in dubium vocent, an propoſitum hoc *explicitum*, atque, ut ajunt, *formale* neceſſario futurum ſit, an *implicitum* tantum & *virtuale*, tutiorem tamen ſententiam, quæ celebriorum Theologorum ſuffragio nititur, quæque in re momentoſa adeo & gravi nonniſi temere rejiceretur, amplectimur & pro expreſſo *formalique* propoſito ſtamus. Quorſum enim utrumque Concilium, ut Melchior Cano, & Sylvius ſolide ratiocinantur, definitioni contritionis verba illa addidiſſet *cum propoſito non peccandi de cætero*, ſi ad veram contritionis rationem propoſitum implicitum ſatis eſſe, ſenſiſſet? Quis ignorat, implicitum novæ vitæ inſtitutum in deteſtatione admiſſorum ſcelerum contineri, quum nullus de præteritis vere doleat, qui virtute ſaltem non ſtatuat deinceps a ſimilibus abſtinere? Ne ergo dicamus, laudata verba perperam & futiliter ab utroque Concilio fuiſſe adjecta, de expreſſo inſtituendæ novæ vitæ propoſito utriuſque declaratio intelligenda eſt.

XV. Quoniam vero Tridentinum de primo hoc, quem excutimus, pœnitentis actu agere pergens, duplicis contritionis, perfectæ nimirum, & imperfectæ mentionem injicit, operæ pretium eſt, ut de utraque pauca dicamus, priuſquam ad retellendum alterum Novatorum errorem ſermo noſter excurrat: atque ut ab utriuſque notione auſpicemur, perfecta contritio dolor eſt de patratis culpis ex charitatis motivo conceptus, quo Pœnitens culpas, ut Dei ſuper omnia dilecti offenſa ſunt, deteſtatur, eodemque motivo ductus eas deinceps cavere ſtatuit. *Perfectam hanc contritionem hominem non juſtificare*, *nec Deo reconciliare abſque Sacramenti hujus voto*, Tridentinum ibidem declarat ajens: *Docet præterea*, *etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat*, *hominemque Deo reconciliare*, *priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur*, *ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto*, *quod in illa includitur*, *non eſſe adſcribendam*. Doctrinæ hujus veritatem facillime quiſque percipit; quum enim Sacramentum hoc fuerit divinitus inſtitutum, ut homini poſt Baptiſmum lapſo paſſionis Chriſti virtus eo applicetur, ſtatueritque Deus, non alia via baptizatum actualium culparum reum ſibi reconciliare, quam hujus Sacramenti virtute, vel actu ſuſcepti, ſi copia adſit, vel voto, ſi deſit, manifeſtum eſt, hominis perfecte contriti juſtificationem non ſoli contritionis efficaciæ, ſed hujus quoque Sacramenti voto, quod implicat, tribuendam eſſe, ut verum ſit, nemini poſt Baptiſmum peccanti patere reditum ad veniam, & ſalutem abſque actuali hujus Sacramenti uſu, vel voto.

XVI. Etſi contritionem hanc charitate perfectam ad Pœnitentiæ Sacramentum neceſſario auferendam eſſe, veterum Scholaſticorum plerique docuerint, eorum tamen opinio ſequiori ævo deprehenſa tam clare eſt, cum hujus Sacramenti inſtitutione, atque neceſſitate, cum poteſtate clavium, cum abſolutionis formæ veritate, cum Patrum dictis, & D. Thomæ doctrina pugnare, ut ſacræ Theologicæ Facultatis Pariſienſis decreto proſcripta fuerit, ſitque nunc obſoleta, & Theologorum ſuffragio deſtituta; Quare Clariſſimus Morinus in recognitione operis ſui

de-

de Pœnitentia metuens, ne ſe huic ſententiæ favere quiſpiam ſuſpicaretur, his Lectorem ſuum cenſuit commonendum: „ Quamquam nihil fere ſit, quod conſtantius aſſeramus, quam contritionem perfectam abſolutioni præſtandæ neceſſario non requiri, attamen quia magna hujus operis pars confecta fuerat ante Sorbonicum decretum, quo ſententia, quæ contritionem perfectam ante abſolutionem neceſſario exigit, improbata fuit, fieri poteſt, ut alicubi rem non diſcutiens, ſed obiter & aliorum opinione nondum damnata referens, eam videar non improbare. Ea loca, ſi quæ occurrant, ex iis quæ nunc adnotamus, & ex pluribus aliis explicari & dijudicari deſideramus. Vix tamen crediderim, tale aliquid mihi excidiſſe, quod de contritione imperfecta intelligi facile non poſſit, eo quod ab ea ſententia, quæ perfectam neceſſario poſtulat, animo fuerim ſemper averſo. “ Hæc Gallus Auctor, qui fidem ſuam purgare, atque a ſe omnem erroris ſuſpicionem amoliri vix ſtudioſius potuiſſet, ſi de fidei capite ageretur, quod univerſalis Eccleſia ſolemni decreto ſanxiſſet. Cæterum etſi memorata Scholaſticorum opinio Sorbonæ cenſura fuerit improbata, atque communi Scholarum judicio falſa ſit, neque tamen hæretica eſt, nec erronea, quum nullam hactenus adverſus eam Catholica Eccleſia definitionem ediderit; Quare Dominicus Soto Caroli quinti Imperatoris, cui a ſacris Confeſſionibus fuerat, in Concilio Tridentino Theologus, quo in munere magnam ſuo nomini exiſtimationem apud omnes Concilii Patres peperiſſe illum, ſcribit Cardinalis Pallavicinus, hæc prudentiſſime tradidit: „ An contritio formata ſit neceſſaria, vel attritio ſufficiat ad ſubſtantiam Sacramenti, Theologorum Scholis relictum eſt explicandum; quod attriti per Sacramentum contriti fiant, non eſt articulus fidei, aut Eccleſiæ definitio: ſolum eſt Scholaſticorum collectio, quæ quamquam vera ſit, non eſt certe digna, cui bilances noſtræ perpetuæ ſalutis, aut damnationis committamus. “

XVII. Contritionis imperfectæ, quæ & attritio dici ſolet, non una apud Theologos notio occurrit, quum non uno ex capite hæc ejus imperfectio dimanet. Primum imperfectæ contritionis genus eſt dolor de culpis ex humano ac naturali motivo excitatus, ut quum aliquem peccati pœnitet, vel quia turpe eſt, & a recta ratione abhorrens, vel quia morbum, vel infamiam, vel alicujus temporariæ pœnæ reatum induxit. Contritionem hanc etſi priſci quidam Scholaſtici juſtificationi in Pœnitentiæ Sacramento obtinendæ ſufficere ſcripſerint, ineptam tamen omnino eſſe, quæ etiam Sacramento juncta effectum hunc operetur, nemini dubitare licet poſt Innocentii XI. cenſuram, qua propoſitionem iſtam confixit: *Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.* Alterum imperfectæ contritionis genus eſt, quum quis peculiari virtutis alicujus amore peccata eidem oppoſita deteſtatur abſque propoſito tamen cavendi cætera, quæ aliis virtutibus adverſantur. Tertia eaque imperfectiſſima contritio eſt, quæ non ex abſoluta ac deliberata peccatum dimittendi, ac compenſandi voluntate oritur, neque efficax ac ſincerum affert propoſitum amplius non peccandi. Duo hæc poſteriora contritionis genera ad juſtificationis gratiam in Sacramento obtinendam quidpiam non conferre, explorata res eſt, quum neutra peccandi voluntatem excludat, & plurimum ab interiori ea Pœnitentia diſtet, quam ab impio Deus exigit Ezechielis 18. & Joelis 2.

XVIII. Imperfecta contritio, quæ a Scholaſticis omnibus, imo & a Tridentino *attritio* proprie dicitur, ex pœnarum ſpiritualium, vel æternarum, quæ ſolo fidei lumine cognoſcuntur, metu procedit, quæ ſi peccandi voluntatem excludat, ſpemque veniæ annexam habeat, *donum Dei eſt*, quemadmodum Tridentina Synodus definivit, *& Spiritus Sancti nondum quidem inhabitantis, ſed tantum moventis impulſus, quo Pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, & licet abſque Pœnitentiæ Sacramento peccatorem nequeat ad juſtificationem ſola perducere, illum tamen ad impetrandam in Sacramento Dei gratiam diſponit.* Pro hac Tridentini doctrina, & attritionis hujus bonitate atque utilitate iterum nobis cum Novatoribus pugnandum eſt, quandoquidem Lutherus in libello adverſus execrabilem Antichriſti Bullam attritionem hanc ceu malam execratur & noxiam, ſcribitque, ea hominem hypocritam, imo magis peccatorem fieri. Quamvis autem Bellarminus l. 2.

Digitized by Google

de Pœnitentia c. 17. moneat, Lutheranos a Magiſtri ſui ſententia receſſiſſe, jamque docere communiter, timorem pœnæ eſſe utilem, atque inde Pœnitentiam inchoari, fallacibus tamen Lutheranorum verbis deceptus eſt Vir Clariſſimus; licet enim in Confeſſione Auguſtana, atque alibi paſſim Lutherani fateantur, evangelica prædicatione peccata redargui, ut perterrefacta corda ad fidem protinus confugiant, in ejus tamen Confeſſionis Apologia Melancton addit terrores ipſos ex Evangelii prædicatione conceptos peccata eſſe, priuſquam fide vincantur, & Bucerus in libro, quo controverſias componere ſtuduit, diſerte ſcribit, priuſquam adſit fides, & gratia, quæcumque præparationis opera, & contritionem ipſam peccata eſſe, quum filius iræ nihil poſſit niſi Dei ira dignum efficere, hancque præpoſteram perſuaſionem non Lutheranorum tantum, ſed & Novatorum omnium mentibus penitus inſidere, inde vel maxime conficitur, quod omnes articuli fundamentalis loco poſuerint, habeantque, ſola divinarum promiſſionum fide diſponi hominem ad juſtitiam obtinendam, eaque ſola Chriſti juſtitiam apprehendi, ante cujus imputationem quidquid in homine eſt, peccatum & ſordes eſt.

XIX. Dolendum ſummopere, tetrum errorem hunc labente proxime elapſo ſæculo a Paſchaſio Queſnello Oratorii Jeſu Presbytero Gallo fuiſſe recoctum, inter cujus plurimas propoſitiones a Clemente XI. celeberrima Conſtitutione illa, cujus initium *Unigenitus Dei filius*, an. 1713. proſcriptas hæ quoque cenſentur: *Si ſolus ſupplicii timor animat Pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem: Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur: Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam reus eſt coram Deo.* Jure profecto Summus Pontifex in laudata Conſtitutione pronuntiat, his, aliiſque Queſnelli propoſitionibus varias hæreſes jam ab Eccleſia damnatas innovari; nam, ut de cæteris ſileamus, quis non videt, tres mox recitatas ex impuris Lutheri aliorumque Novatorum lacunis effluere, eaſque iterato anathemate fuiſſe a Tridentino confixas, ſeſſ. nimirum 6. can. 8. his verbis concepto: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei dolendo confugimus, vel a peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*, & ſeſſ. 14. can. 5. eodem plane ſenſu, verbis licet paullo amplioribus adornato?

Attritio ex gehennæ pœnarumque metu præcedens utilis eſt, & ad juſtificationem diſponit.

I. Priuſquam hujus Catholicæ veritatis momenta promamus, præmittenda neceſſario eſt multiplex timoris diviſio, quæ dicendis lucem non modicum adferet. Miſſo naturali timore, quo homo mala quælibet ſibi noxia vel ab intrinſeco, puta ægritudinem, dolores, diſſolutionem, vel ab extraneo agente ſibi impendentia, ut vulnera, necem &c. naturali inſtinctu averſatur, & refugit, qui timor animi potius paſſio eſt, quam liber & rationalis ejuſdem motus, neque ſecundum ſe moraliter bonus, aut malus eſt, quatuor timoris ſpecies Theologi omnes cum D. Thoma diſtinguunt, quandoquidem „ de
„ timore nunc agimus, ait Angelicus,
„ prout aliquo modo ad Deum converti-
„ mur, vel a Deo timore avertimur:
„ Quando ergo homo ob mala, quæ ti-
„ met, a Deo recedit, timor *humanus*,
„ ſeu *mundanus* eſt, quem Chriſtus in
„ Evangelio prohibuit ajens: *Nolite ti-*
„ *mere eos, qui occidunt corpus*: Quan-
„ doque homo ob mala, quæ metuit, ad
„ Deum convertitur, eique inhæret;
„ Quia vero duplex eſt malum, cul-
„ pæ nimirum, & pœnæ, ſi aliquis
„ ob pœnæ metum ad Deum conver-
„ tatur, eique inhæreat, timor *ſervi-*
„ *lis* eſt, ita dictus, quod ſervorum ſit,
„ ob pœnæ metum Dominis obtempera-
„ re: ſi ob culpæ timorem, timor *filia-*
„ *lis* ſeu caſtus erit, nam filiorum, &
„ ſponſæ eſt, Patris & Sponſi offenſam
„ timere: ſi autem ob pœnæ ſimul &
„ culpæ timorem ad Deum quis conver-
„ tatur, *initialis* eſt timor, inter ſervi-
„ lem atque filialem medium locum te-
„ nens, atque a filiali ſeu caſto differens,
„ ſicut imperfecta charitas a perfecta. “
His ex D. Thoma præjactis,

II. Prob. 1. Catholica aſſertio diſertiſſimis ſacrarum litterarum teſtimoniis: Quamquam a Theologis ſoleant plura e divino eloquio laudari, quia tamen non

eſt-

eſt undequaque exploratum, an de pœnarum timore, ſive ſervili, an caſto, an initiali in iis, quæ adſerunt, teſtimoniis ſermo ſit, pauca tantum huc conſeremus, quibus extra litem eſt timorem ſervilem a Deo ceu bonum ac perutilem commendari: Eccleſiaſtici 2. de timentibus Dominum hæc leguntur: *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius... inquirent, quæ beneplacita ſunt ei.... præparabunt corda ſua..... patientiam habebunt uſque ad inſpectionem illius dicentes, ſi Pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*. Quis de timore ſervili, quo homo ad Pœnitentiam excitatur, ne in manus Dei incidat, verba hoc loco fieri, dubitare velit, aut poſſit? Hunc vero timorem ad Pœnitentiam adducentem audeat ne quiſpiam, qui Evangelium non aperte ejuraverit, malum, inutilem, imo noxium pronuntiare, cui tam ſalubres effectus Deus ipſe tribuit, & quo perculſos in fiduciam obtinendæ miſericordiæ erigit?

III. Sed luculentiora ſunt, & prorſus decretoria, quæ e novo Teſtamento depromimus: Lucæ 3. Joannes Baptiſta *Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* ſic prædicare cæpiſſe legitur: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ; jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*: Lucæ item 12. Chriſtus, quum timorem *humanum* ceu malum damnaſſet, hæc de gehennæ metu ſubjecit: *Oſtendam vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*: Paulus 2. ad Cor. 5. quum præmiſiſſet, *omnes nos ante Chriſti tribunal manifeſtandos, ut unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum referat*, e veſtigio intulit: *Scientes ergo timorem Dei hominibus ſuademus*: Apocal. denique 14. Angelus a Joanne magna voce clamans auditus eſt: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*, ex quibus teſtimoniis inviĉtiſſimum hoc argumentum exurgit. Si attritione ex gehennæ metu concepta efficitur homo hypocrita, magiſque reus, ſi terrores inferni, & contritio inde pullulans ante fidem promiſſionum, & gratiam mortifera peccata ſunt, ſi Pœnitentia ſolo ſupplicii timore animata ad deſperationem ducit, hominem ſub legis maledicto conſtituit, eique Deum non repræſentat niſi ut Dominum injuſtum, durum & intractabilem, (quæ ſunt Queſnelli verba) qui ergo terrores hos incutit, & peccatorem pœnarum metu ad Pœnitentiam commovet, & inducit, in nova illum crimina conjicit, ideoque & ipſe magno ſe crimine implicat, qui alteri eſt peccati ſuaſor & auctor: Quam grandis itaque culpæ rei habendi ſunt Præcurſor, Paulus, & Angelus ille Dei nuntius, quorum prior turbas Baptiſmi ſuſcipiendi gratia ad ſe confluentes, venturæ iræ terrore ad Pœnitentiam excitavit, alii timore Dei Judicis a peccatis homines abſtrahere conati ſunt? Imo nec culpa vacabit Chriſtus ipſe, (quod horret animus vel cogitare), qui ſolum Deum gehennæ inflictorem ſalubriter timere homines docuit, atque juſſit! Quis enim non intelligit, ſi extremi judicii, & gehennæ metus, & Pœnitentia inde concepta peccatum ſit, peccatum quoque eſſe, hos hominibus terrores incutere, hiſque mediis ad Pœnitentiam adducere?

IV. Prob. 2. Veterum auctoritate, quæ nequit a Novatoribus parvipendi, quum Calvinus ipſe in præfatione in Epiſt. ad Rom. ad Simonem Grynæum ſcribat, Veteres Patres Viros eſſe, quibus Dei timor, ſapientia, eximia vitæ probitas, antiquitas demum eam auctoritatem conciliarunt, ut nihil eorum, quæ docuerunt, deſpici a nobis innoxie poſſit; Quid autem apud antiquos Patres, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium M., alioſque frequentius, quam timorem hunc, de quo agimus, *ſalutis fundamentum* eſſe, *fidei coadjutorem*, *fluctuantis animæ clavum*, *mentis anchoram*, eum denique, quo *obſtetricante*, juxta Hieronymi phraſim, *non carnis liberos, ſed ſpiritus a facie fortitudinis Domini conceptos parimus, & emittimus*? Omnium locupletiſſime de timore hoc egit Auguſtinus, cui, eodem Calvino teſte l. 2. Inſtit. c. 3., plurimum auctoritatis merito defert piorum conſenſus, dignus idcirco, ut apud Novatores ſi pii haberi velint, in pretio ſit, multoque dignior, ut a Queſnellianis audiatur, qu pleroſque errores ſuos tanti Viri ſuffragio te-

Digitized by Google

temere quidem, ac inique, pertinaciſſime tamen propugnare non deſinunt. Tria tantummodo Auguſtini laudabimus, quæ firmandæ veritati huic ſatis ſuperque ſunt, cætera collaturi, quum Novatorum objecta ſolvemus. Primum *ex enarratione* in Pſal. 27. petimus: *Ille timor nondum caſtus pœnas timet: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi Sponſi, timet, ne mittatur in gehennam. Bonus eſt, & utilis iſte timor*. Alterum ex l. 1. *contra Adverſarium legis & Prophetarum* c. 16. *Sic ergo ſalubriter non ſolum bonitatem, ſed etiam ſeveritatem Dei ſancta Scriptura commendat; Quoniam & amatur utiliter Deus, & timetur*: Poſtremum ex l. *de cathechizandis rudibus* c. 5. *Severitate Dei corda mortalium timore ſaluberrimo quatiuntur*. Quis autem malit Luthero, Melanctoni, Bucero & Queſnello in timorem hunc debacchantibus, quam antiquis Patribus, Auguſtino præſertim, bonum illum, utilem ac ſaluberrimum prædicantibus fidem adjungere? Momentis denique e ratione ductis opportunius utemur ad diluenda ſophiſmata Novatorum.

V. Objiciunt illud Pauli 1. ad Cor. c. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans* &c. „ Ecce, ait
„ articulo ſexto Lutherus, quidquid extra
„ charitatem fit, ex toto corde non agi-
„ tur, deoque eſt hypocriſis, juxta illud
„ Math. 15. *Populus hic labiis me hono-*
„ *rat, cor autem eorum longe eſt a me*,
„ qua de cauſa Chriſtus Phariſæos ibidem
„ hypocritas appellavit: hypocriſis autem
„ peccatum eſt, quidquid ergo extra cha-
„ ritatem fit, eſt peccatum; quare quum
„ ex gehennæ metu de peccatis dolens,
„ charitate ſit vacuus, nec ex toto corde
„ doleat, novo ſcelere ſe obſtringit. “

Hoc eſt teterrimum principium illud, cui Lutherus hunc, quem refellimus, aliosque plures ſuperſtruxit errores, quodque a Baio, & Queſnello adoptatum in multas utrumque abſonas, erroneas, atque falſas propoſitiones iteratis Eccleſiæ fulminibus obtritas abduxit. Non eſt loci hujus conſulto oſtendere, quidquid extra charitatem fit, peccatum non eſſe, neque oportere, ut omnis hominum amor aut *ſit vitioſa cupiditas a Joanne prohibita*, ſicuti Bajus aſſeruit, aut *charitas per Spiritum S. in cordibus noſtris diffuſa*, neque neceſſe fore, ut *non regnante in peccatorum cordibus charitate, quidquid ab eis agitur, nonniſi hypocriſis, & falſa juſtitia ſit*, quemadmodum Queſnellus affirmat. Satis principium iſtud convellitur, & conflatum inde argumentum diſſolvitur prolato legitimo, atque vero Apoſtolicæ ſententiæ intellectu. Recte ait Apoſtolus, quiquid extra charitatem fit, nihil eſſe, ideſt nullius æſtimari ponderis atque pretii apud Deum, nec ullum æternæ vitæ meritum habere: at quæ Dialectica docuit, argutatores iſtos inferre, opera quælibet citra charitatem elicita peccata eſſe, quia vitæ æternæ merita non ſunt? Diſtorram adeo, abſurdamque conſecutionem Apoſtolus, quaſi prænoviſſet, eliſit, exemplum in iis rebus conſtituens, quas nemo ſanæ mentis dubitaverit, bonas eſſe, linguarum ſcilicet dono, propheria, myſteriorum omnium ſcientia, eaque firmiſſima fide, ut montes transferre poſſit, quæ res, quum inter gratias gratis datas, nec non inter operationes Spiritus Dei dividentis ſingulis prout vult, ab eodem Apoſtolo cencenatur, nonniſi ab extreme impio, vel ſtulto peccata reputari dicique poſſunt, etſi fuerint a charitate disjunctæ; conſequens enim foret, Deum muneris & gratiæ loco hominibus peccata impartiri, atque in iis nova peccata operatum eſſe, quos Mathæus Chriſtum Judicem, a quo damnandi ſunt, ita alloquentes inducit: *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus?* Aliqua ergo agnoſcenda ſunt opera, quæ a charitate ſejuncta, licet nullum æternæ felicitatis meritum adferant, nullum quoque æterni ſupplicii reatum inducunt, inter quæ merito computatur ſervilis timor ille, ex quo attritio oritur, quum & ipſum Dei donum eſſe, & Spiritus S. impulſum Tridentina Synodus pronuntiarir, demonſtretque D. Thomas teſtimonio Apoſtoli ad Romanos 8. ſcribentis: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum, & gloſſa* Auguſtini ita textum hunc explicantis: *Unus Spiritus eſt, qui facit duos timores, ſervilem ſcilicet, & caſtum*.

VI. Hic autem animadvertatis velim, timorem hunc, de quo agimus, Dei quidem donum eſſe, & Spiritus S. impulſum, inter ſeptem tamen ejuſdem Sancti Spiritus dona numerandum non eſſe; ea enim, ut ſolide demonſtrat Angelicus,

habi-

habitus quidam ſunt, quibus homo perficitur, ut Spiritui S. prompte obediat, ejuſque ſequatur inſtinctum, omnia ſimul cum charitate infunduntur, atque ita in charitate nectuntur, ut qui unum habet, alia ſimul habere, neceſſe ſit, nequeuntque abſque charitate ſubſiſtere: Servilem autem hunc metum non habituale Dei donum eſſe, neque cum charitate connecti, Tridentinum apertiſſime declaravit, docens, eum ex impulſu Spiritus Sancti procedere, qui animam nondum quidem inhabitat, ſed tantum movet; qua enim alia ratione Spiritum Sanctum in nobis habitare Scriptura tradit, quam ſanctificante gratia, & charitate in cordibus noſtris diffuſa? Hæc ſi P. Berti paullo attentius perpendiſſet, in D. Bonaventuræ ſervilem timorem inter ſeptem Spiritus S. dona cenſentis placitum oppido non conceſſiſſet, D. Thomæ id diſerte negantis rejecta ſententia, quæ & Tridentini eſt, & omnium ferme Theologorum.

VII. Rurſus, quæ amabo, hæc conſecutio eſt, qui propter pœnas de culpa dolet, ex amore, ideoque toto corde non agit, hypocrita, itaque eſt, magiſque peccat? Si veram hypocriſis notionem a Patribus traditam, atque e Scripturis excerptam attendimus, manifeſta erit, ut Apoſtoli verbis utamur, *mendacium hominum inſipientia*, *qui volentes legis Doctores eſſe, converſi ſunt in vaniloquium*, *non intelligentes*, *quæ loquuntur*, *neque de quibus affirmant*; *Hypocrita* namque, ait l. x. Etymologiarum S. Iſidorus a D. Thoma laudatus, *græco ſermone*, *latine ſimulator interpretatur*, *qui*, *cum intus malus ſit*, *bonum ſe palam oſtendit*. Eandem hypocriſis ideam nobis ingerit Auguſtinus in l. de Sermone Domini in monte ajens: *Sicut hypocritæ ſimulatores aliarum perſonarum agunt partes illius*, *quod non ſunt*, *non enim*, *qui agit partes Agamemnonis*, *vere ipſe eſt*, *ſed ſimulat eum*, *ſic in eccleſiis*, *& in omni vita humana*, *qui ſe vult videri*, *quod non eſt*, *hypocrita eſt*; *ſimulat enim ſe juſtum*, *non exhibet*. Quid ergo, ſi crimina ex ſolo gehennæ metu deteſtatus, nondum ex toto corde agit, ſeu peccatum nondum ſupra omne id, quod odibile eſt, deteſtatur? Ergo ne ſimulat, aliudque affectu retinet, quam gerat effectu? Imperfecte quidem dolet, ſed tamen vere timet, & dolet, & a peccato timore abſtrahitur, ideoque non ſimulat, quum nihil opere ſignificet contrarium ei, quod in animo habet, in quo ſimulationis, & hypocriſis vitium D. Thomas e Scripturis & Patribus proprie ſitum eſſe demonſtrat.

Inſtant: quis poſſit a turpi hypocriſis labe attritum ex gehennæ metu purgare, quem Auguſtinus ſæpe hujus peccati aperte damnat? Epiſt. enim 144. ait: *Inaniter putat*, *ſe victorem eſſe peccati*, *qui pœnæ timore non peccat*, *quia etſi non impletur foris negotium malæ cupiditatis*, *ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis* . . . *inimicus ergo juſtitiæ eſt*, *qui pœnæ timore non peccat* &c. item enarratione in pſal. 77. de hujuſmodi Pœnitentibus hæc pronuntiat: *Quaſi videntur in lege Dei ambulare*, *ſed nolunt*, *non enim ex corde faciunt*, *ex corde autem nullo modo fieri poteſt*, *quod formidine pœnæ fit*, *non dilectione juſtitiæ* &c. Gemina habet innumeris aliis in locis.

VIII. Hæc Auguſtini teſtimonia ſunt, in quibus non Lutherani ſolum, ſed & Queſnelliani, hujus, quem refellimus, erroris arcem conſtituunt; quare refractarii, & contumaces Conſtitutionis *Unigenitus* criminatores clamare non deſinunt, per Queſnelli latus Auguſtinum fuiſſe ab Apoſtolica Sede petitum, perperam tamen, imo iniquiſſime, quum nemo errorem hunc nervoſius retuderit Auguſtino; Quoties enim gehennæ metum, quo peccator concutitur, atque ad reſipiſcendum adducitur, *bonum*, *utilem*, atque *ſaluberrimum* vocat? Nonne timori huic tribuit, ut *malam cupiditatem ſaltem intra cogitationis clauſtra coerceat*, ut etiam *volentem animo interiore peccare non ſinat*, *ut malorum operum conſuetudinem e corde pellat*, *ut adverſus tentationes animum corroboret*, *ne impius ad priora peccata redeat*, ut poſtremo *viam charitati paret non intraturæ, niſi timor ipſe præiſſet*? Quid ergo ſibi vult, dum *inimicum juſtitiæ* pronuntiat, qui timore gehennæ non peccat, nec alienum a voluntate peccandi, ac per hoc in ipſa voluntate intus reum eſſe, qui timore ſupplicii ab opere peccati abſtinet? Ne Auguſtinum ſecum pugnare dicamus, fatendum eſt, loqui illum de pœnarum metu, qui a Scholaſticis *ſerviliter ſervilis* dicitur, ſeu de peccatore, qui eo metu perculſus ita ab opere peccati retrahitur, ut tamen interiori affectu legem oderit, quæ peccatum vetat, & ſupplicium comminatur, at-

atque ita ſit animo comparatus, ut peccare pergeret, ſi poſſet impune, quod ex Auguſtini teſtimoniis ab adverſariis recitatis aperte colligitur. Hunc porro timorem nemo noſtrum non damnat, quod pravam adeo affectionem, & peccandi cupiditatem adnexam habeat, ſed hoc non timoris, ſed timentis eſt vitium, neque adverſariorum ullus evincere poterit, perverſum hunc peccandi affectum ad ipſam timoris ſubſtantiam pertinere, atque ita in ea claudi, ut quicumque de culpis ob pœnæ timorem dolet, animo peccare velit, ſi peccare abſque ultione poſſit.

IX. Malam hanc cupiditatem juſtitiæ inimicam ſervilis timoris ſubſtantiæ extraneam eſſe, invicte demonſtrat Angelicus 2. 2. q. 19. art. 4. luculenter oſtendens, *ſervilitatem*, ſeu damnabilem hanc affectionem impii corde parati ad peccandum, niſi ſupplicii metu cohiberetur, timori ſervili eſſentialem non eſſe, quia moralium habituum, atque actuum ſpecies ab objecto repetitur, cui accidit, ut ab operante ad ulteriorem finem extrinſecum referatur. Quodnam autem ſervilis timoris objectum eſt? Pœna ſpiritualis atque æterna ſupernaturali lumine cognita. Quid autem vitioſi implicat objectum hoc, quod cum ratione pugnet, vel Dei lege? Pœna etenim ex ſe ipſa fuga atque odio digna eſt, quippe quæ bono adverſatur, quod recto deſiderio appeti ab homine poteſt & debet, hæc quoque pœnæ hominis bono contrariæ fuga, ultimo fini ſubordinata eſt, poteſtque ad illum voluntatis intentione referri, ſicut & bonum ipſum, quod pœna violatur. Timori itaque accidit, pergit Angelicus, ut bonum, cui opponitur pœna, ametur ut finis ultimus, atque pœna huic bono contraria veluti malum principale, ſeu omnium maximum timeatur, ideſt ut timens in ſui amore finem ultimum collocans, peccatum voluntate retineat, illud iterum patraturus, niſi pœnarum metu coerceretur, qua præmiſſa doctrina D. Thomas Auguſtini atque Gregorii Magni teſtimonia, quæ poſitioni huic videntur adverſa, facile, ac perſpicue interpretatur.

X. Sed præſtat Auguſtinum ipſum audire non uno loco docentem, *ſervilitatem* hanc malam poſſe ab hujus timoris ſubſtantia ſejungi, ut vel ipſo Auguſtino ſui ipſius Interprete Novatores diſcant, eam non timoris, ſed male timentis vitium eſſe. In l. de *catechizandis rudibus* varia Chriſtianam religionem amplectentium hominum genera diſtinguens, primo loco recenſet eos, qui *mundano* timore adducuntur ad fidem, quos reprobos vocat, niſi melioris finis gratia Chriſtiani eſſe incipiant, ſecundo loco eos collocat, qui dant Chriſto nomen temporalis ab eo obtinendæ felicitatis ſpe, quos *in fide infirmos* appellat, ſermonem denique de iis inſtituens qui ad vitandam gehennam Chriſtiani ſunt, hæc ſubjicit: *Qui autem vult fieri Chriſtianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo, ſed in regnum æternum intret cum Chriſto, vere ipſe Chriſtianus eſt, cautus in omni tentatione, ne proſperis corrumpatur, & in abundantia terrenorum modeſtus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens.* Hunc ne vere Chriſtianum iis virtutibus præditum Auguſtinus pronuntiaret, ſi in omni gehennam timente, eoque metu vel a malo abſtinente, vel præcepta ſervante vere ſentiret, vivere peccandi voluntatem, *quæ tunc apparet in opere, quando ſperatur impunitas*? Si quiſquis a malo ob metum abſtinet, jam illud in corde ſuo committit, quemadmodum Auguſtino Novatores affingunt, quid ergo tract. 9. in Joannem Auguſtinus ſcribit: *Timor ſic vulnerat, quemadmodum medici ferramentum, & putredinem tollit*, & paullo infra: *ex eo quod timendo mala caves, corrigit te, & incipit bona deſiderare*, & ſerm. 156. *Ne poſſideat Diabolus cor tuum, præcedat timor in corde tuo*, & infra: *quum enim per timorem continent ſe homines a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ*? Haccine ſcriberet, ſi nullum gehennæ timorem agnoſceret, quem vitioſa cupiditas non inquinaret, novi peccati reatum inducens?

Urgent: Idem Auguſtinus concione 2. in Pſal. 118. hæc habet: *Qui timore pœnæ opus legis facit, profecto invitus facit; quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus, nec mundatur opere, qui immundus eſt voluntate.*

XI. Ex hoc Auguſtini teſtimonio perperam intellecto anſam Lutherus arripuit ſcripturiendi, attritionem ex gehennæ metu conceptam, coactam, atque extortam eſſe, non liberam ac voluntariam, eamque fingendi animo veluti paſſionem quamdam ex Evangelii comminationibus excitatam, qua conſcientia etſi reluctans, at-

que

que invita quatitur, ac turbatur, quem errorem ibidem Synodus Tridentina proſcripſit. Quantum a vero Auguſtini intellectu Lutherus abſuerit, unum ſat eſt adire Auguſtinum, ut quiſquis intelligat; ſermone etenim 18. de verbis Apoſtoli, quum Chriſti Domini homines ad Dei gehennæ inflictoris timorem hortantis verba expendiſſet, hæc adiicit: *Quum Dominus timorem incuſſerit, dicturus ego ſum, male times? Iſta non dicam: plane time, nihil melius times, nihil eſt, quod magis timere debeas*, & tract. 41. in Jo. *Si nondum potes amare juſtitiam, time vel pœnam, ut pervenias ad amandam juſtitiam*, & alibi: *fac, fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ*. Putas, Auguſtinum fuiſſe tam ſtupidum, ut ſuadere timorem hominibus vellet, quem extortum, coactumque, neque in hominis arbitrio poſitum eſſe ſentiret? Quid magis Auguſtino ratum & fixum, quam fruſtra adhiberi hortationes & ferri præcepta de iis, quæ homini integrum plene non eſt, agere vel omittere? De eo itaque Auguſtinus loquitur, qui ſolo timore *ſerviliter ſervili* actus, etſi foris negotium malæ cupiditatis non impleat, *corde tamen vult fieri, quod vetatur, ſi ſubtrahas, quod timetur, malens, ſi fieri poſſet, non eſſe, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte deſiderat*: Hunc autem pronuntiat, exteriora legis opera invitum facere, non quod coactus legem impleat, & mala caveat, ſed quia dominante cordi prava cupiditate impeditur, ne libenter, & delectabiliter faciat, ſeu, ut ſe ipſum Auguſtinus exponit, *non ſpiritualiter delectatur legis bono, ſed carnaliter malum metuit, quod minatur*.

Inſiſtunt: quidquid charitati adverſatur, malum procul dubio eſt, & damnabile; quis autem dubitare poſſit, ſervilem timorem hunc cum charitate pugnare? Joannes Apoſtolus epiſt. 1. c. 4. id adſtruit diſertiſſime ajens: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem &c.*

XII. Sed pinguiſſima eſt Adverſariorum hallucinatio ſervilem hunc timorem damnantium ut malum, ac noxium, quod, teſte Apoſtolo, a charitate pellatur. *Timor non eſt in charitate*, ait Auguſtinus tract. 2. in laudatam Joannis epiſtolam, *ſed in qua charitate? non in inchoata: in qua ergo? ſed perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem. Ergo incipiat timor, quia initium ſapientiæ timor Domini. Timor quaſi locum præparat charitati, quum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei præparavit locum . . . ſicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur: ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem*. Auguſtino itaque judice non quæcumque charitas, ſed perfecta timorem pellit, non ut ſibi contrarium, ſed tantummodo ut imperfectum, ideoque eum non abiicit tamquam malum, ſed quia nondum eſt, ut ibidem ait Auguſtinus, *filialis, & caſtus*. Quis ergo poſt tam nitidam Auguſtini interpretationem audeat timorem hunc, non & inutilem ſolum, ſed ut exitialem, & charitati contrarium reprobare?

XIII. Magiſtri ſui veſtigia fideliter premens D. Thomas hæc de ſervili timore ſcribit quæſtionis jam memoratæ articulo ſexto: „ Timor ſervilis ex ſui amore cauſatur, quare de eo, ſicut de ſui amore philoſophandum eſt. Amor ſui quandoque charitati adverſatur, nempe quum homo ita proprium bonum amat, ut in eo finem ultimum, contempto Deo, conſtituat: Quandoque a charitate quidem diſtinguitur, ei tamen contrarius non eſt, ſic ut quum ita ſe ipſum diligit, ut tamen ſe Deo non præferat, neque in proprio bono ultimum finem ſtatuat. Sic & timor quandoque charitati contrarius eſt, quum ſcilicet homo pœnam naturali ſuo bono adverſantem refugit ut principale malum oppoſitum bono, quod ultimi finis loco habet, & diligit: Quandoque vero pœnarum timor ſubſtantia quidem a timore caſto diſtinguitur, quia pœnas refugit, non quia a Deo ſeparant, quod caſti timoris eſt, ſed quia proprio bono nocent; cæterum quum timens neque bonum ſuum, ut finem ultimum diligat, neque pœnas, ut malum principale formidet, ideo timor hic cum charitate non pugnat, ſed cum ea optime ſociari poteſt: " Hæc, quæ ex Angelico recitavimus, ſuperius dicta confirmant, ſolum videlicet timorem ſimiliter ſervilem, iniquum, noxium, & charitati contrarium eſſe, non autem eum, de quo agimus, qui charitati locum pararet non intraturæ, niſi timor iſte præcederet: primum, quemadmodum ar. 4. ejuſdem quæſt. docet Angelicus, charitas adveniens omni-

omnino pellit, & tollit, alter tamen ſecundum ſubſtantiam ſuam cum charitate manere poteſt, ea tamen creſcente minuitur.

XIV. Hac D. Thomæ doctrina altera eliditur Novatorum argutatio, dolorem de culpis ex gehennæ metu conceptum vitioſum eſſe, quippe qui debito ordine caret. Nonne ajunt acuti homines, multo majus malum eſt culpa gehenna ipſa? Quis ergo poſſi tattritionem gehennæ timore excitatam ceu bonam atque utilem commendare, niſi rationi ipſi nuntium remiſerit? Recta ſiquidem ratio docet, æquum eſſe, ut homo de majori malo plus doleat, quam de minori; qui autem ob gehennæ, cujus reatum peccando contraxit, metum crimina deteſtatur, nonne plus ardere metuit, quam peccare, quemadmodum Auguſtino ſcite animadverſum eſt? Peccat itaque, ordinem rectæ rationis invertens. At nihil nobis negotii exhibet hæc objectio, quippe quæ abludit a ſcopo. Damus, rectæ rationis ordinem ab eo inverti, qui juxta Auguſtini phraſim plus ardere metuit, quam peccare: Verum quis perver ſus ille eſt, niſi qui timore ſerviliter ſervili concuſſus pœnam ut malum principale formidat, quia privato ſuo bono ceu fini ultimo adhæret, & qui adhuc peccare vellet, ſi poſſet impune, ſeu ita animo affectus eſt, ut nollet a culpa ceſſare, niſi ſupplicii timor inſtaret? Hunc perverſitatis, & culpæ jam ſæpe damnavimus, iterumque damnamus, atque utroque pollice Gregorio Magno ſubſcribimus pronuntianti: *Luce clarius conſtat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos deſiderio peccatur*. Pravam hanc tamen animi affectionem non timoris vitium eſſe, ſed timentis, neque timori huic, cujus vindicias cum Tridentino perſequimur, innatam eſſe ac intraneam, ſed unius timentis culpa forinſecus ſuperaddi, perſpicue adeo luculentiſſimis Sanctorum Auguſtini, & Thomæ teſtimoniis confectum eſt, ut otio abuteremur, ſi idem rurſus conaremur evincere.

XV. Ea ergo contritio, quæ a Tridentino deſcribitur, diſcuſſione, collectione, & peccatorum deteſtatione parata, qua in amaritudine animæ annos ſuos homo recogitat, culparum ſuarum multitudinem ac fœditatem, æternæ vitæ jactaram, & gehennæ reatum expendens, quid habet rectæ rationi diſſonum, vel quo nomine violati rationis ordinis damnari poteſt? Annon æquum eſt, & rationi apprime conforme, dolere de malo, quod qui patravit, vel experitur ſibi noxium, vel formidat? Natura ipſa duce non peccat, qui admiſſum a ſe facinus deteſtatur, quod ſibi vel infamiam, vel ſuſpendii reatum induxit, eritque rationi injurius, novique peccati reus, qui crimina deteſtatur, qui fidei lumine adjutus certo novit, ſibi æternæ beatitatis diſpendium, & damnationis perpetuæ meritum adtuliſſe? Rationem, atque communem hominum ſenſum neceſſe eſt, ut exuerit, qui paradoxum adeo immane deglutiat. Contritionem hanc quidem imperfectam eſſe cum Tridentino ſentimus, quia nondum peccata averſatur, & refugit ex motivo omnium præcellentiſſimo, quatenus videlicet Dei offenſa ſunt ſuper omnia diligendi, inordinatam tamen, perverſam ac vitioſam eſſe, conſtantiſſime pernegamus, quia ex motivo fluit, quod licet neque ſummum, neque perfectum ſit, rectæ tamen rationi conſonat, ſacrarumque litterarum teſtimoniis commendatur. Res fiet exemplo illuſtrior: Qui Deo inſervit, ejuſque mandata implet concupiſcentiæ amore ductus, & æternæ mercedis intuitu, imperfecte quidem omnium conſenſu agit; quis tamen culpare illum audeat, atque damnare, niſi & Pſalti Regio hoc idem inferat crimen de ſe ſcribenti: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*, quin & Deum ipſum accuſet, qui ſæpe in ſacris veteris novique fœderis paginis homines ſempiterni præmii promiſſionibus atque ſpe ad ineundam conſtanterque premendam mendatorum ſuorum viam allicit, atque excitat?

XVI. His adverſus Novatores firmiter conſtitutis, acerrima inter Theologos controverſia jamdudum fervet, magnoque animorum æſtu etiamnum agitatur in Scholis, an attritio hæc, quam Dei donum eſſe & Spiritus S. impulſum, quo homo adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat, contra Novatores oſtendimus, etſi omni Dei amore ſit vacua, ad obtinendam in Pœnitentiæ Sacramento reconciliationis gratiam *proxime*, & *immediate* diſponat, & eidem Sacramento juncta juſtificando peccatori ſola ſufficiat, an vero neceſſe ſit, eam præter pœnarum metum, ex quo oritur, ſupernaturali aliqua Dei dilectione animari, ut effectum hunc una cum Sacramento operetur,

Digitized by Google

retur. Tres circumferuntur noſtra ætate ſententiæ, quæ Scholas obtinent, atque dividunt: Prima, quæ ſaltim Scriptorum numero, atque fama cœteris præſtare hactenus viſa eſt, quæque Melchiori Cano Auctori tribuitur, ſolam attritionem ſervilem a quovis benevoli amoris actu ſejunctam obtinendæ in Pœnitentiæ Sacramento juſtificationi ſatis eſſe, contendit: altera, pro qua Galli præſertim, Belgæque Scriptores, Italique nonnulli velut pro aris ſociſque pugnant, etſi præmittendam neget Pœnitentiæ Sacramento contritionem charitate perfectam, actualem tamen aliquam Dei ſuper omnia dilectionem, imperfectam eam quidem, tenuem ac remiſſam, quam *inchoatam & initialem* hujus ſententiæ Patronis vocare placet, exigit a Pœnitente, ut in Sacramento hoc gratiam reconciliationis obtineat: Tertia demum, quæ D. Tournellio, aliiſque bene multis arridet, ab utraque mox recitata ſententia diſſidet, ſervilis attritionis ſufficientiam improbat, & inchoatæ ſeu initialis charitatis neceſſitatem explodit. Quid igitur novi adfert, quo ab utraque ſecernitur? Præter dolorem de culpis gehennæ metu excitatum neceſſitatem adſtruit actualis amoris Dei non benevoli quidem, ut ut languidi, tenuis ac imperfecti, ſed concupiſcentiæ atque ſpei, quo pœnitens Deum diligat ut ſibi beneficum atque bonum, ſeu ut æternæ beatitudinis finem, ac cœleſtis præmii largitorem.

XVII. Ne, quæ mihi ſententia probetur, penituſque animo inſideat, palam aperteque proferam, momenta faciunt graviſſima, quibus cordatum hominem, & a ſtudio partium alienum permoveri, fas eſt. Celeberrimæ hujus Academiæ paci, quam ſibi maximopere cordi eſſe Invictiſſimus, ac Clementiſſimus Rex noſter mihi non ſemel ſignificavit, necnon inſtitutioni veſtræ optime conſultum erit, ſi intra eos limites me contineam, quos in ſuo opere de Synodo Diœceſana typis Romanis nuperrime edito Epiſcopis fixit Sapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV., cujus verba plurimum momenti ad inſtitutum noſtrum habentia non piget exſcribere: „ Quum itaque, ait l. 7. c. 13., in quæſtione verſemur ab Eccleſia hactenus non „ definita, jure ac merito Alexander VII. „ die 5. Maji an. 1667. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſervatæ præcepit cunctis & ſingulis fidelibus cujuſcumque dignitatis ac „ gradus, ut, ſi deinceps de materia attritionis ſcribent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes, aut Scholares, cœteroſque erudient, non audeant alicujus theologicæ „ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ „ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec a S. Sede fuerit hac „ in re aliquid definitum. Caveant proinde Epiſcopi, ne in ſuis Synodis, aut in „ inſtructione Sacerdotum, quam Synodis „ quandoque attexunt, aliquid decernant, „ aut de attritionis mere ſervilis ſufficientia, aut de amoris ſaltem initialis neceſſitate; adhuc quippe ſub Judice lis eſt, „ adhuc impune pro una, & altera ſententia dimicatur.

XVIII. Poſtquam id recentiſſimis exemplis Pontifex confirmavit, ita demum memoratum caput abſolvit: „ Sed non ideo „ prohibentur Epiſcopi, Confeſſarios monere, ut Pœnitentes ad veram & perfectam contritionem hortentur, & excitent; id ſiquidem faciendum ſuadent „ etiam præcipui Auctores, qui pro ſufficientia doloris ex ſolo gehennæ metu „ ſteterunt, &, quod magis eſt, ita fieri „ jubet Rituale Romanum juſſu Pauli V. „ editum, Confeſſariis injungens, ut audita Pœnitentis Confeſſione, ejuſque „ peccatis diligenter expenſis, opportunas „ correptiones ac monitiones, prout opus „ eſſe viderint, paterna charitate adhibeant, & ad dolorem, & contritionem „ efficacibus verbis conentur adducere, cui „ conſonat Rituale Argentinenſe editum „ a Cardinali de Rohan &c. “ Ex his tam graviter, & prudenter a Sapientiſſimo Pontifice traditis quilibet veri amator intelligit, ſingulis recitatis opinionibus ſuam adhuc conſtare probabilitatem, & poſſe ſingulas innoxi propugnari; quum vero plurimum inter theoriam & praxim interſit, præſertim quoties de Sacramentorum valore, æternaque animarum ſalute agitur, inde etiam habet, quam practice præeligere, & in ſpirituale ſui aliorumque bonum adhibere, conſultius ſit, & ſecurius.

ARTICULUS V.

De ſecundo Pœnitentis actu, Sacramentali videlicet Confeſſione.

I. Etſi triplex a D. Thoma 2. 2. q. 4. ar. 1. confeſſio cenſeatur, *fidei* videlicet, *laudis*, & *peccatorum*, quæ tria confeſſionis genera in ſacris utriuſque inſtrumenti paginis ſæpiſſime commendantur, ſolam tamen peccatorum confeſſionem Sacramenti hujus partem eſſe, extra controverſiam eſt, quum hæc ſola Pœnitentiæ actus ſit, prima vero ſit fidei, altera religionis, atque latriæ, quæ religionis eſt ſpecies, ut ibidem, alibique ait Angelicus. De hac ergo culparum accuſatione, quæ inter pœnitentis actus a Florentino & Tridentino Conciliis ſecundo loco numeratur, acturi, nitidam ejus atque germanam definitionem promimus, quæ inter Theologos communiter fertur, variis iis prætermiſſis, quas ex Auguſtino, Gregorio M., & priſcis Scholæ Magiſtris in ſuppl. ter. p. q. 7. ar. 1. adfert idem Angelicus, quarum aliæ redundantes ſunt, aliæ diminutæ. Sacramentalis ergo confeſſio, quæ *Exomologeſis* græce dicitur, a Tridentini Concilii Cathechiſmo definitur *peccatorum ſecreta accuſatio coram legitimo Pœnitentiæ miniſtro ad obtinendam virtute clavium culparum veniam.*

II. Priuſquam catholicam de ſecundo hoc pœnitentis actu doctrinam exponamus, operæ pretium eſt, ut chronologico ordine digeramus Hæreticos, qui impetum in hoc dogma fecerunt. Quum Novatianos ſæculo tertio Pœnitentiæ Sacramentum ab Eccleſia ſuſtuliſſe, luculentiſſimo D. Ambroſii teſtimonio adverſus recentiores pleroſque jam evicerimus, liquido conſtat a tertio ſæculo petendum eſſe erroris initium, quo divina ſacramentalis confeſſionis inſtitutio, atque neceſſitas oppugnatur. Errorem hunc vergente ad exitum quarto ſæculo adoptarunt Maſſaliani, aliter Euchitæ, ſive orantes, qui ſacramentalis confeſſionis uſum ceu ſuperfluum atque inutilem poſthabebant, rejiciebantque. Jacuit error hic ad octavi ſæculi exitum, quo obſcuri quidam tenebriones a Concilio ſecundo Cabilonenſi, & ab Alcuino Flacco notati illum exſuſcitare conati ſunt, effutientes, peccata ſoli Deo aperienda eſſe. Etſi P. Berti fidenter enuntiet, ſubſcribendum omnino eſſe Illuſtriſſimo Meldenſium Epiſcopo, ſcribenti, a Waldenſibus duodecimi ſæculi Hæreticis nec Pœnitentiæ Sacramentum, nec confeſſionem fuiſſe ſublatam, vetamur tamen, tam prompte ſubſcribere ob teſtimonium Claudii Seyſelli Taurinenſis Epiſcopi, qui in libro *de Waldenſium erroribus* pag. 8. & 13. ait: *Dimittendorum peccatorum nullam Sacerdotes noſtros poteſtatem habere, aperte proteſtantur, ac proinde neque illis confitendum eſſe affirmant.* Fateor, eos, ipſo Seyſello teſte, præpoſtere intellecto D. Jacobi teſtimonio abutentes, *confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini*, laicis omnibus, modo ii probi eſſent, ut ſacerdotalem dignitatem, ita & confeſſiones audiendi, & a peccatis ſolvendi poteſtatem promiſcue conceſſiſſe: at hoc conſtituto, plane non intelligo, quomodo adfirmare quis poſſit, a Waldenſibus Pœnitentiæ Sacramentum, & ſacramentalem confeſſionem fuiſſe retentam. Ut ut tamen res ſe habeat, extra litem eſt, Albigenſes, quos *peſſimam Waldenſium progeniem* Natalis Alexander appellat, ad ejuſdem duodecimi ſæculi finem ſacramentalem confeſſionem ceu vanitatis atque ſuperſtitionis plenum ritum omnino exterminaſſe. Sæculo quartodecimo impiiſſimus Joannes Wiclephus de Sacramentali confeſſione hæc impudentiſſime ſcripſit: *Si homo fuerit debite contritus, quævis exterior confeſſio ſuperflua illi eſt, & inutilis.* Sequenti ſæculo Wiclephi errorem recoxit Petrus Oxomenſis primarius Theologiæ in Salmantina Academia Profeſſor, & peſtilentiſſimis hiſce propoſitionibus catholicam doctrinam commaculavit: *Peccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius ſæculi delentur per ſolam cordis contritionem ſine ordine ad claves: Confeſſio de peccatis in ſpecie fuit ex aliquo ſtatuto univerſalis Eccleſiæ, non de jure divino: Pravæ cogitationes confiteri non debent, ſed ſola diſplicentia delentur ſine ordine ad claves: Confeſſio debet eſſe ſecreta, ideſt de peccatis ſecretis, non de manifeſtis: Sacramentum Pœnitentiæ quantum ad collationem gratiæ ſacramentum naturæ eſt, non alicujus inſtitutionis veteris vel novi Teſtamenti.* Has aliaſque Petri adſertiones Alphonſus Cariſus Toletanus Antiſtes indicta Synodo Diœceſana Compluti proſcripſit, & Petri librum flammis adjudicavit; cujus judicium Sixtus IV. Conſtitutione Apoſtolica

ſtolica ratum habuit, confirmavitque, eoque zelo in vulgatos a Petro errores Salmanticna Academia acta eſt, ut, licet ille reſipuiſſet, erroreſque jam ejuraſſet, omnia tamen librorum ejus exemplaria, una cum exedra, e qua docere conſueverat, in perpetuum execrationis anathema, in majori ſchola flammis abſumi juſſerit.

III. Paullo poſt ſextidecimi ſæculi initium ejuſdem erroris reus agitur a Melchiore Cano Deſiderius Eraſmus, qui in l. *de ratione veræ Theologiæ* finem verſus, & in Colloquio, cui titulus *Pietas puerilis*, confeſſionem *novitiam* eſſe, & nonniſi *Eccleſiaſticam inſtitutionem* referre contendit, cui in annotationibus in Tertulliani librum de Pœnitentia dextras junxiſſe fertur Beatus Rhenanus in aſſerenda confeſſione, ait Melchior Cano, *parum profecto beatus*, *ac pius*. Lutheri, & Calvini gregales, etſi confeſſionem adprobent retineantque, nemo tamen unus eſt inter eos, qui non perverſe, & pertinaciſſime ſentiat, confeſſionem neque a Chriſto inſtitutam, neque divino jure neceſſariam eſſe, cujus uſus etſi vetuſtiſſimus, liber tamen ſemper fuit, atque ab omni divini præcepti neceſſitate ſolutus, donec tertiodecimo ſæculo, quo fæda barbaries univerſum terrarum orbem oppreſſerat, Innocentius III. in Lateranenſi IV. Concilio, uſurpata in fidelium animos tyrannide, cruentiſſimam hanc conſcientiarum carnificinam invexit, legem ferens de exponendis proprio Sacerdoti omnibus peccatis admiſſis. Exitialem doctrinam hanc ex variis Lutheri, & Calvini operibus hauſtam, cunctiſque Novatoribus pœnitus inſitam majori præ aliis ſectæ ſuæ hominibus ardore, atque conatu, editis quatuor libris, ac Genevæ an. 1661. vulgatis Joannes Dallæus Calvinianus Miniſter, corraſis undique a ſacris litteris, Patrum teſtimoniis, priſcis Eccleſiæ monumentis, ac naturali ratione argumentis propugnavit, ſibique viſus eſt, confeciſſe; quare in uno Dallæo refellendo ponentes operam, veterum omnium, atque recentium Hæreticorum, a quibus ille arma mutuatus eſt, in Sacramentalem confeſſionem impetum retundemus, atque enervabimus, quod ut felicius nobis cedat, in Catholica veritate tuenda ordine utemur, quem in eadem oppugnanda Dallæus tenuit. Quum itaque ille duobus prioribus libris confeſſionis inſtitutionem atque neceſſitatem impetat ductis e Scriptura ſacra & naturali ratione momentis, duobus vero poſterioribus totus ſit, ut conficiat Patrum teſtimoniis, ac veteribus monumentis, confeſſionis uſum recentem eſſe, puriori antiquitati ignotum, confeſſionem idcirco non Chriſtianam, ſed *Innocentianam* eſſe, duabus propoſitionibus duo hæc ejus putidiſſima commenta refutabimus, & eludemus.

PROPOSITIO I.

Scripturarum teſtimoniis divina confeſſionis inſtitutio, & neceſſitas demonſtratur.

IV. Quamquam Romani Cenſores Natali Alexandro in culpa poſuerint, quod tom. VII. hiſt. Eccleſ. diſſert. XIV. ſcripſerit, divinam confeſſionis Sacramentalis inſtitutionem atque neceſſitatem in Evangelio conceptis verbis, diſerteque non tradi, niſi tamen hoc Alexandri effatum omni culpa vacare dicamus, in crimen idem vocandus erit Angelicus, qui in ſupl. 3. p. q. 6. ar. 6. docet, confeſſionem *non ab homine*, *ſed a Deo inſtitutionem habuiſſe*, *quamvis expreſſa ejus inſtitutio non legatur*. Nolim plurium recentium Theologorum conſilium improbare, qui longam teſtimoniorum e novo Teſtamento ductorum aciem inſtruunt, ex quibus ſibi videntur dogmatis hujus veritatem adverſus Novatores conficere atque firmare. Utantur illi otio ſuo in implendis paginis, & praferenda multijugi eruditione, quam tamen poſteriores a prioribus plerumque mutuari ſolent, & convaſare: mihi penitus inſitum eſt, ac vetuſtum præclarum illud Melchioris Cano monitum, locum ſcilicet firmum quandoque argumentum præbere non firmum; nolim enim, ait graviſſimus, & ſapientiſſimus Vir, quiſpiam hoc ducatur errore, ut ſi locus firmus eſt, omnia argumenta inde ducta firma eſſe arbitretur; e ſacris quippe litteris interdum argumenta probabilia ducuntur, ut ſi e ſenſu myſtico petita ſint, aut ſenſus etiam litteralis non ſit explorate definitus & certus. Porro nonne pleraque, quæ recentes Polemici tractatores poſt Bellarminum e literis ſacris arceſſunt, hujuſmodi ſunt, quæ certum ſuppeditare nequeant argumentum, & facile a Novatoribus exu-

exuſſentur ? Quid enim ſi in Evangelio legimus, baptizatos a Joanne in Jordane confeſſos fuiſſe peccata ſua, leproſos a Chriſto mundatos miſſos fuiſſe ad Sacerdotes, Apoſtolos juſſos fuiſſe a Chriſto, Lazarum ſuſcitatum ſolvere ab inſtitis, quibus ligatus erat ? *In his*, ait D. Thomas, *quædam Sacramentalis confeſſionis præfiguratio erat*; ex myſtico autem ſenſu, qui figuris ineſt, efficax cudi non poſſe argumentum, cuique perſpectum eſt. Quid etiam, ſi Act. 19. legimus, multos credentium veniſſe ad Paulum *confitentes, & annuntiantes actus ſuos*, ſi Jacobus in ſua canonica epiſtola c. 5. ſcribit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, ſi Joannes epiſt. 1. c. 1. ait: *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus Deus, ut remittat nobis peccata noſtra* &c. ? Clara quidem hæc videntur eſſe, inde tamen dogmatis hujus veritatem certo non elici, cuilibet facile perſuaſum erit, litteralem horumce verborum ſenſum definitum explorate, atque fixum, non eſſe, expendenti; laudata etenim Actorum verba non de Sacramentali confeſſione, ſed de publica Pœnitentiæ profeſſione, quam in Chriſtum credentes Baptiſmati præmittebant, plures haud infimæ notæ Theologi, & Bibliorum interpretes explicant: Jacobi autem textum generalem illam duntaxat confeſſionem reſpicere, quæ inter fideles etiam Laicos fit, ut quis alterius conſilio & orationibus adjuvetur, & integra apoſtolicæ orationis ſeries, & Auguſtini, Gregorii Magni, Vener. Bedæ, pluriumque magni nominis Theologorum interpretatio perſuadet; Joannis denique verbis ſolam illam confeſſionem commendari, qua quis coram Deo ſeſe peccatorem ſincere agnoſcit, & humiliter confitetur, ex antecedentibus, & conſequentibus haud obſcure colligitur.

V. Quid ergo ? Quum nobis clara, & aperta divinarum literarum teſtimonia non ſuppetant, quibus veritas hæc exprimatur, contrahendus ne iccirco, remittenduſque animus, quaſi vero idonea nobis, & decretoria adverſus Novatores momenta deficiant ? Illud in mentem revocandum, non uſque adeo Novatores moroſos eſſe, ut nihil fidei dogmatis loco habendum eſſe contendant, quod Scriptura conceptis, rotundiſque verbis non tradat, ſed & ultro dare, ea quoque inter fidei articulos referenda eſſe, quæ ex iis, quæ Scriptura docet, neceſſaria atque legitima conſecutione ducuntur; quo conſtituto Tridentini Patres, optimi ii differendi, & fidei capita firmandi Magiſtri, miſſis tot illis, quæ ex veteri novoque Teſtamento Recentes Theologi congerunt, ambiguis teſtimoniis, ſeſ. 14. c. 5. in hunc modum ſolidiſſime ratiocinantur: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam a Domino eſſe integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam, qui Dominus aſcenſurus in cœlum Sacerdotes ſui Vicarios reliquit tamquam Præſides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, qui pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient; conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem in pœnis injungendis ſervare, ſi in genere duntaxat, & non in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent* &c. quam doctrinam in canones ſextum, ſeptimum, & octavum compactam, & paullo fuſius expoſitam, lato in oppoſitum ſentientes anathemate, confirmarunt, ex qua nos hanc theologicam demonſtrationem inſtruimus, quæ eadem pene eſt, ac illa, qua art. 1. Sacramenti Pœnitentiæ veritatem adſtruximus.

Chriſtus Jo: 20. Apoſt. adloquens ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt*: ergo Apoſtolos, eorumque in Sacerdotio ſucceſſores ſui Vicarios reliquit, ut Præſides atque Judices poteſtate donatos relaxandi aut retinendi quæcumque delicta; ſed judices hi a Chriſto conſtituti nec poteſtate ſua recte uti, nec de peccatis judicare rite poſſunt, niſi ea cognoverint: ergo ne dicamus inſtitutum fuiſſe a Chriſto judicium perabſurdum, atque imprudentia plenum, fatendum eſt, eum dum ejuſcemodi Judices poſuit, pariter inſtituiſſe, ut delicta perſpecta haberent, ne in judicio turpiter aberrarent; quum ergo aliorum delicta habere nequeant explorata, niſi Rei illa ſponte confiteantur, quarumcumque culparum confeſſio divinitus quoque inſtituta, atque ad ſalutem neceſſaria cenſenda eſt; qui enim finem neceſſarium præſcripſit, is quoque media ad eundem finem neceſſario ducentia inſtituit, niſi velimus, ſapien-

pien-

Digitized by Google

pientiſſimum, optimum legislatorem in neceſſariis defuiſſe; ſingulæ demonſtrationis hujus propoſitiones perſpicuæ adeo & certæ ſunt, ut in earum probatione operam inutiliter poneremus; Etſi primæ conſecutionis veritatem, in qua totius demonſtrationis efficacia roburque eſt, præcipue Dallæus impetat, ipſa tamen clariſſima verborum Domini luce, & communi ipſo hominum ſenſu revincitur. Si enim Regis filius e. g., cui Pater ampliſſimum delegandi jus tribuiſſet, quempiam ita affaretur: Sicut miſit me Pater, & ego mitto te: quemcumque abſolveris, abſolutus erit &c., dubitare quis poſſet, ejuſmodi hominem fuiſſe a Regis filio judicem atque præſidem delegatum? Quum ergo Chriſtus, cui *Pater omne judicium dedit*, ut Jo. 5. legimus, qui ſe omni *poteſtate in cælo, & in terra* a Patre donatum eſſe teſtatur Math. ult., Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus dixerit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis* &c. nonne hominis aut dementis, aut extreme impii eſt, denegare, eos fuiſſe a Chriſto peccatorum Judices conſtitutos? Sane laudata Chriſti locutio tam perſpicua atque plana Calvino ipſi, quo non alium magis idoneum, fideque digniorem Dallæus quærat interpretem, viſa eſt, ut l. 3. Inſtit. c. 4., fateatur ingenue, Sacerdotes Chriſti Legatos eſſe, quibus demandatum eſt, ut peccatores abſolvant, quique in nomine Domini ſui, ejuſque auctoritate, ac præcepto ſe abſolutionem petentibus impartiri denuntiant, virtute verborum Chriſti: *quodcumque alligaveritis, aut ſolveritis ſuper terram, alligatum erit, aut ſolutum in cælis*.

VI. Confirmatur hæc veritas altero momento illo, quod ibidem Tridentinum breviter innuit, non poſſe videlicet Sacerdotes in pœnis injungendis ſervare æquitatem, niſi fideles ſingula peccata ſua declarent, hocque inde dilemma conficimus: Vel hi a Chriſto delegati Judices aliquam pro delictis pœnam, vel nullam injungunt: ſi nullam, iniqui ergo ſunt juſtitiæ miniſtri, concreditoque ſibi munere turpiter abutuntur, qui impunita dimittunt ſcelera, nec peccatorum radices exſcindunt, neque iteratam in eadem, aut majora crimina prolapſionem avertunt: ſi aliquam; quæ amabo, imprudentior, ac abſurdior judicii forma, quam ut pœnam indicant abſque cognitione delicti? ſine tibi videntur, paria paribus, inæqualia inæqualibus pœnis peccata vindicare poſſe, prout naturali ipſa æquitate præſcribitur, quibus pœnitens nonniſi generatim ſe peccaſſe in Deum, aut in Fratrem declaret, quemadmodum cum Luthero omnes Pſeudo-Reformati contendunt? Egregiam profecto & prudentiſſimam judicii formam inſtituiſſet, cujus nullum vel in ipſis peſſime conſtitutis Rebuſpublicis hactenus exemplum occurrit.

Refelluntur Dallæi momenta.

VII. Primo Dallæus enervare ac infringere momenta nititur, quæ ex celeberrimo Joannis teſtimonio cum Synodo Tridentina conflavimus, nihilque non molitur, ut probet, perperam nos inde conficere, Sacerdotes iis Chriſti Domini verbis conſtitutos vere fuiſſe Judices, eaque poteſtate donatos, qua vel peccatorum ſolvant vincula, vel retineant, ajens: Si ex eo Joannis textu in Pœnitentiæ negotio judiciaria Sacerdotum poteſtas elicitur, quidni eos dicamus non Judices ſolum, ſed & Reges ſupremo jure utentes? Si enim ſponte confeſſis peccata vere remittunt, jam non Judices Prætoreſque agunt, ſed Reges ſumma poteſtate præditos, quum Judicis tantum ſit, ſecundum legis præſcripta pronuntiare, pœniſque lege definitis in reos animadvertere, ſontes vero vel confeſſos vel convictos legum ſeveritati ſubducere atque abſolvere nonniſi ſupremi Principis ſit, qui legibus non tenetur. Quæ ergo ſunt partes eorum, quibus dictum eſt, *quorum remiſeritis* &c.? Non aliæ quam præconum ac nuntiorum Dei vel ſolventis vel alligantis, ſeu peccata vel remittentis vel retinentis ſententiam promulgantium.

Id aperte teſtatus eſt Paulus, qui numquam ſibi aliiſque Apoſtolis judiciariam hanc poteſtatem attribuit, ſed duntaxat ſe alioſque Legatos ac Miniſtros Chriſti, myſteriorum Dei diſpenſatores, ac fidelium ſervos confeſſus eſt: Quid porro ſervo cum Judice? Quid Legati, miniſtri ac œconomi officio cum Prætoris auctoritate, ac poteſtate?

VIII. Quoniam de argumento hoc amplior infra habendus eſt ſermo, quum ad Sacramenti hujus formam deducta

oratio fuerit, breviter Dallæo reponimus, delirare illum, dum Sacerdotes non Judices ſolum, ſed & Reges ſumma poteſtate utentes eſſe ſcriptitat, ſi reis ſponte confeſſis veniam largiantur. Cui enim orthodoxo hactenus in mentem venit, a Sacerdotibus proprio nomine, & abſoluta, neque aliunde accepta auctoritate peccatores abſolvi? Solius quidem Dei ſæculorum immortalis & inviſibilis Regis eſt, quorumcumque peccatorum vincula ſe ipſo, & ingenita ſibi poteſtate laxare, ac peccatores quoslibet, certis vel nullis adhibitis mediis, prout ſibi libuerit, abſolvere, ſibique reconciliare; homines vero nonniſi collata ſibi divinitus poteſtate, nonniſi ſecundum præfinitas a Deo leges, nonniſi inſtitutis ab eo mediis, ejuſdem ſupremi omnium moderatoris & Domini nomine atque auctoritate id præſtant. Adeone autem aut cæcus erit Dallæus, aut inverecundus, ut neget, potuiſſe Deum auctoritatem hanc hominibus communicare, qua ſponte confitentium peccata remitterent, quum nemo ſanæ mentis in dubium vocare velit, an id a Principe fieri ſummo jure poſſit?

IX. Quod autem potuiſſe Deum, negari citra blaſphemiam nequit, id vere ab eo præſtitum fuiſſe, ea, quæ ſæpe laudavimus, Chriſti Domini verba declarant; non enim ait, alligata in cælis, aut ſoluta eſſe, retenta aut remiſſa peccata, quorum Apoſtoli alligationem aut ſolutionem, retentionem aut remiſſionem annuntiarent, promulgarentque, ut eos puros eſſe præcones ac nuntios intelligeremus, qui Dei ſententiam hominibus manifeſtarent, ſed diſerte inquit, alligata &c. quæ ipſi alligaverint, aut ſolverint, retinuerint, aut remiſerint. Alligare autem & ſolvere, retinere delicta aut remittere nonne Judicis eſt? Communis ne hominum ſenſus patitur, ut apparitorem ſive accenſum, qui in promulganda reis ſententia nudum Senatui, aut Principi miniſterium exhibet, reos damnare dicamus, aut ſolvere? Summam itaque vim Chriſti Domini verbis Dallæus, ejuſque Symmiſtæ inferunt, & a recta ratione ipſa quam longiſſime abludunt, nudum Apoſtolis eorumque Succeſſoribus præconum, ac caducæatorum officium tribuentes, quos a ſe vere conſtitutos Judices, vera alligandi ac ſolvendi poteſtate inſtructos, Chriſtus magis perſpicuis planiſque verbis ſignificare non potuit.

X. Non heic aliis Polemicis Tractatoribus morem geram, qui longam inſtruunt teſtimoniorum e Veteribus Patribus ductorum aciem, ut illud confirment, quod a Tridentino veriſſime dictum eſt, eo Chriſti tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi & retinendi peccata Apoſtolis &c. fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſum ſemper intellexiſſe. Ad Calvinum iterum provocare non pudet, ut eo, quo parente, Magiſtro, ac Auctore Dallæus ejuſque gregales impenſe gloriantur, judice cauſſa cadant; is enim, ut jam monuimus, l. 3. Inſt. c. 4. ſcribit, exiguam non eſſe fidelis hominis conſolationem, Chriſti Legatum præſentem habere, cui demandatum eſt, ut eum abſolvat, quique in nomine Domini ejuſque auctoritate ac præcepto ſe abſolutionem petenti impartiri denuntiat; & paullo infra: Annon fidelis inſigne bonum eſt, quod culparum veniam ab iis obtineat, quibus a Chriſto dictum eſt: quodcumque alligaveritis &c. Eoſne Dallæus audebit, aſſerere mero præconis & nuntii officio fungi, quorum non aliæ partes ſint, quam ut remiſſa vel retenta a Deo peccata ſignificent, quos Calvinus ait, juſſos a Chriſto eſſe, abſolvere, abſolutionem petentibus impartiri, & culparum veniam impendere? Si hoc veri Judicis munus non eſt, quodnam erit?

XI. Quid porro, ſi Paulus ſe alioſque Apoſtolos Chriſti *Legatos*, *Miniſtros* &c. vocat? Ergone nullam ſibi aliiſque collatam a Chriſto judiciariam poteſtatem agnovit? Utquid ergo ea ipſe uſus eſt? 1. enim ad Cor. c. 5. adverſus publici inceſtus reum hanc ſententiam tulit: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi, ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt, in nomine D. N. J. C. congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini N. J. tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis* &c., cui poſtea pœnitenti, ſe in perſona Chriſti donaſſe, ſeu delictum remiſiſſe ſcribit 2. ad Cor. c. 2. Nonne & judiciariam poteſtatem indicant, quæ ejuſdem Epiſtolæ c. 13. ad eoſdem Corinthios ſcripſit: *Ecce tertio hoc venio ad vos: in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum: Prædixi, & prædico iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum,*

non

non parcam . . . Ideo hæc abſens ſcribo , ut non præſens durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi &c. Ineptit porro Dallæus, Legati, Miniſtri, Œconomi officium cum Judicis auctoritate pugnare, nec eundem fidelium ſervum, ac Judicem eſſe poſſe ſcripturiens; relate namque ad diverſa unum eundemque Sacerdotem his muneribus vere fungi, hiſque nominibus recte inſigniri, ex eodem Apoſtolo faciliime demonſtramus: pro tribunali ſedens etſi Judicem agat, Miniſter Chriſti eſt, ceu qui non abſoluta atque propria, ſed a Chriſto accepta poteſtate, non ad arbitrium, ſed ſecundum Chriſti leges & verba ſententiam fert: ibi quoque myſteriorum Dei diſpenſator, ſeu œconomus eſt, quia iis, quibus beneficium abſolutionis impendit, Sanguinis Chriſti virtutem applicat, illud maxime cavere debens, ne ſanctum canibus det, neve margaritas ante porcos projiciat, ideſt ne indignis, neque diſpoſitis Dei myſteria communicet, futurus alioqui non fidelis & prudens bonorum Domini diſpenſator, ſed iniquiſſimus diſſipator: Chriſti pariter ibidem Legatum agit reos coram ſe poſitos ad reſipiſcendum, ineundamque a Deo gratiam excitans atque hortans juxta illud Pauli 2. ad Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos . . . reconciliamini Deo.* Eorum denique ſervus erit, quorum eſt Judex, ſi iis corde, & humilitatis ſtudio ſeſe ſubjiciat, quorum culpas excepit, quoſque ſententia ſua vel ligat, vel ſolvit, illud Chriſti mente complexus: *Qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus, ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Urget Dallæus: fac, Sacerdotes laudatis Chriſti verbis conſtitutos vere fuiſſe peccatorum Judices: quid inde? Ergo ne nulli poſt Baptiſmum lapſo patet aditus ad ſalutem, niſi ſe Sacerdotibus ſiſtat, iis culpas admiſſas exponat, eorumque ſententia ſolvatur? Si Rex Prætorem ac Judicem in Provinciam mittat ampliſſima poteſtate donatum, ratum a ſe habendum edicens, quidquid a Judice geſtum fuerit, numquid alia reis via ad ſalutem non erit, niſi ad Prætoris hujus tribunal confugiant, ejuſque judicio ſe ſubjiciant? Nonne integrum eis eſt, Regem ipſum adire, ejuſque clementiam implorare? Haud aliter de Pœnitentiæ negotio cenſendum eſt: Summus enim rerum omnium moderator, & rector Deus ita Miniſtris ſuis poteſtatem judiciariam attribuit, ut tamen in cujuſque peccatoris arbitrio relictum ſit, Sacerdotum judicium declinare, & ad divinam miſericordiam lacrymis, precibuſque confugere; perperam itaque Sacramentalis confeſſionis neceſſitas exaggeratur.

XII. Sed turpiſſime Dallæus hallucinatur, præpoſtere, & inepte confundens, quod Deus abſoluta virtute ſua extra ordinem poteſt, cum eo, quod juxta voluntatis ſuæ conſilium, ordinemque a ſe poſitum ab hominibus ſervandum eſſe conſtituit. Quid Dallæus reponeret argutanti, poſſe Deum, cujus infinita potentia nullis tenetur legibus, nulliſque mediis alligatur, infidelem adultum, abſque Baptiſmo ejuſque voto, abſque divinarum promiſſionum fide, infantem ex infidelibus natum abſque ejuſdem Baptiſmi lavacro, fidelem quemlibet abſque actuali, ſi copia adſit, utriuſque Euchariſtici ſymboli ſumptione, remiſſionis peccatorum, juſtitiæ Chriſti, æternæque vitæ compotem facere; perperam idcirco a Calvinianæ ſectæ hominibus abſolutam relate ad infideles, & ex infidelibus genitos Baptiſmi neceſſitatem jactari, perperam iis cælorum januam obſerari, qui vel Chriſti promiſſiones immobili fide non apprehendunt, nec ad ſe trahunt, vel Dominici corporis ſanguiniſque figuram ſub utroque ſymbolo actu non ſumunt: Regereret ſcite Dallæus, non de eo agi, quod Deus infinita potentia ſua abſolute, & extra ordinem valeat, ſed de eo, quod pro ſummo voluntatis ſuæ arbitrio ſtatuit, quodque a ſe conſtitutum fuiſſe, in ſacris litteris manifeſtavit. Regerimus & nos veriſſime, poſſe Deum ſuprema auctoritate ſua peccatores quoslibet miſericordiam ſuam lacrimis, gemitibuſque petentes a quibuslibet culpis nullo adhibito Sacerdotum miniſterio, nulloque exteriori medio, abſolvere, ſibique plene reconciliare, id tamen ab eo fieri abſque Sacramenti hujus vel re vel voto, conſtantiſſime pernegamus, quod divino eloquio, ex quo divina voluntas certiſſime petenda eſt, doceamur, conſtituiſſe illum, actualium poſt Baptiſmum culparum reis non alia lege, alioque medio patere ad reconciliationem, & veniam reditum, quam Sacramenti hujus re, votove ſuſcepti virtute.

XIII. Ut autem exemplo ipſo, quod

a Prætore Regio Dallæus petit, inſcitam ejus argutiunculam obteramus, Joſephum Patriarcham nobis ante oculos conſtituamus, de quo Gen. 41. hæc Scriptura tradit: *Dixit autem Pharao ad Joſeph, ad tui oris imperium cunctus populus obediet .... Ecce conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti .... abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti &c.* & paullo infra, *Clamavit populus ad Pharaonem, quibus ille reſpondit: Ite ad Joſeph, & quodcumque dixerit vobis, facite.* Quiſquis hæc legit, niſi plane ſit ſtipes, intelligit, Pharaonem non ſupremum Regiæ poteſtatis jus exuiſſe, itaut integrum ei deinceps non eſſet, quidpiam in regno ſuo ſumma auctoritate decernere, ſed duntaxat eximiæ Joſephi ſapientiæ fiſum, omnem in eum ordinariæ poteſtatis uſum, & officium transtuliſſe, juſſoſque iccirco univerſos Ægyptios, unum Joſephum adire, ei parere, omnia ad eum referre, quæcumque ille dixiſſet, implere, denique omnes Ægypti accolas vetitos, quidpiam vel minimum abſque ejus imperio moliri. Simile quidpiam Deum egiſſe, eundemque ferme ordinem in Eccleſia ſua conſtituiſſe, e ſacris literis haud obſcure colligimus; Retento namque ſibi peccata dimittendi abſoluto atque ſupremo jure, quo eſſentiali ſibi, peculiari, atque proprio abdicare ſe nulla ratione poteſt, eo tamen ſecundum inſtitutum a ſe ordinem, & communis providentiæ leges non uti decrevit, ſed omnem ejus uſum atque functionem, occulto ſapientiæ ſuæ conſilio, novi Teſtamenti Sacerdotibus demandavit ceu viſibilibus ſui Vicariis, ac Miniſtris, palam aperteque ajens: Quodcumque alligaveris &c. Quorum remiſeritis &c., utque omnes noſſent, eos Dei vices in terris agere, eiſque ceu Dei perſonam ſuſtinentibus auſcultandum atque parendum, haud ſemel edixit: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: Omnia, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Stat itaque Deo ſupremo omnium Dominatori abſoluta, atque, ſi ita loqui fas eſt, extraordinaria peccata quælibet immediate relaxandi poteſtas, ut erat Pharaoni, quidlibet Regio jure in Ægypto ſanciendi; verum ſicut ille tranſlato in Joſephum omni hujus poteſtatis uſu, atque munere, omnes Joſephum adire juſſit ajens, *ite ad Joſeph*, ita Deus demandato Sacerdotibus judiciariæ poteſtatis miniſterio, omnes eorum judicio commiſit, vel ſolvendos vel alligandos, ſingulis dicens, quod Chriſtus lepROſis a ſe mandatis Lucæ 17. dixiſſe legitur, *ite, oſtendite vos Sacerdotibus*, quæ verba expendens Chryſoſtomus l. 3. de ſacerdotio c. 4. hæc habet: *Corporis lepram purgare, ſeu ut verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum ſacerdotibus ſolis licebat: Ut vero noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico, purgatas probare, vel purgare prorſus conceſſum eſt.*

XIV. Quoniam autem ſuum hoc argumentum Dallæus petulantius exaggerat, quamquam jam dicta ei retundendo ſatis ſuperque ſint, placet tamen illud operoſius convellere, ut ne minima quidem difficultatis umbra ſuperſit. Si de abſoluta Dei potentia ſit ſermo, ambigere nemo poteſt, potuiſſe illum humanum genus redimere, & in ſalutem adducere abſque illius mediatoris, & propitiatoris officio; attamen voluiſſe illum, nemini ſalutem obvenire niſi per Chriſtum, exploratiſſima cuique Chriſtiano res eſt, clamante Petro Act. 4. *non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, & Act. 10. *huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum:* Suprema quoque judicandi poteſtate abdicare ſe Deum non poſſe, quis, niſi inſaniat, inficietur? Chriſtus tamen Joan. 5. diſerte teſtatur: *neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio .... & poteſtatem dedit ei, etiam judicium facere, quia filius hominis eſt*; ex quibus poſtremis Chriſti verbis D. Thomas invicte conficit, Chriſto etiam, qua homo eſt, judiciariam in omnes homines poteſtatem fuiſſe a Patre attributam; quibus conſtitutis illud revocemus in mentem, quod idem Chriſtus Jo. 20. Apoſtolis ait: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: hæc quum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c.* Quid verbis illis planius apertiuſque? Nonne perſpicue ſignificavit Chriſtus, mitti a ſe Apoſtolos ad hominum vel remittenda vel retinenda peccata, ſicut ipſe ad id muneris fuerat a Patre miſſus, transferrique a ſe in eos miniſterialem hujus poteſtatis uſum, qua ipſe præditus erat excellentiſſime? Sicut ergo

jam

jam nullus poteſt ad Deum accedere, niſi per Chriſtum, ſicut jam nemo judicatur a Patre, quia omne judicium dedit filio, cui poteſtatem omnem contulit judicium faciendi, *quia filius hominis eſt*, ita neceſſario conſequitur, nulli baptizato actualium culparum reo ſpem obtinendæ veniæ, & ineundæ a Deo gratiæ jam affulgere, niſi Sacerdotum judicio vel re, vel voto ſe ſubdat, quos a ſe miſſos eſſe Chriſtus ipſe pronuntiat, ſicut is fuerat a Patre miſſus.

Inſtat Dallæus: Demus iis verbis Sacerdotes ita fuiſſe Judices conſtitutos, ut ſpectato ordine divinitus fixo, nulli veniam ſperare liceat, niſi eorum ſententiæ ſubjiciat, nihil tamen poſitio hæc Romanæ Communionis homines juvat; quidni enim poterunt a Sacerdotibus rite ſolvi quarumcumque culparum rei, modo enuntient, peccaſſe ſe in Deum, aut fratrem, abſque moleſtiſſima illa, atque intoleranda peccatorum omnium, quin & circumſtantiarum enumeratione? Laudata Chriſti Domini verba de Baptiſmi adminiſtratione veterum Patrum, & inſignium inter Pontificios Theologorum nonnulli interpretantur, cenſentque, *a Spiritu afflatis hominibus*, Cyrilli Alexandrini verba ſunt, *remitti vel retineri peccata, quum vel dignos ad baptiſmum vocant, vel eos qui nondum digni ſunt, prohibent, arcentque a divina gratia:* Sicut ergo, qui baptizantur, plenam culparum omnium veniam obtinent, quin eas Miniſtro Baptiſmum conferenti aperire ſingillatim, neceſſe ſit, conſultum quoque erit optime baptizatorum ſaluti, ſi Miniſtro Pœnitentiæ ſeſe ſolvendos ſiſtant, nec niſi generatim ſeſe reos profiteantur. Quod ſi ſolvi nulla ratione poſſunt, niſi ſingula minutatim percenſeant, atque prodant, videant Pontificii, quomodo ſibi conſtent, qui venialium culparum indulgentiam obtineri poſſe contendunt, quin opus ſit, de earum confeſſione laborare.

XV. ℞. Futiliter in erroris ſui præſidium a Dallæo trahi veterum quorumdam Patrum interpretationem ſæpe laudatis Chriſti verbis adhibitam; jam enim primo tractatus hujus articulo demonſtratum eſt, nullum hactenus e veteribus Patribus adferri a Novatoribus potuiſſe, qui a memorato Joannis textu ſenſum illum, quem, ut ait Tridentinum, Catholica Eccleſia ſemper intellexit, excludat, qui & Pœnitentiæ Sacramenti inſtitutionem, & judiciariam poteſtatem Sacerdotibus delegatam, & Confeſſionis neceſſitatem eodem non adſtruat & confirmet, eorumque nonnullos admiſſo primario ac litterali Dominicæ ſententiæ ſenſui myſticos alios, minuſque proprios ſubjeciſſe. Revera in minus proprium minuſque genuinum ſenſum ea Chriſti verba a Patribus iis inflecti, qui eadem de Baptiſmatis quoque adminiſtratione exponunt, non alio momento, quam ipſis Chriſti verbis, evincimus; non enim remittendi ſolum peccata, ſed & retinendi, non ſolvendi homines ſolum, ſed & eos alligandi poteſtatem Apoſtolis Chriſtus contulit. Mitto, poteſtatem hanc, Paulo teſte, nonniſi in ſubditos exerceri poſſe, adultos autem Baptiſmate nondum tinctos Eccleſiæ judicio non ſubeſſe, alligari iccirco non poſſe a Miniſtris Eccleſiæ: Illud urgeo, atque a Dallæo peto, qua ratione Apoſtoli eorumque in Sacerdotio ſucceſſores in Baptiſmi adminiſtratione hanc peccata retinendi, homineſque alligandi poteſtatem exercuerint, exerceantque? *Prohibentes, atque arcentes a divina gratia eos, qui nondum digni ſunt*, ait ex Cyrillo Alexandrino Dallæus. Quis porro interpretationem hanc minus aptam eſſe (pace tanti Patris dictum ſit) minuſque verbis Chriſti congruere, non deprehendit? Quid enim eſt, peccata retinere ad Chriſti mentem? Non idem plane ac non remittere, vel remiſſione indigna pronuntiare, ſed, quemadmodum Chriſtus ipſe Matth. 18. judiciariam poteſtatem, quam poſt Reſurrectionem Apoſtolis contulit, tunc promittens expoſuit, retinere peccata non aliud eſt, quam peccatores *ligare*. Qui autem ligari a Sacerdotibus poſſunt nondum Baptiſmate regenerati, quum nondum Eccleſiæ poteſtati, ac judicio ſubſint? Arceri quidem a Baptiſmatis gratia poſſunt, & debent Cathecumeni ad Baptiſmi lavacrum nondum rite diſpoſiti, ne ſanctum canibus detur, quomodo autem Sacerdotum ſententia ligari poſſint, neque explicarunt hactenus Adverſarii, nec vero explicare unquam poterunt.

XVI. Probe autem intelligimus, quomodo in Pœnitentiæ Sacramento fideles a Sacerdotibus alligentur, quum eis ſacramentalis abſolutionis beneficium juſtis de cauſis vel denegatur, vel in opportunum tempus differtur, quum remedia eis interim idonea præſcribuntur, quibus utentes vel peccandi occaſionem abſcindant,

vel

Digitized by Google

vel inveteratam conſuetudinem eradicent, quum, impenſa licet abſolutione, non tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamen, ut Tridentinum docet, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem ſalutaria & congrua ſatisfactionis opera pœnitentibus injunguntur, neceſſario ab iiſdem implenda, ni ſe novo velint crimine obſtringere. Hoc ſenſu traditas a Chriſto Sacerdotibus claves non ad ſolvendum ſolum, ſed etiam ad ligandum veteres quique Patres interpretati ſunt, quemadmodum inferius declaraturi ſumus; quæ quum ita ſint, quis non videt, neceſſariam omnino eſſe diſtinctam ſingulorum peccatorum lethalium confeſſionem, ne temerarium cæcumque ſit Sacerdotis judicium, ſi cauſam perſpectam non habens & exploratam, ſententiam ferat, neque de vero Pœnitentis ſtatu plane certior, imprudenter vel retinenda dimittat, vel dimittenda retineat, vel ſolvendos liget, vel ſolvere audeat alligandos?

XVII. Quod vero ex venialium confeſſione, quam recte quidem & utiliter fieri, liberam tamen eſſe, Synodus Tridentina pronuntiat, argumentum Dallæus inſtruit, leve prorſus eſt, & inſcitum; Iis enim pœnitentiæ Sacramentum neceſſarium eſt, qui peccando a Baptiſmatis gratia exciderunt, eaque peccata Eccleſiæ clavibus ſubjici, & Sacerdotibus aperiri, Chriſtus juſſit, quibus cœleſtis regni aditus intercluditur; quum ergo quædam peccata ſint, quæ venialia ex genere dicimus, quibus nec hominis cum Deo amicitia diſſolvitur, neque amiſſionis regni Dei reatus inducitur, maxime nobis ipſi conſtamus, horum confeſſionem liberam eſſe docentes; Ex iiſdem enim Chriſti Domini verbis, ex quibus dearticulatam ſingulorum lethalium confeſſionem neceſſariam eſſe conficimus, aliter de venialium enumeratione ſentiendum eſſe, intelligimus; ſiquidem Chriſtus Matth. 16. & 18. regni cælorum claves Petro, & univerſæ Eccleſiæ tradens ſpopondit ſolvenda aut liganda in cælis eſſe, quæcumque a legitimis Eccleſiæ miniſtris, quibus creditæ ſunt cæli claves, ſoluta in terris fuerint aut ligata, indeque inſtitutum a Chriſto ordinem neceſſaria conſecutione collegimus, obſeratas cæli fores iis eſſe, qui Sacerdotum judicio ligantur in terris, iis contra cæleſtem patere januam, qui ab omni cælorum introitum prohibente ſolvuntur; quumque prudenter & rite ſolvi nequeant, aut ligari, niſi ea omnia, quæ a regno cœlorum excludunt, ſingillatim confiteantur, quemadmodum hactenus oſtenſum eſt, inde fit, ſingula mortalia crimina, quæ ſola, teſte Apoſtolo, impedimento ſunt, ne, *qui talia agunt, Regnum Dei poſſideant*, neceſſario Sacerdotibus eſſe aperienda, ſecus autem venialia, quæ ab æterna vita non abſolute homines arcent, quæque pluribus aliis mediis, ut Tridentinum docet, quam Pœnitentiæ Sacramento, aboleri poſſunt, & expiari.

XVIII. Hac ſtatione dejectus Dallæus nonnulla arripit Sacrarum literarum teſtimonia, quibus arcanæ confeſſionis neceſſitatem oppugnet, ac primo arguit: Solius Dei proprium eſſe peccata quælibet condonare, fidei caput eſt in divino utriuſque Teſtamenti eloquio frequenter expreſſum; Deus autem ſolam de interiori pœnitentia legem tulit, ut homines admiſſorum ſcelerum venia donet, ut legere eſt Iſaiæ 1., Ezechielis 18., Apocalypſeos 2. & 3., Actorum 88., & alibi pluries; ut quid ergo præter interiorem pœnitentiam Papiſtæ peccatoribus confeſſionis jugum imponunt?

2. Nonne Chriſtus ipſe nos docuit, qua ratione culparum veniam adſequamur a Deo, jubens nos, Cæleſtem Patrem ita orare, *dimitte nobis debita noſtra &c.* atque promittens, fore, ut delictorum indulgentiam obtineamus, ſi eam fide pleni in Chriſti nomine poſtulaverimus; ſatis ergo eſt, Patrem in Filii nomine adire, atque ab eo debitorum relaxationem petere, nec opus eſt, alteri ſcelera noſtra in aurem revelare; præſertim quum Chriſtus palam edixerit, ea ratione dimittenda nobis a Deo debita, qua ipſi debitoribus noſtris dimittimus: Porro nos ab altero injuria affecti numquid ab eo exigimus, ut illatam nobis injuriam cuipiam alii confiteatur, non aliter a nobis gratiam initurus?

3. Quid ſi in parabolas, & exempla, quæ in Evangeliis occurrunt, oculos animumque convertimus? Prodigus filius, & Publicanus in veræ pœnitentiæ typum a Chriſto propoſiti nonniſi Patri confitentur, & Deo, plenamque referunt culparum omnium condonationem. Maria Magdalena, mulier adultera, Zachæus Publicanorum Princeps, & Petrus abſque auriculari hac Innocentiana confeſſione pleniſſime juſtificantur; perperam itaque confeſſionis hujus neceſſitas prædicatur.

4. Præ-

4. Præſertim Confeſſionis hujus neceſſitatem Pontificii urgent, quum fidelis gravis alicujus criminis reus ad Dominicam debet menſam accedere: Quid autem Paulus ea occaſione agi jubet, ne homo indigne ſumens judicium ſibi manducet, & bibat? Id unum præcipit, ut *probet ſe ipſum homo*, ideſt ut ſibi gravis culpæ conſcius ex animo doleat, veniamque poſcat a Deo, *& ſic*, nulla orali confeſſione interpoſita, *de pane illo edat, & de calice bibat.*

Poſtremo: Qui tam acriter pro confeſſionis hujus neceſſitate pugnant, phariſaico ſane ſpiritu aguntur; *alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum*. Clamante Chriſto, *Venite ad me omnes &c. tollite jugum meum ſuper vos &c. jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*, nonne eos pudet, novitium hoc dogma procudere, in vulgus effundere, atque inculcare, quo efficitur, ut Evangelica lex Moſaica, quæ graviſſimo, & importabili huic jugo non ſuberat, multo gravior atque moleſtior ſit?

XIX. Operam tamen Dallæus infeliciſſime poſuit in his aliiſque ſimilibus Scripturæ textibus adverſus veritatem hanc comparandis, quod facili negotio demonſtrare aggredimur, ſingulorum objectorum futilitatem excutientes. Solum Deum poſſe ſuprema auctoritate ſcelera quæcumque dimittere, nec juxta poſitas a ſe leges veniam umquam alicui abſque ſincera interiori pœnitentia impartitum eſſe, imo nec ſpectato ordine a ſe conſtituto impartiri poſſe, penes Chriſtianos omnes in confeſſo eſt; ex quo vero in locis a Dallæo ex utroque Teſtamento depromptis ſolius interioris pœnitentiæ mentio occurrat, generatim inferre, & licentiſſime pronuntiare, ad obtinendam peccatorum veniam nullam aliam hominibus impoſitam fuiſſe divinitus legem, quam ut eos ex animo pœniteret, delirium eſt hominis ipſa Chriſtianæ Religionis principia, & luculentiſſima divini eloquii teſtimonia vel ignorantis, vel poſthabentis. Fuit equidem, ut Tridentinum veriſſime docet, *interior pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam obſequendam neceſſaria*; eam ne tamen in lege naturæ abſque implicita ſaltem in futurum Mediatorem fide, & abſque exteriori aliqua fidei hujus proteſtatione, ſatis fuiſſe peccatoribus, adverſus nitidiſſimam Scripturarum veritatem Dallæus effutiet? Idem ne de hominibus Moſaica lege obſtrictis audebit aſſerere, quos, ſi ex veritatis ſilentio, errore, ſacrorum abuſu, ignorantia culpabili, perjurio, certaque ſcientia deliquiſſent, juſſas a Deo fuiſſe, non ſolum pro peccato pœnitentiam agere, ſed & certa ſacrificia, quæ pro peccato dicebantur, offerre, & nonniſi pro eis, eorumque culpis rogante, atque immolante Sacerdote, veniam conſequutos legimus Levitici 5. & 6. & alibi ſæpe? Si nonniſi interiorem pœnitentiam exigit ab hominibus Deus, quorſum clamabat Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini*; quorſum Saulo Ananias dixit, *exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*? Adulto infideli ex infidelibus nato ſolane interior pœnitentia Deum propitium reddet abſque Baptiſmo vel re vel voto ſuſcepto, & abſque firma & immobili, juxta Calvinianorum principia, promiſſionum Chriſti fide? Interiori itaque pœnitentiæ peccatorum remiſſio divinitus promiſſa eſt, ſi illa tamen legitima atque ſincera fuerit, ideſt ſi eo ordine peragatur, quem Deus ipſe conſtituit, eaque remedia quærat, quæ ſuavis Dei providentia variis temporibus pro varia hominum conditione paravit; quare ſicut illegitima fuiſſet hominum pœnitentia, & culparum remiſſioni obtinendæ inepta, ſi ea in lege naturæ media neglexiſſent, quæ interiori inſtinctu Deus hominibus ſuggerebat, in lege vero ſcripta, quæ Deus ipſe per Moſen palam edixerat, ita poſt ſufficientem legis Evangelicæ promulgationem inanis eſt, atque effectu vacua quæcumque hominum pœnitentia, niſi ſecundum poſitas a Chriſto leges agatur, niſi videlicet adultus nondum renatus in Chriſto balneum ſibi atque remedium in Baptiſmate quærat, lapſus vero in lethalia poſt Baptiſmum, eorum, quibus Chriſtus remittendi vel retinendi peccata auctoritatem tribuit, judicio ſe ſubjiciat.

XX. Hinc facile ſecundum Dallæi momentum ex oratione Dominica, & Chriſti promiſſione petitum evertitur. Immota eſt Chriſti promiſſio, quam etiam interpoſito jurejurando firmavit ajens, *amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, ideoque petentes a Patre in Chriſti nomine delictorum veniam, certo confidimus fore, ut nobis ignoſcat: rogandus tamen eſt Pater in Chriſti no-

Digitized by Google

tentibus abſque orali confeſſione abſolutis a Chriſto Dallæus petit, perſpicue diluit D. Thomas ajens: etſi eorum confeſſio non legatur, perperam tamen facta negatur; multa enim facta ſunt, quæ non fuerunt ſcripta. Præterea Chriſtus in Sacramentis poteſtatem excellentiæ habet, ideoque in his, quæ ad Sacramentum pertinent, potuit rem Sacramenti conferre. Qui autem ſuprema & abſolua ſua auctoritate utens peccatores abſque confeſſione quandoque abſolvit, idem ordinem hunc in Eccleſia ſua conſtituit, ut nonniſi præmiſſa culparum confeſſione, Sacerdotum miniſterio quis ſolvatur, ideoque operam ludit Dallæus, ad Confeſſionis neceſſitatem oppugnandam illud opponens, quod Chriſtus ceu ſupremus legum omnium Dominus extra ordinem geſſit, præſertim quum & ſolide reponi poſſit, tunc Sacramentum hoc nondum fuiſſe inſtitutum.

XXIV. Quam porro verbis Pauli jubenti., ut homo ſe ipſum probet, Dallæus adhibet, interpretationem diſtortam eſſe, confictamque ad arbitrium hominis omnia ſus deque miſcentis quis non videt? Præcipit Paulus, ut ſeipſum homo probet, priuſquam ad Dominicam menſam accedat; numquid autem a fidelibus gravis alicujus ſceleris ſibi conſciis aliam exigere potuit Chriſti Apoſtolus conſcientiæ probationem purgationemque, niſi illam, quam ſupremus omnium Dominus ac Magiſter Chriſtus ipſe præſcripſerat, nimirum ut ſi deprehenderit homo lætali aliquo crimine ſe pollutum, de admiſſa culpa ſincere doleat, mediiſque a Chriſto inſtitutis utens, in Pœnitentiæ Sacramento, quod peccatorum confeſſionem & Sacerdotis abſolutionem neceſſario complectitur, remedium quærat atque emundationem? alioqui ſi in nudo verbi, quo Paulus utitur, cortice hærendum ſit, ſimplexque verbi illius poteſtas arripienda, plus inde trahendum erit, quam Dallæus ipſe concedat; quæ enim litteralis eſt verbi hujus *probare* ſignificatio, quis Apoſtolici dicti ſenſus obvius & germanus? Probet ſe ipſum homo, ideſt conſcientiæ ſuæ latebras ſerio examine ſcrutetur, ſicut quum ad Theſſalonicenſes idem Apoſtolus ſcribit, *omnia probate, quod rectum eſt, tenete*, & quum apud Joannem legimus, *probate ſpiritus, utrum ex Deo ſint*, nemo non intelligit, juberi nos, omnia ad prudens examen vocate, præmiſſaque ſolerti inquiſitione diſcernere quid rectum ſit, quidve a Deo procedat. Si ergo inter probationis officium, & Dominici corporis perceptionem nihil aliud Paulus, Dallæo judice, medium interpoſuit, neque tacite & neceſſario ſubintelligendum reliquit, ſatis ergo erit, conſcientiæ ſinus excutere, & a diſquiſitione poterit quiſque etſi maximis ſceleribus coinquinatus ad menſam Dominicam convolare. Quare itaque Novatores omnes Dominici corporis & ſanguinis reum agunt, qui, detectis conſcientiæ ſuæ maculis, Deo ipſi non confiteatur ab eo veniam petens, qui novæ vitæ propoſitum non arripiat, qui firma fide non apprehendat Chriſti promiſſa, immobiliter credens ſacramentali illa manducatione remiſſionis peccatorum, & gratiæ ſe compotem fieri? Nec enim quidquam horum vel heic, vel alibi Paulus expreſſit. Reponent, hæc laudatis Pauli verbis involvi: Reponimus & nos, non autem marte noſtro, ſed Evangelii auctoritate ſubnixi, ſacramentalem Confeſſionem etſi a Paulo diſerte non inculcatam, ex laudato tamen ejuſdem teſtimonio neceſſario ſubinferendam, quum ea tantum legitima ſit conſcientiæ probatio, quæ juxta definitum a Chriſto ordinem fit.

XXV. In poſtremo argumento multa peccat Dallæus: primo etenim exploratæ rei loco conſtituit, nullum fuiſſe de peccatorum confeſſione in veteri lege præceptum, quod falſum eſſe tevincitur vel uno hoc locupletiſſimo teſtimonio Numer. 5.: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: loquere ad filios Iſrael, vir ſive mulier, quum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus acc dere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum &c.* 2. Etſi nulla fuiſſet in veteri lege peccatorum juſſa confeſſio, ergo ne eſſet Chriſti jugum Moſaica lege gravius, & moleſtius? Ei ſoli in mentem hoc veniat, qui plane ignoret, quibus purificationibus, ſacrificiis, & cæremoniis juſſiſſet Deus, Hebræos certorum criminum reos, præter interiorem pœnitentiam, præter rigidam damni proximo illati compenſationem, peccata ſua expiare in templo coram aliis, quibus ex hoſtiæ pro peccato oblatione, innoteſcere poterat, quemadmodum D. Thomæ ſcite animadverſum eſt, eos graviter deliquiſſe. Hæc peccantibus olim a Deo præſcripta ſi cum arcanæ confeſſionis præcepto quis conferat, fieri ne poteſt,

ut Evangelicum hoc onus Moſaico gravius eſſe pronuntiat? His ſi addamus, legem Evangelicam non timoris & ſervitutis legem eſſe, ſed gratiæ, libertatis, & charitatis, ejuſque mandata, ut egregie adnotat Auguſtinus, *non ſarcinam onerati, ſed alas volaturi eſſe*, quorum obſervatio charitatis ſpiritu, qui Evangelii proprius eſt, faciliſſima efficitur, ſtomachum magis movet Dallæi impudentia, *confeſſionale jugum* (ita præceptum hoc per ludibrium vocat) Moſaicæ lege multo gravius eſſe clamantis. Inſulſi ſcribillatoris intererat, ſolide evincere, Confeſſionis neceſſitatem nullo Chriſti præcepto inductam eſſe; Verum quum neque ipſe, neque Gregalium ejus quiſquam præſtare id haſtenus potuerit, omnes eorum criminationes ceu ineptientium hominum nugamenta ridemus: Sat enim nobis eſt demonſtrare, Confeſſionem a Chriſto præceptam eſſe, ut cuilibet perſuaſum ſit, eam, adjuvante Dei gratia, nec moleſtam eſſe nec gravem, quum ab eo mandata ſit, qui *jugum ſuum ſuave, onuſque ſuum leve* eſſe teſtatus eſt.

Plura denique e naturali ratione petit adverſus hoc fidei caput Dallæus intorquet, quæ juvante Deo, ſolide refellemus. Arguit primo: Mirum eſt, Pontificios non deprehendere, quam gravem Deo injuriam irrogent, dum Confeſſionis hujus neceſſitatem exaggerant. Spopondit Deus haud ſemel, ſe delicta omnia impiis remiſſurum, ſi ingemuerint, & pœnitentiam egerint: Pontificii contendunt, non dimitti impiis ſcelera, niſi præter interiorem animi pœnitentiam, quam unam Deus exigit, patrata delicta in aurem Sacerdoti inſuſurrent. Annon itaque ſunt in Deum contumelioſi, eum quaſi mendacii redarguentes? Quantum etiam in Deum ipſum peccant, quem homini indigne ſubjiciunt, quaſi vero is, cujus ſolius eſt, peccata dimittere, a miniſtri arbitrio pendere debeat, qui, audita prius fidelium confeſſione, judicium de reis ferat, quod a Deo ratum habendum ſit!

XXVI. R. Dallæum ejuſque aſſeclas maximam illam Deo injuriam, & contumeliam inferre, cujus nos per ſummam procacitatem inſimulant. Quis enim vere in Deum iniquus eſt atque contumelioſus; qui interiorem quidem Pœnitentiam ad impetrandam peccatorum veniam neceſſariam eſſe, conſtantiſſime credit, eam tamen Pœnitentiam neque ſinceram, neque legitimam, neque obtinendæ rei idoneam eſſe contendit, niſi ordine fiat a ſupremo omnium Domino conſtituto, iiſque mediis juncta ſit, quæ Chriſtus ipſe præſcripſit, quæque ex Evangelio colliguntur; an qui nullum de anteacta vita animi dolorem & cordis gemitum, ſed ſolum novæ vitæ propoſitum exigens, nullam hominibus, ſed ſoli Deo faciendæ confeſſionis neceſſitatem adſtruens, nullam Chriſti miniſtris ſolvendi ligandive poteſtatem, ſed nudum declarandi ac nuntiandi miniſterium tribuens, plurima veteris inſtrumenti teſtimonia fruſtratur, fruſtratur Evangelium, Chriſti verba fruſtratur, ſicut Auguſtinus invicte ratiocinatur, quaſi vero Chriſtus abſque cauſſa & perperam dixerit, *Quodcumque ſolveritis &c. quorum remiſeritis &c.*? Primum apud Catholicos omnes in confeſſo eſt, alterum Novatoribus omnibus conſtitutum, atque ſola Scriptura judice palam fiet, non in Catholicos, ſed in Novatores merito conferendum eſſe tam grande crimen. Huc etiam faciunt, quæ primo, & ſecundo argumentis, quæ ex Scripturis Dallæus inſtruxit, paullo ſuperius repoſuimus.

XXVII. Neque minus iniquum eſt alterum in nos conjectæ criminationis caput; Ut enim Deum in Sacramento Pœnitentiæ peccata remittere, Catholici quique fatentur, ita eundem Sacramento Baptiſmatis infidelem adultum, aut infantem ex infidelibus natum a culpis omnibus emundare, fideli Dominici corporis ſanguiniſque figuram ſub utroque ſymbolo percipienti peccatorum veniam elargiri, Calvinianæ confeſſionis receptiſſimus articulus eſt. Si quis Dallæum vocaret in culpam, quod hac ſectæ ſuæ dogmata tuens, ſupremo divino juri detrahat, Deum homini ſubdat, quaſi vero is, qui ſumma auctoritate ſolus peccata dimittit, a miniſtri baptizantis, aut Euchariſtiam porrigentis opere in concedenda peccatorum venia penderet, qua ratione ſeſe acutiſſimus homo ab impacta ſibi tam turpi nota purgaret? Stomacharetur tam præpoſtere ratiocinanti, reſponderetque, nihil ſummæ Dei auctoritati deperire, ſalva & integra illi conſtare omnia, quia horum aliorumque uſus nonniſi conditio eſt, cui pro ſummo ſuo in homines jure ipſe voluit juſtificationem hominum alligare, quia ordinem hunc ipſe fixit, quia, etſi ſolus omnia poſſit, nec quoquam indigeat, nonniſi medio hominum mini-

miniſterio, aliorum ſalutem operari decrevit; quare ajebat de ſe, ſuique ſimilibus Paulus: *Dei adjutores ſumus*. Recte quidem atque veriſſime ad amoliendam a ſe omnem ſacrilegii culpam Dallæus, neque alio reſponſo opus eſt, ut illata nobis ab ipſo calumnia diſpungatur.

XXVIII. Inſurgit Dallæus ac regerit, perperam a nobis reſponſum hoc arripi, & inſcite ſupponi, poſitum hunc divinitus ordinem, ut nonniſi confeſſi Sacerdotum ſententia ſolvantur. Quis ſibi in animum inducat, ut credat, ſtatuiſſe Deum aliquid factu impoſſibile, noxium hominibus, & exitiale? Eam autem confeſſionem illam eſſe, pro qua Pontificii tanto ardore decertant, quis e veſtigio non intelligit? Contendunt enim, ſatis non eſſe, ſi quis in genere confiteatur, ſed omnino oportere, ut omnia & ſingula dearticulate peccata gravia declaret, eorumque circumſtantias omnes, neque peccata illa ſolum, quæ opere perpetrantur, quorum facilior eſt cognitio, ſed & illa, quæ intima cogitatione, & affectu admittuntur. Proh immortales ſuperos! Quis hoc poſſit, clamante Pſalte, *Delicta quis intelligit*, & concinente Jeremia, *pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile?*

Quam ſit vero illa periculi plena, peſtilens, & hominibus pernicioſa, quis animo complecti, quis ſermone exprimere ſatis poſſit? Unde immane illud libidinis monſtrum, quod *ſollicitationem* vocant, quodque ipſi Romanæ Sedi horrori fuit, quare iteratis conſtitutionibus profligare illud conata eſt, niſi ex auriculari hac confeſſione? Nonne confeſſionis obtentu plures in Reges & Principes ſceleſtiſſimæ conſpirationes conflatæ, aut confirmatæ ſunt? In quam etiam grave amittendæ caſtitatis periculum miniſtros etſi optime moratos, & verecundos, hæc de arcana confeſſione Papiſtarum doctrina conjicit? Coguntur enim ea minuratim audire, de iis colloqui, eaque penitius rimari, quæ feminarum de trivio, virorumque de vulgo aures etſi non multum religioſæ vix ferrent.

XXIX. Quid vero, ſi ad pœnitentes ſermo convertitur? Quam male Papiſtico hoc commento eorum ſaluti conſultum eſt! Conſcientiam prius ſerio diſcutiant, oportet, in qua diſcuſſione obſcœnarum rerum imagines menti obverſantes quam facile animum polluunt, trahuntque ad amorem eorum, quibus homo meminit, ſe olim delectabiliter adhæſiſſe? Nonne frequenter eadem aut ſimilia crimina confitentes paulatim aſſueſcunt exuendo illi, qui omnibus a natura ineſt, eſtque veluti turpitudinis frænum, pudori, ac ingenuæ verecundiæ? Quam fœda enim atque perverſa vitiis quibuſque faventia dogmata, quæ typis etiam vulgata horrorem piis quibuſque ingeſſerunt, docentur a Confeſſariis, qui peſtiferæ doctrinæ virus eo licentius, quo ſecretius, in aures animoſque pœnitentium effundunt? Recte ergo D. Arnaldus Sorbonicus Doctor in l. de frequenti communione ſcripſit, tum maxime graſſari vitia, quum plurimum confeſſio hæc frequentatur; Deluſi etenim homines ea obtinendæ veniæ facilitate, quæ confitentibus promittitur a Pontificiis, vitiis omnibus habenas laxant, effuſamque peccandi licentiam arripiunt.

XXX. Utinam a ſolis Novatoribus torquerentur! Dolendum maxime, eadem horumque ſimilia avide arripi, & inter familiaria colloquia haud raro interſeri a nonnullis, qui Catholico nomine gloriantur, ut dogmati huic hominibus nullam, aut leviſſimam æternæ ſalutis rationem habentibus incommodo atque gravi invidiam creent; quare noſtri muneris partes erunt, ſingula tam perſpicue, valideque retundere, ut ne minima de eorum vanitate ac falſitate dubitatio ſuperſit. Primum nervoſe refellitur a Tridentino ſeſ. 14. cap. 5. *Ex his colligitur, oportere a Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta, quæ nonnumquam animum gravius ſauciant, & pericoloſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur &c. ſed & impium eſt, confeſſionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoſſibilem dicere, aut carnificinam conſcientiarum appellare; conſtat enim nihil aliud a Pœnitentibus in Eccleſia exigi, quam ut poſtquam quiſque ſe diligentius excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum eadem confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter dicimus cum Propheta, ab occultis meis munda me Domine*. Quid in hac Eccleſiæ doctrina

ctrina abſurdum, quid factu impoſſibile, quid a Dei bonitate alienum, quaſi vero fingamus, illum quidpiam præcepiſſe, quod abſolute ab hominibus impleri nequeat?

XXXI. Dum vero Dallæus a ſollicitationis ſacrilegio, a conſpirationibus in Principes in Pœnitentiæ tribunali agitatis conflatiſque confeſſioni Sacramentali odium execrationemque parere nititur, ſtolidiſſimum Sophiſtam vel ab ipſis Dialecticæ Tyronibus exhibilandum ſe præbet, qui inter ea, quæ toto cœlo diſtant, internoſcere neſciens, rei naturæ atque indoli adſcribit, quod nonniſi in prave utentes eſt referendum. Confeſſio ne ſuapte natura mala atque noxia, quia ea nonnulli peſſime abuſi ſunt, neque abuti deſinunt? Quidni itaque malum pronuntiet, & exitiale Baptiſma, quum peſſimo fine collatum haud raro fuiſſe legatur, nec infrequenter ficte, & temporalis lucri gratia a Cathecumenis ſuſcipiatur? Quidni idem crimen Euchariſtiæ inferat, in qua conficienda, ac miniſtranda tam execrabilia, atque horrenda peccaſſe legimus Gnoſticos, & Marcoſianos, qua etiam Calvinianus miniſter abuti poteſt ad amatorium potionem, aut bolum? Quot errorem monſtra veteres Hæretici, ac Sociniani divino eloquio abutentes in Eccleſiæ perniciem invexerunt, quot ex quibuſdam geſtis, quæ Scriptura refert, peccandi anſam arripuerunt? Utquid ergo Scripturæ ſacræ lectionem omnibus promiſcue non utilem ſolum, ſed neceſſariam eſſe, Novatores quique contendunt; & uſurpatæ in fideles tyrannidis Romanam Eccleſiam accuſant, perinde ac ſi Biblia vernaculo idiomate edi vetans teſtamentum Patris filiis ſurripuerit? Ut ergo nihil eſt Scriptura ſacra divinius, nihil Baptiſmo, atque Euchariſtia ſanctius, licet perſæpe contingat, Dei verbi a perverſe intelligentibus corrumpi, atque juxta Apoſtoli phraſim *adulterari*, & laudata Sacramenta prava utentium voluntate vitiari, ita ſanctiſſima eſt arcanæ confeſſionis inſtitutio & diſciplina, etſi in eam perverſorum hominum vitio exaggerati a Dallæo, aliique abuſus irrepſerint.

XXXII. Neque melioris eſt commatis, quod de periculo miniſtris Sacramenti hujus impendente Dallæus obtrudit. Quæ enim inſania eſt, in confeſſionem ceu ſe ipſa Sacerdotibus noxiam debacchari, quod ex turpium auditu mens animuſque eorum fœdari poſſit? Si ita argutari liceat, reliquum erit, ut Dallæus cum Manichæis creaturas omnes viſibiles ſuapte natura malas eſſe pronuntiet, Deique mali opus eſſe, quandoquidem Sapientiæ 14. legimus: *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*. Tantum ne furet Dallæus, ut tam craſſum, immanemque adoptet errorem, clamante Paulo, *ſcimus, quoniam omnis creatura Dei bona eſt*, ipſe naturali ratione dictante, culpari non poſſe Dei opera, quod inſipientes ex eorum pleriſque tentationis, ſcandali, & offenſionis materiam ſibi comparent? Stultiſſime ergo Dallæus in Sacramentalem confeſſionem invehitur, quaſi ipſa ſit periculi & exitii plena. Non eſt illa in tentationem & *in muſcipulam* niſi *pedibus inſipientium*, eorum videlicet, qui animo neque in Dei gloriam, neque in animarum ſalutem intento, ſed humana affectione aliqua præpedito, non Dei auxilio, ſed prudentia & ſcientia ſua freti, de imploranda Dei ope, parandiſque opportunis adverſus tentationes remediis parum admodum ſollicitì miniſterium illud arripiunt: iis vero, qui ita morati ſunt, ut Dei Miniſtros decet, in cordis cuſtodia vigiles, in oratione aſſidui, in virtutum exercitatione ſolertes, & præſertim non ſuis, ſed divinæ gratiæ viribus nixi, charitatis, patientiæ, humilitatis ſeges eſt, meritorumque incrementum; quare quod nonnulli ex confeſſionum auditu impellantur & corruant, non confeſſionis, ſed miniſtri vitium eſt.

XXXIII. Mentitur etiam impudentiſſime Dallæus adſerens, confeſſionis inſtituto Miniſtros cogi, ea cum Pœnitentibus miſcere colloquia, deque iis Pænitentes interrogare, quorum vel lenones ipſos puderet. Si qui forte in hoc peccant, atque in interrogando nimii, atque imprudentes ſunt, non eos purgandos ſuſcipimus, ſiniműſque vapulare a Dallæo, qui tamen iniquus & procax eſt, ex paucorum vitio Confeſſionis inſtitutum, Eccleſiæ doctrinam, Theologorumque omnium coronam in crimen vocans; Quid enim in Theogorum noſtrorum libris, quid in Epiſcoporum, Synodorumque monitis frequentius atque ſanctius commendatur, quam oportere maxime, ut inquiſitio in ſingulas Pœnitentium culpas contra ſextum Decalogi præceptum admiſſas circumſpecta admodum ſit, brevis, & caſta, neque major, quam quæ ad dignoſcendum Pœnitentis

tis ſtatum, rectumque de eo ferendum judicium neceſſaria eſt, cavendum item religioſiſſime, ne quidpiam minus caſtigatum Confeſſario inter interrogandum, excidat, quo & miniſterii ſanctitas violetur, & pænitentis verecundia lædatur, neve ab incauto, nimiſque curioſo miniſtro quidpiam mali confitens diſcat, quod forte ignorabat? Hæc Romanæ Eccleſiæ doctrina, hæc cordatorum Sacramenti hujus Miniſtrorum eſt praxis, quam ſi velit Dallæus arrodere, dentes, ut in proverbio eſt, allidet ad lapidem.

XXXIV. Quæ de Pænitentium periculis damniſque Dallæus adjicit, inania puerorum terriculamenta ſunt, quæ gravibus conſtantibuſque viris riſum movent. Noxia, judice Dallæo, confeſſio, quia in conſcientiæ diſcuſſione fœdatum rerum imagines in mentem conſulto revocatæ in evidens iteratorum criminum periculum cogitantem inducunt. Lepide vero. Si res ita ſe habeat, nec ergo neceſſe erit, Deo ipſi confiteri, ut Calviniani contendunt, quum & confeſſioni illi præmittenda ſit excuſſio conſcientiæ evidenti eidem periculo obnoxia; imo & nefas erit, confeſſionem hanc coram Deo edere, quæ in tantum animas diſcrimen conjicit. Peccarunt itaque David & Ezechias manifeſto peccandi periculo improvide & abſque cauſa ſe objicientes, quorum prior ajebat, *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*, *Peccatum meum contra me eſt ſemper*, *Exercitabar & ſcopebam*, vel ut legunt Septuaginta, *rimabar ſpiritum meum*; alter vero, *Recogitabo tibi omnes annos meos &c.* Piget tam frivola ſerio refellere, & vehementer mirari ſubit, Calvinianum Miniſtrum tanti apud ſuos nominis non intelligere, quod eſt vel rudioribus exploratum, graviter periclitari eos, qui nullo honeſto fine, in præteritarum, quæ cum caſtitate pugnant, culparum cogitatione animum prudentes ſcienteſque defigunt, ab hoc vero periculo abeſſe illos, qui in amaritudine animæ annos ſuos recogitant, ut anteactæ vitæ odium deteſtationemque concipiant, atque ad expianda admiſſa ſcelera ea remedia adhibeant, quæ Chriſtus ipſe conſtituit.

XXXV. Ejuſdem eſt furfuris, quod de paulatim imminuendi, tandemque penitus excutiendi pudoris periculo, ſi homines eadem aut ſimilia peccata ſæpe confiteantur, Dallæus ſcriptitat. Quid enim ſi plures, qui, ut Proverb. x. legimus, *quaſi per riſum operantes ſcelus*, quaſi per jocum Sacerdotibus ſcelera admiſſa declarant, pœnitentiæ Miniſtros vel conſulto quærunt, vel fortuito nanciſcuntur, qui homines facillime abſolvunt vetuſta peccandi conſuetudine captos, in proxima occaſione verſantes, ſincero melioris capeſſendæ vitæ propoſito vacuos, paucularum precum, aut tenuis eleemoſinæ onere impoſito graviſſimorum ſcelerum reis? Hæccine eſt inſtitutæ a Chriſto confeſſionis forma, hæccine Eccleſiæ doctrina, hiccine ab ea præſcriptus adminiſtrandi Sacramenti hujus modus, ut pudoris jacturam in confeſſionis Sacramentalis indolem Dallæus referre poſſit? Incidat pænitens in Miniſtros, qui juxta Chriſti, & & Eccleſiæ leges munere ſuo ſancte riteque fungantur, qui ei debitum patratorum criminum horrorem injiciant, qui eum ſalutari divinæ ſeveritatis metu concutiant, qui peccare jam dudum ſolitum, vel proxima peccandi occaſione detentum tamdiu ſolvere differant, donec vel occaſionem abſciderit, vel ſinceræ reſipiſcentiæ haud æquivoca præferat argumenta, qui denique pœnas injungant, quæ culparum gravitati reſpondeant, licebitque tunc Dallæo, confeſſioni crimen inferre, ſi pænitenti verecundiæ jacturam adferat.

XXXVI. Quod vero addit, a Chriſti Miniſtris perverſorum dogmatum virus in pænitentium animos clam deduci, quis pacate ferat, quis moderate patiatur? Unde Dallæo innotuit, tantam animabus perniciem a Confeſſariis importari? Argumento ſunt, ait, tot ii libri laxiſſimis monſtroſiſque opinionibus ſcatentes, quibus ampliſſima ad flagitia quælibet via aperitur. Opiniones has a Catholicis Scriptoribus in Evangelii dedecus, Chriſtianæque plebis ruinam fuiſſe vulgatas, negare non poſſumus: quod autem iniquius, quid perverſius, quam Confeſſionem carpere, Eccleſiam criminari, perinde ac ſi ex Confeſſionis inſtituto, & Eccleſiæ doctrina hæc mala fluant, quæ nonniſi hominum ingenio ſuo abutentium vitia ſunt? Ingenui ne, & bene morati hominis eſt, hæc opinionum monſtra ad conflandam Confeſſioni invidiam exaggerare, maligno autem ſilentio premere, eadem iteratis Eccleſiæ fulminibus fuiſſe protrita, graviſſimis Academiarum confixa cenſuris, & ſolidiſſimis illuſtrium Theologorum lucu-

cu-

Digitized by Google

cubrationibus refutata? Id profecto Dallæus ignorare non potuit, peſſimæque idcirco fidei manifeſte revincitur, illud avide arripiens, atque jactitans, quod ſibi in ſpeciem favet, alterum doloſe ſupprimens, quod optime noverat cauſæ ſuæ incommodum, & exitiale.

XXXVII. Quid vero nobis Antonii Arnaldi auctoritatem opponit? Non eſt illa, ut Dallæus loquitur, in *noſtro Iſraele Magiſter, & Doctor*, neque eum tanti facimus, ut cum quodam Doctore Sorbonico, operibus editis ubique gentium celeberrimo, *meritiſſimum* illum, & *veneratione digniſſimum* appellemus. Librum ejus *de frequenti communione* etſi multigena eruditione refertum, etſi multam pietatis ſpeciem prætereentem, etſi Epiſcoporum quindecim, & Doctorum viginti calculo probatum novimus a P. Nouëto Soc. Jeſu Presbytero in publica concione graviſſime redargutum, & a Clariſſimo Petavio edito de *Pœnitentia* libro valide refutatum. Cæterum quia liber hic ad Romanæ Sedis judicium delatus nulla Apoſtolica cenſura notatus fuit, præter adſertionem unam præfationi obiter inſertam, quæ ad inſtitutum noſtrum non adtinet, ne Dallæus gloriari poſſit, Arnaldum in libro, in quo nihil Romana Sedes reperit, quod configeret, ſibi dextras junxiſſe adverſus Confeſſionis inſtitutionem & diſciplinam, ejus procacitas, & mentiendi libido caſtiganda eſt. Quid ex toto illo Arnaldi libro extundere Dallæus potest, quo Arnaldum in erroris ſui ſocietatem trahat, eumque ſibi concinere, ſi non perſuadeat, ſuadeat ſaltem? Non alio quam oculis, opus eſt, ut certior quiſque fiat a Novatorum errore quam longiſſime Arnaldum abeſſe, niſi quis ea animi cœcitate percuſſus ſit, quam Deus Iſa. 6. Incredulis comminatur: *audite audientes, & nolite intelligere, videte, & nolite cognoſcere*. Plura mitto, quæ ad veterem Pœnitentiæ diſciplinam, ad animi puritatem ſpectantia, qua polleant, oportet, qui frequenter ad Euchariſticam menſam accedunt, ex antiquis Patribus, & Eccleſiaſticis Tractatoribus copioſe tradit: ea duntaxat expendam, quæ de Confeſſione diſſerit, atque Dallæum fidentiſſime provoco, ut verbum laudet, quo vel leviter Arnaldus innuat, expiandorum criminum facilitatem confeſſione promitti, qua deluſi homines in nova ſcelera licentiſſime ruunt. Idne poteſt, niſi iniquiſſime, Scriptori tribui, qui graviſſimis Sanctorum Patrum verbis eos Pœnitentiæ miniſtros coarguit, qui tradita ſibi poteſtate abutentes, in ſolvendis graviorum criminum reis nimia facilitate peccant, *vel peccatis conniventes*, ut Tridentinum ait, *leviſſima quædam opera pro immanibus delictis imponunt*, vel peccatis jamdudum aſſuetos, neque unquam adverſus pravam conſuetudinem ſerio conatos abſolvunt &c. qui & pœnitentes illos vehementius objurgat, qui ſolam confeſſionem plene expiandis culpis abſque dignis pœnitentiæ fructibus ſatis eſſe, perperam opinantur, qui ſibi videntur, vere & ex animo de peccatis dolere, ſi ex libellis, quorum in vulgi manibus ingens eſt copia, certas precandi formulas, quæ contritionis actus inſcribi ſolent, oretenus recitaverint &c. Nolim equidem rigidiora quædam ad præmittendam Paſchali communioni præparationem, & ad inſtaurandum veteris pœnitentiæ ritum ſpectantia in Arnaldi libro probare, quæ ſaniori Theologorum parti arrident: illud attamen evidens eſt, mentiri Dallæum impudentiſſime, dum peſtilens hoc effatum Arnaldo Auctori deputat, graſſari licentius peccata, quo eſt Sacramentalis confeſſio frequentior.

XXXVIII. Inſtat Dallæus, a ſuaviſſima Dei providentia atque ineffabili ejus in homines bonitate plane alienum eſſe, ut medium hominibus præſcripſiſſe credatur, quo eorum mentes inextricabilibus difficultatibus implicentur, & continue torqueantur, abjecta penitus ſpe interioris pacis, & gaudii in Spiritu Sancto. Si enim neceſſaria divino jure ſit ſingulorum lætalium confeſſio, annon inde conſequens quoque eſt, fluctuare ſemper animo hominem, hacque dubitatione cruciari, num ſatis conſcientiam excuſſerit, an ſingula mortalia declararit, an vere eum admiſſorum criminum pœnituerit, an legitima poteſtate polleret Sacerdos, qui eum abſolvit, an ſerium abſolvendi animum geſſerit &c.? His & ſimilibus curis agitato animo quæ pax, quæ ſerenitas affulgere poteſt? Perperam itaque nos hortatur Apoſtolus ad Philippenſes 4. ſcribens, *gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete*; Papiſtæ enim horrifica hac de confeſſionis neceſſitate doctrina ſpirituale hoc gaudium exulare, hominemque

co-

cogunt intoleranda triſtitia abſorberi, quod idem Apoſtolus 2. ad Cor. 2. cavit diligentiſſime.

XXXIX. Quam inſcite & futiliter hæc a Dallæo jactentur, dilucide intelliget, quiſquis communem de hoc capite Novatorum doctrinam & praxim perſpectam habeat & exploratam. Etſi enim omnes confeſſionem Sacramentalem divinitus præceptam, & neceſſariam eſſe, mordicus negent, ſalutarem tamen, utilemque, & ſedandis hominum conſcientiis aptiſſimam, neque abſque inſigni pœnitentium fructu peragi, concedunt omnes, qui in Lutheri & Calvini veſtigiis inſiſtunt. Lutheranorum pleroſque noſtra hac ætate Catechiſmo Lutheri uti, in quo jubetur Miniſter, audita pœnitentium confeſſione, eos hiſce verbis abſolvere, *Ego ex Chriſti mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris* &c. tertio Hiſt. variationum libro ſcribit Clariſſimus Meldenſium Antiſtes: Quæ ſit Calvinianorum mens, atque praxis, ex confeſſione fidei Eccleſiarum Reformatarum aperte colligitur, in qua confeſſionis utilitas commendatur juxta illud, quod a Calvino tradi ſemel iterumque jam adnotavimus l. 3. Inſtit. c. 4. ſcribente, haud exiguam fidelis hominis conſolationem, atque inſigne bonum eſſe, ab iis abſolvi, & culparum veniam conſequi, quibus Chriſtus ait, quodcumque alligaveritis &c. quique in nomine Domini, ejuſque auctoritate ac præcepto ſe abſolutionem petentibus impartiri denuntiant. Sentit ne Dallæus quid ex his, ad hominem, ut ajunt, retorqueri in eum invicte poſſit? Conficitur hinc legitime, ſtolidum illum eſſe, & humano quovis ſenſu defectum, qui non intelligat, quæ hactenus in divinam confeſſionis inſtitutionem, ac neceſſitatem objecit, ejus ſanctitatem, utilitatem, ac ſalutares fructus impetere. Tantum nobis otii non eſt, ut ſingula refricemus & ratione jam cuſa, nec quiſquam eſt veſtrum, qui vel leviter ratiocinando id nequeat facillime deprehendere; in novo hoc Dallæi argumento ſolum hæreamus, cujus diſſolutionem ipſa Reformatorum doctrina ſuppeditat.

XL. Si conſolationem haud modicam, bonumque inſigne fideli adfert, Calvino teſte, Chriſti Legatum adire, omnes ei conſcientiæ plagas atque ulcera nudare, ejuſque ſententia Chriſti juſſu & auctoritate lata ſanari, culparum donari venia, Deoque reconciliari, non eſt itaque ſua pte natura turbulentum & triſte confeſſionis ingenium, animorum paci atque gaudio infeſtum, & turbarum ferax, atque ſollicitudinum; alioqui quomodo poſſet arbor mala bonos fructus facere? Annon etenim & Calvinianus aut Lutheranus graviter ſauciæ atque turbatæ conſcientiæ ſanandæ atque ſedandæ gratia Legatum Chriſti conveniens hærere animo, atque angi poteſt, an omnia conſcientiæ vulnera rimatus ſit, an ſincere omnia Miniſtro detexerit, an ſit ille Chriſti Legatus &c.? Reponet Dallæus hæc ex ultronea confeſſione nec naſci, nec naſci poſſe, quum fidelis ad Chriſti Legatum accedens immobiliter de Evangelico verbo culparum veniam promittente, quod ſibi Miniſter annuntiat, certus futurus ſit, neque debeat admodum eſſe ſollicitus, ut Lutherus docuit, de exponendis Miniſtro culpis, ſed de verbo, quod Dei nomine ſibi Miniſter edicit, nec dubitare ullatenus poſſit, an legitima ille gaudeat auctoritate, quem ſcit a Conſiſtorio, vel Paſtorum cœtu vocatum: quid vero de intentione ejus angatur, quum rite abſolvat, etſi ebrius ſit, vel jocetur? Non eſt loci hujus, hoc Dallæi reſponſum exagitare, immaneſque quibus compactum eſt, errores refellere; illud tantum arripimus & convertimus in rem noſtram. Etſi fidelis Sacerdotis ſententia ſolutus credere certo non poſſit, ſe vere juſtificatum, Deoque plene reconciliatum, quod firmiſſima hæc & immobilis perſuaſio divino eloquio contraria ſit, jubetur tamen in divina bonitate ac miſericordia conquieſcere, atque confidere, ſe peccatorum veniam aſſequutum, quoties gravis nulla, prudenſque ratio ei ſuppetit dubitandi de prætermiſſa vel in diſcuſſione conſcientiæ, vel in culparum declaratione, vel in earumdem deteſtatione, neceſſaria, moraliterque poſſibili diligentia.

XLI. Pia hæc de peccatorum remiſſione fiducia, etſi chimæricam illam a Novatoribus excogitatam non adferat ſecuritatem, etſi cum ſalutari illo timore conjuncta ſit, quem nobis Eccleſiaſtici Auctor enixe commendat ajens, *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*, impedit tamen, ne peracta diligenter confeſſione, abundantiori triſtitia pœnitens abſorbeatur, efficitque, ut ſpe gaudens juxta Apo-

Apoſtoli monitum cum timore & tremore ſalutem ſuam operetur. Quid vero inani, & ridiculo metu crucietur, ne forte Sacerdos legitima auctoritate, animoque abſolvendi caruerit? Etſi enim Catholicæ Eccleſiæ doctrina ſit, nullius momenti abſolutionem eſſe, quæ ab iis impenditur, qui ordinaria, aut ſubdelegata, ut Tridentinum loquitur, juriſdictione carent, neque ſerio, ſed per jocum abſolvunt, niſi tamen id conſtet, inſipienter, atque futiliter pœnitens animum in has anguſtias induceret, quum receptiſſimi apud omnes juris regula habeat, in iis, quæ certa & explorata non ſunt, in favorem Superioris præſumendum eſſe, præſertim quum id cuique perſuaſum eſſe debeat, ab infinita Dei in homines miſericordia abhorrere, ut alia ratione ejus ſaluti non conſulat, qui bona fide, atque, ut vere pœnitentis eſt, rite diſpoſitus a ſacrilego ludificetur, qui vel legitimum Miniſtrum ſimulet, vel ſolum jocandi animum gerat.

XLII. Haud equidem abnuo, nonnullos inter Chriſtianos eſſe plus æquo meticuloſos, captoque e confeſſionibus vel actis, vel agendis graviſſimi angoris argumento, ſemper anxios turbatoſque, ſemper de iteranda confeſſione ſollicitos, quod ſibi videantur nunquam ſancte confeſſi, aut ex animo doluiſſe: Verum quid hæc ad faciendam Sacramento huic invidiam? Vitia hæc ſunt hominum, qui vel nimium opinioſi plus ſuo quam Dei Miniſtrorum judicio deferunt, vel melancholico temperamento acriorique imaginandi facultate trepidandi cauſas ubilibet ſibi fingunt, frequenter etiam Satanas artes ſuas interſerit, ut eam conſcientiæ pacem atque tranquillitatem, & vehementem ſpiritus conſolationem, quæ Sacramentum hoc, ut docet Tridentinum, conſequi ſolet, turbet atque diſpellat. Hæc porro, qui confeſſioni deputare voluerit, perinde faciet, ac qui Dei providentiam e. g. accuſet, & culpet, quod plura, futura præſertim, homines latere voluerit, quia eorum ignoratio aliquos male torquet, qui & nefandis ſæpe mediis utuntur, ut occultorum futurorumque ſcientiam acquirant.

Poſtremo Dallæus arguit, noſtram hanc de confeſſione doctrinam contradictione maniſeſtiſſima laborare; qui enim docemus, peccata lætalia abſque confeſſione non tolli, iidem ſentimus & tradimus, ea etſi graviſſima, ſi memoriæ non occurrant, abſque confeſſione dimitti, qua doctrina quid abſurdius, quidve magis ſecum pugnans?

XLIII. Nulla tamen eſt in doctrina Eccleſiæ contradictio. Ideo enim ſingula, quorum homo meminit, divino jure declaranda eſſe docemus, quia Sacerdos, cui a Chriſto ligandi atque ſolvendi facultas collata eſt, nonniſi cauſa cognita, poteſt æquum judicium ferre, ex quo neceſſario conſequitur, hominem gravium culparum reum, ſolvi rite, aut ligari non poſſe, niſi agat, quod in ſe eſt, ut Sacerdos in plenam cauſſæ cognitionem adducatur, neque implere illum, quod vere poteſt, & ex divino mandato debet, niſi omnia, quorum conſcientiam habet, integre fideliterque declaret. Ab omnibus vero eum ſolvi, quibus coram Deo ligatus eſt, etſi ea non aperiat ſigillatim, quod poſt diligentem ſui excuſſionem ea nequeat in memoriam revocare, Catholicorum omnium veriſſima ſententia eſt, quia & Deus hominem ad impoſſibilia non adigit, & pœnitens generatim de omnibus, quorum reus eſt, vere dolens, ita animo paratus eſt, ut omnia prorſus ingenue confiteretur, ſi omnium recordaretur, quare omnium omnino remiſſionem a Deo virtute clavium obtinet, quibus, etſi non actu (quod id moraliter non potuerit) omnia tamen voto ſubjecit. Alia Novatorum objecta commodius diſpungentur, quum de confeſſionis conditionibus ſermo erit.

PROPOSITIO II.

Perpetua atque conſtanti Eccleſiæ traditione eadem veritas demonſtratur.

I. Quum Dallæus tertio & quarto peſtilentis ſui operis libro ſibi probandum ſumpſerit, Innocentianam confeſſionem in veteri Chriſtianorum Eccleſia neque ſolemnem, neque uſitatam, imo nec cognitam fuiſſe, atque prorſus ab eo, quem recentes Pontificii fingunt, Sanctorum Patrum ſu iſſe ſenſum, atque uſum, idemque ante Dallæum aggreſſus ſit Jacobus primus Magnæ Britanniæ Rex, ſeu verius ejus nomine Iſaacus Casaubonus in ſuo ad Card. Perronium reſponſo hæc habens: „ Explorata res eſt, peccatorum confeſſio-

„ nem

„ nem in veteri Eccleſia fuiſſe uſitatam, „ aliter tamen longeque aliter, ac hodie „ in uſu eſt; neminem enim dicturum „ puto, confeſſionem, ſicut apud Roma- „ nos nunc frequentatur, prioribus ſæcu- „ lis fuiſſe receptam. Fatetur Rex, vete- „ res Patres, qui eam inſtituerunt, ido- „ neis rationibus fuiſſe adductos, ut con- „ feſſionem ejuſmodi haud inutilem obti- „ nendæ facilius ſaluti cenſerent; eam „ tamen abſolute neceſſariam, aut Sacra- „ mentum eſſe, plane non crediderunt, „ ſaltem non omnes certe, quum ſatis „ conſtet, S. Joannem Chryſoſtomum au- „ ricularem hanc confeſſionem a ſuis non „ exegiſſe. “ Quum idem Novatoribus omnibus ratum noſtra hac ætate fixumque ſit, neque Theologi eſſemus, neque munere noſtro apte defungeremur, ſi tanti momenti veritatem pateremur Novatorum cavillationibus obteri, & purioris antiquitatis ſuffragio veluti deſtitutam prophanæ & illegitimæ novitatis inſimulari. Multæ quidem & longioris id futurum eſt operæ, ſed argumenti dignitas, gravitas, & utilitas temporis laboriſque impendium quodlibet abunde penſabunt.

II. Priuſquam Catholicæ veritatis momenta promamus, excutienda ſunt cum Cl. Cardinali Perronio memorati Jacobi Regis, aut Caſauboni verba, & nonnulla præmittenda, quæ, extricatis quibuſdam ambagibus, quibus quæſtionem hanc Novatores implicare nituntur, ad genuinam dogmatis hujus intelligentiam ducant. Quum Britanniæ Rex negare non auſus, auricularis confeſſionis priori Eccleſiæ ævo nullum fuiſſe uſum, meditato addiderit, *ſicut hodie apud Romanos agitur*, qua clauſula æquivoca, & ſenſibus variis obnoxia effugium ſibi paraſſe videtur, ex quo poſſet & Lectores morari, ut Peronius advertit, & veritatem longius oppugnare, quaſcumque flexiloquæ illius exceptionis tricas eludimus, & controverſiæ cardinem non in modo, ſed in ipſa rei ſubſtantia conſtituimus; quare obtinendæ adverſus Novatores cauſæ ſatis eſt, ſi evidenter, invicteque probemus, veteri Eccleſiæ, ut & nobis, perſuaſum fuiſſe, vocalem diſtinctamque peccatorum confeſſionem Paſtori factam neceſſariam eſſe ad ſalutem: an vero publica illa futura ſit, an arcana atque auricularis, extra dogmatis ſubſtantiam eſt, atque a Chriſto prudentiſſimæ Eccleſiæ æconomiæ relictum, & permiſſum arbitrio. Quod ergo Eccleſia pudori hominum parcens pia quadam atque conſulta indulgentia publicæ confeſſioni ſecretam poſteriori ævo ſuffecerit, non gravius effectum eſt confeſſionis jugum, ſed levius ac ſuavius, neque nobis eſt de hac modi variatione dolendum, ſed gaudendum, ſcribente Tertulliano l. de Baptiſmo c. 20.: *nobis gratulandum eſt, ſi non publice confitemur iniquitates aut turpitudines noſtras*.

III. Quid vero illud eſt, quod idem Rex ait, veteres Patres, a quibus inſtituta confeſſio eſt, abſolutam ei ad ſalutem neceſſitatem non tribuiſſe? Si Patrum nomine Apoſtolorum ſucceſſores intelligat, fallitur Princeps cæteroqui doctiſſimus; non enim eam Patres inſtituerunt, ſed a Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis ex Chriſti mandato traditam docuerunt, promulgaruntque; neque de hujus confeſſionis neceſſitate alia eſt hodiernæ a veteris Eccleſiæ doctrina; neque nos enim, neque antiqui Patres abſolutam confeſſionis neceſſitatem credimus ac profitemur, ſed fuit illis, eſtque etiam nobis omnino conſtitutum, neceſſitatem ejus, quam medii dicimus, hypotheticam tantum eſſe, ſi facultas adſit, non abſolutam, quum interiori pœnitentia, & confeſſionis voto quælibet relaxari delicta, quoties ea confiteri homo nequit, conſtans ſemper fuerit, ſitque adhuc Eccleſiæ doctrina.

Quod autem ait, antiquos Patres nunquam confeſſionem Sacramenti loco habuiſſe, verum eſt: errat tamen, dum nos aliter a Patribus ſentire opinatur; non enim nobis eſt Confeſſio Sacramentum, ſed tantum Sacramenti pars, & conditio Sacramentali abſolutione, quæ verum Sacramentum priſcis Patribus viſa eſt, neceſſario, & eſſentialiter præmittenda. His evolutis Patrum teſtimonia, quibus hæc veritas aperte conficitur, chronologico ordine digeramus.

IV. Primus perpetuæ Eccleſiæ doctrinæ atque praxis locupletiſſimus teſtis eſt S. Irenæus l. 1. de hæreſibus hæc de ſeductis a Marco Hæretico Chriſtianis mulieribus ſcribens: *Hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe, & inflammatas valde illum ſe dilexiſſe* &c. moxque ſpeciatim refert, Diaconi cujuſdam uxorem præſtigioſis Marci artibus dementatam,

tam, eique multo tempore impudice obſecutam, magno demum labore a fratribus ad meliorem frugem adductam, omne tempus in Exomologeſi conſumaſſe, *plangentem & lamentantem ob hanc, quam a Mago paſſa fuerat, corruptelam*. Quid hoc teſtimonio luculentius, ad comprobandam Apoſtolicorum hominum ætate occultorum ſcelerum, cujuſmodi ſunt inceſtus, ſtupra & pravæ animi cupiditates, confeſſionem? Neque hujus teſtimonii vim elidit Dallæus regerens, perperam eo uti Romanos, quum ex Irenæo non pateat, privatim ne an publice, Laicis ne an Sacerdotibus mulieres illæ confeſſæ fuerint; primo enim mentitur homo in Patrum lectione hoſpes, non patere ex Irenæo, confeſſæ ne fuerint fœminæ illæ privatim an publice, quum ad ejuſdem novi capitis calcem Irenæus ſcribat, publice eas fuiſſe confeſſas: En Irenæi verba juxta Græci textus rigorem, & aliam Galaſſii Calviniani verſionem: *Rhodanenſes multas ſeduxerunt mulieres, quæ cauteriatas conſcientias habentes, quædam quidem & jam in manifeſto exomologeſim faciunt* &c. *ac nonnullæ quidem palam faſſæ agnoverunt peccatum ſuum* &c. Etſi autem publice admiſſa ſcelera declararint, vere tamen Sacramentalis fuit earum confeſſio, quum extra confeſſionis ſubſtantiam ſit, an ſecreto & in aurem uni tantummodo fiat, an vero palam coram Presbyterorum cætu, adſtantibus audientibuſque etiam Laicis, edatur: Solis vero Presbyteris, non autem Laicis memoratas fœminas confeſſas eſſe, ex Irenæo ipſo aperte conficitur ibidem ſcribente, eas *ad Eccleſiam Dei reverſas planctibus, & lamentationibus exomologeſim feciſſe*. Quid porro eſt, ad Eccleſiam Dei converti, quid edita ſcelerum confeſſione, lacrymis & gemitibus publica pœnitentiæ opera facere, niſi velle, Deo, & Eccleſiæ reconciliari, peccatorum veniam conſequi, & communione donari? Quorum autem miniſterio id obtinetur, niſi eorum, quibus a Chriſto ligandi, & ſolvendi poteſtas tributa fuit? Hac autem poteſtate non quemlibet de plebe, ſed ſolos Apoſtolos, eorumque in Sacerdotio Succeſſores divinitus fuiſſe donatos, & perpetuo Eccleſia credidit, ſicut infra evidentiſſime demonſtrabimus, & Calvinus ipſe haud obſcure fatetur, ſæpius memorato l. 3. Inſtit. c. 4., ſolis Jeſu Chriſti Legatis, atque Miniſtris dictum eſſe ſignificans, quodcumque ſolveritis &c.

V. Æque inſulſa eſt Jo. Erneſti Grabbi reſponſio, ex Irenæo aliiſque Patribus publicæ quidem confeſſionis uſum, non tamen ejus ad ſalutem neceſſitatem extundi. Primo enim quis ſibi in animum inducat, ut credat, mulieres eaſque neque paucas, neque de trivio, omnes id ultro ſuſcepiſſe, ut abjecto quovis rubóre, quum ſint ipſæ plerumque omnium pudentiſſimæ, & præ cæteris minus patientes infamiæ, furtivas libidines, & ſecretiora ipſa impudici animi deſideria, palam proderent ac revelarent, niſi ex conſtanti apud omnes Eccleſiæ doctrina in ea perſuaſione fuiſſent, fruſtra ſperari a criminoſis veniam, & ſalutem, niſi legitimis Dei Miniſtris integra occultiſſimarum etiam culparum confeſſio fiat ſecreta vel publica? Cæterum quia ea eſt Novatorum ſupinitas, ut abſurda quælibet, modo præconceptis erroribus faveant, facile animo complectantur & credant, 2. verba ejuſdem Irenæi proferimus, quibus narrationem abſolvit, quæque decretorie conficiunt, obtinuiſſe tunc in Eccleſia ſidem hanc, abſque Sacramentali confeſſione reditum non eſſe ad veniam & ad ſalutem; ea autem damus juxta Galaſſii Calviniani ex Græco textu verſionem: *ac nonnullæ quidem palam faſſæ agnoverunt peccatum ſuum, aliæ vero, quæ id facere verentur, ſecum tacite deſperant de divina vita, nonnullæ vero prorſus abſceſſerunt, aliæ in utramque partem inclinant, atque iis accidit, quod eſt in proverbio, ut neque intus ſint, neque foris*. Quorſum autem ſceleroſæ mulieres illæ ab Irenæo notatæ, etſi nefanda Marci conſuetudine jam rejecta, etſi ad Eccleſiam jam reverſæ, veritæ tamen peccatum ſuum agnoſcere, atque fateri, de vita Dei deſperabant? Stipitem plane, aut pervicacem oportet eſſe, qui aſſentiri nolit, abjeciſſe illas icciro omnem æternæ vitæ ſpem, quod omnium mentibus penitus tunc inſita eſſet Eccleſiæ doctrina de Sacramentalis confeſſionis neceſſitate, cujus quum mulieres illas puderet, eas deſperatio ſalutis inceſſit.

VI. Quid vero ſi proverbium illud expendimus, quod Irenæus in illas fœminas torquet, quæ intra Marci, & Catholicorum partem dubiæ pendebant, *inclinabantque*, ut Galaſſius legit, *in utramque* par-

partem ? Non a Catholico aliquo Interprete, Maſſuetio Benedictino omnium nuperrimo, & optimo, aut Fevardentio, de quo hæc iniquiſſime ſcribit in hiſt. literaria Guillelmus Cave : „ inter omnes Ire„ næi editiones præſtantiſſima eſt Pari„ ſienſis an. 1639. cum fragmentis Græ„ cis, uberrimiſque Franciſci Fevardentii „ commentariis, qui tamen omnia ad „ cauſam Pontificiam ſtabiliendam obtor„ to collo trahere ſolet, “ proverbii hujus expoſitionem petam, ſed a Nicolao Galaſſio peſſime in nos animato homine, ut ex ejus ad Londinenſem Epiſcopum, & ad Lectorem præfationibus conſtat, qui in ſuis ad quinque Irenæi libros annotationibus de proverbio illo hæc habet : „ Accommodatur hoc proverbium in eos, „ qui quum lapſi ſint, ac nonnullo tan„ gantur pœnitentiæ ſenſu, eam tamen „ profiteri aut verentur, aut nolunt. “ Fœminæ itaque illæ, quæ ſeſe jam a nequiſſima Marci ſocietate ſubduxerant, & concepto jam aliquo interioris de peſſime acta vita pœnitentiæ ſenſu cupiebant, a Deo & Eccleſia reconciliationis gratiam inire, neque intus neque foris erant, auctore Irenæo, ideſt a recta ſalutis & vitæ ſemita procul aberant, quia interioris pœnitentiæ ſenſum, exteriori criminum confeſſione, Galaſſio interprete, aperire aut nolebant aut verebantur. Quid diſertius quærimus, quid ſplendidius ad Sacramentalis confeſſionis neceſſitatem ex Irenæo adſtruendam ? Jam a Marco ſeductore mulieres vitiatæ deſciverant, jam eas prave geſtorum pudebat, jam corde dolebant, eas tamen a Dei vita alienas eſſe Irenæus ex communi Eccleſiæ doctrina pronuntiat, quia eam, quæ ore fit ad ſalutem, peccatorum confeſſionem edere, aut verebantur, aut nolebant, ut Galaſſius exponit.

VII. Suppar Irenæo Tertullianus alter eſt veritatis hujus graviſſimus teſtis, cujus non ea teſtimonia laudabo, quibus utitur P. Berti, quamquam enim ille fidenter ſcribat, peſſimos Interpretes eſſe, qui ea, quæ ipſe laudat, Tertulliani loca de confeſſione ſoli Deo facta accipienda eſſe contendunt, quum & Beatus Rhenanus ipſe, cujus teſtimonio Pamelius cæteros Novatores exagitat, de confeſſione apud Sacerdotes etiam ſecreto edita Tertullianum agere fateatur, attamen Nicolaus Rigaltius, & Gabriel Albaſpinæus ex iis Tertulliani verbis, quæ maxime urget Berti, *Presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari* probari non poſſe auricularis confeſſionis ritum etſi antiquiſſimum, aliumque verbis illis ſenſum ineſſe, quam quem Baronius, Bellarminus, Maldonatus aliique ſubjiciunt, luculenter oſtendunt; quare ea urgenda ſunt Tertulliani loca, in quorum interpretatione Catholici quique conſentiant, & adverſus quæ nulla ſit Novatorum exceptio. Tertullianus ergo in l. de pœnitentia, poſtquam c. 8. & 9. interioris pœnitentiæ neceſſitatem ad obtinendam a Deo veniam expoſuit, hæc adjicit : *Hujus pœnitentiæ ſecundæ operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur* &c. mox recenſitis variis & moleſtis exomologeſis actibus, ejuſque ſpiritualibus fructibus, ſpeciatim de culparum confeſſione hæc habet : *Hac omnia Exomologeſis . . . . quum accuſat, excuſat, quum condemnat, abſolvit : inquantum non peperceris tibi, intantum tibi Deus, crede, parcet : pleroſque autem hoc opus ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt : Intolerandum ſcilicet pudori, Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari;* paucis denique adjectis ad abigendum noxium ruborem hunc, quo homines a culparum exteriori confeſſione terrentur, hæc per ironiam adjungit : *Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur, videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus : adeone exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur ? An melius eſt damnatum latere, quam palam abſolvi ? Miſerum eſt, ſic ad exomologeſim pervenire, malo enim ad miſeriam pervenitur; ſed ubi pœnitendum eſt, deſinit miſerum, quia factum eſt ſalutare* &c.

VIII. Nolumus cum Dallæo contentionis funem ducere, an de ſecreta an de publica peccatorum confeſſione Tertulliano ſit ſermo, quum de publica eum agere, ipſi Rigaltius, & Albaſpinæus Catho-

lici & doctiſſimi Tertulliani Interpretes opinentur. Demus Rigaltio aliiſque, quod ipſi ſibi videntur ex Tertulliano conficere: quid porro inde Dallæus arripiet? Jam ſatis declaratum eſt, de dogmatis hujus ſubſtantia, non de modo nobis cum Novatoribus litem eſſe: hanc autem tam manifeſte nobis Tertullianus adjudicat, ut, ſi ei teſti & judici ſtandum ſit, Novatores cauſſa ceciderint; in laudato etenim libro duplicem ait a Chriſto pœnitentiam inſtitutam, primam quæ in Baptiſmate fit, alteram, quæ *clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis obſtructa ſera pulſantibus patefaciat, & quæ iteratæ valetudinis iterata ſit medicina*. Secundam hanc pœnitentiam, qua a peccatis liberantur homines poſt Baptiſmum lapſi, non ſola conſcientia præferri, ſed aliquo etiam exteriori actu adminiſtrari, ibidem docet, ex quo colligitur, eam ad Tertulliani mentem vere Sacramentum eſſe, quum externo ſenſibilique ritu conſtet divinitus inſtituto, cui firma Chriſti promiſſio liberationem & ſanationem a peccatis adjunxit. Quum autem inter ſecundæ hujus pœnitentiæ actus culparum confeſſionem non ſoli Deo, ſed coram fratribus, & conſervis factam Tertullianus enumeret, conſequens inde eſt, Sacramentalem illam eſſe, & eſſentialem ſecundæ hujus pœnitentiæ partem; Hanc vero confeſſionem non publica ſolum, ſed & occulta, quævis poſt Baptiſmum patrata delicta complecti, tam nitide adſtruit Tertullianus, ut ſicut ſtupidus eſt Dallæus, qui id pernegat, ita ineptus ego ſim, ſi velim oſtendere. Prætereo, quæ capite quarto ejuſdem libri præmiſerat ajens: *Omnibus ergo delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit, quæ pœnitentia quum non ſolo animo agenda* ſit, ſed & externis actibus, inter quos confeſſionem primo loco cenſet, adminiſtranda, non publicarum tantum, ſed & ſecretiorum culparum confeſſione peragitur: ea tantum arripio, quæ paullo ſuperius recitavimus. Si Tertulliani ævo publicorum tantum ſcelerum in uſu confeſſio erat, ſi de hac tantum ſermonem ibidem inſtituit, quorſum in eos invehitur, qui pudoris magis memores, quam ſalutis confeſſionem aut ſui publicationem aut ſuffugiebant, aut de die differebant in diem? Quam belle & concinne homines ejuſmodi cum iis comparaſſet, qui pudendo aliquo ſecreto morbo correpti medentium conſcientiam vitantes cum ſua pereunt erubeſcentia? Si nonnisi de publicis culpis agebat, ut quid ergo pleroſque ab earum confeſſione abhorrentes ironice ſugillat, & carpit, quaſi vero delicti occultatio grande ferat verecundiæ emolumentum, Deum latere poſſit, quidquid humanæ notitiæ ſubducitur, meliuſque ſit, damnari latentem, quam palam abſolvi?

IX. Quam vero inſcite idem Dallæus obganniat, de confeſſione Tertullianum loqui, quæ cuique libera eſſet, & nullo Chriſti præcepto ad ſalutem neceſſaria, inſtituta a Tertulliano comparatio inter confeſſionem ſuffugientes, & eos, quos Medico occultum morbum patefacere pudet, meridiana luce clarius oſtendit; nonne etenim ineptiſſima illa eſſet, niſi conficeret, in æternæ ſalutis diſcrimen adduci eos, quos a culparum confeſſione inconſultos pudor abſterret, ſicut corpore certo pereunt, qui occultum corporis vitium manifeſtare medico ob erubeſcentiam nolunt? Sed decretoria ſunt ea Tertulliani verba: *an melius eſt, damnatum latere, quam palam abſolvi?* Quis enim non intelligit, perſuaſum Tertulliano fuiſſe, damnandum eum, qui latere voluerit, nec palam abſolvi, ideſt diſtincta ſuorum criminum confeſſione abſolutionis beneficio donari? Non itaque arbitrariam & liberam cuilibet Sacramentalem confeſſionem Tertullianus habuit, ſed plane neceſſariam ad ſalutem.

X. Nullus in hac cauſa excitari poteſt gravior, & locupletior teſtis S. Antiſtite & Martyre Cypriano tertii ſæculi Scriptore Clariſſimo, qui in libello *de lapſis* tot tamque nitida veritatis hujus exhibet argumenta, ut ex ſola libelli ejus lectione certior fieri quiſque poſſit, nihil divina hac lege fideles ſingulos ad culparum omnium gravium confeſſionem obſtringente Cypriani ætate fuiſſe vulgatius. Multis in eo libello agit adverſus quoſdam, qui idolothyta comederant, thus idolis adoleverant, aut ſimile quidpiam admiſerant, tantique criminis ſibi conſcii abſque confeſſione ad altare Domini cum cæteris non verebantur accedere. Crimina hæc publica fuiſſe, & in fratrum omnium notitiam jam deducta, perperam ſcriptitant Dal-

Digitized by Google

Dallæus, Umbertus, & Joannes Fellus, ut de ſola publicorum criminum confeſſione Cyprianum, vetereſque alios Patres egiſſe conficiant; revincuntur enim erroris diſertiſſimis ejuſdem Cypriani verbis, qui ibidem miracula ſuo tempore patrata refert, quibus Deus coram Epiſcopo ſacrificante, & adſtantibus fratribus in ſacrilegos illos animadvertit, qui occultorum criminum rei, *putantes*, Cypriani verba ſunt, *ſe pœnam criminis evaſuros, eo quod palam non admiſiſſent, ore violato auſi fuerant, Sanctum Domini edere*, hæcque inter miraculorum enarrationem interſerit: *Secreta tenebrarum ſub Domini luce detecta ſunt: Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt* &c. *Impunitum diu non fuit nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem* &c. Mox Sanctus Martyr occultis his idololatris confiteri, & pœnitentiam agere detrectantibus aliorum pietatem opponit Sacerdotibus ſincere confitentium, quod de idololatria cogitaviſſent, hæcque ait: *Deinde quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti ſunt, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipſum apud Dei Sacerdotes dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe, Deus non deridetur* &c. pauciſque interpoſitis ſubdit: *Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc, qui adliquit, in ſæculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per Sacerdotes Domino grata eſt* &c.

XI. Unum hoc venerandæ antiquitatis monumentum ſatis ſuperque eſt demonſtrandæ doctrinæ, quam Catholica Eccleſia ſemper profeſſa eſt, & quibuſcumque Novatorum cavillationibus elidendis; Quis enim niſi *rebellis lumini*, dubitare jam poſſit, Cypriano integerrimo, & ſanctiſſimo teſte veritatem hanc nitidiſſime confirmante, communem hanc in Eccleſia circa tertii ſæculi medietatem viguiſſe fidem & praxim, obtinuiſſe videlicet gravium peccatorum, etſi occulta illa eſſent, & ſola cogitatione patrata, confeſſionem Euchariſticæ communioni præmiſſam, non quibuſcumque promiſcue, ſed Epiſcopis & Sacerdotibus factam, a quibus admiſſa confeſſio, impoſita ſatisfactio, & indulta remiſſio grata erat Domino ratum habenti, atque ſolventi in cœlis, quod eorum ſententia ſolvebatur in terra? Neque doctrinam & praxim hanc ceu aliquod Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput reformationi obnoxium Cyprianus, aut alius quiſpiam Epiſcoporum invexit, ſed Domini inſtitutionem, atque præceptum eſſe ex Apoſtolica traditione ad ea uſque tempora derivatum, ipſe teſtatur, qui prope ejuſdem libri finem, quidquid de interiori pœnitentia, confeſſione, & juſtæ ſatisfactionis operibus dixerat, contrahens & confirmans ait: *Sic ſub Apoſtolis fides viguit, ſic primus credentium populus Chriſti mandata ſervavit*. Quod ſi Calvino teſte priorum Patrum ævo inviolata, & a quavis labe intacta permanſit Chriſti Apoſtolorumque doctrina, nec ullam Romæ aut alibi variationem paſſa eſt quingentorum circiter annorum ſpatio, qua fronte confeſſionis neceſſitatem ceu tyrannicum Papatus inventum, & impotentem Pontificorum in conſcientias dominandi libidinem Novatores exagitant, & inſectantur? Quid inter hodiernam Romanæ Eccleſiæ doctrinam, & veterum Patrum mentem & uſum intereſt? Eamdem primævæ Eccleſiæ calumniam inferant, neceſſe eſt, quum unam eandemque eſſe utriuſque doctrinam, teſtes omni exceptione majores luculentiſſimam fidem faciant.

XII. Neque his tamen movetur Dallæus, ſed untatam occinit cantilenam regerens, fideles a Cypriano memoratos non divina aliqua lege obſtrictos, ſed ſpontanea animi religione confeſſionem ſuorum criminum edidiſſe. O longe audaciſſimum caput! Si nulla lege, ſed ultronea religione fideles ad occultorum criminum confeſſionem Cypriani tempore ducebantur, nihil ergo peccabant, qui in ſcelus aliquod lapſi, Deoque ſoli confeſſi ad Euchariſtiam accedebant, quippe qui vocalem confeſſionem ceu adiaphoram, & in cujuſcumque arbitrio poſitam prætermittebant: Utquid Cyprianus horum, quæ ſe ipſo præſente atque teſte eveniſſe ſcribit, narrationem adjicit, ad incutiendum terrorem lapſis, ne & ipſi abſque prævia ſcelerum confeſſione, peractaque ſalutari Pœnitentia audeant ad Domini menſam accedere? Quorſum graviſſimæ illæ Sanctiſſimi Antiſtitis declamationes: *Quid cæci oculi Pœnitentiæ*

iter

iter non vident, quod oſtendimus? Quid perculſa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de Scripturis cœleſtibus & diſcimus & docemus? Aut ſi incredulis quibuſdam minor fides eſt futurorum, vel præſentibus terreantur. Præſente ac teſte me ipſo accipite, quid evenerit &c. Deinde poſt narrata ſingillatim nonnulla divinæ ſeveritatis in hujuſmodi reos argumenta, ita pergit: *Quam multi quotidie Pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quam multi uſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, quum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quam numeroſa delinquentium multitudo. Unuſquiſque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid & ipſe pati mereatur; nec evaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quæ ſibi Dei Judicis cenſura ſervavit*, vel ut alius codex habet, *ira reſervavit*. Hæccine de omiſſione indifferentis & liberi officii ſcriberet Vir graviſſimus? Fuimus in Cypriano expendendo paullo longiores; ſed non piget, quandoquidem mirabilis hujus Viri, ut cum Maximo Taurinenſi loquar, atque omnium ubique ſtudiis celebrandi, cujus eloquentia inſpirata divinitus & Eccleſiam docuit, & ſæculum confutavit, cujus, ut Hieronymus ait, ſole clariora ſunt opera, atque inſtar fontis puriſſimi, hujus inquam Doctoris auctoritas, quam & Novatores ipſi plurimi faciunt, retundendo Dallæo, & catholicæ veritati firmandæ perquam maxime idonea eſt.

XIII. Quamquam multa ex Origene Polemici Tractatores in hujus dogmatis confirmationem conferre ſoleant teſtimonia, unum dumtaxat proferemus inſigne & cœteris luculentius ex hom. 2. in Pſal. 37., cujus auctoritatem, qua male torquetur, Dallæus eludere nititur, reponens poſt Eraſmum, homilias in Pſalmos Origenis nomen falſo præferre; inſcite tamen, nam ut in monito ad Origenis ſelecta in Pſalmos animadvertit Carolus De la Rue Congregat. S. Mauri Monachus Benedictinus recentiſſimus Origenis operum editor, Eraſmus in cenſura ſuper his homiliis criticæ ſuæ nimium permittit, earumque Auctorem ac Interpretem perperam dubios facit, & ab Huetio ſolide confutatur l. 3. Origenianorum ſect. 3. Illud itaque Pſaltis exponens Origenes, *quoniam iniquitatem meam pronuncio*, hæc habet. *Pronuntiationem iniquitatis, id eſt confeſſionem peccati frequentius diximus: Vide ergo quid edocet nos divina Scriptura, quia oportet, peccatum non celare intrinſecus, fortaſſis enim ſicut ii, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris vel phlegmatis ſtomacho graviter ac moleſte imminentis abundantiam, ſi vomuerint, relevantur, ita etiam hi, qui peccaverunt, ſi quidem occultant, & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur a phlegmate vel humore peccati: ſi autem ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodo circumſpice diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum: Proba prius Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſciplinam, ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum medicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris.*

XIV. Præclaris his Origenis verbis plura ad catholicum hoc dogma pertinentia docemur, quæ infeliciter Dallæus arrodit; Tropo enim occultæ ægrotationis, cui peccatum comparat, & Medici, cui Miniſtrum confeſſionis aſſimilat, Origenes aperte ſignificat, non publica tantum, ut Dallæus effutit, ſed etiam ſecretiora, neque hæc generatim tantum, ſed omnia ſingillatim aperienda eſſe, & Medico animorum manifeſtanda, ſeu ut ipſe hom. 3. in Levit. diſertius ſcribit, *omni genere pronuntianda eſſe, & in publicum proferenda cuncta, quæ egerimus, ſi quod in occulto gerimus, ſi quod in ſermone ſolo, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, cuncta neceſſe fore publicari, cuncta proferri*. Neque ſpiritualis hic Medicus, cui pandendi ſunt omnes morbi, omneſque morborum cauſæ, Laicus quilibet Origeni eſt, ut Dallæus inſipientiſſime comminiſcitur, ſed ſolus Domini Sacerdos, quemadmodum ipſemet perpetuo ſibi in hoc fidei capite conſtans Origenes hom. 2. in Levit. nitidius exponit: *Eſt adhuc & ſeptima licet dura & laborioſa per Pœnitentiam remiſſio peccatorum, quum peccator lavat in lacrymis ſtratum ſuum, & non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam.* Eodem etiam monente

nente

Digitized by Google

nente Origene diſcimus, quæ in delectu Confeſſarii adhibenda ſit cura; non enim quilibet adeundus eſt, neque cuilibet committenda animæ ſauciatæ curatio, ſed circumſpiciendum diligenter eſt, cui confiteri quis debeat: Probandus prius eſt Medicus, & nonniſi docto, charitate, prudentia & miſericordia prædito, Origene monitore, fidendum.

XV. Ex iis vero, quæ Origenes ibidem attexit, veterem illam Eccleſiæ diſciplinam haurimus, de qua infra rediturus eſt ſermo, ea nimirum ætate morem obtinuiſſe, confitendi prius ſecreto & in aurem Sacerdotibus muneri huic addictis, qui peccatorum ſibi declaratorum ea publice a Pœnitentibus quandoque vulgari coram fidelium cætu monebant, quæ ſervatis prudentiæ legibus manifeſtanda fratribus cenſuiſſent ad compeſcendos, ſi qui tunc ſerpebant, abuſus, alioſque ab hujuſmodi criminibus avertendos. In hanc ævo ſuo vigentem conſuetudinem digitum intendit Origenes, dum poſt commendatas dotes, quibus inſtructum eſſe oportet animorum Medicum, cui confitendum eſt, hæc continenter adjungit: *Si intellexerit, & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt.* Eos poſtremo, qui culparum ſuarum confeſſionem Sacerdotibus edere negligunt, aut recuſant, graviſſimis hiſce verbis perſtringit & terret, quibus ad adſtruendam Sacramentalis confeſſionis neceſſitatem, nihil magis invictum: *Si in corpore tuo vulnus oriatur, aut ex colliſione aliqua intumeſcat, ſollicitus es & perquiris, quid curæ debeat adhiberi, quomodo corpori ſanitas antiqua reddatur: ſi circa oculos ſe aliquis acerbus humor infuderit, ſollicitus es & perquiris, quomodo ſuccurras & prævenias cæcitatem; quum anima tua ægrotet, & peccatorum languoribus urgeatur, ſecurus es, contemnis gehennam, atque ignis æterni ſupplicia deſpicis, & irrides? Judicium Dei parvipendis, & commonentem te Eccleſiam deſpicis. Communicare non times Corpus Chriſti accedens ad Euchariſtiam, & in his omnibus putas, quod effugias judicium Dei &c.?* Ex his, quæ hactenus delibavimus ex Origene, quivis ab omni præjudicata opinione liber, ait laudatus De La Rue, colliget, multum ab Heterodoxorum doctrina abfuiſſe Origenem, quippe qui cum Eccleſia Catholica Romana docet, vere pœnitentem non erubeſcere debere omnia peccata ſua etiam occulta non ſolum Deo, ſed etiam Sacerdoti indicare, & medicinam ab eo quærere.

XVI. Secundo item & tertio ſæculo validiſſimum eſt, atque evidentiſſimum veritatis & praxis hujus argumentum controverſia Catholicos inter, & Montaniſtas, Novatianoſque, quæ & quarto & quinto vexavit Eccleſiam, & ſequioris ævi Patrum zelum, & ingenium exercuit. De tribus criminibus, idololatria, homicidio, & mæchia, eorumque ſurculis memorati Hæretici a Catholicis diſſentiebant, mordicus contendentes, Eccleſiam etſi alia his leviora ſcelera remittendi poteſtate a Chriſto donata eſſet, his tamen tribus non poſſe veniam impartiri, ſed eam poſt Baptiſmum a ſolo Deo expectandam eſſe; Catholici vero nullum excipiebant crimen, quod Eccleſiæ clavibus ſolvi, & Pœnitentia ſanari non poſſet; quare Montaniſtæ & Novatiani, aliis quibuſque criminibus præter hæc tria, quæ irremiſſibilia eſſe cenſebant, Pœnitentiam præſcribebant, eaque peracta reconciliationis beneficium delinquentibus indulgebant; Suis ergo Sacerdotibus Novatiani & Montaniſtæ ea crimina confitebantur etſi occulta, quibus nulla ineſſe poterat publica infamia; alioqui niſi ea confeſſi fuiſſent, quomodo ea Sacerdotes noſſe, quomodo condigna & ſalutari pœna mulctare ea potuiſſent, eorumque reos præſcriptæ ſibi Pœnitentiæ curriculum rite emenſos abſolvere? Hoc in Montaniſtis & Novatianis laudabant Catholici: quod vero certorum criminum indulgentiam & remiſſionem Eccleſiæ poteſtati ſubducerent, ut hæreticum anathemate feriebant; Neceſſario itaque inde conſequitur, morem tunc in Catholica Eccleſia viguiſſe, omnia cujuſque generis crimina tam ſecreta, quam publica confitendi, omniumque veniam, poſt peracta præſcriptæ Pœnitentiæ opera, Sacerdotum miniſterio conſequendi. Argumentum hoc nervoſe urget Clariſſimus Morinus l. 2. de Pœnitentia c. 4. & l. 6. c. 32., nullumque profecto eſt, quo communis Eccleſiæ ſenſus & uſus toto eo tempore, quo Calvino teſte, nulla doctrinæ ab Apoſtolis acceptæ mutatio contigerat, diſertius confirmetur.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Quid adhuc dicam? Poſſum Apoſtoli ad Hæbr. xı. verba uſurpare, & quemadmodum ille poſt commendatam magnifice fidei virtutem & excellentiam ex veterum Patrum actis ab Abele uſque ad Joſue, aptiſſima figura utens, defuturum ſibi tempus eſſe ſcribit, ſi velit in univerſum referre, quanta poſteriori tempore per fidem egerint, & paſſi ſint inſignes in Iſraelitica gente Viri, Judices, Reges, atque Prophetæ, ita de hoc præcipuo atque momentoſiſſimo Catholicæ fidei articulo ſermonem habens, poſt laudata illuſtriorum ſecundi tertiique ſæculi Scriptorum teſtimonia, quid adhuc dicam? *Deficiet enim me tempus enarrantem de Lactantio l. 4. Inſtitutionum c. ult.*, *Hilario in* 18. *Math. caput*, *Baſilio in Regulis Brevioribus*, Gregorio Nyſſeno *oratione in eos*, *qui alios acerbe judicant*, Ambroſio l. 2. *de Pœnit.* c. 9. & x., & epiſt. *ad Simplicianum*, Paciano *in exhortatione ad Pœnitentiam*, *Chryſoſtomo* hom. 30. *in Geneſim*, hom. 9. *in Epiſt. ad Hæbr.*, & lib. 3. *de Sacerdotio* c. 5., Innocentio primo epiſt. *ad Decentium Epiſcopum*, Hieronymo in x. *Eccleſiaſtes caput*, Auguſtino hom. 27. 49. & 50. & ſerm. 8. *de Verbis Domini*, Leone Magno in epiſt. *ad Epiſcopos Campaniæ*, Gregorio Magno hom. 26. *in Evangelia*: Ideoque & nos (merito poſſumus ejuſdem Pauli verbis uti, quibus ibidem orationem ſuam concludit, & ex præmiſſis veterum Patrum exemplis, quid nobis agendum ſit, infert) *ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium*, divinam confeſſionis inſtitutionem atque neceſſitatem perenni atque invariata ſæculorum omnium traditione ad nos traductam firmiſſime retinemus, hacque theologica demonſtratione, quæ nulla Novatorum cavillatione elidi poteſt, evincimus: Certum Deus exploratumque haberi juſſit, Deuteronii 19., quidquid duorum aut trium teſtium, qui probatæ fidei eſſent, & quorum teſtimonium nulla idonea exceptione infringi poſſet, adſerſione confirmaretur: *In ore duorum*, *aut trium teſtium ſtabit omne verbum*, quod Domini mandatum Math. 18. Chriſtus, & 2. ad Cor. 13. Paulus ad præſcribendam Eccleſiaſtici regiminis formam, & faciendam rebus fidem adhibuiſſe leguntur; ſed veritatem, de qua nobis litem inferunt Novatores, una mente unoque ore teſtantur, non duo aut tres, ſed clariſſimi venerandæ antiquitatis Auctores quotquot de argumento iſto ſcripſerunt, quos Calvinus ipſe, ut ſuperius adnotatum eſt, fatetur ingenue, viros eſſe, quibus Dei timor, ſapientia eximia vitæ probitas, antiquitas] demum eam auctoritatem conciliarunt, ut nihil eorum, quæ docuerunt, deſpici a nobis innoxie poſſit: ergo iniquiſſime nobiſcum agit Dallæus, qui Romanæ Eccleſiæ doctrinam maledictis proſcindit, ceu a veterum Patrum mente atque uſu abhorrentem, quum eorum teſtimonio convincatur, & judicio damnetur, ad quos confidentiſſime provocavit.

Dallei objectionibus ſatisfit.

Quum Dallæus undequaque momenta corraſerit, quibus errorem ſuum conſtabilire infeliciter nititur, ea majoris claritatis gratia ordine quodam partiemur ac refellemus. Primo, quæ ex Patrum teſtimoniis, ſecundo, quæ ex priſcis Eccleſiaſticis monumentis, 3. quæ ex quibuſdam antiquis Juriſconſultis & Scholaſticis arripit, proponemus & refutabimus.

XVIII. Obiicit primo: D. Gregorius Niſſænus in epiſt. ad Letojum ſcribit, *avaritiæ peccata inconſiderata & abſque cura prætermiſſa eſſe a Patribus*, *& ſufficere*, *ut publico doctrinæ*, *ſive inſtructionis ſermone curentur*. Nonne avaritiæ peccata gravia perſæpe ſunt? Non vigebat ergo Niſſæni ætate inviolabilis ea lex a Pontificiis jactata de ſingulis lætalibus culpis Sacerdoti aperiendis; alioqui falſo ſcripſiſſet Niſſænus, peccata hujuſmodi prætermiſſa fuiſſe a Patribus abſque cura, & ſolo inſtructionis publicæ ſermone curari.

2. D. Jo. Chryſoſtomus pluribus in locis diſerte aſſerit, ſola apud Deum confeſſione peccata remitti, neque homines cogit, ea Sacerdotibus confiteri: Sic hom. 30. *de incomprehenſibili Dei natura* ſcribit: *Vos hortor & oro*, *crebrius & aſſidue Deo confiteamini*; *neque enim in theatrum te adduco conſervorum tuorum*, *non hominibus detegere peccata cogo*: *Conſcientiam coram Deo explica*, *ipſi oſtende vulnera*, *& ab eo pete medicamenta*: Idem ferme habet hom 9. *de Pœnitentia*: *Deo ſoli dic peccatum tuum*: *tibi ſoli peccavi*, *& malum coram te feci*, *& dimittitur peccatum tuum*. Quid etiam diſertius iis, quæ hom. in *Pſalmum quinquageſimum* ſcribit: *Peccata tua dicito*, *ut ea deleas*: *at pudet dicere*, *te peccaſſe*? *Dic ea quotidie in oratione*. *Num enim dico*,

co, ut ea conſervo dicas, qui tibi exprobe? Dic Deo, qui eis medetur. Demum numquid potuit validius refutare eam Tridentini Concilii gloſſam, illud Pauli 1. ad Cor. XI. *Probet autem ſe ipſum homo &c.* interpretantis de edenda coram Sacerdote ſingulorum criminum confeſſione? *Neque juſſit Paulus*, ait Chryſoſtomus, *alteri alterum probare, ſed ſe quemque ipſum, faciens ſecretum ac minime publicum judicium, & probationem ſine teſte*.

37. Idem ac Chryſoſtomus tradunt Hilarius enarratione in Pſal. 51., Baſilius in Pſal. 37., Ambroſius l. x. in Lucam, Auguſtinus enarrat. in Pſal. 31., Maximus Taurinenſis hom. 5. de Pœnitentia Petri, Davidis atque Petri exemplo, ſola cordis contritione, abſque ulla vocalis confeſſionis neceſſitate, peccata a Deo remitti docentes, quibus concinnunt Julianus Pomerius l. 2. de vita contemplativa c. 7. & Venerabilis Beda, quorum prior quinto, poſterior octavo ſæculo floruit.

XIX. Sed a vero laudatorum Patrum ſenſu toto cœlo Dallæus aberrat; Gregorium Nyſſænum pro hoc Catholico dogmate aperte ſtare, quis dubitare poſſit, ea legens, quæ hom. ſuperius laudata ſcribit: *Major tibi in eo fiducia ſit, qui te in Deo genuit*, Sacerdote videlicet, *qui te* Baptiſmate tinxit, *quam in illis, a quibus corpore procreatus es: Audacter oſtende illi, quæ ſunt abſcondita, animi arcana tamquam occulta vulnera medico detege: ille & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit*, & paullo infra: *Tu vero, cujus animus æger eſt, cur non ad medicum properas, cur non ei confitendo morbum oſtendis tuum &c.*? Quid ſibi ergo voluit ad Letojum ſcribens, avaritiæ peccata abſque cura fuiſſe a Patribus prætermiſſa, & ſola publica inſtructione curati? Hoc ſenſu ait, crimina hujuſmodi a Patribus abſque cura fuiſſe dimiſſa, quia etſi gravibus quibuſdam ſceleribus, puta idololatriæ, mæchiæ, homicidio, canonicas pœnas Patres præſcripſiſſe leguntur, publicam nullam in avaritiæ reos animadverſionem decreverant, ideoque inquit, ſatis eſſe, ut hæc peccata, quibus nulla publica vindicta, atque coram fratribus ſatisfactio inflicta fuerat, publico doctrinæ & inſtructionis ſermone, ſeu Verbi Dei omnibus propoſiti medicina curentur. Numquid vero horum criminum ſecretæ confeſſionis, ejuſque, quæ in Pœnitentiæ Sacramento clam adhibetur, medicinæ neceſſitatem excluſit? Id ſolus Dallæus adfirmet, qui ex Patribus ſolet arripere, quæ ſibi in ſpeciem favent, ea vero fraudulenter omittere, quæ ſibi infeſta ſunt: Aliter tamen pronuntiabit cordatus quiſque veritatis amator, eundem Niſſænum in eadem epiſt. de iiſdem avaritiæ culpis continua orationis ſerie hæc ſcribentem expendens: *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat, ſi per declarationem peccatum ſuum Sacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in contrarium mutato, ægritudinem curabit*.

XX. Quoniam vero non Dallæus ſolum, ſed & memoratus Britanniæ Rex fidentiſſime ſcribunt, ſatis conſtare, S. Joannem Chriſoſtomum oralem hanc confeſſionem a ſuis non exegiſſe, oſtendendum eſt, quam inſigniter in re manifeſtiſſima uterque hallucinetur. Num de confeſſione ſoli Deo facienda Chryſoſtomus agit hom. 30. ad Populum Antiochænum in magna ſeu ſancta hebdomada hæc habens: *Quemadmodum Naucleri, Athletæ & Curſores, ubi ad finem veniunt, magis enituntur, & vigilant, eodem modo & nos facere oportet; quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii curſus intendendus, faciendaque diligens & pura peccatorum confeſſio: Scit inimicus noſter, Diabolus nempe, quod per tempus illud poſſumus de iis, quæ ad ſalutem noſtram pertinent, loqui, & peccata aperire & detegere vulnera medico, & ſalutem conſequi?* Quis porro Chryſoſtomo medicus iſte eſt, cui ſunt aperienda peccata, & nudanda vulnera, niſi Sacerdos, ut ipſe ibidem & alibi ſæpius exponit? Si autem Sacerdoti aperienda ſunt peccata, & detegenda vulnera, occulta profecto illa ſunt, non publica ſolum, ut Dallæus eandem ſemper occinens næniam ſcribit; quod enim publicum eſt, declarari non dicitur, atque detegi. Neque ad rem adiaphoram & arbitrariam Chryſoſtomus adhortatur; quorſum enim adderet, Diabolum toto conatu obniti, ne quis ſpirituali huic medico ſecrata vulnera detegat, quod probe norit, ſincere confitentem ſalutem conſequi?

XXI. Quid luculentius iis, quæ hom. 2. de Cruce & Latrone, &, in Orat. de Samaritana idem Chryſoſtomus tradit? *Si latronem in cruce tanto honore dignatus eſt, multo magis nos inſita ſua benignitate dignabitur, ſi voluerimus peccatorum confeſ-*

ſionem inſtituere; ut igitur & nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri non erubeſcamus; magna enim eſt confeſſionis vis, magna ejus potentia; & in laudata orat. *Imitemur & nos hanc mulierem, & ob propria peccata non erubeſcamus; qui enim homini detegere peccata erubeſcit, neque confiteri vult, in die illa non coram uno aut duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante traducetur*. Ferrei plane cordis & oris ſit, oportet, quem ſcriptitare non pudet, ſatis conſtare, Chryſoſtomum vocalem confeſſionem exploſiſſe, præſertim quum præter hæc aliaque bene multa a noſtræ communionis Theologis ex Chryſoſtomo laudata teſtimonia illud ſit meridiana luce ſplendidius, quod hom. 9. in epiſt. ad Hæbr. in cujuſque oculos, niſi conſulto cœcus eſſe velit, incurrit; ibi enim eloquentiſſimus Antiſtes, etſi plura recenſeat, ex quibus medicamentum Pœnitentiæ conficitur, primo tamen loco numurat peccatorum condemnationem, & confeſſionem Sacerdotibus factam, neque illam, ut Novatores ajunt, in genere, ſed diſtinctam, atque dearticulatam omnium & ſingulorum, paucis interpoſitis, recte & ſalutariter confitendi modum ſic docens: *Sin autem dicit, ſum peccator, ea autem per ſpecies non cogitat, ac supputat, & non dicit, hoc & illud peccatum admiſi, numquam ceſſabit, ſemper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis*.

XXII. Hæc quum ſint adeo perſpicua & decretoria, qua ratione cum tredecim iis teſtimoniis conciliari poſſunt, quæ Dallæus ex Chryſoſtomo jactitat, ceu orali confeſſioni palam infeſta? Etſi Doctiſſimus Cardinalis Perronius Jacobo Britanniæ Regi reſpondens, Baronius item, & Bellarminus laudatis Chryſoſtomi teſtimoniis duas adhibeant interpretationes, quibus ſibi videntur veram adſecuti Chryſoſtomi mentem, eas tamen adoptare non poſſumus, quod earum prior nonnullis ejuſdem Homiliis, unde in nos arma Dallæus cudit, aptari nequeat, poſterior vero minus ſolide excogitata videatur. Quid autem nos melius & ſolidius? Natalis Alexandri, aliorumque optimæ notæ Theologorum reſponſum excipimus, quod genuino Chryſoſtomi ſcopo plane congruere ipſa orationis ſeries perſuadet. Homiliam 21. ad Populum Antiochænum prætereo, quam adverſus hoc dogma perperam & inſcite Dallæus obtrudit; eſt enim illa ad Catechumenos, & Catecheſis ad illuminandos inſcribitur, quos nulla Sacramentalis confeſſionis lege ceu nondum Baptiſmate tinctos obſtringi, ſatiſque eſſe, ſi Deo ſoli confiteantur, perpetuo Eccleſia docuit. In aliis Homiliis a Dallæo objectis, quarta videlicet de Lazaro, quinta de incomprehenſibili Dei natura, octava de Pœnitentia, trigeſima prima in Epiſt. ad Hebr. totus eſt Chryſoſtomus in divina erga peccatores benignitate laudanda, eorumdemque exaggeranda duritie atque improbitate, qui oblatam ſibi a Deo veniam, eamque facillime obtinendam vel negligunt, vel recuſant: elegantiſſime exponit, longe aliter Deum cum peccatoribus pænitentibus agere, ac terrenæ poteſtates cum capitalium criminum reis agant. *Exigitur* ait Chryſoſtomus *ab utriſque confeſſio; ſed quam diverſa?* Qui enim apud Magiſtratus rei aguntur, in famæ prius, deinde capitis diſcrimen incurrunt; nam ſi delictum cofiteantur, famæ diſpendium ſubeunt, & publice denotati ante vulgi ora traducuntur, ſpectandique omnibus velut in theatro exhibentur, omnibus ludibrio futuri. Recitatur audientibus omnibus patratum ab eis ſcelus, quod ipſi ſæpe tormentorum vi proprio ore enuntiare coguntur, &, a Deo, Rege, & Magiſtratibus veniam deprecari, quæ tamen criminis confeſſio, veniæque petitio miſeris ad ſalutem non prodeſt, quum his aliiſque ignominiæ notis compuncti extremo demum ſupplicio afficiantur. His eloquenter expoſitis, confeſſionem, quam a peccatoribus Deus exigit, negat Chryſoſtomus eam eſſe, quæ confitentes in honoris vitæque diſcrimen adducat, quæ infamiæ labem aſpergat, qua peccata tamquam pompam in theatrum efferre coacti, ea hominibus revelemus, qui nos probro afficiant & contumelia, eam denique, quam pœna ſequatur. Quis autem confeſſionem ſacramentalem, quæ uni in aurem fit Dei Miniſtro, ut Judici quidem, ſed Patri etiam, Medico, & Amico ad obtinendam clavium ei a Chriſto traditarum virtute plenam culparum remiſſionem & veniam, ejuſmodi eſſe dixerit? Veram confeſſionis indolem, qualem Catholica Eccleſia nobis exhibet, profecto ignorat, qui de ea quidpiam ſimile ſuſpicatur: non hanc itaque Chryſoſtomus improbat, reji-

cit-

citque, ſed eam, quæ confitentibus dedecori atque ignominiæ ſit, quæque ſreos ſponte confeſſos in fortunarum aut capitis diſcrimen inducat, quæ denique ei ſimilis ſit, quam capti latrones, vel ſepulcrorum effoſſores in medium tracti palam edere coguntur, morte ſubinde plectendi, ideoque ejus teſtimonia in Sacramentalem confeſſionem inique a Novatoribus intorquentur.

XXIII. Quid vero ſi aliis in homiliis confeſſionem ſoli Deo faciendam inculcat? De quotidiana Pœnitentia, de conſcientiæ diſcuſſione ſingulis diebus inſtituenda, de cordis gemitibus atque lacrimis coram Deo operum noſtrorum teſte atque judice quotidie fundendis ibi ſermonem habet, ſuoſque Auditores hortatur, ut quotidiana hæc admiſſorum criminum remedia non negligant. Interiori hac Pœnitentia leviora, quæ venialia ex genere dici ſolent, peccata abſque Sacerdotis miniſterio dimitti, & lacrimis veluti ſpongia oblitterari, ultro damus, nec diffitemur, amara hac eadem coram Deo confeſſione, ſeu intima contritione, ſi perfecta ſit, graviora etiam ſive lætalia delicta tolli, hominemque juſtificari; negamus tamen, Chryſoſtomum ſoli huic perfectæ contritioni, abſque Confeſſionis arcanæ voto, quod in ea includitur, reconciliationem hominis adſcripſiſſe. Quid enim, ſi ibi de confeſſione hac, aut ejus propoſito ne verbum quidem habet? Ejus neceſſitatem jam alibi ſæpius commendaverat, ad auditores verba faciebat, quorum mentibus inſita penitus erat hæc Eccleſiæ fides & diſciplina, neque neceſſe erat, de re exploratiſſima, & alibi ſæpius tradita ſermonem quavis occaſione inſtituere. Quid, ſi ego adverſus Dallæum urgerem, ea Chryſoſtomi teſtimonia ex l. 2. de compunctione, ex hom. quinta de incomprehenſibili Dei natura, l. 2. & 3. de Sacerdotio, aliiſque operibus jam laudatis, in quibus de confeſſione coram Sacerdotibus edenda, agens, nullam confeſſionis Deo faciendæ mentionem injicit, indeque arguerem, exploſam ab eo fuiſſe hujus coram Deo confeſſionis, & compunctionis neceſſitatem? Nonne Dallæus ſcite reponeret, nullum ibi de argumento hoc Chryſoſtomo ... ſermonem eſſe, quod de eo fuſius alibi pertractaſſet, deque re certiſſima & explorata nullus dubitandi locus eſſet? Idem & nos de vocali confeſſione regerimus, cujus apud Sacerdotes edendæ divino jure, & perpetua Eccleſiæ diſciplina omnibus poſt regenerationem lapſis impoſitam neceſſitatem Chryſoſtomus diſertiſſime & frequenter adſtruxit.

XXIV. Nec contemnenda eſt P. Berti animadverſio, quum ſit illa & aliis Chryſoſtomi phraſibus, & uſitato apud Græcos Latinoſque loquendi modo conformis, Chryſoſtomum ſcilicet confeſſionis ſoli Deo factæ nomine auricularem confeſſionem apud Sacerdotem editam haud obſcure ſignificaſſe, quod ea, quæ a Dei miniſtris divina auctoritate præditis fiunt, rectiſſime dicantur fieri a ſolo Deo. Exemplum nobis ex eodem Chryſoſtomo ſuppetit hom. 50. in Mathæum ſcribente, Deum, non hominem Euchariſtiam operari, in ea Chriſtum ſolum manus extendere, quia Regi conſueverunt adſcribi, quæ a Miniſtris ejus nomine efficiuntur; Sacerdos autem Miniſter eſt Chriſti. Aliud in Græcorum Euchologio a Goario edito exemplum occurrit, in quo Sacerdos confeſſionem excipiens ita pœnitentem affatur: *Frater, cur acceſſiſti ad Deum, & ad me? Ne, quæſo, erubeſcas, non enim mihi peccata enuntias, ſed Deo, apud quem conſiſtis*. Hinc tritum illud apud Latinos quoſque proloquium, Sacerdotem Pœnitentiæ Miniſtrum peccata ſcire non ut hominem, ſed ut Deum, interrogatumque, num pœnitens hoc vel illud peccatum confeſſus ſit, tuto poſſe, reſpondere, ſe neſcire, quia, quidquid ex confeſſione novit, ſcit ut Deus, cujus perſonam gerit. Quoties ergo Chryſoſtomus ad confeſſionem ſoli Deo faciendam hortatur, Sacerdotis miniſterium non excludit, quum ſit una moraliter Miniſtri, & ſupremi Regis perſona, una eademque a Deo in hunc derivata auctoritas & poteſtas, nec ſit iſte contumelioſus ille conſervus, qui peccata audita in publicum profert, probro afficit, & reum ad pœnam rapit, apud quem edendæ confeſſionis, merito Chryſoſtomus ſcribit, nemini a Deo impoſitam fuiſſe neceſſitatem, ſed Medicus ille miſericors, qui peccata curat & ex confeſſione delet, & tribuit confitentibus remiſſionem, cui, qui detegere peccata erubeſcit, nec confiteri vult, univerſo terrarum orbe ſpectante in extremo judicio traducetur. Argumento huic ex Chryſoſtomi teſtimoniis ducto fuit opero-

ſius reſpondendum ad comprimendam Novatorum audaciam, qui nos ferocius tanti Viri auctoritate oppugnant, nobiſque petulanter inſultant.

XXV. Breviter aliorum Patrum teſtimonia diluimus, oſtendimuſque, eos a Dallæo in paries ſuas inique trahi. De peracta a Davide, & Petro pœnitentia verba faciunt Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, & Maximus: Quid autem mirum, ſi Hilarius ſcribit, Davidem dicere, nulli alii quam Deo confitendum eſſe, ſi Auguſtinus affirmet, eidem Davidi peccatum ſolo corde pronuntianti remiſiſſe Deum iniquitatem, ſi Ambroſius & Maximus docent, Petri *lacrymas delictum laviſſe, quod pudor eſt, confiteri, & fletum ejus veniæ ſimul & verecundiæ conſuluiſſe?* Nondum erat tunc inſtitutum Pœnitentiæ Sacramentum, neque inducta confeſſionis vocalis divino jure neceſſitas, ideoque ſola interiori contritione atque lacrymis abſolvere ac delere David & Petrus perpetrata crimina potuerunt. Perperam autem id ad fideles poſt Baptiſmum lapſos extenditur, quos edendæ apud Sacerdotes confeſſionis præcepto teneri, iidem Patres locis ſuperius indicatis unanimiter tradunt. Illud etiam animadvertendum eſt, veteres Patres in homiliis ad populum frequentius interioris quam exterioris pœnitentiæ neceſſitatem auditoribus commendaſſe, quod maxime eniterentur, eorum mentibus alte infigere, ſatis non eſſe, peccata Sacerdotibus confiteri, eorumque ſententia ſolvi, niſi quis ſincero animi dolore, ſerio emendationis propoſito & ſatisfactoriis operibus ageret, ut Deo grata eſſet confeſſio, & impenſa a Sacerdotibus abſolutio rata haberetur in cælis. Id quotidie plurimum commendant, quotquot inter Catholicos verbum Dei annuntiant, aut de argumento iſto ſcribunt, quos tamen vocalis confeſſionis neceſſitatem excludere, nemo dixerit.

XXVI. Quis autem Dallæi non demiretur inſaniam, Juliani Pomerii teſtimonium objicientis, quaſi vero illud Catholico dogmati adverſetur, quo tamen nihil validius eſt ad illud idem adſtruendum confirmandumque? Ait enim: *Illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem.* Quid porro ſi Julianus disjunctive ait, ſi ea *confiteri noluerint, aut emendare?* Ergone confeſſionis neceſſitatem oppugnat, perinde ac ſi ad vitandam divinam ultionem alterutrum ſatis ſit, peccatorum ſcilicet confeſſio, aut emendatio? Ineptit hercle Dallæus tam inſcite concludens. Rectiſſime ſcribit Julianus, divinæ animadverſioni futuros obnoxios, qui peccata admiſſa confiteri, aut emendare noluerint, quia nec ſine emendatione confeſſio prodeſt, nec ſine confeſſione, aut ejus voto ſincera & ſalubris eſt emendatio. Ad obtinendum quidem veniam & ſalutem utraque neceſſaria, ſi vero deſit alterutra, damnatio non evaditur, quum bonum ex integra cauſſa, ut habet decantatum in Scholis effatum, malum autem ex quocumque defectu. Hunc Juliani germanum ſenſum eſſe, integra orationis ejus ſeries, & antecedentia ac conſequentia demonſtrant, a quibus tamen huc conferendis abſtineamus, ne in leviculis his Dallæi objectis temporis impendium inutiliter faciamus.

XXVII. Venerabilis Bedæ teſtimonium ſolide & luculenter expoſuit Goffridus Vindocinenſis Abbas duodecimi ſæculi haud ignobilis Scriptor, cuidam eo abutenti reponens: *Determinanda eſt Bedæ ſententia ſapienter, ut intelligi poſſit utiliter, & fidei noſtræ integritas conſervetur. Illa utique quatuor peccata, ſcilicet error gentilis, ſchiſma fraternum, hæretica pravitas, & judaica perfidia, inquantum prævalent, univerſalis Eccleſiæ caſtitatem commaculant, unde neceſſe eſt, ut eorum rei non jam ſoli Sacerdoti, ſicut in cæteris agitur, ſed univerſæ Eccleſiæ confiteantur, & ſic ad ejus unitatem redeant, qui antea ejus unitatem impugnabant. Cætera vero vitia, ſicut dicis, per ſemetipſum Dominus ſanat, & corrigit; Licet enim omnia quæcumque ſanantur, Dominus ſanet, & corrigat, quædam tamen per ſemetipſum ſanare & corrigere perhibetur, ea nimirum, quæ ſibi in privata confeſſione revelantur, ut ſanentur, ſibi dico, quia illi, qui in ejus loco eſſe dignoſcitur.* Hæc Goffridus, quibus vero expromendo Ven. Bedæ ſenſui, quem ad Catholicæ mentem aliis in locis expreſſit, nihil eſt aptius.

XXVIII. Arguit 2. Dallæus ex priſcis Eccleſiaſticis monumentis: Primo, Sanctiſſimi Eccleſiæ Paſtores, qui illibatis iis & vere aureis ſæculis floruerunt, omnibus

bus quidem ſui muneris partibus religioſiſſime defuncti eſſe leguntur, eos vero excipiendis fidelium confeſſionibus vacaſſe, nuſpiam legere eſt apud illos, qui eorumdem præclara geſta in literas retulerunt, imo nec eos umquam culparum ſuarum confeſſionem apud Sacerdotes edidiſſe, reperies: 2. quum priſco illo ævo mos obtineret, ut quotquot ſacris intererant, Euchariſtiæ participes fierent, fideles tamen Euchariſticæ communioni confeſſionem hanc præmiſiſſe, Veterum nemo memoriæ commendavit, neque in extremo vitæ diſcrimine quempiam eorum Pontificium hoc remedium arripuiſſe, quo ſe ad terribilem exitum compararent, apud aliquem veterem Scriptorem occurrit: 3. celeberrimum eſt Nectarii Conſtantinopolitani Antiſtitis factum, cujus juſſu, ut refert Socrates, *Presbyteros Eccleſiarum, qui Eccleſiæ præerant, placuit aboleri . . . unumquemque vero pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accedere. Nectarii exemplum cæteri Epiſcopi ſectati ſunt, placuitque Eccleſiæ, ut Presbyteri, qui in ſingulis Eccleſiis pœnitentiæ præerant, tollerentur*. Ex hac Socratis narratione, cui Sozomenus, Caſſiodorus, & Nicephorus conſonant, Calvinus l. 3. Inſtit. c. 4. anſam arripit, inſolentiſſime Catholicis inſultandi: „ hic, hic aures aſini iſti arrigant: Si lex Dei erat auricularis confeſſio, qui auſus eſſet Nectarius, eam refigere, ac convellere?" Denique ſi, ut Romani dictitant, arcana hæc confeſſio chriſtianæ fidei caput eſſet, aliquod ejus veſtigium appareret apud tot illas Chriſtianorum ſectas, quæ a Romanæ Eccleſiæ communione diſciſſæ ſunt. At, ſi fides probatis iis Auctoribus, qui de earum gentium rebus ritibuſque ſcripſerunt, nulla toto orbe eſt Chriſtiani nominis ſecta, apud quam hujus Innocentianæ diſciplinæ uſus obtineat, eamque plane ignorant, aut negligunt, Æthiopes, Abaſſini, Chriſtiani, S. Thomæ in India, Jacobitæ, Armeni, Recentiores Græci, atque Ruſſi, quod argumento eſt, confeſſionem hanc non Chriſtianam & Evangelicam, ſed Papalem eſſe ac Romanam.

Non brevis eſſet concinnanda, ſcriptiuncula, ſed integer iſque ſpiſſus liber edendus, ſi omnia hæc Dallæi mendacia vellemus pro meritis coarguere, palamque facere, quam ſit, ille Eccleſiaſticæ eruditionis jejunus, cujus, ut ſimplicibus fucum faciat, ſeſe exhibere vult peritiſſimum. Quia vero per tempus tam late ſpatiari non licet, contrahendus eſt ſermo, & quo breviora reſponſa, eo magis curandum eſt, ut ſint illa nitida & abſoluta. Qui ſolidæ critices præcepta norunt, ſentiunt e veſtigio, primum & ſecundum Dallæi argumentum elumbe prorſus eſſe, & ſtramineum; utrumque enim eſt inficiale ex veterum ſilentio petitum, nihil autem argumento negante effici; quoties præſto ſunt luculenta Auctorum omni exceptione majorum teſtimonia, res eſt mulierculis ipſis notiſſima. Adverſus itaque longam illam, quam ad vanam inſulſæ eruditionis ſpeciem Dallæus inſtruxit, aciem Scriptorum, qui viras Sanctorum Patrum, & Veterum Chriſtianorum geſta literis conſignantes, eos vel confeſſionibus fidelium audiendis dediſſe operam, vel ante Euchariſtiæ ſumptionem, & inſtante vitæ exitu confeſſionem ediſſe, nòn memorant, clariſſimos ſecundi, tertii, quarti & poſteriorum ſæculorum Auctores opponimus, quos verbis ſole ipſo ſplendidioribus veritatem hanc adſtruxiſſe, teſtimonia jam recitata conficiunt, quorum vim fruſtra conatus eſt Dallæus infringere aut infirmare. In quodcumque ſe latus verſet Dallæus, quemcumque moveat lapidem, totum argumentorum ſuorum impetum non retuſum ſolum, ſed plane fractum uno hoc reſponſo agnoſcat, oportet, cui etſi alia poſſemus addere, temperamus tamen, quod ſatis ſuperque ſimus de ejus firmitate ſecuri.

XXIX. Quod vero ad Nectarii factum adtinet, quo Novatores mirifice geſtiunt, quid ſi cum ſummis iis Theologis Vualdenſi, Cano, & Eſtio totum darem, ſecretam ſcilicet confeſſionem fuiſſe a Nectario de medio ſublatam? *Hic, hic aſini iſti, Calvinus* ſcilicet ejuſque Symmiſtæ, *aures arrigant*, & reſponſum excipiant, quod, ſi unum arripere vellem, & mordicus retinere, inſultiſſimam eorum argumentationem ſtolido bruto verius quam homine dignam, peſſumdaret & obtereret. Quæ enim per Deum hominumque fidem præpoſtera atque abſurda magis argumentatio fingi poteſt: Si lex Dei erat auricularis confeſſio, qui auſus eſſet Nectarius eam refigere atque convellere? quaſi vero divina inſtituta ſint ex homi-

num

num operibus æſtimanda, nec quidpiam Deus juſſiſſe credendus ſit, ſi aliqua ejus ſanctio ab hominibus vel dignitate vel pietate olim inſignibus violetur. In reſigendo ergo confeſſionis inſtituto peccatum eſt a Nectario non per audaciam quidem, ſed per inſcitiam; quid enim mirum, ſi ſenex illiteratus & pene rudis ex Laico repente factus Epiſcopus, Apoſtolicæ traditionis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ prorſus ignarus, arrepto imprudenter Eudæmonis Alexandrini inepto conſilio, quod Socrates ipſe ut multorum malorum cauſam ibidem improbat, ut ſcandalo occurreret, quod ex pateſacto Diaconi ſtupro enatum in populo fuerat, Presbyterum Pœnitentiarium expunxit, & unumquemque pro arbitrio, animique ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem ſivit accedere? Hoc Achille adverſus nos pugnat Calvinus, hominem hunc ſanctiſſimis & doctiſſimis venerandæ antiquitatis Patribus, & integerrimis Apoſtolicæ diſciplinæ teſtibus Dallæus opponit? O deſperatam cauſam, ad quam utcumque fulciendam tam frigida argumenta promuntur!

XXX. Neque adhibenda Socrati, & Sozomeno fides ſcribentibus, omnes ferme Præſules Nectarii ſecutos exemplum, Presbyteros, qui in ſingulis Eccleſiis Pœnitentiæ præerant, ſuſtuliſſe; Mentiri enim eos probat Baronius auctoritate S. Gregorii Nyſſæni, qui eodem circiter tempore in Epiſtola ad Letojum Mitilenenſem Epiſcopum Pœnitentiales canones edidit, & S. Jo. Chryſoſtomi teſtimonio, qui in pluribus operum ſuorum locis Presbyteri confeſſionibus fidelium excipiendis addicti frequenter meminit, etſi Chryſoſtomus Nectarium in Conſtantinopolina ſede proxime exceperit, quod argumento eſt, inconſultum Nectarii conſilium non uſque adeo prævaluiſſe, ut Conſtantinopoli, & alibi Sacramentalis confeſſionis uſus aboleretur. Quamquam etſi daremus, vera ſcripſiſſe Socratem, & Sozomænum, quid inde? Erraſſent cæteri ii Orientales Antiſtites cum imprudente ſene Nectario, nec tamen quidquam dogmatis hujus firmitati, & Catholicæ Eccleſiæ indeficientiæ detractum eſſet, quum Sozomænus idem, in toto Occidente, Romæ præſertim, nihil innovatum fuiſſe teſtetur, ſcribens: *Hæc Epiſcopi Urbis Romæ jam inde ab ultima vetuſtate ad noſtram uſque ætatem cuſtodiunt* &c. Si in hoc ergo reſponſo velimus hærere, enervatum penitus eſt, & fractum petitum a Novatoribus ex Nectarii facto argumentum.

XXXI. Verum quia alii Theologi in Nectarium indulgentiores in venerando illo Sene purgando, & benigne exponendo, quod geſſit, calamum exercuerunt, varia eorum reſponſa breviter indicabo, integrum vobis relinquens eligere, quod mavultis; quodcumque enim arripueritis, Catholica veritas in tuto eſt. Integram Socratis & Sozomæni de Pœnitentiarii abrogatione narrationem falſam eſſe, & fabellæ loco habendam, momentis haud contemnendis nituntur evincere Card. Baronius & Latinus Latinius Viterbienſis, quorum poſterior libro Romæ edito an. 1586. hiſtoriam hanc refellendam ſuſcepit: plura etiam adverſus veritatem Sozomænum peccaſſe, demonſtrat Clariſſimus Morinus l. 2. de Pœnitentia c. 9.; neque eſt, cur P. Berti fidenter enuntiet, non exiſtimare ſe, Socratem eſſe mentitum, quod credere non poſſit, fuiſſe illum adeo perfrictæ frontis, ut id conſcriberet, quum redargui ab omnibus poſſet falſitatis manifeſtiſſimæ. Elidenda fuerant Baronii & Latinii momenta, ſimulque oſtendendum, Socratem Novatianis addictum non alia plura ſcripſiſſe a veritate prorſus aliena, & Catholicorum cauſæ contraria. Verum quum exploratum ſit, eum Novatianis impenſe faventem, ſtudioque partium in tranſverſum actum multa ſcripſiſſe, quæ falſitatis revinci poterant, nimis honorifice Bertius de eo ſentit, quem exiſtimat, pudoris & famæ ſuæ tam ſollicite conſuluiſſe. Si Baronio & Latinio adhærere quis velit, habet, quo ductam ex hiſtoria hac objectionem exuflet.

XXXII. Aliter difficultatem iſtam ſolvit Baronius idem, cui dextras jungunt Cardinales Bellarminus, & Perronius, & Godefridus Hermantius nuperrimus vitæ S. Jo. Chryſoſtomi Scriptor, publicam tantum, non Sacramentalem atque arcanam confeſſionem a Nectario ſublatam fuiſſe reſpondens. Natalis Alexander ex Socratis & Sozomæni narratione conſtare ait, ſolum publicæ pœnitentiæ ritum Conſtantinopoli fuiſſe a Nectario abrogatum, vel ſolam illius adminiſtrationem Pœnitentiario Presbytero fuiſſe ademptam,

Digitized by Google

ptam, quum ille ex Eccleſiæ albo expun-
ctus eſt. Utrumque reſponſum Morino
placet, cujus verba etſi paullo prolixiora
operæ pretium eſt hnc conferre, quod
Novatorum objectum pleniſſime diluant,
& plura ad veterem Eccleſiæ diſciplinam
pertinentia nos doceant. Adnotat primo
eruditiſſimus Vir, morem olim in Eccle-
ſia viguiſſe, ut, qui notoria & publica
crimina admiſerant, ea coram toto fide-
lium cætu confiterentur atque vulgarent,
eorumque veniam palam a Præſidibus &
Fratribus poſtularent, de quo vetuſtiſſimo
more nulla eſt ſive inter Catholicos ſive
inter Hæreticos dubitatio: Explicandum
ſubinde aggreditur ſpecialem confeſſionis
modum apud antiquos uſitatiſſimum, ſed
ab annis pluſquam mille jam obſoletum,
quem modum ex monumentis probatiſſi-
mis ſic deſcribit: „ Dum pœnitens pec-
„ cata ſecreta & nulli cognita Sacerdoti
„ in aurem confitebatur, monebatur a
„ Sacerdote frequenter, ut ea ſponte pu-
„ blice confiteretur omnibuſque evulga-
„ ret, ea tamen duntaxat, quorum con-
„ feſſionem ad Eccleſiæ ædificationem
„ conferre poſſe, Sacerdos prudenter exi-
„ ſtimaſſet: cætera religioſiſſime tege-
„ bantur, ne aut eſſent Eccleſiæ ſcanda-
„ lo, aut periculum pœnitenti crearent;
„ cautum enim ſemper in Eccleſia fuit,
„ ne peccata occulta univerſim & pro-
„ miſcue vulgarentur, ne ex confeſſione,
„ & pœnitentia canonica grave aliquod
„ incommodum, nedum periculum capi-
„ tis confitentibus immineret. " Poſt-
quam laudabilem hanc praxim diſertiſſi-
mis Origenis, Auguſtini, & Leonis Ma-
gni, quibus alios poſtea adjungit, Ire-
næum videlicet, Tertullianum, Cypria-
num, Pacianum, Cornelium Papam,
Euſebium, Epiphanium, Ambroſium,
Proſperum, & Cæſarium, teſtimoniis
confirmavit, eundem hunc morem cele-
bris hujus hiſtoriæ circumſtantiis adſtruit
luculentiſſime.

XXXIII. „ Poſtquam Socrates l. 5. c.
„ 19. retulit, nobilem matronam illam,
„ cujus confeſſio abrogando antiquo mori
„ occaſionem præbuit, peccata poſt Ba-
„ ptiſmum admiſſa particulatim confeſ-
„ ſam, juſſam fuiſſe a Presbytero pœni-
„ tentiario, jejuniis precibuſque aſſiduis
„ vacare, quo una cum criminum con-
„ feſſione dignum pœnitentiæ fructum
„ oſtenderet, continenter hæc adjicit:
„ Mulier autem longius in confitendo
„ progreſſa, alterius culpæ ſe ipſam inſi-
„ mulat: docet, Diaconum Eccleſiæ
„ cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſ-
„ ſe. Id quum dixiſſet, Diaconus qui-
„ dem Eccleſia ejectus eſt, populus vero
„ graviter commoveri cœpit &c. Inde
„ Morinus infert, demonſtrari evidenter
„ morem tunc obtinentem poſt auricula-
„ rem peccatorum omnium confeſſionem
„ quædam etiam publice manifeſtandi,
„ Pœnitentiarium illum videlicet mulie-
„ rem hortatum fuiſſe, ut ex peccatis,
„ quæ ſibi jam fuerat ſingillatim, & ſe-
„ creto confeſſa, quædam publice fatere-
„ tur, mulierem vero longius in confi-
„ tendo progreſſam, ideſt plura, quam
„ monita fuerat, imprudenter palam pro-
„ tuliſſe, ſcelus præſertim cum Diacono
„ perpetratum, ex quo ſcandalum exor-
„ tum eſt. Qui enim fieri potuiſſet, ut
„ nobilis illa fœmina audientibus omni-
„ bus, & nemine prohibente tam turpe
„ & ignominiæ plenum facinus evulga-
„ ret, niſi ex Eccleſiaſtica tunc obtinen-
„ te conſuetudine peccata publice confi-
„ tendi? Poſt antiquatum in Eccleſia
„ jamdudum hunc morem, ſi mulier
„ nunc in publico Eccleſiæ conventu
„ idem facere aggrederetur, nonne ab
„ omnibus prohiberetur? Quis eam pro-
„ gredi ſineret confitendo, quis ei ſe
„ ipſam, & complicem infamanti fidem
„ ſimpliciter, & abſque idonea probatio-
„ ne adjungeret? Conſtantinopolitana ta-
„ men Matrona illa nedum a nemine
„ prohibita fuit, ſed ab omnibus per-
„ miſſa facere, quod incæperat, & licet
„ ſecundum jura perire volenti non cre-
„ datur, & ſecundum Eccleſiæ leges ac-
„ cuſanti alium de crimine, cujus is
„ reus eſt, fides, niſi illud probet, adhi-
„ benda non ſit, mulieri illi tamen ſe
„ ipſam & Diaconum accuſanti ſtatim
„ creditum eſt, ſtatim animadverſum in
„ Diaconum, non alia ſane de cauſa,
„ quam quia mos in Eccleſia jamdudum
„ invaluerat, peccata quædam etſi occulta
„ ex Confeſſarii monitu palam omnibuſ-
„ que audientibus manifeſtandi. "

XXXIV. Quamquam Moribus eo præ-
ſertim ſpectet, ut ex narratione hac, ve-
tuſtiſſimæ conſuetudini confitendi publice
quædam occulta crimina teſtimonium ac-
cerſat, invictis tamen argumentis etiam
probat, non arcanam atque ſacramenta-
lem,

lem, ſed publicam tantum confeſſionem eliminatam fuiſſe a Nectario ; hactenus enim ſecreta confeſſio permanſit, permanetque apud Græcos, alioſque Orientales inviolata , nec ſecreta modo confeſſio , ſed poſt confeſſionem ſecreta canonicarum pænarum inflictio; duo ergo ſupereſſe poſſunt , quæ Nectarius abrogarit , publica certorum peccatorum confeſſio, & publica pro occultis etiam culpis ſatisfactio : utrumque revera Nectarius ſuſtulit, licet prioris tantum, unde ſcandalum exortum fuerat , Hiſtorici mentionem injiciant . His accedunt, quæ Socrates idem Eudæmoni abrogandi ob memoratum ſcelus Pœnitentiarii auctorem Nectario ſe fuiſſe narranti , repoſuit : *Conſilium tuum, o Presbyter, Eccleſiæ ne profuerit, an ſecus, Deus viderit. Illud tamen plane animadverto, te anſam dediſſe, ut alter alterius peccata minime coarguat , nec obſervet illud Apoſtoli præceptum, nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite* , quæ verba nonniſi de confeſſione, & pænitentia publica intelligi recte poſſunt ; ſi quis autem ad arcanam confeſſionem & pænitentiam ea torquere vellet, manifeſte verba perverteret, eiſque interpretationem prorſus ridiculam adhiberet; inſuper vim animo ſuo inutilites inferret, quum Socrates de abrogata conſuetudine agat, ſecretam autem confeſſionem & pænitentiam hactenus ſemper apud Græcos viguiſſe compertum ſit; hæc itaque abrogata non fuit : inſuper ex Socratis verbis neceſſario ;colligitur , quidpiam publicum abrogatum fuiſſe, quod ſcandali occaſio fuerat , quis autem ſcandalum illud in auricularem confeſſionem conferre velit, cui excipiendæ addicebantur, teſte Sozomeno , Presbyteri ſecreti tenaces, prudentes, & pii? Hæc ex Morino.

XXXV. Ad diſpungendam poſtremam Dallæi objectionem ex Græcorum, aliarumque Orientalium gentium praxi petitam, etſi plura ſuppeterent, non alia tamen conferre placet, quam quæ idem doctiſſimus Morinus in libellos Græcorum Pœnitentiales a ſe primum latinitate donatos atque editos ſcite præfatur ajens :
„ Libelli ejuſmodi, Joannis videlicet Je-
„ junatoris Conſtantinopolitani Patriarchæ
„ S. Gregorio Magno coævi, Joannis Mo-
„ nachi, & Diaconi Diſcipuli Magni Ba-
„ ſilii, Anonymi, quem ex vetuſto codi-
„ ce Thomas Baſiliſcus Diaconus Græcus
„ exſcripſit, Simeonis Theſſalonicenſis Ar-
„ chiepiſcopi, cujus de Sacramentis volu-
„ men Hieremias Conſtantinopolitanus Pa-
„ triarcha in ſecundo reſponſo ad Luthera-
„ nos Tubingenſes adhibuit, Gabrielis Phi-
„ ladelphiæ Metropolitæ & Euchologii Al-
„ latiani, libelli, inquam, ejuſmodi graphice
„ & velut in ſpeculo confeſſionis, & impo-
„ nendæ pænitentiæ modum & circum-
„ ſtantias repræſentant, quas velut omni-
„ bus notas, brevitatis cauſſa , Doctores
„ & canones prætermittunt , & Græco-
„ rum hodiernam, & ab annis mille, &
„ prope ducentis continuatam praxim plu-
„ rimum illuſtrant. Hos libellos oculis ſi
„ luſtraverit Lector , conſpiciet unifor-
„ mem, & admirandum univerſi Chri-
„ ſtiani orbis in peccatorum confeſſione
„ ſigillatim, & minutim Sacerdotibus e-
„ denda conſenſum, nihilque hac in cau-
„ ſa tam difficile, & ſingulare Latinam
„ Eccleſiam uſurpaſſe, quod ſimiliter, æ-
„ qualique aut majori etiam ſeveritate O-
„ rientalis Eccleſia perpetuo non uſurpa-
„ verit, ac proinde falſiſſime, ſummaque
„ cum ignorantia Novatores jactare, con-
„ feſſionem auricularem recens eſſe Pon-
„ tificum Romanorum inventum, & in-
„ ſtitutam ab eis conſcientiarum carnifi-
„ cinam, quum inſenſiſſimi Eccleſiæ Ro-
„ manæ hoſtes , Græci nimirum , qui
„ quamlibet ejus carpendæ, & accuſandæ
„ occaſionem invidioſiſſime captant , ean-
„ dem diſciplinam ſeveriſſime ſemper ob-
„ ſervarint, atque etiam num diligenter
„ obſervent. “ Hactenus Morinus.

XXXVI. Mentiri etiam Dallæum , dum ignotam penitus aliis Chriſtiani nominis ſectis, Jacobitis ſeu Coptis, Æthiopibus, & Armenis, Sacramentalem confeſſionem adfirmat , facillime demonſtratur. Adeat inſulſiſſimus ſcribillator Vanslebum oculatum teſtem , & linguarum , Orientalium peritiſſimum, qui in Jacobitarum Coptarum hiſtoria , quam gallico idiomate Pariſiis edidit , nobiliſſimos Alexandrinæ Eccleſiæ Scriptores profert , idem prorſus cum Latinorum Eccleſia de Sacramentalis confeſſionis neceſſitate ſentientes, libri præſertim Arabici, cui titulus *Giauhbet Inneſiſſe*, Auctorem, qui refert, Jacobitarum Patriarcham , mox ut inauguratus eſt, plures inter Eccleſiæ Miniſtros, Sacerdotem deligere fidelium confeſſionibus excipiendis addictum , tum ut

cul-

culparum confeſſione fideles veniam a Deo obtineant, tum ut hoc medio peccatorum numerus minuatur, Amba Severum illius gentis Epiſcopum, cujus liber in Chriſtianiſſimi Regis Bibliotheca ſervatur, aliosque apud Coptas Doctores celeberrimos, quorum libri documentis & formulis ad Confeſſionem rite apud Sacerdotes edendam referti ſunt. Quamquam vero Vanslebius tradat, confeſſionis uſum apud Jacobitas non ex Sacramenti contemptu, ſed partim ex ſupina ignorantia, & rudi gentis ingenio, partim ex diuturnioris ſeverioriſque, quæ a Sacerdotibus injungi ſolet, pœnitentiæ metu non admodum eſſe frequentem, Joannes Baptiſta Sollarius tamen in lucubrationibus, quæ tomo quinto Actorum Sanctorum Menſis Junii præfixæ ſunt, multis oſtendit, ſolos Negotiatores, quos Mechebæos appellant, pertaro, ceteros autem, fœminas præſertim, frequentiſſime Sacerdotibus confiteri.

XXXVII. Quid autem ſcribit, nullum apud Æthiopes confeſſionis uſum eſſe, quum teſtetur Vansleblus idem, in plurimis Sanctorum vitis Æthiopica lingua conſcriptis, quarum nonnullas penes ſe habebat, inter pietatis opera, ex quibus in laude ſunt, confeſſionem quoque in vitæ exitu apud Sacerdotes editam memorari, & Bernatus ſcribat, ex teſtimoniis Æthiopum eorumque libris adeo certum eſſe, vigere apud eos confeſſionem, ut nihil poſſit eſſe exploratius? Quid etiam Armenis crimen hoc Dallæus imponit, quos etſi pluribus jamdudum erroribus inquinatos in aliquam tamen violatæ communis hujus doctrinæ & praxis Eccleſiæ ſuſpicionem vocatos fuiſſe non legimus a Trullano Concilio, quod plures eorumdem errores confixit, & ab Eugenio quarto in Florentino Concilio in *Bulla Unionis*, ſeu in *Inſtructione Armenorum?* Nequid tamen diſſimulem, quo Dallæi culpa levari poſſe videatur, fateor, quæ de harumce Sectarum ſenſu atque uſu opponit, excepiſſe illum a Catholicis Latiniſque Scriptoribus, Alphonſo a Caſtro, Arcudio, Antonio Govveano, Nicolao Orlandino, Alphonſo Mindeſio, Gaſpare Paes, Emmanuele Almeida, Franciſco Alvareſio &c. Cæterum id non obeſt, quin inſigniter peccatum ab eo ſit; fac enim, vera eſſe, quæ memorati Auctores ſcribunt: qui tantam critices, & peregrinæ eruditionis peritiam præſefert, cur non advertit, ſtolidi hominis eſſe, de Sectæ alicujus religione ac doctrina ex moribus eam profitentium judicium ferre? Quum inter Chriſti fideles improbi piis & probis numero multum præſtent, nonne de Evangelicæ legis ſanctitate actum eſſet, ſi de ea pronuntiandum foret ex prava plurimorum Evangelio credentium vita? Quidni & Dallæo inferre liceat, a Romanæ Eccleſiæ mente alienam eſſe hanc de Confeſſionis neceſſitate doctrinam, quum & inter Catholicos multi ſint, qui annos plures tranſigunt abſque ejus uſu, multos quoque invenire ſit, qui eam non negligunt ſolum ſed & irrident, & ab ejus uſu alios dehortantur? Ineptivit ergo Dallæus, de Orientalium Sectarum fide ac diſciplina ex prava populorum conſuetudine judicans, quam debuerat, ſi ſapere vellet, exculpere ex ritualibus, & pœnitentialibus libris publica auctoritate receptis, ex theologicis præcipuorum apud eas gentes Doctorum tractatibus, homiliis, canonum, & formularum collectionibus, ex quibus nullo negorio collegiſſet, communem Græcorum & Orientalium fidem de divina Confeſſionis inſtitutione, atque neceſſitate.

XXXVIII. Quamquam nec illud admittimus, quod Auctores, quos Dallæus exſcripſit, de nullo apud Orientales Sectas confeſſionis uſu literis conſignarunt; Id enim eos ex vagis incertiſque rumoribus hauſiſſe, neque exploratum habuiſſe, quod memorant, documentis ſolidiſſimis demonſtratur; præter enim Euchologia, & Ritualis libros, præter innumeros Orientalium Sectarum Scriptores, quorum teſtimonia a Clariſſimis Joanne Morino, & Euſebio Renaudotio, Grece, Arabice, & Syriace ſcientiſſimis diligenter collecta ſunt, præter Bernatum, Haſſalium, Galianum, Vanslebium, & Sollerium, oculatos teſtes tradentes oppoſitum, nonne memoratos a Dallæo Scriptores fuiſſe deceptos, invictiſſime probant, Hieremiæ Conſtantinopolitani Patriarchæ ad Lutheranos reſponſa, Bethleemiticæ Synodi ſub Doſitheo Jeroſolimorum Antiſtite an. 1677. habitæ quintumdecimum caput, Conſtantinopolitanæ adverſus Cyrilli Lucaris capitula an. 1638. celebratæ decretum, Jaſſiacæ item Synodi adverſus ejuſdem Lucaris capitula an. 1642. coactæ canones, Orthodoxa Græcorum confeſſio, qua Cyrilli Lucaris capitula refutantur, fidei de-

nique confeſſio a Babyloniorum Patriarcha coram ſummo Pontifice Pio IV. Romæ edita, quam in præfatione ad Ordinationes Syrorum Neſtorianorum latine redditam Morinus exhibet , quibus momentis luce clarius evincitur , de divina Confeſſionis inſtitutione, atque neceſſitate miram eſſe cum Romanæ Eccleſiæ doctrina Orientalium omnium conſenſionem.

XXXIX. Arguit poſtremo Dallæus ex priſcis quibuſdam canonici juris Peritis, & Scholæ Magiſtris : Gratianus Decretorum Collector diſt. 1. de Pœnitentia quærens, an ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione abſque oris confeſſione poſſit quis Deo ſatisfacere, poſt prolata adſtruentium vel rejicientium confeſſionis neceſſitatem momenta, nihil ipſe deſtinit, ſed Lectoris arbitrio rem permittens hæc addit : *Cui autem harum potius adhærendum ſit, Lectoris judicio reſervatur, utraque enim fautores habet Sapientes, & Religioſos Viros, unde Theodorus Cantuarienſis ait in Pœnitentiali ſuo : Quidam Deo ſoli confiteri debere peccata dicunt, ut Græci, quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere Santa Eccleſia, quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam Eccleſiam fit*. Hinc Joannes Semeca Gratiani Gloſſator confeſſionis neceſſitatem aperte rejicit.

Petrus item Lombardus Antiſtes & Sententiarum Magiſter 4. ſent. diſt. 17. quorumdam Catholicorum placitum exiſtimantium, ad obtinendam culparum veniam ſatis eſſe Deo confiteri abſque Sacerdotali judicio, opinionis loco habet, nec ei hæreſeos notam inurit. S. quoque Bonaventura in eadem diſtinctione docet, ad juſtificationem neceſſariam non eſſe oris confeſſionem, quum ſequatur contritionem, quæ ſine juſtificatione non eſt. Scotus ibidem, etſi divinam confeſſionis inſtitutionem agnoſcat, negat tamen, probari poſſe eam divino jure eſſe peccatoribus neceſſariam. Durandus denique ſentire videtur, eam eſſe conſilii, non præcepti.

Quum nos Dallæus argumento hoc pugnaciſſime premat, nervoſe frangendus eſt ejus impetus, comminuendumque hoc telum, quod in nos petulanter intorquet. Vergente ad exitum octavo, & nono ineunte ſæculo obſcuros aliquos homines de Sacramentalis confeſſionis neceſſitate apud Latinos dubitare cæpiſſe, initio articuli hujus jam adnotavimus, dubitationemque hanc ad Lateranenſis quarti Concilii tempora, ideſt ad an. uſque 1215. in nonnullorum mentibus inſedisse, ultro damus : quid vero? Præpoſtera ne paucorum male feriatorum hominum opinio perpetuam atque conſtantem univerſalis Eccleſiæ fidem & praxim infringere poterit, aut enervare? Ipſo eodem nono ſæculo, quo adverſus oralis confeſſionis neceſſitatem tenebriones aliqui militare cæperunt, nonne Synodus Cabilonenſis ſecunda can. 32. pronuntiavit id emendatione indigere, & plenam peccatorum, ſive quæ per corpus geſta ſunt, ſive in quibus ſola cogitatione delinquitur, confeſſionem apud Sacerdotes edendam eſſe decrevit? Nonne in eos calamum exacuerunt Alcuinus Flaccus, & Haymo Alberſtatenſis Epiſcopus clariſsimi ejuſdem ævi Scriptores, acerrime pro receptiſsima Eccleſiæ doctrina pugnantes?

LX. Si prima tractatus *de Pœnitentia* diſtinctio vere Gratiani ſit, quod tamen negat Antonius Auguſtinus doctiſſimus Gratiani Emendator, eum turpiter hallucinatum fuiſſe, momentis evincimus haud contemnendis; Primo enim quinam ii ſunt Sapientes & Religioſi Viri, a quibus Sacramentalis confeſſionis neceſſitatem ea ætate oppugnari ſcribit? Floruit duodecimo ſæculo Bononienſis hic Monachus Decretorum Collector, ejuſque exacta medietate deceſſit an. ſcil. Chriſti 1151. Si autem illuſtriores ejus ætatis Auctores, qui pietatis & ſapientiæ laude præ ceteris claruerunt, mente luſtramus, quem reperire erit ſapientem Religioſumque hominem, qui non diſertiſſime neceſſitatem vocalis confeſſionis adſtruxerit? Primus occurrit S. Anſelmus Cantuarienſis Antiſtes an. 1109. fato functus, deinde Ivo Carnotenſis Epiſcopus an. ejuſdem ſæculi quintodecimo, Goffridus Vindocinenſis, & Rupertus Tuitienſis Abbates anno ejuſdem ſæculi trigeſimo circiter e vivis erepti, qui Catholicam de hoc dogmate Eccleſiæ doctrinam expoſuerunt propugnaruntque. Quid Hugonem de S. Victore, cujus obitus annis undecim mortem Gratiani præceſſit, quid S. Bernardum, qui biennio poſt Gratiani obitum fatis exceſſit, quid eidem Gratiano coævum Richardum a S. Victore, quid ei ſuppares Joannem Sariſberienſem, & Petrum Bleſenſem memorem, quos nemo ignorat, præcipuos fuiſſe ejus ſæcu-

li

li Eccleſiaſticos Tractatores, quoſque pro hoc fidei capite invicte ſtetiſſe, edita ab eis præclariſſima opera neminem dubitare permittunt? Sapientes ii ergo Religioſique Viri, quos Gratianus appellat ceu oppoſitæ ſententiæ Patronos, vel commentitii ſunt e Gratiani cerebro nati, vel perpauci quidam, iique obſcuri admodum nominis, quorum nulla prorſus fuerat a Gratiano habenda ratio; quanquam ipſe cum Natali Alexandro facilius adducor, ut credam, nullos omnino fuiſſe, quum nullos Gratianus appellare potuerit. Hæc fidenter de homine pronuntiamus in ejuſmodi erratis frequenter deprehenſo, planeque convicto.

XL. Abſit autem, ut eum ſcienter prudenterque peccaſſe dicamus, quum lapſus ejus ſiniſtræ Patrum intelligentiæ, & errori facti ſit adſcribendus. Quum plura Patrum teſtimonia ad manum haberet, quæ confeſſionem ſoli Deo faciendam adſtruere, ejuſdemque hominibus faciendæ neceſſitatem videntur impetere, eadem illa, quæ a Dallæo objecta jam expoſuimus, homo in Patrum lectione parum verſatus, neque admodum Theologiæ peritus, legitimum eorumdem intellectum non adſecutus, eos vere in perſuaſione illa fuiſſe imprudenter exiſtimavit, Patreſque Eccleſiæ, quorum de confeſſione ſoli Deo facienda teſtimonia ibidem protulit, nec intellexit, ii forte ſunt Sapientes Religioſique Viri, quos adverſus oralis confeſſionis neceſſitatem perperam ratus eſt, dimicare. Homo quoque critices cujuſcumque jejunus, & avide arripiens, quidquid ex codicibus Patrum vel Conciliorum nomen præferentibus excerptum implendis paginis aptum erat, in errorem abſtractus eſt verbis iis, quæ in codice legerat, ut ipſe falſo putavit, Pœnitentiali Theodori Cantuarienſis, *quidam Deo ſoli non confiteri debere peccata dicunt, ut Græci, quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe, percenſent, ut tota fere ſancta Eccleſia*. Quid porro ſimile in Theodori Pœnitentiali, quem, etſi Morinus teſtetur, neminem ſe legiſſe, qui ſcribat, viſum a ſe hujuſmodi codicem, præter Henricum Spelman Conciliorum Angliæ collectorem, qui ex manuſcripto in Cantabrigienſi S. Benedicti Bibliotheca ſervato Capitulorum titulos tantum excripſit, nuper tamen ex manuſcriptis Bibliothecæ Thuanææ codicibus eruit, edíditque Jacobus Parvus? Quam tanto etiam Gratianus errore facti deceptus crediderit, Græcos confeſſionis vocalis neceſſitatem explodere, abunde conſtat ex paullo ſuperius memoratis: quam etiam inſcite verba illa, *ut tota fere ſancta Eccleſia*, ex apocrypho aliquo vitioſoque codice excerpta in opus ſuum intruſerit, quis non intelligit? Quid ſibi vult ea particula *fere*? An aliqua fuerat, aut erat Gratiani ætate Catholicæ Eccleſiæ portio, quæ de hoc fidei capite a ceteris diſſentiret, quum nec ullam fuiſſe aut eſſe inter Orientales Chriſtiani nominis ſectam, quæ non idem nobiſcum ſentiat, jam ſatis ſuperque oſtenſum ſit? Solidi ergo criterii ſit omnino inops, oportet, qui hominis plus æquo creduli, erroriſque palam revicti nobis auctoritatem opponat.

XLI. Quoniam vero recentium Theologorum plerique in purgando Gratiano, flectendoque in rectum ſenſum multam eamque piam nec inutilem operam ponunt, adeat, qui otio abundat, Vitaſſium, Tournellium, Bertium, alioſque. Elidendæ ex Gratiano & Sententiarum Magiſtro conflatæ a Dallæo objectioni ſatis ſuperque fuerit D. Thomæ reſponſio, qui Magiſtri textum exponens ait: „ Quod ponitur hic „ pro opinione, hæreſis eſt, non quod explicite ſit contra aliquem articulum, vel „ præcedens, vel ſequens ad ipſum, ſed „ implicite aliquid contrarium fidei conti„ net, quia ſequitur, quod claves Eccleſiæ „ non ſint neceſſariæ ad ſalutem; & in ta„ libus, antequam determinetur per Eccle„ ſiam, quod ex eis ſequatur aliquid con„ trarium fidei, non judicatur hæreſis eſ„ ſe; & ſic Magiſter & Gratianus hoc „ pro opinione ponunt, ſed nunc poſt de„ terminationem Eccleſiæ ſub Innocentio „ tertio factam hæreſis reputanda eſt: " Uterque ergo, D. Thoma interprete, licet Sacramentalem confeſſionem divino jure neceſſariam eſſe ſentiret, quemadmodum ex eorum libris aperte colligitur, licet aliter opinantium placitum ſolide refutarent, illud tamen hæreſeos non damnarunt, ne Eccleſiæ judicium prævenirent, quæ errorem illum nondum ſolemni decreto confixerat. Errabant profecto pauci ii, nulliuſque nominis homines, qui a communi inter Catholicos ſententia recedebant, quum veritas una ſemper ſit, eademque invariabilis, &, ut Tertullianus eſt, *irreformabilis*, hæreſeos tamen inſimulari non poterat, quod nondum eſſet veritas hæc plene eliquata, & ſolemni univerſalis Eccleſiæ judicio definita, quod judi-

cium in plenariis Lateranenſi IV., Florentino, & Tridentino Conciliis poſtea latum eſt. Quum ſolidiſſimum ſit hoc D. Thomæ reſponſum, operæ pretium non eſt, ut ad illud confirmandum illuſtrandumque ex Millenariorum errore, ex controverſia de Hæreticorum Baptiſmo, ex dubitatione de quorumdam veteris novique Teſtamenti librorum canonicitate plurium Catholicorum animis diu inſita, exempla hæc conferamus.

XLII. Gratiani Gloſſatorem Joannem Semecam non moramur, cui in hæreſeos culpa poſitum non eſt, quod ſcripſit, falſum eſſe, adulto peccatum non dimitti abſque oris confeſſione, quia falſum hoc, & ab Eccleſia proſcriptum effatum ex imprudentia potius, & Theologicarum rerum imperitia illi excidit, quam ab ipſo fuerit pertinaciter propugnatum. Quamquam id forte etiam in cauſſa fuit, ne Hæreticis accenſeretur, quod ejus dictum benignam hanc interpretationem ſuſcipiat, quæ & Gratiano, & aliis ſuppreſſo nomine ab eo indicatis, adhiberi ſolet, adulto nimirum abſque oris confeſſione actu edita peccatum dimitti poſſe, quum contritione perfecta, & ſolo confeſſionis voto, ſi actu confitendi facultas deſit, juſtificari hominem, æternæque ſalutis compotem fieri, nemo inter Catholicos ſit, qui diſſentiat.

XLIII. Si tam eſſet in aſſequendo Doctorum ſenſu perſpicax & acutus, quam in eorum verbis arripiendis, jactandiſque Dallæus anxius, atque procax, ſenſiſſet oppido, nonniſi obtorto collo S. Bonaventuram trahi poſſe adverſus conſtantem Eccleſiæ doctrinam; Neminem enim latet, Doctorem Seraphicum cum antiquis pleriſque Scholaſticis in ea fuiſſe opinione, ad obtinendam juſtificationis gratiam in Pœnitentiæ Sacramento opus eſſe contritione habituali charitate formata; Impii ergo juſtificationem perfectæ huic contritioni adſcribens, quid mirum, ſi ad habendam juſtitiam contritione jam partam confeſſionem oralem neceſſariam non eſſe cenſuerit? Etſi autem ex hoc capite ejus neceſſitatem non repetat, aliunde tamen neceſſariam illam divino jure demonſtrat, ne ſcilicet Chriſti præceptum violetur, & ne Sacramenti a Chriſto inſtituti eſſentialem hanc partem negligens a juſtitia jam per contritionem acquiſita quis excidat. Quid itaque iniquius, quam Bonaventuram Sacramentalis confeſſionis adverſarium inducere? Quid refert, hoc ne vel illo titulo neceſſariam eam eſſe docuerit, modo exploratum certumque ſit, illum pro abſoluta ejus neceſſitate ſtetiſſe? Scotum, ac Durandum, quos omnes norunt, nonnumquam amore novitatis abreptos, a regia, quam alii triverant, via divertiſſe, & in abſurda plura prolapſos a veritate exorbitaſſe, Clariſſimus Eſtius ſcribit, de hoc capite minus conſiderate locutos, ſuſceptamque ab eis novam opinandi rationem univerſalis Eccleſiæ doctrinam labefactare non poſſe. Ultro do, Scotum ſubtilitatibus pro ingenii ſui acumine plus æquo indulgentem, negaſſe confeſſionis neceſſitatem ex iis Chriſti verbis extundi, *quorum remiſeritis &c.* ex quibus, ut ſeſ. 14. c. 5. Tridentinum poſtea pronuntiavit, univerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere. Quid porro? Subtiliſſimus homo aliam ſibi viſus eſt adinveniſſe rationem, qua confeſſionis neceſſitatem plane conficeret; quare in dogmatis ſubſtantia cum Catholicis omnibus convenit, licet in eo probando aliam a cœteris viam inierit. Dolendum ſane, virum eximium prætermiſſo decretorio momento illo ex Chriſti verbis excerpto, ex quo univerſa Eccleſia, teſte Tridentino, non ſolum integræ peccatorum confeſſionis inſtitutionem, ſed & impoſitam omnibus divino jure ejus neceſſitatem perpetuo intulit, aliud prælegiſſe ex charitatis præcepto ſumptum, quo remedio peccatorum facillimo, cujuſmodi eſt confeſſio, uti quiſque tenetur, quod licet ei, ejuſque Vindici Bartholomæo Maſtrio efficaciſſimum ſit, & invictum, Theologorum tamen pleriſque infirmum eſt, & imbecille. Cæterum Scoti patrocinio Dallæus inique gloriatur, quum nemo poſſit ambigere, quin dogmatis hujus Scotus fuerit adſertor & vindex. Durandi mentem adſecutus ne fuerit Eſtius, an ſecus, non eſt loci hujus inquirere. Illud extra litem eſt, Durandum diſt. 17. quæſt. 8. divinam confeſſionis inſtitutionem agnoviſſe, & q. 9. ejuſdem neceſſitatem hoc argumento probaſſe, quia omne remedium ordinatum contra culpam, cum qua non ſtat gratia, eſt de neceſſitate ſalutis. His de Confeſſionis inſtitutione atque neceſſitate uberius dictis, nonnulla de ejus conditionibus atque modo addenda ſunt.

De

Digitized by Google

De Confeſſionis conditionibus atque modo.

Etſi plures Confeſſionis conditiones D. Thomas in ſuppl. quæſt. 9. ar. 4. recenſeat, quas adnotat, fuiſſe a Veteribus quatuor his verſiculis comprehenſas, *ſit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis, atque frequens, nuda, & diſcreta, libens, verecunda, integra, ſecreta, lacrimabilis, accelerata, fortis, & accuſans, & ſit parere*, vel ut alii legunt, *punire parata*, animus tamen non eſt, ſingulas perſequi, quum ſint illæ notiſſimæ, & in quibuſque libellis Catechiſticis, & Aſceticis explicatæ. Duas tantum exercitationi noſtræ ſubiicimus, quod nimirum Confeſſio integra eſſe debeat, & ſecreta. Confeſſionis integritatem hic excutiemus, ejuſdem ſigillum in articulo de Confeſſionis miniſtro opportunius expenſuri. Eſt juxta Catholicos omnes duplex confeſſionis integritas, materialis videlicet & formalis: Materialem integritatem Theologi de Schola vocant, quum homo omnia prorſus crimina, quorum vere reus eſt, Sacerdoti ſincere aperit: formalem vero, cum ea cuncta declarat, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem reminiſcitur, atque ita animo comparatus eſt, ut alia quoque aperiret, quæ forte admiſit, ſi ea poſſet in memoriam revocare. Materialem integritatem Deum ab homine non exigere, inter omnes Catholicos convenit; alienum quippe a ſumma ejus bonitate, atque clementia eſt, ut quidpiam nobis præcipiat impoſſibile, velitque nos in perpetuas, eaſque inextricabiles anguſtias coniicere; integram autem omnium omnino admiſſorum criminum confeſſionem impoſſibilem plerumque eſſe præter varios phiſicæ aut moralis impotentiæ caſus, qui non raro contingunt, ſola invicte probat labilis atque fluxa humanæ memoriæ conditio, qua plerumque fit, ut rerum haud ita pridem actarum meminiſſe nulla ratione poſſimus, multo minus earum, quas jamdudum aut actu geſſimus, aut cogitatione, atque corde complexi ſumus.

II. De ſola itaque formali integritate nobis eſt ſermo adverſus Novatores, quorum impiam poſitionem can. 7. & 8. Synodus Tridentina confixit: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoriam cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta & quæ ſint contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant . . . aut eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum, aut demum, non licere confiteri peccata venialia &c. ſi quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam &c. anathema ſit.* Quam recte autem formalem hanc confeſſionis integritatem ex divina inſtitutione eſſe, Synodus Tridentina declaret, quam merito in Novatores ſecus blaterare auſos geminatum anathema torqueat, ſolide demonſtrat Melchior Cano graviſſimus ejuſdem Concilii Theologus. Nonne etenim Chriſtus Sacerdotes Judices conſtituit, qui vice Dei peccata remitterent? Si ergo reus partem peccatorum pro libito prodere, partem tacere poſſet, aut ab auditis tantum, aut ab omnibus Sacerdotes reum abſolverent: ſi ab auditis tantum, & Deus ergo partim abſolveret, partim retineret, quod dictu ſacrilegum eſt, quum, teſte Auguſtino, impium ſit, dimidiatam a Deo ſperare veniam: ſi autem parte tantum audita ab omnibus Sacerdos abſolveret, quodnam imprudentius & iniquius judicii genus, quam incognita cauſa ſententiam ferre?

III. Deinde quum inſtituta a Chriſto confeſſio fuerit, quis, niſi inſaniat, enuntiare velit, illum non plenam & integram, ſed mutilam atque mancam confeſſionem inſtituiſſe, quum Dei perfecta ſint opera? Rurſus, ut egregie ratiocinatur D. Thomas, confeſſio ſcienter mutila, confeſſio non eſt, ſed confeſſionis ſimulatio; non enim a morbis, quos medico aperit, vere ſanari vult, qui alios tacet, quorum unus ita cum altero connexus eſt, ut unus abſque altero curari nequeat, atque una eademque ſit medicina tollendis omnibus inſtituta. Addit Angelicus Doctor, Sacramentum hoc ordinatum a Chriſto fuiſſe ad medicinam omnium mortalium peccatorum, quibus eſt a Sacerdote adhibenda curatio: qui autem poteſt Medicus medicinam prudenter apponere, niſi totam ægri pravam habitudinem norit, quum medicamen uni morbo conveniens alteri adferat quandoque perniciem? Sanctiſſime ergo Lateranenſis IV. Synodus in cap. *Omnis utriuſque ſexus* Sacerdotes monet his verbis; *Sacerdos*

more

more periti Medici diligenter inquirat peccatoris circumſtantias & peccati, ex quibus prudenter intelligat, quale debeat et præbere conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Cœterum, etſi hæc aliaque argumenta deeſſent, Eccleſiæ uſus ab Apoſtolis ad nos derivatus, id ſatis oſtendit; ſemper enim intellexit Eccleſia, Confeſſionem a Chriſto inſtitutam integram eſſe debere. Hinc inſigniter mentiri Hæreticos effutientes, hanc confeſſionis integritatem humanam traditionem eſſe a piis abolendam, hactenus dicta luculenter oſtendunt; quæcumque enim ex Patribus, & Eccleſiaſticis monumentis teſtimonia protulimus, non ſolum Confeſſionem divinitus inſtitutam, & neceſſariam omnibus poſt Baptiſmum lapſis, ſed & integram eſſe debere, confirmant.

IV. Quam falſo etiam iidem Novatores obganniant, hanc Confeſſionis integritatem, quam Eccleſia docet, impoſſibilem eſſe, præter ea, quæ ſuperius dicta ſunt, dum huic Dallæi argumento reſponderemus, naturalis ipſa ratio demonſtrat; quum enim conſtet, ut Tridentinum ait, nihil aliud in Eccleſia Dei exigi, quam ut, poſtquam quiſque ſe diligentius excuſſerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit, quid in hac praxi facti impoſſibile? Num ſe ipſum homo diſcutere, num ea, quæ poſt ſui diſcuſſionem memoriæ occurrunt, aperire Sacerdoti non poteſt? Si & illa manifeſtanda ſigillatim eſſe, quæ ita e memoria exciderunt, ut in eam nequeant quavis diligentia revocari, doceret Eccleſia, eſſet Novatorum querelæ locus; ſed intoleranda prorſus eſt eorum calumniandi libido, qui, etſi genuinam Eccleſiæ mentem habeant probe perſpectam, eam tamen maligne pervertunt, ut & invidiam Eccleſiæ conflent, & ab Evangelici hujus præcepti obſervatione ſimpliciores avertant. Ejuſdem furfuris eſt, quod ſtultiſſime commenti ſunt, eos videlicet, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil divinæ miſericordiæ relinquere velle ignoſcendum. O vaniſſima capita, quorum inſanitati helleboro potius, quam rationibus ſuccurratur! Ecquis enim inter Catholicos vel ſolo umquam animo ſecum reputavit, peccatorum quorumlibet veniam aliunde, quam a Dei miſericordia per Chriſti merita expectandam eſſe? Quis umquam inter Catholicos docuit, peccatorum omnium confeſſionem humanæ juſtificationis, & remiſſionis culparum cauſſam principem eſſe? Nonne una omnium vox perpetuo ab Apoſtolorum ætate ad hæc uſque tempora fuit, eritque ad ſæculorum conſummationem, oralem hanc confeſſionem nonniſi medium eſſe divinitus inſtitutum, quo rite utentes fideles a Deo, qui ſolus eſt veniæ largitor, & humanæ ſalutis auctor, Sacerdotum Dei vices gerentium miniſterio per unius Dei & Hominum mediatoris Chriſti Jeſu merita peccatorum remiſſionem obtineant? Sed piget, tam monſtroſa Novatorum deliramenta ſerio refellere, quæ nonniſi cachinnis & ſibilis digna ſunt.

V. Iiſdem momentis adſtruitur alterum Catholicæ doctrinæ caput, ad formalem videlicet confeſſionis integritatem ſpectare circumſtantiarum ſpeciem mutantium declarationem; Tridentini ſiquidem Patres, ſicut ex Chriſti Domini verbis Jo. 20. *Quorum remiſeritis* &c. confeſſionis inſtitutionem atque neceſſitatem legitima conſecutione fluere declararunt, ita ex iiſdem non ſingulorum tantum mortalium peccatorum memoriæ occurrentium, ſed & circumſtantiarum, quæ peccatum in aliam transferunt ſpeciem, nitidam enumerationem neceſſariam eſſe conficiunt. *Colligitur præterea*, ait ibidem Tridentinum, *eas etiam circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa neque a Pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis imponere; unde alienum a ratione eſt, docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe, aut unam tantum circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem*. Poſtrema hæc verba in Lutherum intorta ſunt, cujus eſt in libro de Babylonica captivitate impium illud & neſandum effatum: „ Circumſtantiæ peccatorum cum Matribus, Filiabus, Sororibus, affinibus, locorum, temporum, perſonarum ſunt omnino contemnendæ; apud Chriſtianos enim una eſt circumſtantia, peccaſſe in fratrem. “ Non alio opus eſt, quam naturæ lumine, ut dicti hujus impietas deprehendatur, quod vel ethnicis ipſis bene moratis horrorem incuteret.

VI. Idem ne vero de circumſtantiis peccati

cati

cati gravitatem intra eandem ſpeciem multum augentibus cenſendum ſit, Tridentina Synodus definire conſulto noluit, quod propoſiti ſui tenax id agere conſtanter voluerit, ut errores configeret, dogmata declararet, a rebus vero inter Catholicos nondum ad liquidum plane deductis, & exploratis, ſed ob varia Doctorum placita incompertis adhuc, & ambiguis abſtineret. Tum ratione tum auctoritate adducor, ut ſentiam, hujuſmodi circumſtantias quoque aperiendas eſſe, nec ſatis ſaluti ſuæ Pœnitentem conſulere, ſi eas reticeat, ac omittat. Ratione quidem; ſi enim ex Tridentino declarandæ ſunt circumſtantiæ ſpeciem variantes, quod abſque iis nec peccata integre declarentur, nec Sacerdotibus ita innoſcant, ut de eorum gravitate rectum ferre judicium poſſint, eaque debita pœna mulctare, nonne eodem hoc titulo, & circumſtantias, quibus etſi ſpecies non varietur, plurima tamen fit malitiæ & gravitatis acceſſio, declarandas eſſe, conficitur? Integre ne peccatum ſuum confiteri cenſetur, qui mille aureos furatus, tantummodo fateatur, furtum ſe perpetraſſe, cujus materies gravis eſt? Etſi unum ſurripueris aureum, furtum grave admiſiſti, quod tamen a mille aureorum ſurreptione intervallo diſtat longiſſimo. Satis ne peccatum tuum Sacerdoti innoteſcere putas, ut recte de ejus gravitate valeat judicare, dignamque tibi pro eo ſatisfactionem injungere, ſi furti mille aureorum reus dixeris tantum, grave te proximo damnum furando intuliſſe? Par ne, aut non multum impar furti unius, & mille aureorum gravitas, ut nihil interſit ad rectum Sacerdotis judicium harum circumſtantiarum manifeſtatio? Juxta æquitatis & prudentiæ leges pari ne pœna plectendum furtum, quod in rei ſurreptæ, illatique proximo damni quantitate tam eſt diverſum? Res fiet meridiana luce ſplendidior, ſi exempla petamus a culpis ejuſdem quidem ſpeciei, ſed vel ex ignorantia culpabili, vel ex concupiſcentia, ſive paſſione, vel ſcienter, ſeu, ut ajunt, ex certa malitia, vel uno actu cito tranſeunte, vel eodem ex nimia peccandi libidine diu multumque producto patratis.

VII. Auctoritate vero in hanc ſententiam plane trahor. Mitto Auctorem l. de vera & falſa pœnitentia, qui D. Auguſtino a Gratiano, Magiſtro, D. Thoma, aliiſque tribuitur, cujus diſertiſſimum teſtimonium de Pœnitentia diſt. 5. c. *Conſideret*, recitatur, canonem *Omnis utriuſque ſexus*, canonem *Deus qui extra de pœnitentiis & remiſſionibus*, nonnullorum Conciliorum ſanctiones a Genetto, Vitaſſio, aliiſque laudatas: plurimum moveor Catechiſmi Tridentini Concilii, & S. Caroli Borromæi auctoritate; in priori enim par. 2. tit. de Pœnit. num. 62. hæc leguntur; *neque vero ſolum peccata gravia explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumſtant, & pravitatem valde augent vel minuunt*, pauciſque interjectis illud idem de furto unius vel centum, quo ſuperius uſi ſumus, Catechiſmi Editores exemplum adhibent; alter vero in Confeſſariorum inſtructione declarat, debere Confeſſarium probe noſſe circumſtantias, quæ aut ſpeciem peccati variant, aut illud notabiliter aggravant, quia hujuſmodi circumſtantiæ ſunt neceſſario in confeſſione aperiendæ. Quid ſi præſtantiſſimos cujuſque Ordinis Theologos, veteres recenteſque conſulimus? Tot, tamque eximii Viri in hanc ſententiam coeunt, ut pudere debeat veri amatorem hominem, ab eorum mente recedere; eſt enim inter Thomiſtas communis, pro ea Scotiſtæ omnes, uno excepto Maſtrio pugnant, in eandem eunt plurimi cujuſque Scholæ Theologi.

IX. Illud interim extra litem eſt, ambigi jam a Catholico Viro non poſſe, quin peccati conſuetudo, quæ circumſtantia pure aggravans eſt, neceſſario ſit aperienda, quum de ea Sacerdotem percuntari, & Pœnitentem declarare illam juſſerit Innocentius XI. propoſitionem hanc damnans: non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem. Unde autem putas ortam aperiendæ circumſtantiæ hujus neceſſitatem, qua recidivos obſtringi, ſummus Pontifex declaravit? Non aliunde quam ex ipſo Sacramenti Pœnitentiæ fine, reponeret Melchior Cano: quare quum hujus Sacramenti finis non tam vindicare ſit, quam ſanare, notitia neceſſaria Sacerdoti ad hoc ſalutare judicium, ex tali fine ſalutis depromenda eſt, ideoque tantum criminum debet Pœnitens Confeſſario manifeſtare, quantum opus erit ad ſalubre judicium atque vindictam: optimum itaque conſilium eſt, ait idem graviſſimus Auctor, & recidivum peccati conſuetudinem Sacerdoti explicare, non ob verecun-

diam

diam ſolum, cujus eſt in confeſſione maximus fructus, verum etiam ob remedium; aliter enim ſimplici febri, aliter ecticæ medemur. Qui autem animo præjudiciis vacuo circumſtantiam eadem ſæpius iterandi peccata cum aliis ejuſcemodi circumſtantiis conferat, & rationem ex Sacramenti fine petitam, ob quam definita fuit ejus in confeſſione declarandæ neceſſitas, aliis ſcienter aptare voluerit, non diu hærebit, quin ex eodem ſalutaris remedii fine & alias haud minus peccati malitiam augentes declarandas eſſe, conſentiat.

X. Fidentius pronuntiamus, ad formalem confeſſionis integritatem divino jure præceptam ſpectare & dubiorum criminum declarationem, ſive juris ſive facti dubium ſit, modo prudens & grave fuerit, ideſt cujus non levis atque chimærica, ſed rationabilis, & ſolida cauſa ſit, quæ conſtantem virum movere poſſit. Theologi ferme omnes D. Thomæ ſubſcribunt id non docenti ſolum, ſed & invicte probanti, modumque ſimul, quo peccata dubia explicanda ſunt, ita tradenti: „ Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an ſit mortale, tenetur „ illud confiteri, dubitatione manente, „ quia qui aliquid committit, aut omittit, in quo dubitat eſſe peccatum mortale, peccat mortaliter diſcrimini ſe „ committens, & ſimiliter periculo ſe „ committit, qui hoc, quod dubitat eſſe „ mortale, negligit confiteri. Non tamen „ debet aſſerere illud mortale eſſe, ſed „ dubitative loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus eſt diſcernere inter „ lepram & lepram. “ Duo paucis his verbis validiſſima momenta D. Thomas complexus eſt e ſacris litteris ducta, quibus aperiendorum hujuſmodi criminum neceſſitas demonſtratur. Primum ex notiſſimo illo Eccleſiaſtici effato ducitur: Qui amat periculum peribit in illo; quum ergo, qui prudenter dubitans lætale ne ſit, an non, quod admiſit, vel illud ne vere admiſerit, quod certo lætale ſcit, an non ſcienter reticet, de quo graviter dubitat, diſcrimini ſe ultro committat violandi debitam confeſſionis integritatem, quidni in periculo pereat, quod volens prudenſque elegit, ideſt lætaliter peccans æternæ ſalutis jacturam faciat?

XI. Alterum arceſſitur ex dignoſcendæ mundandæque lepræ ritu, quem Levitici 13. Deus inſtituit; Sacerdotum enim judicio ſubjecit Deus non eos ſolum, quos patebat, lepra infectos eſſe, ſed & homines, veſtimenta atque domos, de quibus ex nonnullis exterioribus, iiſque ambiguis indiciis roborta eſſet aliqua lepræ ſuſcipio: quid autem apud Patres, atque Eccleſiæ Doctores conſtantius & vulgatius, quam ritum illum confeſſionis Sacramentalis figuram fuiſſe atque typum, ſpiritualem omnem animarum lepram, ideſt peccata Evangelicorum Sacerdotum judicio ſubdenda eſſe, quibus id Chriſtus attribuit, ut præ Moſaicis Sacerdotibus non lepram corporis ſed immunditiam animæ, ut Chryſoſtomus ait, non purgatam probandi, ſed potius purgandi poteſtate pollerent? Conſequens ergo eſt, aperienda iis eſſe peccata etſi dubia, eorumque judicio ſubjicienda.

XII. Duo hæc quæ nobis ſuppeditat D. Thomas, momenta ſat erunt & firmandæ communi inter Theologos ſententiæ, & refellendæ laxiori Caramuelis opinioni, qui docet, nulla declarandi peccata dubia neceſſitate fideles obſtringi; neque enim P. Bertio aſſentiri poſſum ſcribenti, eos qui negant accuſanda eſſe peccata, de quibus dubitatur, num patrata ſint, ſive num ſint venialia, an mortalia, videri cum Luthero ſentire, eoſque cum Luthero damnari a Martyre Joanne Roffenſi, Echio, Latomo, ac Bellarmino. Etſi falſum exiſtimem placitum Caramuelis, etſi quatuor hi a Bertio laudati Theologi pro neceſſitate declarandi peccata dubia nobiſcum pugnent, æquo tamen ſeverior eſt in Caramuelem, alioſque paucos cum Caramuele ſentientes lata a Bertio cenſura; quod ideo animadvertere placet, ut mentibus veſtris ſemper inſideat, privati Theologi non eſſe, acriores opinionibus notas inurere, quibus hactenus Catholica Eccleſia pepercit. Ecquid ſimile Lutherus aſſeruit, ut ei videatur Caramuel conſentire? Recitat Bertius Lutheri articulum inter quadraginta a Leone X. damnatos octavum: „ Nullo modo præſumas confiteri peccata „ venialia, ſed nec omnia mortalia, „ quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas, unde in primitiva Ec„ cleſia ſolum manifeſta mortalia confite„ bantur, “ ex quibus poſtremis verbis Bertius infert, denegaſſe Lutherum neceſſitatem peccata dubia confitendi, eique id-

idcirco aſſentiri, qui hujuſmodi neceſſitatem excludunt, quod Lutherus manifeſtorum peccatorum nomine, quorum duntaxat confeſſio apud primitivos fideles in uſu erat, non publica atque notoria occultis, ſed certa dubiis oppoſita intellexerit, ideoque dubiorum criminum confeſſionem improbarit, quæ in primitiva Eccleſia non obtinebat. Interpretationis hujus Auctores adfert Eraſmum, Auctores Colloquii Germanici, & Bellarminum, qui ſcribit, Lutherum ipſum in adſertione articuli octavi teſtari, ſe manifeſta peccata occultis non oppoſuiſſe, indeque colligit, reliquum eſſe, ut manifeſta dubiis opponens dubiorum confeſſionem exploſerit. Sed ut Auctores hos a Bertio laudatos verum Lutheri ſenſum adſecutos non eſſe credam, duobus potiſſimum momentis adducor, quorum primum ex Luthero ipſo, alterum ex conſtanti Novatorum omnium perſuaſione repetitur.

XIII. Lutherus in memorato art. 8., quemadmodum eum recitat Card. Gotti in libro, cui titulus *Veritas Religionis Chriſtianæ*, hæc habet, quæ & in ſermonibus ſæpe repetit: „ Sicut venialia peccata non pertinent ad confeſſionem & „ abſolutionem clavium, ita nec omnia „ mortalia: Si homo teneretur omnia „ peccata mortalia confiteri, teneretur „ ſimpliciter ad impoſſibile, “ quibus addit, quæ a Bertio recitantur. His ſi adjeceris, quæ in l. de Babylonica captivitate idem Lutherus ait, neceſſe nimirum non eſſe, peccata occulta Prælato aut Sacerdoti confiteri, ſed ſatis fore, ſi frater fratri confiteatur, germana Lutheri mens evidentiſſime, ni mea me fallit opinio, colligitur: nemo enim ignorat, Sacroſanctam Tridentinam Synodum ad convellendos nefarios Lutheri & Calvini errores potiſſimum coactam, nullum eorum peſtilens dogma prætermiſiſſe, quod non confixerit, nullum Catholicæ doctrinæ caput præteriviſſe, quod ab iis oppugnatum non vindicarit confirmaritque: Synodus autem in hæc ex Luthero mox recitata oculos animumque intendens, quem iis errorem ſubeſſe intellexit? Suis oculis certior poteſt fieri, quiſquis ſeſſionis 14. caput quintum, & canones ſextum, ſeptimum, & octavum legerit, ſentiſſe Lutherum, nefas eſſe venialia confiteri, peccata lethalia non in ſpecie, & ſigillatim, ſed in genere tantum declaranda eſſe, præſertim ſi occulta ſint, aut ſolo corde admiſſa, alioquin homo quidpiam impoſſibile aggrederetur, modum ſecrete confitendi Sacerdoti in aurem inventum humanum eſſe, confeſſionem in primitiva Eccleſia obſervatam tantum fuiſſe ad ſatiſfactionem canonicam imponendam pro culpis iis, quæ fratribus ſcandalo, atque offenſioni fuiſſent. Hæc ex Lutheto excerpta Synodus anathemate perculit, his totidem Catholicæ doctrinæ definitiones oppoſuit, & de criminum dubiorum confeſſione, quæ fuerit a Luthero rejecta, ne verbum quidem. Habeant ergo ſibi interpretationem ſuam Auctores a Bertio memorati; manifeſta peccata, quorum duntaxat in primitiva Eccleſia confeſſionem Lutherus agnovit, eundem poſuiſſe non *pro notoriis*, ſeu pro *certis*, quæ dubiis opponantur, non fiet plane, ut aſſentiar, præſertim quum Lutherus ipſe plerumque ſane varius & inconſtans, ſemel tamen conceptum errorem hunc mordicus retinuerit, confeſſionem videlicet non Divinum inſtitutum, ſed Papale inventum eſſe, nullum in ſacris literis, aut in vetuſtis Eccleſiæ Doctoribus fundamentum habens: Qui autem potuiſſet in errore hoc perpetuo conſtans & pertinax, confeſſionis occultorum criminum, modo illa manifeſta eſſent, ideſt ut Bertiani Interpretes explicant, certa, & pœnitenti comperta, uſum in primitiva Eccleſia fateri? Relinquitur ergo, quod Lutherus ſcripſit, unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur, de publicis & notoriis, non de certis, etſi occultis, intelligendum eſſe, ne Lutherum conceſſiſſe dicamus, in quo negando conſtat, fuiſſe illum pervicaciſſimum.

XIV. At Lutherus de occultis non ſe etiam locutum teſtatur ipſe in aſſertione articuli octavi, quare id ſolum reſtat, ut de dubiis intellexerit, ait Bellarminus a Bertio laudatus. Danda fuerant ipſa Lutheri verba, ut de vero eorum ſenſu ferri poſſet judicium. Occultorum confeſſionem adſtruxiſſe Lutherum, tum ex iis, quæ e libro de Babyl. captivitate protulimus, tum ex Catechiſmo ab eodem edito, quem memorat Meldenſis Epiſcopus l. 3. Hiſt. variationum, ſatis conſtat; at illud quoque certiſſimum eſt, rejeciſſe eum neceſſitatem confeſſionis hujus edendæ præſertim Prælatis aut Sacerdotibus, ac contendiſſe, ſatis eſſe, ſi frater fratri ad erudi-

ditionem atque conſolationem occulta crimina confiteatur, hancque omnium criminum confeſſionem Sacramentalem, quæ ſit Pœnitentiæ pars, non deduci e Scripturis, aut ex antiquis Chriſtianæ Religionis Auctoribus. Cui autem perſuaderi poterit, Lutherum in deneganda divina confeſſionis omnium culparum inſtitutione, ejus neceſſitate, & purioribus Eccleſiæ ſæculis uſu perpetuum, manifeſta peccata, quorum dumtaxat confeſſionem in primitiva Eccleſia viguiſſe contendit, pro oculis iiſque certis, non vero pro publicis uſurpaſſe? Fuit quidem Lutherus non admodum literatus, idem tamen non uſque adeo ſtipes, neque in Eccleſiaſtica hiſtoria tam hoſpes, ut caput hoc non plane reconditum ac peregrinum, ſed iis quoque, qui vetera Chriſtianæ antiquitatis monumenta vel extremis labiis delibaſſent, notiſſimum ignorarit, publicorum videlicet ſcelerum confeſſionem in primitiva Eccleſia fuiſſe frequentem: quis itaque animo imbuat, hominem, qui Sacramentalem omnium criminum, etſi occultorum, confeſſionem pugnaciſſime ſemper exploſit, quod eam Scripturæ ſacræ, & purioris antiquitatis ſuffragio carere putaret, qui confeſſionem, quam denegare non poterat, priſcis Eccleſiæ ſæculis fuiſſe uſitatam, publicam tantum fuiſſe contendit ad ſatisfactionem canonicam imponendam, qua nonniſi notoria ſcelera, quæ aliis offenſioni fuiſſent, plerumque mulctari ſolebant, eo ipſo in articulo, in quo diſtinctam culparum omnium confeſſionem oppugnat, atque impoſſibilem abſolute pronuntiat, eandem primitivæ Eccleſiæ exemplo adſtruxiſſe, & confirmaſſe? Id conſequi neceſſe eſt, ſi quod immediate ait: *unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur*, eum habet ſenſum, quem ſubjicit Bellarminus, nimirum *curandum non eſſe de confeſſione dubiorum criminum, quia prioris ævi fideles ſola peccata manifeſta ſeu certa*, etſi *occultiſſima*, *confitebantur*. Alia in Bellarmini ratiocinatione, quam Bertius *libratam* appellat, carpi, nec futiliter, poſſent; parcimus tamen, quod id noſtri inſtituti non ſit.

XV. Quæ ex Luthero adtulimus, validius confirmantur conſtanti Novatorum omnium perſuaſione; quem enim dabit Bertius ex Lutheri, & Calvini gregalibus, qui occultorum criminum, modo pœnitens certo ſibi eſſet eorum conſcius, confeſſionem primis Eccleſiæ ſæculis in more fuiſſe concedat? Nonne una omnium vox eſt, hodiernam Romanæ Eccleſiæ doctrinam a veteris Eccleſiæ ſenſu atque uſu diſtare? Nonne, quæcumque ex Patribus & priſcis Auctoribus in hanc rem a nobis teſtimonia proferuntur, omnes conantur eludere, reponentes, intelligenda illa eſſe non de occultorum, ut ut certa illa eſſent, ſed de publicorum criminum confeſſione, quam ſanctiori illo ævo in uſu fuiſſe non negant ad ſatisfactionem canonicam imponendam? Quis Catholicorum tamen ineptiſſimam hanc eorum exceptionem eliſit, quis eorum ora obſtruxit tam nitido hoc Lutheri teſtimonio? Quam valida eſſet, efficax & decretoria hæc Pſeudo-Evangelicæ reformationis Patriarchæ confeſſio, ſi manifeſtorum criminum nomine, quæ declarandi uſum in primitiva Eccleſia invaluiſſe ſcribit, non publica ſolum, ſed occulta quælibet, dummodo certa, venirent? Eſſent plane, Luthero teſte ac Judice, revicti damnatique mendacii, quotquot ex ejus, vel ex Calvini grege adverſus uſum ab Apoſtolica ætate ad noſtram uſque in Eccleſia obtinentem peccata quælibet lætalia etſi occulta confitendi, decertant.

XVI. Hactenus dicta probant, non ſatis circumſpecte ſcripſiſſe Bertium, eos qui negant, accuſanda eſſe peccata dubia, videri conſentire Luthero: pauca quæ addam, manifeſte conficient, eundem minus caute adjeciſſe, damnari eos cum Luthero a Martyre Roffenſi, Echio, Latomo, & Bellarmino. Si eruditus Piſanus Anteceſſor fuiſſet potius de momentorum delectu quam de copia ſollicitus, ſenſiſſet oppido, ex iis, quæ adfert, quædam conſectaria fluere, quæ nec ipſe adoptare vellit aut poſſit. Ordiamur a Roffenſi, quem etſi Viri ſanctiſſimi, & invicti Martyris loco habeam, ſuſpiciamque, neſcio tamen, quid momenti addat cenſuræ ab eo latæ in Lutherum, alioſque, qui videntur Luthero conſentire, ea Martyris nomenclatio, quam non ſolum honoris cauſſa, ſed ad oſtendendam cenſuræ gravitatem, æquitatemque videtur Bertius apponere iis verbis: *Eos cum Luthero damnant Martyr Roffenſis* &c. Eodem ne gradu apud Catholicos eſt Roffenſis ut Martyr, & ut Theologus? Martyris pro fide conſtantiam ſummo apud omnes in honore eſſe,

eſſe, Theologi tamen non pauca placita pleriſque Theologis non probari, optime novit Bertius; ſed hæc obiter & in tranſcurſu, ne videamur nodum in ſcirpo quærere, ad rei caput. Cedo ſodes, ſi negantes peccata dubia eſſe accuſanda, damnat cum Luthero Martyr Roffenſis, *non laxa* ſolum, ut ais, eorum opinio eſt, ſed manifeſta hæreſis a Romano Pontifice *ſolemni Bulla* damnata. Verba, Roffenſis expendamus: *Si velis articulum intelligi*, ita Lutherum alloquitur, *de mortalibus, quæ fugerint animum confitentis, nec adhibita congrua diligentia redeunt in mentem, nihil ab Eccleſia diſſides: Sin de iis intellexeris, quæ confeſſus norit, vel dubitat eſſe mortalia, tum profecto articulus meritiſſime damnatur, neque Bulla, quæ te jure damnat, ullis ob id conviciis meretur lacerari*. Peto, num hanc Roffenſis ratiocinationem, cenſuramque animo Bertius probet? Si probat, eccur Caramuelis, Sylvii, aliorumque placitum non hæreſim in Luthero a Leone X. damnatam, ſed laxam opinionem eſſe pronuntiat? Si, ut ſapientem Theologum decet, profecto non probat, ecquid teſtimonia iſta quæritat, & ex iis recitatis inſert: *Igitur qui negant* &c. *videntur cum Luthero conſentire, eoſque cum Luthero damnant* &c.?

XVII. A recitandis quoque Echii verbis Bertius abſtinuiſſet, ſi animo complexus eſſet, quantum in damnando eo Lutheri ſenſu, quem ſibi finxerat, theologicæ æquitatis modum exceſſerit: „ Sit „ ita, inquit, quod Ludder manifeſtum „ hic poſuerit non contra occultum, ſed „ contra dubium, quia peccata manife„ ſta, ideſt, quæ nota ſunt eſſe peccata, „ illa ſunt confitenda: aſſero adhuc Lud„ derum errare, & peccaſſe in veritatem „ Catholicam. “ Echius itaque Lutherum in toties memorato articulo octavo dubiorum criminum confeſſionem averſari exiſtimans, illumque hac de cauſa in veritatem Catholicam peccaſſe decernens, aperte hæreſeos eum damnat, quum hæreſis error ſit Catholicæ veritati contrarius: quidni ergo idem hæreſeos crimen iis Catholicis Bertius inferat, quos ait, una cum Luthero ab Echio eadem de cauſa damnari? Nunquam ſane id audebit prudentiſſimus homo: quorſum ergo Echii cenſuram exſcripſit, eandemque ait in Catholicos Auctores cadere? Jacobi Latomi & Bellarmini teſtimonia a Bertio recitata non excutimus; quamquam enim utrumque quoad facti quæſtionem, nempe an Lutherus in articulo octavo dubiorum tantum criminum confeſſionem rejecerit, hallucinatum eſſe, ſuperius dicta demonſtrent, quoad juris tamen articulum eſt utriuſque poſitio cautiſſima, & vere Theologis digna; prior enim ait, *tutius eſſe peccata dubia confiteri, & eorum confeſſionem prætermittentem amare periculum contra illud Eccleſiaſtici tertio, qui amat periculum* &c. alter vero aſſerit, *non parvum certe errorem eſſe, inficiari confeſſionis dubiorum criminum neceſſitatem*. Latomi momentum & nos ex D. Thoma protulimus, Bellarmini autem cenſuræ, quod moderata illa & juſta ſit, pollice utroque ſubſcribimus.

XVIII. Hæc paullo fuſius expendi, dataque occaſione ſimilia adnotare non deſinam, ut perſuaſum vobis firmiſſime ſit, in Theologicis rebus ſectandam non eſſe argumentorum copiam ſed delectum, curandum Theologo, ut ſolida & apta diſſerendi ratione magis, quam exotica eruditione præcellat. Perfectus abſolutuſque Theologus, ait graviſſime Melchior Cano, non modo varia locis argumenta congeret, ſed diſſentientia & conſentientia, certaque & incerta ſecernet; quemadmodum enim Dialectici conſumati facultas duabus rebus expletur, inventione, ac judicio, ſic Theologum inſtructum eſſe oportet, cum ad inveniendum, tum ad judicandum, ſi ars illi theologica diſſerendi expleta futura eſt; quod ſi nulla judicii ratio, nullum diſcrimen acceſſerit, copia quidem argumentandi facilis ac prompta erit, ſed nullo in pretio tamen, niſi apud eos, qui res numero æſtimare ſolent, non pondere. Interim nobis ratum fixumque ſit, dubiorum criminum confeſſionem ad formalem ejus adtinere integritatem; quare vulgatiſſima hæc eſt Theologorum doctrina, peccata lætalia certa neceſſariam confeſſionis materiem eſſe, venialia vero nonniſi ſufficientem, quod, licet taceri citra culpam, ut Tridentinum ait, multiſque aliis remediis expiari poſſint, recte tamen, utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur; lætalia denique dubia, neceſſariam materiem eſſe, ſed non ſufficientem, quia & debet homo ea fateri, ſi tamen gravis alicujus criminis reum ſe eſſe certo non noverit,

Digitized by Google

neceſſe eſt, ut veniale aliquod, aut lætale alias declaratum adjiciat, ut poſſit abſolutione Sacramentali donari; forma etenim certa materiei dubiæ aptari non poteſt.

XIX. Manum ſubducere ab hac de formali Confeſſionis integritate tractatione non poſſumus, niſi quædam breviter perſequamur, quæ ſcitu non utilia ſolum ſed plane neceſſaria tradi a Theologis ferme omnibus ſolent. Illud primo eſt omnibus conſtitutum, formalem hanc confeſſionis integritatem ab eo ſacrilege violari, qui centum e. g. lætalium criminum conſcientiam habens, quinquaginta uni Sacerdoti aperit, reliqua alteri; ut enim D. Thomas egregie ait, „ Sacerdos confeſſionem „ audiens vicem Dei gerit, ideoque debet „ ei hoc modo confeſſio fieri, ſicut Deo „ fit in contritione, unde ſicut vera non „ eſſet contritio, niſi ad omnia & ſingu- „ la peccata extenderetur, ita nec vera „ confeſſio eſt, niſi de omnibus peccatis „ fiat, quæ hic & nunc memoriæ occur- „ runt. “ Jam nitidæ atque efficaci D. Thomæ rationi, qua veritas hæc inter Theologos communis plane conficitur, tempore abuteremur addentes, & huc conferentes Caput *Conſideret* de Pœnitentia diſt. 5. num. 1. ex auctore l. de *vera & falſa Pœnitentia* D. Auguſtino olim tributi deſcriptum, D. Caroli in Sacerdotum Inſtructione luculentiſſimum teſtimonium, aliaque rationum momenta ex minori Pœnitentis, qui confeſſionem ita divideret, erubeſcentia, atque ex forma abſolutionis, quæ falſa tunc eſſet, depromta. Illud ſecundo eſt Catholicis omnibus exploratum, nec dividi mutilarique confeſſionem innoxie poſſe obtentu maximæ ſolemnitatis, qua recurrente ingens eſt populi ad Sacramenta accedentis multitudo, Sacerdotum confeſſiones excipientium raritas, premitque temporis brevioris anguſtia; Etſi enim molliores quidem Theologi olim docerent, licere ea occaſione, mancam edere Confeſſionem, ne, dum Pœnitens integre ſatagit confiteri, alios confiteri, atque Indulgentias ea die propoſitas lucrari volentes, tempore opportuno fraudaret, confixa tamen fuit ab Apoſtolica Sede futilis hæc eorum poſitio, vetitumque ab Innocentio XI., ne quis deinceps abſonam hanc propoſitionem, *licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis aut indulgentiæ*, ne quis, inquam, propoſitionem hanc verbo, aut ſcripto tueri audeat, gravis alioqui culpæ reus futurus, majorique excommunicatione perculſus. De eo denique inter omnes convenit, inſtante mortis diſcrimine, in quod incendio, naufragio, repentino lætali morbo, hoſtium aggreſſione, hiſque ſimilibus haud infrequentibus cauſis quiſpiam adduci poteſt, integræ Confeſſionis edendæ præcepto hominem non obſtringi; Deus enim impoſſibilia non præcipit; in ejuſmodi autem eventibus conſtitutum hominem quis non intelligit, phyſica plerumque impotentia laborare, ſingula, quæ admiſit, peccata recenſendi, & declarandi?

XX. Certa quidem hæc ſunt, & in confeſſo apud omnes; merito tamen a Theologis in diſputationem adducitur, an præter hactenus recenſitos alii figendi ſint caſus, qui hominem ab integritate confeſſionis excuſent, ac primo inquiri ab eis ſolet, an ſi Pœnitens nequeat culpam ſuam nude & ſimpliciter Confeſſario aperire, niſi delicti complicem manifeſtet, peccatum illud reticere abſque piaculo poſſit, an vero complicem revelare debeat, ut integre confiteatur. Ne in opinionibus aut recenſendis, aut confutandis longa texatur oratio, perſpicuitati ſimul ac brevitati ſludentes, tutiſſimam Angelici Doctoris regulam, quæ cunctis ferme Theologis arridet, amplectimur, qui de quæſtione hac a Lectore Briſuntino rogatus, in opuſculi duodecimi, quod ad eum dedit, quæſtione ſexta ita poſcenti repoſuit. „ De ex- „ preſſione Perſonæ, cum qua aliquis pecca- „ vit, videtur mihi, quod non ſit in con- „ feſſione facienda, quando poteſt vitari. „ Si vero ſpeciem peccati exprimere non „ poſſit, niſi Perſonam exprimendo, cum „ qua peccavit, puta ſi cum Sorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo pec- „ cati ſpeciem exprimat & Perſonam, „ ſed ſi fieri poteſt, debet quærere talem „ Confeſſarium, qui Sororis Perſonam „ penitus non cognoſcat. “ „ Sed eſt „ quæſtio, ſubjicit Melchior Cano, cum „ Confeſſor non adeſt, niſi Parochus, qui „ & me & Sororem cognoſcit, ut in pa- „ gis & oppidulis ſequenter ſolet accide- „ re. Communis ſententia eſt, deſiſten- „ dum non eſſe a peccati illius confeſſio- „ ne ob parvum illud proximi nocumen-

„ tum.

„ tum, ſicut ex parva famæ jactura quam „ ipſe facio, ex quo peccatum meum „ Confeſſarius intelligit, confitendi obli- „ gatio non ceſſat. Cauſa vero hotum „ eſt, quod Pœnitens conſcientiæ potius „ ſuæ quam alienæ famæ debeat provide- „ re, item quod præceptum de integri- „ tate Confeſſionis divinum eſt, nec omit- „ ti debet, ut alterius fama apud Confeſ- „ ſarium inviolata ſervetur. “ Hæc Melchior Cano.

XXI. „ Cajetanus tamen in ſumma, „ verbo *Confeſſio*, conditione tertia, ubi „ multa remedia adhibuit, ut alienum „ peccatum in confeſſione cæletur tandem „ addit: Quod ſi nullum remedium eſt, „ & differri confeſſio non poteſt, aut quia „ celebrandum eſt, aut Euchariſtia ſu- „ menda, circumſtantiam illam tacere „ Pœnitens debet, quum confeſſio cum „ aliena jactura edenda non ſit; damnum „ ſiquidem propriæ famæ, confeſſionis & „ abſolutionis utilitate penſatur; alienæ „ vero famæ damnum nulla ejus, qui in- „ commodum patitur, utilitate ſarcitur, „ ideoque non videntur commoda noſtra „ proximorum incommodis comparanda. “ Cajetano ſubſcribunt Navarrus aliique perpauci. Clariſſimus Morinus l. 2. de Pœnit. c. 17. miratur hanc cauſam a paucis objici, & a multis, ut ab ea ſeſe extricent, nonnihil ſudari; famæ equidem proximi conſulendum, atque de ea quidpiam momenti dextrahere haud leve peccatum habendum eſſe, nemo Chriſtianus dubitat, criminis tamen ſocium manifeſtare, quoties id Confeſſionis integritas exigit, famæ detractionem eſſe a recta ratione, & a quotidiano omnium gentium ſentiendi, loquendique uſu videtur prorſus alienum; ut enim præclare ait S. Raymundus: *Tunc non eſt dicendus proditor; quia non dicit, ut alium prodat, vel gravet, ſed ut ſe liberet, quod alias facere non poſſet*. Res adeo eſt ſe ipſa perſpicua, ut vanum ſit, ad eam illuſtrandam exempla conferre, quæ ibidem Morinus congerit naturali rationi, & communi omnium gentium ſenſu plane conformia. Illud mihi videtur oppido decretorium, adverſus quod Cajetanus etſi acutiſſimus ne hiſcere quidem poſſit: prioribus Eccleſiæ ſæculis ſociorum criminis accuſationem non in ſecreta ſolum, ſed etiam in publica confeſſione paſſim fuiſſe uſurpatam, tot tamque diſertis monumentis idem Morinus probat ejuſdem libri capitibus 12. 13. & 14., ut ad liquidum plane deducta res ſit, nulluſque ambigendi locus ſuperſit: Porro cui in mentem veniat, eo ipſo tempore, quo, & Hæreticis ipſis fatentibus, ſanctiſſima erat Eccleſiæ diſciplina, Evangelicæ Ethices cuſtodiendæ zelus eximius, ſingularis apud fideles morum integritas, Eccleſiam non permiſiſſe ſolum, ſed & probaſſe morem hunc ubique obtinentem ſocios criminum vel ſecreto vel publice manifeſtandi, ſi eo violari ſenſiſſet naturalem, divinamque legem, qua vetamur, proximo detrahere, ejuſque famam atterere, vel minuere? Abſurda ergo, & ridicula ratio eſt, quam tantopere urgent oppoſitæ ſententiæ Patroni, eum nimirum, qui criminis ſocium in confeſſione prodit, proximi famæ detrahere, eique injuriam irrogare; neque enim ratio eſt, ſed cavillatio, fas omne abrumpens, omnique juri, naturali, gentium, civili, ac divino contraria.

XXII. In quæſtionem ſecundo apud Theologos venit, eſtque inter eos magna diſſenſio, an quum jactura ſequitur propria vel aliena, a Confeſſionis præcepto, ejuſque liberemur integritate; quoniam nitidiſſime ſimul atque cautiſſime Natalis Alexander, quid de hoc capite omnes ferme Theologi tradant, in morali & dogmatica Theologia l. 2. de Pœnit. at. 7. expreſſit, verba ejus huc conferam, ex quibus propoſitæ quæſtionis definitionem habebitis: „ Confeſſionem dividi poſſe, vul- „ go Theologi cenſent, ubi probabile peri- „ iculum eſt, ne Sacerdos Pœnitentem ad „ peccatum ſollicitet, ne confeſſionem re- „ velet, adeoque ne certi alicujus peccati „ aut circumſtantiæ declaratione Pœnitens „ ſe ipſum aut alium in æternæ ſalutis, „ vitæ aut famæ diſcrimen, ſubintelligi- „ te publicum ex confeſſionis revelatione „ fluens, adducat. “ Quod Natalis ait de ſollicitationis periculo, in idem ferme redit cum eo, quod Melchior Cano tradit de ſcandalo vel Pœnitentis vel Sacerdotis, quod ex alicujus peccati confeſſione prudenter creditur ſecuturum; *quod enim*, ait B. Bernardus, *pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem militare non debet*: quum ergo in remedium Pœnitentis ſit inſtituta confeſſio, ſi ei ex certi criminis confeſſione ſcandalum accidat, poterit illud licite reticere: Juris quoque naturalis præceptum eſt de Sacerdotis vitando ſcandalo; poſitivum ergo hoc divinæ legis

præ-

præceptum ejus obligationem non abolet, qunm gratiæ lex naturæ legem non deſtruxerit, ſed perfecerit. Sermo autem eſt de ſcandalo Sacerdotis infirmi; nam ſi ex malitia paratus ſit ad ruinam, *utilius ſcandalum naſci permittitur, quam Dei præceptum relinquitur*, ut ait Gregorius M.

XXIII. Pergit Natalis: „ In illa hy-
„ potheſi ſtricto jure Confeſſio non obli-
„ gat, juris namque poſitivi præcepta,
„ inquiunt Theologi, cum tanto periculo
„ non obſtringunt, & perinde ſe habet
„ Pœnitens, ac ſi copiam Confeſſarii non
„ haberet; vel ſi confeſſio facienda ſit,
„ nec obtineri poteſt facultas, aut oppor-
„ tunitas non habetur alium adeundi, ex-
„ plicanda ſunt cetera, peccatum vero, vel
„ circumſtantiæ, ex quibus periculum me-
„ rito timetur, eadem confeſſione genera-
„ tim, & implicite, ut loquuntur, in-
„ cludendæ ſunt, cum propoſito illud vel
„ illas explicandi, ubi primum copia ido-
„ nei Confeſſarii habetur, tuncque confeſ-
„ ſio non erit integra per accidens, ut
„ ajunt, id eſt non ex intentione Pœniten-
„ tis, ſed ex defectu Confeſſarii idonei;
„ melius autem, inquiunt, videtur provi-
„ deri conſcientiis communicantium, ſi
„ hoc modo confiteantur, quam ſi ad Eu-
„ chariſtiam accedant, tota confeſſione di-
„ lata. “

XXIV. Expendenda tamen ſedulo ſunt, & religioſe ſervanda monita, quæ non idem Natalis ſolum, ſed præſtantiſſimi quique Theologi tradunt, commendantque quamplurimum: Cavendum ne leves ſuſpiciones, inaneſque timores ab alicujus peccati lætalis, aut circumſtantiæ in confeſſione neceſſario explicandæ declaratione peccatorem abducant; ideo plebi hujus regulæ doctrina tradenda non eſt, ne ipſa abutatur, ut eſt hominum genus ad ſuſpiciones, & inanes timores pronum. Hæc de præcipua atque eſſentiali Confeſſionis conditione nobis dicenda fuerant; ſupereſt, ut de ejuſdem edendæ modo, atque tempore nonnulla ſubdamus, quum ex utroque hoc capite adverſus Sacramentalem Confeſſionem argumenta ſtruant Hæretici, atque ex primo quidem hoc modo: Si præceptum de Confeſſione divinum eſſet, mutus etiam hac lege conſtringeretur: id vero tam eſt abſurdum, quam eſſet abſurda confeſſio, quæ a muto ederetur. Item & abſens per epiſtolam abſenti Sacerdoti confiteri deberet, atque adeo peccator ignotæ linguæ præſenti per interpretem, quod abſonum profecto eſt, & a ratione alienum.

XXV. Facile tamen ſingula argumenti hujus capita diſſolvuntur; divino confeſſionis præcepto obſtringi mutum, ſive per nutus, ſi Confeſſarius adſit nutus intelligens, ſive per ſcriptum, ſi ſcribere didicerit, docent poſt D. Thomam cuncti prope Theologi; qui enim indefinite ait: *Quorum remiſeritis peccata &c.* omnes generatim juſſit, peccata Sacerdotibus aperire eo modo, quo poſſent, eorumdem miniſterio ſolvenda; Si ergo mutus peccata Sacerdotibus vel nutu vel ſcripto exprimere poſſit, evidens profecto eſt, divino illum præcepto teneri, quod implere ſuo modo ſatis, & apte poteſt. Imo & Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis præcepto eſſe illum obnoxium, præter graviſſimos alios Theologos aſſerit Melchior Cano; Si enim nutibus fieri confeſſio poteſt, erit & forum ſecretiſſimum, & decentiſſimum, ſi tradita a Theologis, Cajetano præſertim, forma ſervetur: Si autem ſcribere mutus didicerit, par commode fiet ſcripto confeſſio; mutus enim ſcriptum manu tenens poteſt illud Sacerdoti legendum præbere, lectumque ſubito lacerare. Porro quod nonnulli argutantur, ſcripturam ſuapte natura publicam eſſe, ideoque cum neceſſario Confeſſionis arcano pugnare, metaphiſicum, reponit acute idem Cano, commentum videtur eſſe; quidni enim dicamus, & nutus, adeoque & verba ſuapte natura eſſe publica, quum & ab aliis quam a Sacerdote videri, agnoſcique nutus poſſint, & verba confitentium audiri? An vero mutus ſcribendi inſcius, neque nutibus peccatorum ſpecies declarare valens, ſed generatim tantum oſtendens, peccaſſe ſe, Deumque læſiſſe, Sacramentali abſolutione donari poſſit, commodius definietur, quum de Sacramenti hujus forma agendum erit.

XXVI. Quid, ſi mutus nec ſcripto nec nutu, nec ſpeciatim nec generatim poſſit peccata ſua aperire? Si auditu polleat, ut alia fidei capita, ita hoc quoque docendus eſt, opus eſſe, ut de peccatis admiſſis ex animo doleat, hujuſque Sacramenti votum corde concipiat, ſatiſque ſaluti ejus conſultum erit, ſi id ſincere præſtiterit, quemadmodum ex hactenus traditis abunde patet. At ſi contingat, quod multis accidit, mutum illum ſimul & ſur-

dum

dum ab ortu eſſe, hebetemque adeo, ut nutibus edoceri utcumque nequeat, judiciorum Dei profunditas humiliter adoranda, non temere ſcrutanda eſt. Numquid enim idcirco Eccleſiæ doctrina de Sacramenti hujus vel re vel voto percipiendi neceſſitate relate ad fideles omnes poſt Baptiſmum graviter lapſos carpenda eſt, vel divina providentia culpanda, quaſi vero ſumus legiſlator Chriſtus ejuſmodi hominibus defuerit in neceſſariis ad ſalutem? Deum ne accuſare, aut Baptiſmi neceſſitatem explodere Novatores audebunt, quod plures infidelium infantes aut in materno utero obeant, aut ſtatim a nativitate decedant, priuſquam Baptiſmate tingi poſſint? Annon eſt fundamentale totius reformationis caput, neceſſariam omnibus ad juſtificationem atque ſalutem eſſe promiſſionum Chriſti fidem, qua quilibet juſtitiam Chriſti apprehendat, ad ſe trahat, ſuamque quodammodo faciat? Quid facias ſurdo, & muto, quem nulla ratione poſſis de hujus fidei neceſſitate erudire?

XXVII. Gravius eſt alterum propoſitæ difficultatis caput de Confeſſione per literas, aut internuncium, ſi velimus e via ad diverticula elabi, & varia Scholaſticorum placita excutere, nullo tamen momento diſſolvitur, ſi credendorum agendorumque regulam, ut vocant, vivam, definitionem ſcilicet Eccleſiæ teneamus; jam enim difficultas omnis ſublata eſt, jam, *ne circumferamur omni vento doctrinæ*, & ob Theologorum magni nominis inter ſeſe pugnantium auctoritatem in contraria diſtrahamur, ſatis eſt ab Apoſtolica Sede proviſum; Clemens ſiquidem octavus an. 1602. ſolemni conſtitutione propoſitionem hanc falſam, temerariam, & ſcandaloſam, *licet per literas, ſeu per internuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, proſcripſit, atque ſevere vetuit, eandem in publicis, privatiſve lectionibus, concionibus, congreſſibus doceri, imprimi, vel ad praxim quovis modo deduci. Poſt tam nitidam Romanæ Sedis definitionem non eſt, cur ſolliciti ſimus de eo, quod olim in Eccleſia factitatum fuiſſe l. 8. de Pœnit. c. 25. & 26. Morinus refert, qui plura ibidem exempla congerit, quibus ſibi videtur evincere, valuiſſe olim confeſſionem per literas abſenti factam, abſolutionemque abſentibus item impenſam: Vel enim exponenda ſunt, ut exponi plerumque a Theologis ſolent, de abſolutione a cenſuris, quam & abſentibus impendi poſſe nemo eſt, qui diſſentiat, vel ſi Morinus contendat, ut vere contendit, de ſacramentali a peccatis abſolutione accipienda eſſe, reponimus inſigniter falli illum, ſatis apte ratiocinari, dum ex eo, quod olim factum eſt, quodque permulti Scholaſtici tradiderunt, infert; ſpectata ſola Sacramenti Pœnitentiæ natura perinde eſſe, præſentibus ne, an abſentibus adminiſtretur, ideoque non valide ſolum ſed & licite fuiſſe illud abſentibus adminiſtratum priuſquam ſupremus Eccleſiæ Princeps, qui juſtis cauſis commotus ſententiarum, judicialium effectus multis poteſt modis reſtringere, certiſque cancellis circumſcribere ac definire, decerneret, abſolutionem ſacramentalem, quæ judicialis ſententia eſt, nihil in abſentes efficere, ſed in eos pronunciatam irritam eſſe.

XXVIII. Nolo D. Thomæ, Scoti Cajetani, Victoriæ, Cano, aliorumque primi ſubſellii Theologorum momenta adverſus Morinum urgere, iiſque evincere, Confeſſionem per literas, divino jure, ideoque ante quodvis Apoſtolicæ Sedis decretum, irritam nullamque eſſe. Cenſuræ tantum, qua Clemens Octavus recitatam perſtrinxit propoſitionem, verba decretorie rem conficiunt, ad quæ ſi Morinus parumper animum advertiſſet, nullus dubito, quin a priori ſententia reſiliviſſet. „ Opponitur, „ verba Morini do, quoddam Clementis „ Pontificis decretum, quod prohibet ab„ſenti per literas confiteri, & ab eo ab„ſolutionem petere, quodque multis Re„centioribus Theologis, quum hanc quæ„ſtionem agitant, referri ſolet. Verum „ ad rem de qua agimus, nihil pertinet; „ jus enim tantum præſcribit actibus fu„turis, non autem ipſum præcedentibus, „ quales ſunt ii, de quibus agitur. Quam „ multa enim in Eccleſia, & omni Re„publica jure olim facta ſunt, aut ſal„tem non injuria, quæ nunc, lege lata, „ ſine crimine fieri non poſſunt? “ Heus eximie Vir, ſi Clemens Octavus edita conſtitutione confiteri deinceps per literas, & abſentibus abſolutionem impendere tantumodo vetuiſſet, nihil abs te poterat verius, & Sapiente homine, juriſque conſultiſſimo dignius efferri: at laudatus Pontifex non id vetuit ſolum deinceps fieri, doceri, vulgarique, ſed propoſitionem, qua id olim licuiſſe, ac ſuapte natura licere

cere

Digitized by Google

cere, veteres plurimi neque pauci ejus ævi Theologi pronuntiabant, damnavit ut falſam, plenamque temeritatis ac ſcandali. Poſſe equidem legitimas Eccleſiæ aut ſæculi poteſtates legibus ſuis vetare, quod prius in uſu erat, adeoque efficere, ut deinde non liceat, quod prius innoxie frequentabatur, nemo inter Catholicos diffitetur: nulla autem poteſtate effici poſſe, ut invariato objecto falſum ſit, quod verum erat, eſt & ipſis Dialecticæ Tyronibus exploratiſſimum. Si ergo Pontifex propoſitionem illam ut temerariam, ideſt ſolido quovis fundamento defectam, falſamque ſolemni cenſura proſcripſit, jam itaque ante decretum falſa erat, & veritati contraria, ejuſque duntaxat falſitatem publico judicio Pontifex omnibus declaravit. Num incipit fidei caput eſſe, quod a legitimo generali Concilio, aut Apoſtolica Sede ut fide certum, omnibuſque credendum edicitur? Nemo ignorat, Eccleſiam fidei articulos non condere, ſed declarare, efficique tantum quoad nos recenti illa Eccleſiæ declaratione fixum uſquequaque, & exploratum, quod ſemper in ſe fuerat certiſſimum, & divina fide credendum; ita quum Clemens memoratam propoſitionem damnavit ut falſam, non ei tum primum falſitatem induxit, quum nec divinitus præſtari poſſit, ut abſque objecti mutatione falſum ſit, quod verum ſuapte natura eſt, ſed de nativa ejus falſitate omnem omnino ſuſtulit dubitationem.

XXX. Quorſum ergo Morinus poſt Suareſium longiſſimum veterum Scholaſticorum indiculum inſtruit, quorſum ex Epiſcopis, Provincialibus Conciliis, nonnulliſque Romanis Pontificibus exempla confeſſionis, & abſolutionis hujuſmodi tanto eruditionis apparatu conquirit? Quando quidem ipſe benignam illam, nec ſane chimæricam interpretationem explodit, quæ ſolet a pluribus optimæ notæ Theologis his exemplis aptari, ſibique perſuaſum eſſe ſcribit, nonniſi de Sacramentali a culpis abſolutione geſta illa, quæ refert, exponi poſſe, fidenter adſerimus, erraſſe illos, quicumque ii fuerint, qui vel per literas confeſſi ſunt, vel abſolutionem a culpis abſentibus impenderunt, erraſſe Theologos, qui id licere, ratumque eſſe ſcripſerunt, errore tamen, qui immerito eis poneretur in culpa, quia probabili ratione ducti, id vel docuerunt, vel præſtiterunt, cujus falſitas ante ſolemnem Eccleſiæ declarationem neque comperta erat, neque explorata. Bonis quibuſdam, minus tamen Theologis quam par ſit, quorum etſi religioſæ ſint aures, non ſunt tamen admodum teretes, & politæ, videbitur forte licentior hæc reſponſio, ſed Theologos peritos ac ſapientes, qui aurium ſenſum habent ſubtilem, & terſum, quo de rebus non ex ſpecie, ſed ex veritate dijudicant, non laceſſet modo, ſed ne movebit illa quidem, quum ſit ipſa, niſi mihi nimium blandior, ſolidiſſima, & ex Clementis Octavi cenſura legitima conſecutione deducta. Etſi inculpatus ſit, error eſt tamen ejus, qui falſo adhæret; quidni ergo erroris inſimulemus eos, qui in memorata opinione fuerunt, vel eam opere ſectati ſunt, quam falſam ſemper fuiſſe, Sedes Apoſtolica pronuntiavit?

XXXI. Nec jam audiendus eſt P. Suarez, tametſi Morinus eum ibidem appellet *Virum in Eccleſia Dei illuſtriſſimum*, qui diſput. 21. de Pœnit. quæſtionem inſtituens, an neceſſe ſit, ut Sacerdos præſens Pœnitentis confeſſionem excipiat, idque neceſſarium quidem, at Sacramento eſſentiale non eſſe contendens, objecta ſibi laudata Clementis VIII. conſtitutione ſubjungit: „ Exiſtimo, non fuiſſe mentem Sanctiſſimi de hac quæſtione tractare, ſed tantum de illa, quæ dicit, Sacramentum Pœnitentiæ poſſe perfici, ac conſumari inter abſentes, atque ita illam particulam & non eſſe diviſive, ſed complexive ſumendam, “ ideſt damnaſſe quidem Pontificem Confeſſionem per epiſtolam factam, ſimulque abſolutionem abſenti præſtitam, ſeu integrum hoc judiciale negotium inter abſentes tranſactum, non tamen ſi confeſſio abſenti fiat, & abſolutio præſenti impendatur, aut e converſo; hæc enim Doctoris eximii animadverſio juſſu Pauli V., qui an. 1605. decretum de hac re tulit, expuncta fuit, & ex ejus operibus eraſa ceu Clementis VIII. recitatæ definitioni contraria. Licet autem anno 1751. nonnulli de Suareſii exiſtimatione plus æquo ſolliciti, quaſi vero Scriptor ille canonicus fuerit, cujus calamum ita rexerit Deus, ut nullibi laberetur, & recitatam Suareſii adnotationem, & Pauli V. decretum auſi ſint, & palam fidenterque mendacii poſtularint celebrem divini Verbi Præconem operibus editis cis, & ultra montes notiſſimum, qui in ſpiſſo ſuo de rebus Moralibus opere in tomo de Pœniten-

ten-

tentiæ hujus Suareſianæ opinionis, & Paulinæ cenſuræ mentionem injecerat, petitis tamen ex inſigni PP. Auguſtinienſium, quæ *Angelica* dicitur, Bibliotheca authenticis monumentis deprehenſum eſt, non illum calumniandi libidine abreptum quidpiam falſi vulgaſſe, ſed hos nihil tale merentem hominem, in mendacii, & calumniæ culpam minus recte vocaſſe. Quum itaque dubitare jam nemo poſſit, & confeſſionem per literas editam, abſolutionem item abſentibus impertitam nullius valoris eſſe, in promptu eſt, quo propoſitæ ab Hæreticis difficultati ſatisfaciamus; qui enim a Confeſſario ita abeſt, ut nequeat cum eo niſi per litteras aut internuntium agere, Sacerdotis copia vere caret, optimamque ſalutis ſuæ rationem geret, ſi interiori contritioni votum confeſſionis adjunxerit.

XXXII. At exiſtit hinc leve dubium, an pœnitens Sacerdoti præſenti confeſſionem edere ſcripto poſſit. D. Thomas decimo quodlibeti primi articulo docet, „ ex inſtitutione Eccleſiæ teneri hominem, qui poteſt, voce confiteri, quoniam in omnibus Sacramentis id ſumit Eccleſia, cujus eſt communior uſus, verborum autem uſum & communem eſſe, & ad confeſſionem accommodatum, negari non poteſt; & quamvis hoc præceptum non inveniatur expreſſum, ſatis eſt tamen conſuetudo, quæ videlicet habenda pro lege eſt: nullus enim Sacerdos confeſſionem admittit, niſi pœnitens peccata voce enuntiet, ac certe fictus videtur eſſe, qui ore tacet, quum ore accuſare ſe poſſit. “ Hæc D. Thomas, quæ poſtquam Melchior Cano laudavit, ſcite addit: „ Tutiſſima, rectiſſimaque via hæc eſt, quis negat? Sed, ſi quando contingat (quod tamen rarum erit) ut puella verecundiæ plena voces edere non queat, cum hoc Sacerdotis prudentia diſpenſabit. Item ſi ægrotus per gutturis angorem confiteri quidem voce poſſit, ſed vix tamen & ægre poſſit, non erit ejuſmodi compellendus, ſi ſcribere facile peccata valet, ut vocalem confeſſionem exhibeat. “ Malui in hujus dubii diſſolutione præſtantiſſimi hujus Theologi verba adhibere, quam mea, ut tanti Viri ſuffragio doctrinæ huic plurimum auctoritatis accederet.

XXXIII. Poſtremum denique caput, quo videbatur Sacramentalis confeſſionis neceſſitas impeti, nullo negotio refutatur; Etenim non oportere, ut per Interpretem confiteatur, qui idioma Sacerdotis ignoret, cujus e diverſo nec Sacerdos idioma novit, ſed de eo cenſendum eſſe, ac ſi Confeſſarii copiam non haberet, ſententia inter Theologos communis eſt, quum nemo teneatur peccata ſua niſi Sacerdotibus, a quibus ligandus vel ſolvendus eſt, revelare, ut ex epiſt. S. Leonis M. ad Epiſcopos Campaniæ, ex Auctore libri de vera & falſa Pœnitentia, aliiſque innumeris patet; non ergo exigenda eſt ab ejuſmodi homine confeſſio per interpretem, quia peccata ſua non ſoli Sacerdoti, ſed & Interpreti aperire cogeretur. Melchior Cano communem hanc Doctorum ſententiam ſcribit, recipere ſe libentiſſime, ſi de annuæ confeſſionis Eccleſiaſtico præcepto ſit ſermo, præſertim quum Innocentius tertius in cap. Omnis utriuſque ſexus tit. de pœnitentiis hæc habeat: *Omnia ſua peccata ſolus confiteatur proprio Sacerdoti*, quibus videtur innuere confiteri non debere, ſi confiteri nequeat ſolus; in reliquis quoque eventibus, etiam quum jure divino confeſſio eſt in præcepto, Clariſſimus idem Theologus ſentit, credere nos ſine periculo poſſe, obligari neminem ad edendam per interpretem confeſſionem. „ Sed in articulo mortis, ſubdit graviſſimus, & prudentiſſimus Vir, non auderem confeſſionem omittere, ſi haberem Interpretem, jactura enim illa, ſubintelligite famæ, quam apud Interpretem facio, parva eſt, ut prætermittam Sacramentum neceſſarium ad ſalutem.

XXXIV. De confeſſione quidem quoniam fuſe varieque diſſeruimus, dictum poterat videri ſatis, niſi quæſtio illa conſequenter occurreret de tempore, quo jure divino confiteri tenemur, quam ego quæſtionem ſi nunc omitterem, in juſtas multorum reprehenſiones incurrerem; ac primo quidem vitandæ nobis ſunt opiniones duæ e diametro oppoſitæ, quarum altera laxior, altera rigidior eſt, etſi tutior. Audiendi non ſunt, qui confeſſionem ſemel in vita jure divino faciendam definire volunt; falluntur enim inſigniter, quum impoſſibile ſit, omnia peccata admiſſa ſemel in vita fateri, quæ magna ex parte oblivione facillime delerentur, quare divina de confeſſionis integritate lex plurimum fraudaretur, neque excuſaretur homo, ſi in tam longum tempus ſcienter confeſſione dilata eo tandem deveniſſet, ut omnia pec-

cata lætalia confiteri non poſſet, quorum ob neglectum promptioris confeſſionis remedium nullam amplius memoriam retineret. Neque etiam iis auſcultandum eſt, ut ut magni nominis juris Canonici periti, & Theologi ſint, qui ſtatim ab admiſſo peccato confeſſionis remedium divino præcepto quærendum eſſe contendunt; uno enim Theologorum conſenſu placitum hoc, etſi omnium tutiſſimum, exploſum eſt, & a D. Thoma duobus refellitur argumentis, quæ etſi P. Bertio infirma videantur, & facile refutari poſſe, quod eorum vim homo cæteroqui acutus minus expenderit, Melchior Cano tamen irrefragabilia vocat, & quidem recte, quorum alterum ſumitur ex Sacramento Baptiſmi multo magis neceſſario ad ſalutem, quod tamen illico ſuſcipere non tenemur, alterum ex natura præcepti affirmativi, quod non protinus obligat.

XXXV. Inter nimiam ergo prioris opinionis laxitatem, & poſterioris auſteritatem media incedentes via tutiſſimi ibimus in D. Thomæ, aliorumque graviſſimorum Theologorum veſtigiis inſiſtentes, a quibus certi figuntur caſus, in quibus jus ipſum divinum obligat ad confitendum. Primus eſt in mortis diſcrimine, ad cujus germanam intelligentiam ſedulo animadvertendum eſt cum Melchiore Cano, hoc ſane loco mortis periculum nonniſi perperam cum mortis articulo confundi poſſe; ſi enim nominis vim propriumque uſum ſpectemus, longe inter ſe diſtant: eſt namque periculum mortis in his duntaxat, unde ſolet mors frequenter accidere, ut in prælio, in mari vehementer turbato, in partu fœminæ, de cujus morte ob naturales cauſas probabiliter timeretur, quod certe viri prudentis arbitrio magis, quam diſputatione theologica definiendum eſſe, ſcite adnotat idem Cano. Mortis contra articulum intelligimus, quum regulariter certa mors eſt, aut a morbo, aut a vulnere, aut ab exteriori vi, ut quum quis mortis pœna mulctandus eſt. Altero in eventu divinum hoc edendæ confeſſionis mandatum urgere præſtantiſſimi Theologi ſentiunt, quum quis periclitatur Confeſſario carere, cujus nunc copiam habet, tempore neceſſario ejuſdem copiam non habiturus, puta quum quis inter infideles diu peregrinaturus eſt, aut inter eos domicilium conſtiturus, apud quos aut certo præſcit, aut prudenter timet, non futuram ſibi Sacerdotis copiam, quo ad conſulendum animæ ſuæ opportune utatur.

XXXVI. Tertius denique certiſſime determinatur, quum aliquis lætalis criminis ſibi conſcius voluerit ad Eccleſiaſticam menſam accedere; tunc enim ex Chriſti inſtitutione communioni præmittendam eſſe confeſſionem omnes omnino docent, huncque legitimum eſſe ex perpetuo atque conſtanti Eccleſiæ intellectu ſenſum ejus, quod Paulus ait, *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*, jam demonſtravimus, quum Dallæi argumenta adverſus confeſſionem e Scripturis petita diſſolveremus. Nemini jam de veritate hac licet ambigere, poſtquam Tridentina Synodus eam nitidiſſime determinavit ſeſ. 13. de Euchariſtia c. 7. ajens: „ Communicare volenti revocandum eſt „ in memoriam Pauli præceptum, *probet* „ *autem ſe ipſum homo*; Eccleſiaſtica au- „ tem conſuetudo declarat, eam probatio- „ nem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi „ mortalis criminis conſcius, quantumvis „ ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa „ Sacramentali confeſſione ad Euchari- „ ſtiam accedere debeat, quod a Chriſtia- „ nis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, „ quibus ex officio incubuerit celebrare, „ hæc ſancta Synodus perpetuo ſervandum „ eſſe decrevit, modo non deſit illis co- „ pia Confeſſoris &c. “ Gravioribus etiam verbis ad calcem canonum de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento editorum idem de præmittenda communioni confeſſione præceptum expoſuit: „ Et ne tantum Sacra- „ mentum indigne ſumatur, declarat ipſa „ ſancta Synodus, illis, quos conſcientia „ peccati mortalis gravat &c. neceſſario „ præmittendam eſſe confeſſionem Sacra- „ mentalem: Si quis autem contrarium „ docere, prædicare, vel pertinaciter aſſe- „ rere, ſeu etiam publice diſputando de- „ fendere præſumpſerit, eo ipſo excommu- „ nicatus exiſtat. “ Quorſum ergo ad veritatis hujus tam diſerte ab Eccleſia definitæ confirmationem ducta e Patribus, & Eccleſiaſticis monumentis argumenta adhiberemus, quorſum in refellendis Cajetani momentis laboraremus? Egregiam quidem, ut & in ceteris, operam in hoc poſuit Melchior Cano in relectione de Pœnitentia, quam diu ante abſolutum Tridentinum Concilium in Salmanticenſi Academia habuerat, ideoque ante eliquatam tam ſolemni Eccleſiæ judicio veritatem de oppo-

oppoſita Cajetani ſententia, quam ibidem nervoſe refellit, hæc modeſtiſſime pronuntiavit: „ Noſtra hac tempeſtate Caje- „ tani placitum unanimi doctorum, & „ piorum conſenſu exploſum eſt; ac reve- „ ra non exiſtimo, hujuſmodi Cajetani „ ſententiam inter opiniones probabiles „ cenſendam eſſe, ſed qua tamen nota „ inuri a Theologis jure poſſit, doctiores „ alii judicabunt; nam Cajetano tantum „ Schola debet homini alioqui de Repub. „ Chriſtiana maxime merito, ut, quoad „ fieri per pietatem licet, parcere ei jure „ optimo, ſummiſque rationibus debea- „ mus. “ Poſt tam luculentam itaque Tridentini declarationem quoniam per pietatem & debitum Eccleſiæ obſequium parcere opinioni ejus non licet, eam ut falſam erroneamque reiicimus, Viro tamen in Chriſtiano populo ſpectatiſſimo, quem Clemens Septimus *lucernam Eccleſiæ Dei* vocavit, parcendum eſt, quia in ea opinione fuit, antequam Eccleſia ſuum interpoſuiſſet de hac quæſtione judicium; humanis enim rebus exemptus eſt ante ipſam Tridentini Concilii indictionem; quare fuit error ejus, etſi pinguis, innoxius tamen, quem nec ipſe prior in Dei Eccleſiam invexit, ſed a Ricardo, Paludano, Abbate Panormitano, & Adriano, qui & ſummus Pontifex poſtea fuit, traditum propugnavit, ejuſque a Pariſienſi Academia notatus reſpondit, *non ex ſuo capite ſe id aſſerere*, ſed ex Pauli teſtimonio, atque ſententia ſcribentis, *probet autem &c.* quod Pauli effatum non juxta perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem atque ſenſum, ſed juxta ambiguam quamdam Chryſoſtomi, & Theophilacti, qua & Dallæum abuſum eſſe, jam adnotavimus, interpretationem expendens, opinionis ſuæ fundamentum in Apoſtolo ſibi viſus eſt inveniſſe.

XXXVII. Reliquum eſt, ut paucis de annua confeſſione ſubjectis articulum hunc abſolvamus. Neminem latet celeberrimum illud editum in Lateranenſi quarto Concilio de confeſſione ſemel in anno facienda decretum, de quo mirum eſt, Durandum non dubitaſſe ſolum, ſed frigidis ineptiſque ratiunculis ſuadere conatum eſſe, ſtatutum illud Eccleſiæ non veri nominis præceptum eſſe, ſed meram ad confitendum quotannis exhortationem, nullumque in toto eo capite verbum eſſe, unde colligi poſſit præcepti vis. Hominem, cui non fuit par ingenio judicium, quique novandi, atque aliena carpendi ſtudio certos veritatis, atque Eccleſiaſticæ modeſtiæ limites non ſemel tranſgreſſus eſt, immaniter erraſſe, & caput illud *Omnis utriuſque ſexus* peſſime interpretatum eſſe, præter communem Theologorum, & Juriſperitorum omnium conſenſionem, certiſſime evincit editus a Tridentino ſeſ. 14. de Pœnitentia canon octavus: *Si quis dixerit, ad confeſſionem omnium peccatorum non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexus Chriſti fideles juxta magni Lateranenſis Concilii conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, ut non confiteantur tempore quadrageſimæ, anathema ſit.* Canone hoc, & diſtorta Durandi interpretatio indirecte refellitur, & peſtilentiſſimus Lutheri error directe confoditur, non dehortantis ſolum fideles ab edenda quadrageſimali tempore confeſſione, ſed & Eccleſiæ de eadem ſemel in anno facienda præceptum maledictis impiiſſimis proſcindentis. Unde autem tantus in Lutheri pectore furor adverſus annuam hanc confeſſionem? Ex teterrimo, & nefario principio illo, quod in l. de Babylonica captivitate conſtituit, *neque Papam, neque Epiſcopum, neque ullum hominum habere jus unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, niſi id fiat ejuſdem conſenſu: Chriſtianis nihil legum ullo jure ſive ab hominibus ſive ab Angelis inponi poſſe, niſi quantum volunt. Papa ſuper nos conſtituit leges: quis dedit ei poteſtatem captivandæ libertatis per Baptiſmum nobis donatæ?* Niſi inſtituti noſtri ratio alio nos vocaret, morionem hunc inſulſiſſimum doceremus, quis Papam, & Eccleſiam hac ferendarum legum poteſtate, non expectato fidelium conſenſu, donaverit, totque & tam aperta ex Evangelio, ex Pauli ad Romanos, 1. ad Theſſalon., 1. ad Timoth., & ad Heb. & ex 1. Petri epiſtolis teſtimonia proferemus, ut ne muſſitare quidem poſſet, verum quia communi ſcito vetamur in alienam meſſem falcem mittere, hoc ii agant, quibus commiſſa eſt tractatio de legibus, eritque nobis tota hæc de confeſſione diſſertatio concluſa, pernecеſſaria hac animadverſione, eccleſiaſticum videlicet de confeſſione præceptum ab iis non impleri, qui ſacrilege confitentur, quum Alexander VII. falſam illam & abſonam propoſitionem confixerit: *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

ARTICULUS VI.

De poſtremo Pœnitentis actu, ſatisfactione videlicet.

I. Quamquam Tridentina Synodus, cujus premenda veſtigia nobis ab initio propoſuimus, de ſatisfactionis neceſſitate, operibus, & fructu poſtremo loco agat, idemque a nonnullis recentioribus Theologis fiat, expeditiori tamen pleniorique methodo nobis uſuri videmur, ſi de ultimo hoc pœnitentis actu tractationem aliis duobus, quos jam expendimus, immediate annectamus: integra enim hujus Sacramenti materie continenter expenſa rectus diſſerendi ordo nos ducet ad reliquas de ejuſdem forma atque miniſtro quæſtiones. Tertium hunc actum, quem uſus obtinuit, ut paſſim ſatisfactionem vocemus, ad Pœnitentiam neceſſario ſpectare, ipſa Pœnitentiæ etymologia, ſive Latina, ſive Græca, ſive Hebraica ſignificatur. *A punitione enim*, ait S. Iſidorus in exhortatione ad Pœnitentiam, *a punitione Pœnitentia nomen accepit quaſi punitentia, ſeu*, ut idem ait l. 6. originum, *punientia, dum ipſe homo punit pœnitendo, quod male admiſit, nam nihil aliud agunt, quos veraciter pœnitet, niſi ut id quod male fecerunt, impunitum eſſe non ſinant; eo quippe modo ſibi non parcentibus ille parcit, cujus altum juſtumque judicium nullus contemptor evadet*. Hinc celebris eſt ea Pœnitentiæ definitio, quæ velut Auguſtini oraculum corpori juris inſerta a Theologis & juris canonici conſultis omnibus adoptatur: *Pœnitentia eſt vindicta ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe, quod declarat ipſa dictionis virtus; pœnitere enim eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando*. Pœnitentiam græce Metanæam dici ſuperius adnotatum eſt, ejuſdemque ſignificationem in idem cum latinæ vocis poteſtate recidere ex notiſſimo illo Auſonii diſticho patet: *Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas, nempe ut pœniteat, ſic metanæa vocor*. Theſubah Rabbinis omnibus, ut Judæorum vulgo idem prorſus ſonare, quod Pœnitentiæ & Metanææ vocabulis ſignificatur, demonſtrat Clariſſimus Morinus, nimirum *ſententiæ mutationem cum animi de errore aut admiſſo crimine dolore conjunctam*, conſtans inſuper animi propoſitum de non amplius repetendo crimine, & ſeveram ideo corporis caſtigationem. Hinc *Theſubah*, ait idem Morinus, dici poteſt non converſio ſolum, & reditus, ſed etiam reſtitutio, & retributio, eo quod peccator pœnitendo honorem Deo reſtituit, quem abſtulerat delinquendo, quod potiſſimum fit, quum divinæ juſtitiæ operibus ſuis ſatisfacit.

II. Adnotat Tridentinum, inter omnes Pœnitentiæ partes, ut hæc a Patribus noſtris maxime fuit perpetuo tempore Chriſtiano populo commendata, ita eam acerrime ſub pietatis prætextu ab iis noſtra ætate oppugnari, qui, ut ait Apoſtolus, *ſpeciem quidem pietatis habent, virtutem autem ejus penitus abnegarunt*; Etſi enim in aliis doctrinæ capitibus inter ſe digladientur Novatores, omnes in eo conſentiunt, veteres ſatisfactiones, quas inficiari nequeunt, priori illo Eccleſiæ ævo fuiſſe plurimum a Patribus commendatas, & a fidelibus diligenter & religioſe exhibitas, in eum tantum finem inſtitutas ab Eccleſia fuiſſe, ut alicujus ſceleris rei poſt emenſum laborioſæ Pœnitentiæ curriculum in exteriorem Eccleſiæ, a qua præciſi fuerant, communionem reciperentur, non vero ut impetrarent a Deo veniam ejuſque juſtitiæ facerent ſatis: ita præ ceteris Aretius Bernenſis miniſter, quem Joannes Lenſæus, Regius Theologiæ in Lovanienſi Academia Profeſſor egregio libro, cui titulus *De Eccleſiaſtica Pœnitentis ſatisfactione*, validiſſime refutavit. Ab hujus dogmatis oppugnatione ſacrilega & funeſtiſſima Lutheri ab Eccleſia defectio initium ſumpſit: inde auſpicatus eſt homo in Eccleſiæ perniciem natus ſuam illam Evangelii reſtitutionem, & reformationem Eccleſiæ, neque alium forte errorem & frequentius & vehementius obtrudere conatus eſt: eo ſcatent articuli, quos propoſuit, eo conciones quas habuit, eo omnes prope libri, quos edidit, in quibus & Theologos inſectatur, quod Pœnitentiæ partibus ſatisfactionem adnumerent, veram ſatisfactionem nihil aliud, quam vitæ innovationem eſſe pronuntiat, turpis denique erroris damnat, quotquot putant, ſatis ſe Deo facere pro peccatis, quæ ex inæſtimabili clementia ſua Deus & ſemper, & gratis remittit atque condonat, nihil a nobis invicem exigens, quam ut deinceps recte vivamus. Ad latius propagandum peſtilentiſſimum errorem hunc Luthero ſuccenturiatus eſt ſceleſtiſſimus alter Pſeudo-Reformatorum

Anti-

Digitized by Google

Antiſtes Calvinus, qui l. 3. Inſtit. c. 4. tot tamque indigna adverſus hanc Eccleſiæ doctrinam evomuit, ut horreat calamus, ea exſcribere, neque venerandis Eccleſiæ Magiſtris procaciſſimus ſannio pepercit, quos aperti erroris inſimulat, ſi de ſatisfactione *duriuſcule*, ut ipſe ait, locuti ſunt. In hæc Magiſtrorum verba jurarunt Diſcipuli omnes, neque in toto Novatorum grege quiſpiam occurret, qui a nefando hoc Lutheri & Calvini placito vel latum unguem deſciſcat.

III. Etſi error hic unus ſit, pluribus tamen capitibus conſtat, quæ totidem canonibus Tridentinum Concilium præcidit, obtrivitque, ſeſſionis quartædecimæ can. 12. primum teterrimi erroris caput, quod cæterorum radix eſt, ſic elidens: *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatisfactionemque hominum non aliam eſſe, quam fidem, qua apprehendunt, Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, anathema ſit.* Mox alterum immediate inde fluens can. 13. perculit: *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem, minime Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, ut jejuniis &c. anathema ſit:* Maledicta denique, quibus a Novatoribus Catholica doctrina proſcinditur, quæque ipſi velut erroris ſui fundamenta conſtituunt, 14. & 15. canonibus retudit: *Si quis dixerit, ſatisfactiones, quibus Pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes, anathema ſit: Si quis dixerit, claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti &c. anathema ſit.* Quoniam itaque plura ſunt peſtiferi erroris hujus capita, quibus plures canones Tridentinum oppoſuit, ea pluribus catholicis adſertionibus refellemus.

PROPOSITIO I.

Fidei articulus eſt, totam ſimul cum culpa pœnam non ſemper a Deo remitti.

I. Conſulto Tridentinum canoni duodecimo jam recitato particulam illam *ſemper* appoſuit, ut quilibet intelligeret, in quo ſitus eſſet Novatorum error, quem configebat; neque enim credendum eſt, numquam a Deo totam ſimul cum peccato condonari pœnam, quum non Baptiſmate ſolum atque Martirio univerſa deleri peccata, & quaslibet eis debita pœnas expungi, penituſque aboleri Theologi omnes doceant, ſed & in ipſo hoc Sacramento vel re vel voto ſuſcepto tam potenti Deum gratiæ ſuæ auxilio cor hominis quandoque movere, ut in ferventiſſimum contritionis & charitatis actum erumpat, quo omnia expientur peccata, & reatus omnis pœnæ tollatur, tradant cum D. Thoma Theologi. Novatorum itaque error, quem a Tridentino damnatum ſuſcipimus exagitandum, hic eſt, numquam a Domino remitti culpam, quin univerſa quoque pœna laxetur; quem errorem ibidem cap. 7. Sancta Synodus a Dei verbo omnino alienum eſſe declarat; perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem manifeſtiſſime revincitur.

II. In immenſum abiret oratio, ſi omnia vellemus perſequi luculentiſſima illa ſacrarum literarum teſtimonia, quibus & veritatem hanc perſpicue tradi, & Novatorum errorem aperte damnari, Synodus Tridentina declarat. Adamum omnium Protoparentem delicti ſui, quo humanum perdidit genus, ex animo pœnituiſſe, ejuſque veniam a Domino impetraſſe, æternæque ſalutis compotem factum fuiſſe, catholica veritas eſt adverſus Tatiani Diſcipulos ex diſerto Sapientiæ teſtimonio, & Patrum omnium traditione ab Eccleſia definita. Numquid porro tota ſimul cum crimine pœna ei remiſſa fuit? Notior eſt ærumnarum mortiſque in eum lata ſententia, quam ut eam neceſſe ſit refricare, quibus malis cum tota ſua infeliciſſima ſobole mulctatum illum fuiſſe non ad virtutis incitamentum, ut futiliter Calvinus obgannit, ſed ad inobedientiæ vindictam, ipſa æterni Judicis ſententiam ferentis verba demonſtrant: *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti &c. maledicta terra &c. in ſudore vultus tui veſceris pane &c. pulvis es, & in pulverem reverteris.* Nonne Deus precibus Moſis inflexus Iſraeliticæ genti ignoverat, quæ corde & auribus ſemper incircumciſa ſibi detraxerat impudentiſſime, nitebaturque, Moſe & Aarone invitis, fruſtra reclamantibus Joſue & Caleb, in Ægy-

Ægyptum regredi, unde eam tam mirabilibus ſignis nuper eduxerat? *Dimiſi juxta verbum tuum, dixit Dominus: attamen omnes homines, qui viderunt majeſtatem meam &c. nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram &c. nec quiſpiam eorum, qui detraxit mihi, intuebitur eam?* Dimiſſa ergo culpa, ſublatoque æternæ pœnæ reatu ingens illa populi multitudo, Deo juſtiſſimo ſcelerum vindice decernente, temporariam nihilominus eamque graviſſimam pœnam ſubiit, ut a promiſſionis terra arceretur, & in ſolitudine variis ærumnis confecta interiret. Quid Moſis & Aaronis exempla memorem, quos, etſi de incredulitate, qua in Deum peccaverant, corde doluiſſe, atque indulgentiam conſecutos eſſe, certiſſimum ſit, ab ingreſſu tamen in terram Chanaam divina animadverſione fuiſſe prohibitos divinum eloquium diſerte teſtatur Numer. 20. & Deuter. 32.? *Pergat Aaron ad Patres ſuos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſrael, eo quod incredulus fuerit ori meo. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen &c. morere in monte, ſicut mortuus eſt frater tuus Aaron, quia prævaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael &c.* Quid David in medium adducam, quem etſi a Nathane Propheta de obliteratis a Deo criminibus, indultaque venia certiorem factum, temporaria tamen eaque acerbiſſima & multiplex pœna conſecuta eſt, infantis videlicet, quem ex adulterio ſuſtulerat, mors, Amonis primogeniti ſui cædes, & Abſalonis perduellio atque clades?

III. Poſtremo veritati huic locupletiſſimum teſtimonium perhibebit Manaſſes Rex Juda, cujus immaniſſima ſcelera 4. Regum cap. 21., pœnitentia vero, atque obtenta a Deo culparum dimiſſio 2. Paralip. c. 33. deſcribuntur. Ab exercitu Regis Aſſiriorum captus, & Babylonem abductus, *poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum & egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum ſuorum, deprecatuſque eſt eum, & obſecravit intente, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in regnum ſuum &c.* Redditus ſolio Manaſſes nihil antiquius habuit, quam ut pietatis religioniſque operibus Deo ſatisfaceret, atque omnia priſtinæ impietatis veſtigia aboleret: *abſtulit Deos alienos, aras quoque quas fecerat, & projecit omnia extra urbem: inſtauravit altare Domini, & immolavit ſuper illud pacifica & victimas, & laudem, præcepitque Juda, ut ſerviret Domino Deo Iſrael.* Quis hæc legens animum non induceret, ut crederet, tam ſincera, atque ad mortem uſque producta pænitentia placatum Deum non admiſſa tantum ſcelera utut ingentia, atque horribilia Manaſſi, ſed & debita iis ſupplicia condonaſſe? Non ſaxeum ſolum, ſed & ſiliceum oportet eſſe, qui iis non moveatur, quæ 4. Regum cap. 23. leguntur; Etſi Manaſſes nihil deinde non egerit, ut divinam ſibi miſericordiam conciliaret, etſi Joſias Nepos ejus Deo fuerit acceptiſſimus, Deus tamen zelotes viſitans iniquitates Patrum in filiis uſque ad tertiam & quartam generationem neque Avi pœnitentia, neque eximia Nepotis religione ita placatus eſt, ut temporariis iis ſuppliciis Jeroſolimorum urbem, & totam Judaicam gentem non attereret, quæ propter peſſimas Manaſſis abominationes ſæpe per Prophetas ſuos fuerat comminatus: *Similis illi*, de Joſia loquitur ſacer Auctor, *non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua juxta omnem legem Moiſi, neque poſt eum ſurrexit ſimilis illi, verumtamen non eſt averſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor ejus contra Judam propter irritationes, quibus provocaverat eum Manaſſes.* At egiſſe Manaſſen pœnitentiam valde, obſecraſſe intente Dominum, & cognoviſſe quod Dominus ipſe eſſet Deus, exauditam a Domino orationem ejus, & dimiſſa peccata, ideoque ſolutum æternæ pœnæ reatum, divinum eloquium conceptis verbis adfirmat, nihil poſt converſionem peccaſſe Nanaſſen, ſed ad mortem uſque in abolenda idololatria, inſtaurandoque Dei cultu, quem impie ſuſtulerat, totum fuiſſe, ſacræ litteræ memorant: quid porro? Non fuerunt hæc omnia ſatis extinguendo furori Domini, quem in ſe, ſuamque ſobolem atque gentem Manaſſes accenderat, avertendiſque a domo, urbe, & populo terribilibus malis iis, quæ ſe inducturum ſuper Jeruſalem & Judam Dominus minatus fuerat, *ut quicumque audiſſet, tinnirent ambæ aures ejus propter Manaſſen filium Ezechiæ ſuper omnibus, quæ fecit in Jeruſalem*; quæ quum ita ſint, qui petulantiſſimam Novatorum temeritatem non ſtomachetur, qui in meridiana ipſa divinarum literarum luce præfracte contendunt, numquam condonari a Deo ſcelera, quin tota ſimul eorumdem pœna laxetur?

Etſi Tridentinum enuntiet, non Scriptu-

tarum

Digitized by Google

rarum auctoritate ſolum, ſed & divina traditione hunc Novatorum errorem revinci manifeſtiſſime, quia tamen Calvinus Patrum traditionis hujus teſtium auctoritatem eludit procaciſſime ſcriptitans, lapſos illos fuiſſe, ne alio cogamur excurrere, & in vindicanda Patrum auctoritate, quod inſtituti noſtri non eſt, operam ponere, opportunius eorumdem teſtimonia adhibebimus, quum retundenda erit Calvini, & Cougerronum ejus inſana garrulitas, qui in erroris ſui præſidium Patrum advocare audent auctoritatem.

Eliduntur Novatorum cavillationes.

IV. Primo nihil non moliuntur, ut laudatorum Scripturæ textuum auctoritatem elevent, unoque ore reponant, nihil ex iis confici, quod temporaria illa mala hominibus ſibi plene reconciliatis Deus inflixerit, non ad repetendas de criminibus jam deletis pœnas, ſed ad virtutis probationem pietatiſque incitamentum.

Gerræ tamen hæ ſunt, & germaniſſimæ nugæ, quæ ipſa teſtimoniorum, quæ produximus, luce diſpelluntur ac diſſipantur; Quid enim audeat humana garrulitas figmenta hæc venditare, quum ſummus ipſe qui mala illa conſtituit, intulitque, Divinus Judex, ad peccati etſi dimiſi temporariam punitionem, exigendamque de illata ſibi injuria vindictam illa retulerit? Quorſum teſtimonia jam laudata iterum expenderemus, quum ſint illa nitida adeo, & luculenta, ut delirare dicendus ſit, qui ea in præpoſteram adeo ſenſum nititur detorquere? Neque tamen negamus, eadem illa temporaria mala, quibus in homines jam juſtificatos animadvertiſſe Deum Scriptura memorat, & flagella fuiſſe Judicis punientis, & ſalutaria monita Patris piiſſimi filios ab iterandis criminibus coercentis, ſtimuloſque ad recte agendum iniicientis, quum divinam clementiam deceat, quemadmodum Tridentina Synodus docet, *ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur thezaurizantes nobis iram in die iræ, proculdubio enim magnopere a peccato revocant, & quaſi freno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Fuerint ergo Adæ, Moſi, Aaroni, Davidi, Manaſſi aliiſque, quos memoravimus, mala, quibus poſt impetratam a Deo culparum veniam attriti ſunt, probatio virtutis, & patientiæ exercitatio, & ſancte vivendi ſaluberrima monita: non repugnamus; illud tamen nequit atque ſacrilegio denegari, eadem fuiſſe a Deo vindice ſumpta de reis quamquam ſibi reconciliatis ſupplicia, quum Scriptura palam aperteque teſtetur, fuiſſe illa propter peccatum etſi jam deletum immiſſa.

V. Inſtant: Si mala illa vere fuerint flagella Judicis pœnas de condonatis jam injuriis repetentis, ludificaſſet nos Deus Ezechielis 18. promittens: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor*: inepte David *beatum* pronuntiaſſet virum, cui Dominus *peccatum non imputaſſet*: falſo quoque ſcripſiſſet Paulus, *nihil damnationis eſſe iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu*: qui enim hæc vera eſſe poſſunt, ſi remiſſa culpa luenda adhuc pœna ſuperſit?

Literas tamen ſacras uno eodemque veritatis Spiritu afflante dictatas nec minimum inter ſe ſe collidi, ſed optime convenire, deprehenderent facillime Novatores, niſi mallent, quod de incredulis ſuæ ætatis hominibus Paulus ad Epheſios 4. ſcripſit, *ambulare in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum*. Quid Deus Ezechielis 18. peccatori pœnitentiam agenti ſpopondit, quod cum aliis Scripturæ textibus, quos ad confirmandum dogma illud adtulimus, rectiſſime non componatur? Promittit Deus, fore, ut, ſi de omnibus peccatis ſuis pœnitentiam impius egerit, obliteretur omnium iniquitatum ejus memoria, impius, quem ſic pæniteat, vita vivat, & non moriatur, atque in juſtitia quam operatus eſt, vivat, quum voluntatis Domini non ſit mors impii, ſed ut convertatur, & vivat: Impleviſſe Deum fideliſſime, quod promiſit, nec feſelliſſe eos, quos in exemplum induximus, nec fallere quemquam eorum, quibus pœnitentiam agentibus parcit, firmiſſime credimus, & profitemur; neque enim iniquitatum Adæ, Moſis, Aaronis, Davidis, Manaſſis, aliorumque recordatus eſt, ut eos æterni ſupplicii reos haberet: in ſua juſtitia, quam poſt obtentam culparum veniam operati ſunt, vita ſpirituali vixerunt, neque æter-

na

na morte mulĉtati ſunt. At quis, niſi Evangelio, & Chriſtiano nomini nuntium remiſerit, denegare aut velit aut poſſit, Deum iniquitatis Adæ, aliorumque, quos memoravimus, recordatum eſſe, ut eos temporariis ſuppliciis plecterei? Quis repugnare audeat, eos, etſi judicium & juſtitiam facientes animas ſuas vivificaverint, æternæque mortis damnationem evaſerint, temporaria tamen, quæ vel quoad ſubſtantiam, vel quoad circumſtantias ultio criminis erat eiſi dimiſſi, morte fuiſſe mulĉtatos, quum id de Adamo, Moſe, Aarone, atque univerſa Iſraelitarum multitudine literæ ſacræ teſtentur?

VI. Quam inſipienter etiam eum Davidis verſiculum Novatores uſurpant? Satis ne beatus non eſt, cui Dominus ad æternam damnationem peccatum non imputat, quem gratiæ & amicitiæ ſuæ redditum æternæ pœnæ reatu ſolvit, etſi illum temporarii alicujus ſupplicii reum agat? O ſtultos homines, quibus non videtur Deus ſatis liberaliter cum peccatoribus agere, niſi æternam ſimul, & temporariam quacumquem pœnam indulgeat! Stupent Eccleſiæ Patres, non dignis poſſunt divinæ clementiæ largitatem laudibus celebrare, quæ ſempiterna atque intoleranda ſupplicia in tranſeuntia, atque infinito intervallo leviora commutat: noſtræ etatis Hæretici, quaſi vero ſint ii Veteribus omnibus acutiores, beatum non eſſe hominem reputant, a quo ſibi reconciliato, æternæque damnationi ſubducto, Deus ad ſatis juſtitiæ ſuæ faciendum leviculas, breveſque exigat pœnas. At qui Patrum omnium judicium parvi pendunt, ipſum ne Davidem poſthabebunt? Eodem in Pſalmo, cujus ſecundum verſiculum inſcite arripiunt, temporaria mala, quibus a Deo vindice plectebatur, memorans, ita eum alloquitur: *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die, quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua, converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*: tamen unum ſe eſſe ex iis noverat, quos initio Pſalmi laudaverat, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, beatus vir &c.*, quum ſibi quoque condonata fuiſſe ſcelera teſtetur ajens: *& tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Beatum ergo ſe eſſe ſentiebat, quod ſibi remiſſæ iniquitates eſſent, nec ſibi peccatum Dominus imputaret, etiam dum manum Domini ſe punientis nocte ac die gravatam ferebat, ejuſque juſtitiæ pœnas dabat, nec quiſquam eſt, qui ſe beatum cum Regio Pſalte non diceret, etſi iiſdem cum eo, aut ſimilibus malis affligeretur.

VII. In proferendo denique Pauli textu quam ſunt Hæretici vecordes? Illud enim Pauli teſtimonium torquent, quo nihil habet Eccleſia Dei efficacius ac diſertius, ut intolerandos eorum de originali noxa, de peccatorum remiſſione, de juſtorum operibus errore confodiat, & profliget. Non eſt loci hujus, hæc perſequi: genuinum tantum Pauli ſenſum expromimus, qui ſponte in oculos legentium incurrit. Apoſtolus ibi de regeneratis ſermonem habet, quos per Baptiſmum Chriſto inſitos ab æterna damnatione liberos eſſe pronuntiat, qui non carnem ſectantur, ſed ſpiritum, quem acceperunt, ſpiritum, inquam, adoptionis, qui Dei filios, ac futuræ gloriæ cum Chriſto efficit cohæredes. De ſola autem æterna damnatione eo loci Apoſtolum agere, ea quæ immediate ſubdit, evincunt: *lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit nos a lege peccati & mortis, nam quod impoſſibile erat legi, Deus filius ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum &c.* A qua porro morte nos liberavit lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu? Nonne a ſpirituali atque æterna? Dum ergo nihil damationis iis eſſe ſcribit, qui ſunt in Chriſto Jeſu, quia lex ſpiritus nos liberavit a lege mortis, vitamque contulit in Chriſto Jeſu, evidens eſt, ſentire illum, æternæ damnationis reatu ſolutos eſſe, quotquot in Chriſto juſtificati, adoptionis ſpiritum acceperunt, quod ſane veriſſimum eſt, & cum eo, quod propugnamus, catholico dogmate plane concordat.

VIII. Urgent: Paulus idem ad Rom. 5. vim virtutemque multo majorem tribuit gratiæ Chriſti in bonum, quam peccato Adæ in malum; *non enim*, inquit, *ſicut delictum, ita & donum; ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum per gratiam unius hominis Jeſu Chriſti in multos abundavit &c.* ex quibus Pauli verbis hoc inſtruunt argumentum: Ex uno Adæ peccato non in culpam ſolum omnes incurrimus, ſed & in pœnas, quantas humanum patitur genus: ergo quicumque per Chriſti gratiam liberantur a culpa, ab omnis quoque pœnæ debito pleniſſime liberantur, præſertim

quum

quum ſublata cauſa effectus quoque auferri neceſſe ſit, culpa autem reatum pœnæ, ut cauſa effectum, inducat.

Miraculum eſt, adnotat acutiſſime Dominicus Soto præſtantiſſimus Tridentini Concilii Theologus hoc Novatorum argumentum excutiens, „ miraculum eſt, neque „ ferendum portentum, quod ob peccatum „ Adæ aliena voluntate contractum, con„ cupiſcentiam carnis ;ita in nobis pecca„ tum eſſe velint Hæretici, ut nulla ſa„ tisfactione, neque ipſius Chriſti com„ penſari in hac vita poſſit, efficique, quin „ ſemper peccatum ſit, contra quod de„ beamus propriis operibus decertare, pro „ actualibus tamen delictis, flagitiis, & „ ſceleribus, quæ nos ipſi propria volun„ tate patravimus, ita uno fidei actu ſa„ tisfactionnem Chriſti applicari conten„ dant, ut nullus reliquus ſit pœnæ rea„ tus, quam, Deo auxiliante, noſtris pia„ culis exolvamus. " Quis immania adeo tamque pugnantia paradoxa non ſtupeat? Quis miſeros homines ſpiritu vertiginis, juxta Scripturarum phraſim, perpetuo circumagi, ambulare in circuitu, & ſemper inſtabiles, Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem depravare, non debeat?

IX. Quantum a vero Pauli ſenſu Novatores abludant, nullo negotio demonſtratur. Quæcumque Paulus de excellentia doni, quo Deus Pater mundum affecit, nos ſibi per filium reconcilians, deque efficacia obedientiæ, paſſionis, & meritorum Chriſti ibi fuſe perſequitur, Catholicorum nemo non confitentur eſſe veriſſima, hincque colligimus, Chriſtum efficientem eſſe ſalutis noſtræ cauſam univerſaliſſimam, atque pleniſſimam, quandoquidem ipſe, ut Joannes ait, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, qui perfecte poteſt & culpas omnes tollere, & omnem ſive æternæ ſive temporariæ pœnæ reatum penitus abolere, quin ulla opus eſſet humana ſatisfactione, quum ea, quam ipſe Deo Patri pro totius mundi delictis exhibuit, non condigna ſolum, & plane æqualis fuerit, ad juſtitiæ rigorem exacta, ſed etiam ſuperabundans. Quid vero? totum hunc pleniſſimum effectum, ut ſimul cum culpa omnis pœna tollatur, ineffabili ſapientiæ ſuæ conſilio præſtare non vult, etſi poſſit, ſed quemadmodum culpas non remittit, æternæque pœnæ reatum non expungit, niſi mediis Sacramentis, quæ idem ipſe velut inſtrumentarias cauſas inſtituit, quibus univerſaliſſima paſſionis & ſatisfactionis ſuæ efficientia atque virtus nobis applicaretur, ita temporarias pœnas, in quas deleta culpa æternæ damnationis reatum divina indulgentia commutat, relaxare plerumque non vult, niſi mediis operibus noſtris, quibus ſatisfactionem illam ampliſſimam, quam ipſe Patri exolvit, ad nos derivemus, noſtramque quodammodo faciamus.

X. Nec vero hoc negare Novatores poſſunt, niſi Chriſtum ipſum & Paulum negent. Quid enim in ſacris literis luculentius, & frequentius expreſſum, quam mortem aliaſque corporales ærumnas, & legem illam peccati, quæ habitat in membris noſtris, ideſt concupiſcentiæ fomitem pœnam eſſe originariæ noxæ in omnes Adæ filios traductæ, quum Deus ab initio hominem fecerit inexterminabilem, invidia autem Diaboli mors in mundum intraverit, & in omnes homines pertranſierit, quia omnes in uno peccarunt? Quid etiam a Paulo diſertius traditum, quam originariam hanc culpam Baptiſmate vere tolli atque deleri, baptizatos peccato mori, Chriſto commori, atque conſepeliri, ſimulque cum eo ad novitatem vitæ reſurgere, veterem hominem noſtrum ſimul cum Chriſto in Baptiſmate crucifigi, ut deſtruatur corpus peccati, baptizatum denique juſtificatum eſſe a peccato, quamquam ea ſit Novatorum procacitas, ut adverſus tam ſplendida Apoſtoli teſtimonia blaterare audeant, Baptiſmate maculam originis non abſtergi? Remittitur ergo Baptiſmo originale peccatum, nec tamen temporariæ, quæ illud conſecutæ ſunt, pœnæ tolluntur. Numquid idcirco peccato Adæ majus non eſt donum Chriſti, neque ſuperabundavit gratia, ubi abundavit delictum? Abſit. Etſi potuerit Chriſtus eam Baptiſmati vim conferre, ut non ſolum peccati maculam, atque damnationis æternæ reatum tolleret, ſed a funeſtis iis originariæ culpæ conſectariis regeneratos penitus liberaret, & feliciſſimo illi redderet integritatis ſtatui, quem Adam peccando ſibi ſuiſque deperdidit, noluit tamen ſecundum inſcrutabile voluntatis ſuæ propoſitum id efficere; ſtatuitque, renatos quoslibet, etſi Baptiſmate, ut ait Apoſtolus, facti ſint *immaculati, puri, innoxii, Deo dilecti, heredes*

des Dei, & Chriſti cohæredes, morti, aliiſque vitæ hujus calamitatibus obnoxios eſſe, non ad virtutis tantum exercitationem atque incitamentum, quum infantium plurimi & morbis affli&entur, & ante rationis uſum intereant, quibus mala hæc ad virtutis probationem atque incrementum cedere nonniſi fatuus dixerit, ſed ad contracti ab Adamo criminis punitionem. Erit ergo ſemper peccato Adæ multo excellentius & efficacius donum Chriſti, & quovis delicto multo abundantior collata nobis per Chriſtum gratia, tametſi dum actualia nobis peccata per ejus merita relaxantur, temporalis pœnæ aliquid luendum nobis ſuperſit, quum id non in ſatisfactionem ejus, quaſi vero diminuta illa fuerit, & præſtando effectui huic pleniſſimo minus apta, ſed in voluntatem Dei, cujus noſtrum non eſt rationem exquirere, ſit referendum.

XI. Frigidiſſima porro eſt argutatio, quam ex trito illo Philoſophorum effato, ſublata cauſa effectum tolli, Novatores eliciunt. Quum enim lætalis peccati funeſtiſſimus effectus ſit ſempiternæ damnationis reatus, nunquam aboleri peccatum Catholica docet Eccleſia, quin reatus iſte tollatur; quod vero obliterato peccato, temporalis pœnæ quidquam reliquum ſit vel in hoc vel in futuro ſæculo exolvendum, ex ſuprema Dei voluntate eſt, cujus juſtitia numquam a miſericordia ſejungitur; ſunt enim univerſæ viæ ejus miſericordia & veritas ſeu juſtitia, ut Pſaltes ait. Etſi enim infinita benignitate utens damnationem æternam pœnitentibus per filii ſui merita condonet, juſtitiæ tamen ſuæ conſulens temporariam aliquam ſatisfactionem ab iis repetit, qui omnes pœnitentiæ numeros non expleverunt, neque enim adferunt peccatorum ſenſum, & charitatis ardorem, ut pœnam omnem ſimul cum culpa tolli mereantur. Divinæ voluntatis ſanctionem hanc non marte noſtro confingimus, ſed apertiſſimis Scripturæ ſacræ, quæ divinæ voluntatis index atque interpres eſt, teſtimoniis edocemur, adverſus quæ nulla eſt, eritque numquam idonea Novatorum exceptio.

XII. Denique, quod ex Baptiſmo argumentum cudunt, nihilo melioris eſt commatis. Quid enim, ſi Catholicæ Eccleſiæ fuit eritque perpetuo conſtitutum, Baptiſmate non originale ſolum ſed & actualia quæque peccata tolli, omnemque iis debitam pœnam ita auferri, ut ſi ſtatim ab ſuſcepto Baptiſmo adultus excederet, nihil eſſet, quod eum a cæleſtis regni aditu remoraretur? Id Chriſtus efficaciæ Baptiſmo tribuit, id ſe Baptiſmati contuliſſe ſuæ manifeſtavit Eccleſiæ, atque doctrinam hanc ab Apoſtolis acceptam conſtanter Eccleſia retinuit, retinetque. Pœnitentiæ vero virtute aut Sacramento non ita ſemper condonari peccata, ut tota ſimul cum eis auferatur & pœna, fuit olim eritque ſemper Eccleſiæ perſuaſum, quia plura e divinis literis petita exempla demonſtrant, tantum efficaciæ non fuiſſe ei divinitus attributum. Cur vero Chriſtus duo hæc noſtræ juſtificationis media, & paſſionis ſuæ inſtrumenta pari noluerit virtute donare, penes ipſum eſt. Duas adfert Tridentina Synodus rationes congruas, & plauſibiles, alias addunt Theologi, quæ tamen ſuadendi vim habent, non demonſtrandi. Illud duntaxat inconcuſſum eſt & certiſſimum, ſi Baptiſmi ſuſceptionem & Martyrium excipias, totam ſimul cum culpa non ſemper a Deo remitti pœnam, quia Scripturæ ſacræ nullum relinquunt de veritate hac ambigendi locum.

PROPOSITIO II.

Chriſtus non ad ſolvendum ſolum, ſed etiam ad ligandum, ſeu ad imponendas confitentibus pœnas, Eccleſiæ claves tribuit, qua poteſtate Eccleſia perpetuo uſa eſt, non tantum ad aliorum exemplum, ſed præcipue ad illatas Deo injurias compenſandas.

I. Ad veritatem hanc demonſtrandam conferenda aptiſſime, ac percommode ſunt veterum Patrum teſtimonia, quoniam ad id nos adigunt Novatores, qui negare non auſi, prioribus Eccleſiæ ſæculis canonicas pœnas certis expiandis criminibus fuiſſe Præſulum auctoritate præſcriptas, alium omnino fuiſſe earum finem effutiunt, quam quem Romani, ut ipſi ajunt, comminiſcuntur; non enim ad exhibendam aliquam Deo ſatisfactionem, ſed ad publicum emendationis teſtimonium Eccleſiæ perhibendum inſtitutas illas fuiſſe contendunt, neque pœnitentibus profuiſſe ad luendas coram Deo temporarias pœnas, quæ reliquæ eſſent ſublata culpa,

ſed

ſed ad mitigandas ſolummodo præſentis vitæ calamitates. Age ergo, & Scripturæ auctoritate, Patrumque teſtificatione graviſſima demonſtremus, contuliſſe Chriſtum Eccleſiæ poteſtatem pœnas pro criminum qualitate injungendi, quibus Divinæ juſtitiæ ſatis a Pœnitentibus fiat.

II. Quamquam Lutherus pernicioſiſſimo auſu primus ſatisfactionem exploſerit, quia verbum hoc ſatisfacere non eſt in literis ſacris expreſſum, nec uſlibi Scriptura docet, pro peccato mortali toto ſeptennio ſatisfaciendum eſſe, & ſatisfactiones injungendi facultatem Eccleſiæ adimere conatus ſit, quia textus ii Evangelici, *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo* &c. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. ad remiſſionem, inquit, culpæ pertinent, non ad ſatisfactionem, alioqui dicere debuerat Chriſtus, *quorum remiſeritis ſatisfactiones* &c. mera, tamen fuit & ſumma ejus inſcitia, quod inanibus his frivoliſque momentis adductas primus in dogma hoc impetum fecerit: „ Præterquamquod enim, ait „ præclare Dominicus Soto, multa optimo jure Eccleſia haurit & recipit ex „ Patrum monumentis, licet conceptis „ verbis in divino eloquio expreſſa non „ ſint, rem tamen ſatisfactionis ex commemoratis textibus colligimus evidentiſſime; Enimvero peccatorum remiſſio „ & abſolutio non ad culpam tantum, verum & ad pœnam refertur; utroque „ enim modo ligatur peccator, ſcilicet, „ ut ob culpam Dei inimicus ſit, præterea dignus pœna, ideoque per Chriſti „ gratiam Sacerdotum judicio traditus ab „ utroque eſt abſolvendus. At quia Dei „ miſericordiam ſemper juſtitia comitatur, quamvis Chriſtus in cruce & meritus fuerit, & pro peccatis totius mundi pleniſſime ſatisfecerit, ſingulis tamen aut ſatisfactionem aut meritum „ applicare efficaciter noluit; niſi quatenus adjutorio ſuo unuſquiſque aſſenſum „ & cooperationem liberc præbuerit, qua „ de cauſa, ut non omnes ad eumdem „ amicitiæ gradum recipit, dum convertuntur, ita nec juſtitiam ejus decuit, „ remiſſa culpa æternaque pœna unicuique de temporali remittere, niſi juxta „ proportionem conatus, quo ſe quiſque „ convertit, & quoniam neque conatus „ ille in omnibus æqualis eſt, neque ſcelera paria, providentiſſime hoc Eccleſiæ & Miniſtrorum ejus judicio commiſit. Eorum ergo verborum, *quodcumque alligaveritis & quodcumque ſolveritis, quorum remiſeritis, & quorum retinueritis* &c ſenſus eſt: Judices vos inſtituo, quorum ſententiæ, clave non errante, latæ ſtabo, ut quodcumque remiſeritis, aut retinueritis, remiſſum ſit, „ aut retentum, hoc eſt, quam pœnam „ vel remittendam, vel retinendam, imponendamque Pœnitenti, clave non errante, judicaveritis, erit itidem coram „ me remiſſa, aut retenta, ex quo uno „ loco ambas pœnitentiæ partes, confeſſionem ſcilicet atque ſatisfactionem Patres elicuerunt; nam quum res ſit in „ Evangelio patens, nulla injuria eſt, ſi „ nomine maxime congruo ſignificetur. " Hæc clariſſimus ille Theologus, cujus integritati atque doctrinæ Tridentina Synodus plurimum detulit, qui & eidem Synodo nuncupavit ſuum *de natura & gratia* librum, ex quo hæc depromſimus, quod iis & germanus Evangelicorum verborum ſenſus, & legitima Eccleſiæ mens nitidiſſime declaretur.

III. Hunc autem genuinum eſſe laudatorum textuum intellectum invictiſſima demonſtratione probatur: Paulus auctoritatem hanc ligandi Pœnitentes modo explicato ſibi a Domino traditam fuiſſe teſtatur, eaque uſus eſt; ergo in Chriſtum ſacrilegi, & impii ſunt, qui Eccleſiæ poteſtatem hanc nituntur eripere; quum in antecedenti propoſitione difficultatis ſumma conſiſtat, ejuſque demonſtrata veritate res adverſus Novatores compendio confecta futura ſit, tota ponenda a nobis eſt opera, ut momentis irrefragabilibus id agamus. Paulus 1. ad Cor. 5. in publici inceſtus reum hanc ſe tuliſſe ſententiam ſcribit: *Ego quidem jam judicavi eum, qui ſic operatus eſt, in nomine D. N. J. C., congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute D. N. J. tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die D. N. J. C.:* tot in hoc textu adverſus Novatores invicta argumenta, quot verba ſunt. Quid ſibi vult gravis illa & geminata loquendi forma, *in nomine, cum virtute* &c.? Niſi ſaxeus quis fuerit, aut plumbeus, ſtatim intelligit, Paulum clariſſime ſignificare, ſe in ea ferenda ſententia Chriſti perſonam agere, ejuſque auctoritate operari. Quorſum autem ſpectabat ejus ſententiæ ſeveritas?

An ad amovendum a Corinthiis ſcandalum, quo eos nequam ille publico inceſtu detentus effecerat, an ad fratrum ædificationem, & publicum emendationis teſtimonium, an denique ut ejus judicii rigore mitigarentur reo illi tam male mulčtato vitæ hujus erumnæ? Id comminiſci perverſe poſſunt, qui ebrii ſunt *non a vino*, ut Iſaiæ verbis utar, *ſed a ſpiritu furoris Domini*. Cæterum Paulus diſerte teſtatur, direxiſſe ſe carnis interitum ad ſpiritualem miſelli illius ſalutem, *ut ſpiritus ſalvus ſit* &c. Vitiligare ſolum Adverſarii poſſunt ea Pauli verba, *judicavi tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis*, quod non eorum tam planus & obvius ſenſus ſit, ut ex eo conficere poſſimus, quod in quæſtione verſatur. Verum de laborioſa hac ſatiſtactione, cujus imponendæ pœnitentibus poteſtate Chriſtus donavit Eccleſiam, Paulum eo loci agere, tot nobis præſto ſunt argumenta, quæ probent, ut reclamare ipſi nonniſi perperam, & inſulſiſſime poſſint.

IV. Antiquiſſimos Eccleſiæ Patres interitum illum carnis de pœnitentiæ laboribus ob inceſtum inflictis ad plene expiandum facinus expoſuiſſe, teſtem advocamus locupletiſſimum, omnique exceptione majorem Tertullianum, qui in eo, quem ad Montaniſtarum caſtra jam transfuga edidit, libro *de pudicitia*, etſi ob imbutum de inexpiabili mœchiæ peccato errorem, magno conatu probare contendat, labores illos, quibus Apoſtolus fornicarium damnavit, ad obtinendam peccati veniam non ſpectaſſe, quod peccatum illud irremiſſibile fuiſſe putaret, teſtatur tamen S. Zepherinum, quem ironice *Benedictum* Papam vocat, totamque cum eo Romanam, & Chartaginenſem Eccleſiam, imo & Catholicos omnes, in ea perſuaſione fuiſſe, interitus carnis nomine laborioſæ pœnitentiæ officium ſignificari ad ſatis Deo faciendum ab Apoſtolo impoſitum. Do Tertulliani verba, quibus nihil ad rem noſtram fingi poteſt expreſſius: *Hic jam carnis interitum officium pœnitentiæ interpretantur, quod videatur jejunio, & ſordibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando ſatis Deo facere, ut ex hoc argumententur, fornicatorem, imo inceſtum illum Satanæ non in perditionem ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem, quaſi poſtea veniam ob interitum, ideſt conflictationem carnis conſecuturum, igitur & conſecutum*. Si quis hæc Tertulliani verba, & controverſiæ Montaniſtas inter, atque Catholicos ſecundo Eccleſiæ ſæculo agitatæ ſummam vacua præjudiciis mente perpendat, manus veritati dare cogetur: De clavibus non ad ſolvendum ſolum, ſed etiam ad ligandum Eccleſiæ a Chriſto tributis nulla erat Montaniſtas ac Catholicos inter diſſenſio: Evangelio freti Catholici claves has abſolute & abſque limitatione ulla tributas fuiſſe Eccleſiæ propugnabant, ita ut nullum eſſet delicti genus, quod ſolvi Eccleſiæ auctoritate non poſſet, & pœnis ad ſatisfaciendum impoſitis expiari: Tria excipiebant Montaniſtæ ſcelera, idololatriam, mœchiam, atque homicidium, in quæ remittenda, & ſatisfactionis operibus expurganda nulla Eccleſiæ eſſet auctoritas. Catholici Montaniſtas laudato Pauli teſtimonio acerrime perſtringebant, & invicte quidem; ſi enim Paulus publici inceſtus reo auctoritate ſibi a Chriſto tributa utens ſatisfactionis opera injunxit ad ſpiritualem ejus ſalutem, quibus a pœnitente fideliter exſolutis veniam eidem in perſona Chriſti donavit, ut ſcribit ipſe 2. ad Cor. c. 2. inde neceſſario fluebat, non eſſe, mœchiam peccatum inexpiabile, ut Montani aſſeclæ blaterabant, collatas Eccleſiæ a Chriſto claves nulla limitatione adſtrictas eſſe, & peccatum quodlibet, utut grave, ſalutaris pœnitentiæ operibus poſſe expiari. Quid ad hæc Montaniſtarum omnium doctiſſimus Tertullianus? Argumenti hujus inexpugnabile robur non aliter infringere niſus eſt, quam reponens, damnatum fuiſſe fornicarium illum a Paulo carnis interitu ſeu jejuniis aliiſque moleſtiis corporis afflictationibus non in emendationem, ſed in perditionem, atque negans Corinthium, cui ſe in perſona Chriſti donaſſe ſcribit idem Apoſtolus, eundem eſſe, ac inceſtuoſum illum, quem Satanæ in interitum carnis tradiderat; quum ergo traditum illum Satanæ a Paulo in interitum carnis non ad perditionem, ut Tertullianus commentus eſt, ſed ad emendationem atque ſalutem, ea Pauli verba, *ut ſpiritus ſalvus ſit in die* &c. meridiana luce clarius evincant, nec alium eſſe Corinthium traditum in carnis interitum ab eo, cui in perſona Chriſti Paulus ipſe donavit, & Apoſtolicæ orationis ſeries & unanimis Patrum interpretatio conficiat, quid manifeſtius atque exploratius

quam

quam ſecundo Eccleſiæ ſæculo fuiſſe Catholicis omnibus perſuaſum, contuliſſe Chriſtum Eccleſiæ claves ad ſolvendum quodcumque ſcelus, & ad ligandum, id eſt ad imponendas pro quocumque crimine ſatisfactiones, quia Paulus ea auctoritate ſe uſum ait erga reum fornicationis, & talis fornicationis, ut ipſe ſcribit, qualis nec inter gentes auditur, ita ut Patris ſui uxorem haberet? Sapienter itaque monet Morinus, Tertullianum tum factum Hæreticum in hanc inter Catholicos communem Paulini textus interpretationem pro viribus inſurrexiſſe, eo tamen pluris faciendam illam, & ardentius amplectendam, quo propenſius in eam evertendam Tertullianus Montaniſtis addictus incubuit.

V. Neque ſecundo ſolum, ſed & ſecutis Eccleſiæ ſæculis memoratam Pauli ſententiam de uſu clavium ad ligandum, deque inflictis ſalutaribus ad ſatisfaciendum pœnis Patres interpretati ſunt. Origenes tertio ſæculo homil. 24. in Levit. ita Pauli textum exponit: *Quod dicit, tradidi in interitum carnis, hoc eſt, in afflictionem corporis, quæ ſolet a Pœnitentibus expendi, eumque carnis interitum nominavit, qui tamen vitam ſpiritu conſerat; unde & nunc ſi quis forte noſtrum recordatur in ſemetipſo alicujus peccati conſcientiam, ſi quis ſe obnoxium novit eſſe delicto, confugiat ad pœnitentiam, & ſpontaneum ſuſcipiat carnis interitum, ut expurgatus in præſenti vita ſpiritus mundus, & purus pergat ad Chriſtum.* Nec quemquam moveat, quod Origenes fideles hortatur, ut ſibi criminis alicujus conſcii ad pœnitentiam confugiant, & ſpontaneum ſuſpiciant carnis interitum; non enim ſpontaneum dicit, quaſi vero non ſit ab Eccleſiæ Miniſtris impoſitus, quum ex eo Pauli textu Origenes inferat confeſſionem criminum Sacerdotibus edendam, & vindictam eorumdem judicio ſubeundam, ſed quia Pœnitens inflictam ſibi a Sacerdote ſalutarem ultionem ipſe a ſe repetit, & ſententiam Miniſtri Chriſti in ſe ipſum exequitur. Ad eandem interpretationem ſpectat, quod ſæculo quarto S. Baſilius Magnus ſcripſit c. 7. epiſt. ad Amphilochium, ubi de impoſita triginta annorum pœna ob facinus ignoranter admiſſum verba habens, decernit pœnitentes eo exacto tempore recipiendos eſſe, *nam*, inquit, *& ignorantia eos venia dignos facit, & temporis diuturnitas; fere enim tota hominis ætate Satanæ traditi ſunt, ut diſcant non ſe turpiter gerere.*

VI. Eodem ſæculo S. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus in paræneſi ad Pœnitentiam eundem ſenſum Apoſtoli verbis ſubjicit ajens: *Admovebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico: videamus an ferre poſſitis. Judicavi, inquit Paulus, congregatis vobis, & ſpiritu meo in virtute D. N. J. C. tradere* &c. *Quid dicitis pœnitentes? ubi eſt veſtræ carnis interitus? an quod in ipſa pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoſiti, veſte compoſiti* &c.? Ad idem Pauli verba referunt S. Ambroſius l. 1. de Pœnit. c. 12. S. Hieronymus in Pſalmum 83. S. denique Auguſtinus in l. de fide & operibus, & l. 3. contra Epiſt. Parmeniani c. 1., in quo multis hanc interpretationem illuſtrat, eamque ſemper ad pœnitentiam refert, quæ ab Eccleſia pro criminibus infligi ſolet, confirmatque comparatione ejus, quod idem Apoſtolus 2. ad Cor. 2. habet, inceſtuoſo illi pœnitenti parcens, alioſque jubens ei ignoſcere: *ſufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur* &c. quæ verba Auguſtinus expendens ait: *Sicut adhibet peccanti damnationem, ſic correcto, atque trementi, & humilianti in pœnitentia cor ſuum vult reddere conſolationem.*

VII. Quæ autem hactenus ex Patribus delibavimus, non ſolum probant, hac ligandi poteſtate Apoſtolum fuiſſe a Chriſto donatum, eaque uſum in Corinthium memoratum, ſed & eandem Eccleſiæ fuiſſe tributam, ejuſque uſum puriori illo ævo, quod Novatores ipſi totum abſque errore, & labe fluxiſſe concedunt, paſſim obtinuiſſe. Id Tertulliani jam Montaniſtæ teſtimonium demonſtrat evidentiſſime, qui non eo ſolum nomine Catholicos carpit, quod ita ſe geſſiſſe Apoſtolum exiſtimarent, verum etiam quod auctoritate ejus atque exemplo fulti cujuſcumque ſceleris reis duros pœnitentiæ labores imponerent ad obtinendam remiſſionem & veniam. Idem ex recitatis Origenis aliorumque Patrum teſtimoniis tam aperte colligitur, ut ſupervacuum videri poſſit, ad demonſtrandam Catholicam hanc aſſertionem alia momenta conferre; quod enim Calvinus inepte ſcribillat, canonicas

pœ-

pœnas nonniſi ad aliorum ædificationem, & publicum emendationis teſtimonium fuiſſe olim impoſitas, non vero ad eluendas temporarias pœnas, quibus poſt dimiſſam culpam homo coram Deo eſſet obſtrictus, eodem, quod ex Paulo depromſimus, exemplo, & communi univerſalis Eccleſiæ intellectu atque praxi abunde refellitur.

Convelluntur Novatorum objecta.

VIII. Arguunt primo: Non una eademque eſt, laudato Pauli teſtimonio, quod tantopere Pontificii magnificant, adhibita a priſcis Patribus interpretatio; Ambroſius enim ea verba refert ad corporis caſtigationem, quæ mortificationis cupiditatum cauſa ſuſcipitur, Auguſtinus ad excommunicationem, qua graviora quædam ſcelera ab Eccleſia plecti ſolent, Vetus denique Auctor Commentariorum in epiſtolas Pauli, qui inter D. Hieronymi opera legitur, ea Pauli verba exponens ait, tradi Satanæ eſſe a Dæmone arripi, & ab eo Eccleſiæ juſſu ad correptionem male vexari, quam interpretationem innuit & Auguſtinus, adoptantque Chryſoſtomus, Theodoretus ac Oecumenius: quid ergo certi ex ea Pauli ſententia trahi poteſt, cujus non unus ſenſus a Patribus figitur?

Variæ tamen hæ Patrum explicationes nihil efficaciæ detrahunt argumento, quod ex eo Pauli textu procudimus; neminem enim proferre Hæretici poſſunt, qui interpretationem illam explodat, quam invicto Tertulliani teſtimonio probavimus, ſecundo Eccleſiæ ſæculo inter Catholicos fuiſſe communem, quamque ſequiori ævo præſtantiſſimi Patres amplexi ſunt, quod profecto neceſſe erat ad infirmandum, quod ex Paulo confecimus, argumentum; aliud ſiquidem longe eſt, quod ſæpe jam diximus, a Scripturæ textu certum aliquem ſenſum penitus removere, aliud præter obvium, & præcipuum novos eidem textui ſenſus ſubjicere. Id egiſſe Patres in objectione laudatos, dum illud Pauli teſtimonium exponerent, ex eorum libris certior fieri quiſque poteſt. Animadvertendum duntaxat eſt cum Clariſſimo Morino, interpretationem illam, quæ nonnullis Græcis arriſit, qua tradi Satanæ in interitum carnis idem eſſe putatur, ac a Dæmone corripi, & in admiſsi ſceleris pœnam torqueri, probabilitate carere; ſi enim Inceſtuoſus ille fuiſſet Satanæ ab Apoſtolo traditus, ut ab eo poſſeſſus diſcruciaretur, non fuiſſet ille poſt Dæmonis irruptionem ab Eccleſia projiciendus, ſed ut vere arreptitius Energumenorum more curandus juxta perpetuum Eccleſiæ morem: de hac autem Energumeni curatione ne verbum quidem habet Apoſtolus, ſed ad Corinthios jubet, a publici illius criminoſi, quem publicæ pœnitentiæ ſubjecerat, communione abſtinere. Denique idem Apoſtolus præcipit, ut reus ille, qui de admiſſo ſcelere ingentia ediderat ſinceræ pœnitentiæ ſigna, recipiatur in gratiam, relaxeturque ei, quod pœnæ luendæ ſupererat, ne abundantiori triſtitia abſorberetur, quod argumento eſt, non prodigioſa atque extraordinaria pœna, Dæmonis videlicet cruciatu, illum fuiſſe mulctatum, ſed ea, qua gravium criminum reos ſemper conſuevit Eccleſia curare, longis nimirum jejuniis, macerationibus, & corporis afflictationibus, quam pœnam eo ſolebat Eccleſia breviorem exigere, quo major erat Pœnitentium de peccatis dolor, magiſque ſincera emendatio. Adnotat Morinus idem, hujus tam prodigioſæ pœnæ ab Apoſtolis aut Epiſcopis propter peccata reis inflictæ vix ullam occurrere apud Auctores Eccleſiaſticos mentionem: Præterea hoc ſi feciſſent Apoſtoli, eorumque Succeſſores, apud Ethnicos, penes quos tunc erat rerum ſumma, quibuſque maxime erant exoſi, homicidii accuſati fuiſſent ac veneficii, ceu qui ſceleſtos vel enecarent, vel faſcinationibus dementarent, quæ omnia probant, memoratam interpretationem a veri ſpecie procul abeſſe.

IX. Inſtant. Idem Apoſtolus iis, qui peccarunt, ſolam a peccato ceſſationem indixit, ut ex eo patet, quod ad Epheſios 4. ſcribit: *Nolite locum dare Diabolo: qui furabatur, jam non furetur*, in quæ verba Theophilactus hæc adnotat: *Non dixit Apoſtolus, puniatur, qui furtum committit, ſed a malo deficiat; punire namque eſt fori judiciarii, dehortari a vitiis Chriſti doctrinæ eſt.* Nec ſane aliud agere poterat egregius Chriſti famulus ac Diſcipulus, quam quod egiſſe noverat Dominum ac Magiſtrum: ubinam autem in Evangelio legere eſt, Chriſtum ab iis, quibus peccata remiſit, quidpiam aliud exegiſſe quam ut a peccato iterando caverent? Lu-

Lucæ 7. Mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, his pleniſſime verbis abſolvit: *Remittuntur tibi peccata: fides tua te ſalvam fecit, vade in pace*. Ioannis 5. hominem, quem a triginta & octo annis ægrotum in probatica piſcina jacentem erexit, curavitque, non a tam diuturno languore ſolum ſanaſſe, ſed & remiſſis ei culpis plene juſtificaſſe, Patrum ferme omnium conſtans adſertio eſt: Qua autem pœna ligavir illum, ut Deo faceret ſatis? Eum tantumodo juſſit, deinceps a peccato abſtinere. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare*. Quid aliud mulieri in adulterio recentiſſime deprehenſæ beniguiſſimus idem Dominus commendavit, quam ne iterum laberetur? *Nemo te condemnavit: nec ego te condemnabo, vade, & jam amplius noli peccare*. Chriſto ergo & Apoſtolo injurii ſunt, quotquot in domo Dei, qui eſt miſericordiarum Pater, dum ſatisfactiones illas a pœnitentibus repetunt, *forum iræ atque pœnarum* inſtituunt, quum optima pœnitentia *ſit ceſſatio a peccato, & nova vita*.

An nos Chriſto & Paulo injurii ſimus, qui pro Evangelica & Apoſtolica doctrina pugnamus, an vero ſint ii in Chriſtum & Paulum extreme contumelioſi, momenta hactenus ex Evangelio & Paulo deprompta ſatis ſuperque demonſtrant. Quam turpiter effato illo, *optima pœnitentia nova vita*, abutantur, abunde patet ex dictis ar. 4. Audere illos vero Catholicis improperare, quod clavibus ad ligandum, & ad ſalutaris Pœnitentiæ opera imponenda utentes Sacramentum miſericordiæ ac reconciliationis in horrificum iræ ac vindictæ forum commutent, quis ſine ſtomacho ferat? Jam ex Tridentino Concilio declaratum eſt, divinam ipſam clementiam docere, ne ita nobis peccata abſque ulla ſatisfactione remittantur, ut occaſione accepta, peccata leviora putantes in graviora labamur, quum magnopere a peccato revocent, & veluti fræno quodam coerceant hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiant. Quid, ſi ſaluberrimos alios harum ſatisfactionum effectus, quos e divino eloquio, & Patrum doctrina decerptos ibidem Concilium memorat, perſequamur? „ Medentur enim & peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus „ male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt, nec ulla unquam ſecurior via in Eccleſia Dei exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc „ pænitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad „ hæc, quod dum ſatisfaciendo patimur „ pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis „ noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde habentes arrham, *quod ſi compatimur, & conglorificabimur*. " Hæccine culpari poſſunt ut a Dei miſericordia aliena, quæ truculentum iræ ac pænarum tribunal a Papa conſtitutum invexerit?

X. Vere autem, quod de ſuæ ætatis incredulis Judæis gemens ajebat Paulus, obtuſi ſunt Novatorum ſenſus, & in lectione Scripturarum velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, quo fit, ut legitimam earumdem intelligentiam non adſequantur. Quidpiam ne vero fingi poteſt diſcurſu hoc ineptius ac abſurdius: Paulus ait, *Qui furabatur, jam non furetur*, ergo ſolam a peccato ceſſationem exigit ad plenam ejus veniam obtinendam? Neque ergo neceſſe erit, ut furti vel cujuſvis alterius peccati reus pænarum terrore quatiatur, quas improbis Evangelium interminatur, atque immota fide apprehendat, ſibi per Chriſtum peccata dimiſſa eſſe, quandoquidem horum conſcientiæ terrorum, & firmiſſimæ promiſſionum Chriſti fidei nuſpiam Paulus meminit. Elidendæ Novatorum cavillationi hoc cumulate ſufficeret; addam tamen, quæ plane obſtruant eorum os. Si ſolam peccati fugam Apoſtolus a pænitentibus conſuevit exigere, quorſum ergo ad Romanos ſcripſit, ut ſicut exhibuerant *membra ſervire injuſtitiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita ad Deum* converſi eadem membra *exhiberent ſervire juſtitiæ in ſanctificationem, & ſpiritu facta carnis mortificarent*? Quorſum ad Corinthios ſcribit, triſtitiam de admiſſo peccato, quæ ſecundum Deum eſt, *pænitentiam in ſalutem ſtabilem operari, indignationem, deſiderium, æmulationem, atque vindictam*, quæ omnia ad ſalutarem peccati punitionem pertinent? Sed ne per ſingulas ejus epiſtolas excurramus, quæ omnes veritatis hujus nobis argumenta ſuppeditant, unum illud, quod Novatores obiiciunt, teſtimonium excutiamus; eo enim peſſima doloſorum hominum fides arguitur, qui textum ſcienter mutilant,

lant, ut imponere ſimplicibus poſſint. *Qui furabatur*, ait Apoſtolus, *jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*. Non ergo furti reum tantum juſſit Paulus abſiſtere a furto, ſed & eum maxime congrua expiando peccato pœna damnavit, præcipiens, ut labore manuum ſibi compararet, quo eleemoſinas erogando proximi neceſſitatibus ſubveniret: Hac autem potiſſimum ratione pro furti peccato fieri Deo ſatis, ut ſcilicet, qui aliena rapuit, propria egentibus largiatur, Patres univerſi docent, idque tum ex hac Pauli ſententia colligunt, tum ex eo, quod Zachæum Publicanorum Principem Chriſto, a quo vocatus fuerat, atque juſtificatus, dixiſſe memorat Lucas: *Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*.

XI. Neque minus prava fide Theophilacti teſtimonium Novatores objiciunt; eam enim partem duntaxat arripiunt, qua poſſint fucum incautis facere, alteram vero prætereunt, quam ſibi incommodam ſentiunt, & moleſtam: Statim namque Theophilactus adjecit: *Non enim ſatis eſt a peccato quieſcere, ſed contraria via eſt adeunda. Antea operabatur malum? Jam nunc operetur bonum, neque id ſimpliciter, ſed cum labore, partim quidem ut conterat corpus, quod antea ex corpore mala didicerat, partim vero ut largiores habeat vitæ mores & facultates*. Quid ſibi ergo volunt præcedentia Theophilacti verba? Unum id ſignificant, longe aliam eſſe diſciplinam rationemque judicii, quod in Sacramento pænitentiæ exercetur, a praxi judiciarii ſive externi fori, quod geritur a Magiſtratibus; hi enim furti convictos publica ignominia notant, & ſuſpendio, vel alia corporali pæna caſtigant. Miniſtri autem Eccleſiæ clavium ſibi a Chriſto traditarum virtute furti aliorumque criminum reos puniunt quidem, ſed abſque dedecore atque infamia, temporariis quibuſdam pænis, quas ipſi rei ſponte ſubeunt, ipſique a ſe exigunt, non ad interitum ſed ad ſalutem.

XII. Quid porro, ſi Chriſtus ab iis, quos a peccato mundaverat nihil, quod ſatisfactionis loco eſſet, legitur exegiſſe? Habuit ille, cui *Pater omne judicium dedit*, ſupremam excellentiæ poteſtatem, qua, ſicut ſola ſua voluntate abſque alicujus exterioris inſtrumenti adminiculo juſtificare homines poterat, ita eos a quavis ſive æterna ſive temporaria pæna liberare, poterat inſuper eam peccatoribus charitatis plenitudinem, & contritionis vehementiam inſpirare, quæ expungendo cujuſque pænæ reatu abunde ſufficeret, quod de muliere peccatrice præſertim, & pio latrone rectiſſime creditur. Quidpiamne vero hujuſmodi de hominibus, quos ſui Vicarios Chriſtus inſtituit, fingi poteſt? Habent hi delegatam ac miniſterialem ligandi ſolvendique poteſtatem, quæ certis a ſupremo Domino latis legibus eſt circumſcripta, neque ea legitime & recte defungi poſſunt, niſi pro criminum qualitate congruas reis pænas imponant. Etiam in humana Republica Princeps a qualibet pæna, quum ſolus id ſummo jure poſſit, reos abſolvit: idem ne vero Prætori licere dicendum eſt? ferre hic debet judicium ſecundum jura, definitamque legibus pænam reis infligere, quam nemo negat, integrum eſſe Principi, commutare, minuere, aut condonare. *Solus ergo Dominus miſereri poteſt*, ait Cyprianus in l. de lapſis, *veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris: Homo Deo eſſe non poteſt major, nec remittere, aut donare indulgentia ſua ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt: Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt, qui omne judicium de Patre ſolus accepit*.

Inſiſtunt: Qui majus contulit, is quoque minus conceſſiſſe credendus eſt; ſi ergo Pontificiis perſuaſum eſt, tribuiſſe Chriſtum Sacerdotibus poteſtatem a peccato, & ab æternæ pœnæ reatu ſolvendi, hacque illos poteſtate vere uti, quotieſcumque pœnitentes abſolvunt, quidni eos credant auctoritate quoque præditos temporariam quamcumque pœnam laxandi?

XIII. Breviter reſpondemus, peccare enormiter argumentum. Nonne etenim multo præſtantior eſt virtus animos ſanandi quam corpora? Ergone Sacerdos ægroti confeſſionem audiens, eumque ſpiritualiter clavium virtute vivificans, eundem poteſt optimæ valetudini reſtituere? Qua ergo a Chriſto donati ſunt, auctoritate Sacerdotes a peccati æternique ſupplicii reatu rite diſpoſitos ſolvunt, a temporaria pœna non item, quia & Deus, qui principaliter peccata

cata condonat & pœnas, plerumque præſtat, quod majus eſt, non item quod minus, ideſt peccati labem abſtergit, & ſempiternæ mortis debitum ita ſolvit, ut tamen hominem juſtificatum luendis temporariis vel in hoc, vel in altero ſæculo pœnis relinquat obnoxium. Qui ergo auderet Judex delegatus, nullam pro delictis pœnam iis injungere, quos temporalis ſupplicii reos ſupremus Dominus plerumque habet? Credimus itaque, non contuliſſe Dominum Miniſtris ſuis, quod minus eſt, quia divino eloquio docemur, ipſum in peccatorum reconciliatione non ſemper præſtare pleniſſimum effectum illum qui ex culparum deletione, & cujuſque pœnæ remiſſione conſurgit.

PROPOSITIO III.

Pœnis a Sacerdote injunctis, vel ſponte ſuſceptis, vel a Deo inflictis & patienter toleratis, Deo per Chriſti merita vere fit ſatis.

I. Quoniam Novatoribus pertinaciſſime conſtitutum eſt, nihil recipere, & fidei dogmatis loco habere, niſi quod in ſacris literis perſpicue traditur, tota nobis hæc diſputatio ſolis divini eloquii textibus tranſigenda erit, qui & tam diſerti & tam uberes nobis ad manum ſunt, ut nimii eſſemus, ſi vellemus omnes adferre. Quid ſane luculentius eo, quod 2. Reg. c. 24., & 1. Paralip. 21. legimus? David tumore animi inflatus numerari juſſerat univerſum populum ſibi ſubditum, quod Deo diſplicuit, ejuſque in Davidem indignationem accendit; etſi autem in Deum ſe peccaſſe cognoſcens ex animo doluerit, veniamque ſupplex popoſcerit ajens, *peccavi valde in hoc facto, ſed precor, Domine, ut transferas iniquitatem ſervi tui, quia ſtulte egi nimis*, temporaria tamen eaque graviſſima pœna, peſtilentia videlicet divinitus immiſſa, mulctatus eſt. Graſſatura illa erat ſolido triduo juxta Domini verbum ad Gad Prophetam, jamque ſublatis ex populo ſeptuaginta hominum millibus, Angelus Domini manum quoque extenderat ſuper Jeruſalem, ut eam percuteret ac diſperderet, quum David cilicio indutus pronus in terram cadens, gemens ac plorans Dominum enixe precatus eſt, ut populo ignoſceret, extructoque altari in loco ſibi a Domino conſtituto, oblatiſque holocauſtis atque pacificis Dominum invocavit, qui *propitiatus eſt terræ, & plagam ab Iſraele cohibuit*. Niſi quis plane ſit excors, negare non poteſt, Davidem tunc vere Deo ſatisfeciſſe; quid enim latinis Scriptoribus eſt ſatisfacere, niſi tantum facere, quantum offenſo & irato ſatis eſt ad ultionem? Quid ſatisfactionis nomen apud Catholicos ſonat, niſi voluntariam punitionem ad placandum Deum, irrogatam ei injuriam compenſandam, & pœnas peccato debitas redimendas? Porro nonne David carnis maceratione, ploratu, gemitibus, precibus, ſacrificiis id obtinuit, quum placatum fuiſſe iis obſequiis Deum, atque Angelo ſtatim præcepiſſe, ut gladium in vaginam converteret, & a plaga etſi diutius duratura ceſſaret, Scriptura rotundis verbis adfirmet? Satisfecit itaque David, ſatisfacere & Deo poſſunt, quotquot eodem pœnitentiæ ſpiritu acti, iiſdem, aut ſimilibus pietatis operibus præterita delicta voluntaria, vel impoſita a Sacerdotibus ſalutari ultione caſtigant.

II. Inſigne aliud veritatis hujus momentum nobis Scriptura ſuppeditat 3. Reg. c. 21.; Achabo enim impiiſſimo Regi Iſrael ad poſſidendam Nabot Jezraelitæ iniqua morte ſublati vineam properanti occurrens Elias Theſbites impendentem illi a Domino ſeveriſſimam animadverſionem prædixit. Perterrefactus Prophetæ ſermonibus Achab *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in ſacco, ambulavitque demiſſo capite*. Numquid ea pœnitentiæ officia ad placandum Dominum, amovendamque definitam ab eo pœnam Achab non profuerunt? *Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam: nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus ejus.* Quid illuſtrius quærimus, quid apertius? Notius eſt Ninivitarum exemplum, quam ut illud huc conferre neceſſe ſit; Omnes ſiquidem divina ſententia damnati morte, ac totius urbis excidio, amara retroactæ vitæ deteſtatione, melioriſque propoſito, magnis quoque exterioris pœnitentiæ ſignis non delictorum veniam, æternique ſupplicii ſolum condonationem impetrarunt, ſed & temporariæ pœnæ relaxationem; *Vidit enim Deus opera eorum, & miſertus eſt ſuper malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.*

III. Utinam Nabucodonoſor Danieli auſcultaſſet, qui poſt expoſitam latam in eum a Deo ſententiam de ejiciendo illo ab hominibus, ad feras & beſtias amandando, exigendoque in agris & ſilvis belluino more ſeptennio, ſtatim eundem docuit, qui poſſet infligendum ſibi ab Altiſſimo terrificum adeo ſupplicium evadere, ajens: *quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum: forſitan ignoſcet delictis tuis*. Nec quemquam moveat, quod Daniel dubitanter dixerit, *forſitan ignoſcet delictis tuis*; non enim in divino eloquio particula *forſitan* dubitationem ſemper exprimit, ſed frequenter affirmationem, quod pluribus e Scriptura petitis exemplis Chryſoſtomus adſtruxit; ne autem exempla longius repetamus quid crebrius ac conſtantius in Scripturis adſertum, quam eleemoſynas virtute pollere placandi Deum, & debita culpis ſupplicia redimendi? Haud diu ante Danielis ævum Raphael Archangelus de hac eleemoſynarum efficacia ita Tobiam inſtruxerat: *Bona eſt oratio cum jejunio, & eleemoſyna magis, quam theſauros auri recondere, quoniam eleemoſyna a morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata, & facit invenire miſericordiam, & vitam æternam*. Non eſſet ſcriptioni modus, ſi calamo indulgentes vellemus omnia corradere ex Prophetis, atque Apoſtolis, quæ veritati huic confirmandæ eſſent perquam idonea. Illud præterire non poſſumus, quod Chriſtus ad Phariſæos Lucæ xI. dixiſſe legitur: *Verumtamen, quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*. Non opus eſt, ut quis Patrum interpretationem accerſat: ſunt ipſa Chriſti verba ſatis obvia, atque perſpicua, quorum ſeriem expendentes deprehendemus, eandem eleemoſynæ tribui a Chriſto virtutem, quam recitati jam Scripturæ textus exponunt, purgandi nimirum peccata, placandi Deum, & pœnas peccatis debitas redimendi.

IV. Jam vero & pœnis a Deo inflictis & patienter toleratis ſatisfacere hominem Deo poſſe, præter alia plura Scripturæ teſtimonia, quæ memorare non vacat, eo potiſſimum demonſtratur, quod Tobiæ 3. legitur: Sara etenim Tobiæ junioris uxor Deum ita precata eſt: *Benedictum eſt nomen tuum Deus Patrum noſtrum, qui, cum iratus fueris, miſericordiam facies &c. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur, ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur, etſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit; non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrimationem, & fletum exultationem infundis*. Quemadmodum itaque certum eſt, eum, qui a Domino probandæ virtutis cauſa percutitur, coronandum, ideſt ut Jacobus Apoſtolus explicat, *accepturum coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*, ita eum, *cujus vita fuerit in correptione*, ſeu qui temporalibus malis ad correctionem a Deo plectatur, ſi patienter toleret, ad miſericordiam Dei venturum, ideſt effecturum, ut Deus, qui de nullius perditione lætatur, placetur, & conſtituta peccatis ſupplicia relaxet.

V. Denique ad hac Catholicæ doctrinæ caput adſtruendum ex Joannis Baptiſtæ prædicatione, & Chriſti ad Epiſcopos Aſiæ paræneſi invictum nobis argumentum exurgit: *Dicebat Joannes ad turbas*, ita rem narrat Lucas c. 3., *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? (facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt . . .) & interrogabant eum turbæ dicentes, quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat &c.* Chriſtus vero Apocal. 2. & 3. Joannem Evangeliſtam jubet ſcribere ad Angelos ſeu Epiſcopos Eccleſiarum Epheſi, Pergami, Sardis, & Laodiciæ, eiſque ſignificare, ſe ob culpabilem in paſtorali munere implendo deſidiam, aliaque prava eorum opera ſumpturum de eis cito graviſſimas pœnas, niſi pœnitentiam agerent, quæ non ſolo corde, ſed & exterioribus operibus agenda erat, quæ ibidem ipſe præſcribit; quibus præjactis argumentamur: Sciſcitantibus turbis, qua ratione poſſent impendentem ſibi ab irato Deo pœnam avertere, Baptiſta hanc eis evadendi viam oſtendit, ut dignos nimirum ederent pœnitentiæ fructus, & præſertim eleemoſynas erogarent: Chriſtus item Epiſcopos, quibus offenſus erat, hortatus eſt ad ſalutaris pœnitentiæ opera, quibus paratam ſibi pœnam effugerent; niſi ergo dicamus, Baptiſtam ludificaſſe turbas de placando Deo, avertendaque ejus ira ſollicitas, eaſque ineptam obtinendo

Digitized by Google

do ſui rationem docuiſſe, Chriſtum quoque memeratis Epiſcopis quidpiam perperam ſuaſiſſe, fatendum eſt, poſſe hominem eleemoſynis, jejuniis, orationibus aliiſque pietatis operibus, Deo per Chriſti merita ſatisfacere.

Retunduntur Novatorum objecta.

VI. Præcipua Hæreticorum argumenta ea ſunt, quæ Tridentina Synodus loco ſæpius laudato memorat, & refellit. Quod primo ajunt, ſatisfactiones has cultum Dei non eſſe, ſed vanas hominum traditiones, ex recitatis Scripturæ textibus, patet eſſe falſiſſimum; hanc enim de ſatisfactione doctrinam non ab hominibus hauſit Eccleſia, ſed ex ipſo Dei verbo depromſit, quo uno judice controverſias omnes dirimi, & fidei capita ſanciri, volunt Hæretici. Idcirco a traditione argumenta non duximus, quamquam ſummo jure potuiſſemus id facere, quum traditum Dei verbum eodem ac ſcriptum loco atque gradu habendum ſit, ut Novatoribus, qui Scripturæ ſoli ſtandum eſſe contendunt, omne præcluderemus effugium, omnemque cavillandi anſam ſubtraheremus.

VII Quod vero addunt, dogma hoc doctrinam de gratia evertere, merita & ſatisfactionem Chriſti atterere, & mortis ejus beneficium obſcurare, *vaniloquium* eſt hominum, qui, ut ait Apoſtolus; *quum velint legis Doctores eſſe, non intelligunt, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Primum calumniæ caput, quo nos veluti Pelagianos infamant, quaſi vero non divinæ gratiæ, ſed viribus ac operibus noſtris ſatisfactionem pro ſceleribus adſcribamus, breviter ac ſolidiſſime a Tridentinis Patribus diſpunctum eſt, qui perpetuam atque conſtantem univerſalis Eccleſiæ mentem luculenter exponunt: „ Neque vero ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, „ quam pro peccatis noſtris exſolvimus, „ ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam „ qui ex nobis tamquam ex nobis nihil „ poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus: ita non habet „ homo, unde glorietur, ſed omnis glo„ riatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vi„ vimus, in quo meremur, in quo ſatisfa„ cimus, facientes fructus dignos pœni„ tentiæ, quæ ex illo vim habent, ab illo „ offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre. “ Hæc Catholicorum omnium profeſſio eſt, qua Pauli doctrina de gratia non læditur, ſed illuſtratur, confirmaturque, qua nihil gloriæ Chriſti detrahimus, ſed eundem fidei noſtræ Auctorem ac conſummatorem, bonorumque omnium fontem glorificamus, cui omnem ſufficientiam noſtram cum Paulo acceptam referimus, qui dat nobis cogitare, velle, & perficere, ex quo tanquam capite, & vite vera in nos veluti membra, & palmites, quidquid virtutis & ſanctitatis operibus noſtris ineſt, permanare fatemur.

VIII. Ferociter tamen adverſus reſponſum iſtud inſurgunt, & nonnullorum e noſtris ſententiam opponunt, qui eo uſque ſatisfactionis hujus virtutem extendunt, ut poſſe illam etiam peccata ipſa delere, & damnationem æternam expungere ſentiant, qua poſitione quid doctrinæ de gratia fingi poteſt infeſtius? Si enim hæc vera ſit, nonne inde conſequitur, non juſtificari hominem gratis per gratiam Dei, nec liberari ab æterna morte per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quandoquidem nondum Chriſto unitus ut membrum capiti, nec ei adhærens ut palmes viti, ideoque nullum a Chriſto charitatis & gratiæ influxum recipiens, putatur, operibus ſuis extra charitatem factis obtinere a Deo poſſe, ut remittatur ſibi culpa, & æterna pœna laxetur.

Quamquam diluere argumentum nullo negotio poſſemus regerentes, non pro hujus vel illius privati Scholaſtici placito nos pugnare, ſed pro univerſalis Eccleſiæ doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit, idque tantum nos agere, ut omni argumentorum genere demonſtremus, veriſſimum eſſe, quod eadem Synodus can. 13. definivit, *pro peccatis quoad pœnam temporalem, quæ plerumque remiſſa culpa, ſublatoque æternæ mortis reatu luenda ſupereſt, poſſe Deo per Chriſti merita ab homine ſatisfieri*, ideoque perperam ad conflandam Eccleſiæ invidiam nonnullorum opinionem jactari; quia tamen, & quædam, quæ e Scripturis laudavimus, & plura veterum Patrum teſtimonia opinionem hanc videntur adſtruere, exponendus eſt legitimus eorum ſenſus, atque oſtendendum, nihil ab iis Scholaſticis adſeri, quod doctrinam Pauli de gratia infringat, aut violet. Etſi enim Joannes Leuſæus Lovanienſis Theologus in libro *de Eccleſiaſtica Pœnitentis ſatisfactione*, Gabriel Albaſpinæus *in ſuis Obſervationibus in veterem Eccleſiæ diſcipli-*

 nam,

nam, & Joannes Morinus l. 3. de Pœnitentia c. XI. & XII. plura Patrum teſtimonia recitent, quibus opera, & ſatisfactiones Pœnitentium ante juſtificationem eo evehuntur, ut iis energia tribuatur divinam miſericordiam conciliandi, impietatis remiſſionem obtinendi, abſtergendi peccatorum maculas, ignemque æternum extinguendi, hiſque momentis freti non ipſi ſolum, ſed & Maldonatus, Eſtius, Vaſquez, Sylvius, aliique doceant, poſſe hominem Deo pro culpa, ac ſempiterna pœna ſatisfacere, ac peccatorum veniam, & juſtificationem bonis operibus atque meritis obtinere, ſi ea tamen, quibus ſententiam ſuam explicant, attente penſentur, nihil eſt in eorum poſitione abſonum, & a doctrina Pauli de gratia diſcordans; primo enim non de Infidelibus & Hæreticis agunt, ſed de Catholicis Pœnitentibus; ſecundo opera, quæ natura dictante, & ſolis liberi arbitrii viribus facimus, ab iis, quæ elicimus ex divino adjutorio, ideſt per Dei gratiam prævenientem & excitantem, quæ liberum arbitrium movet, ejuſque motum comitatur, & adjuvat, diſtinguentes, ſecundi generis operibus Pœnitentes nondum juſtificatos, ideſt etſi abjecto peccati affectu, ejus tamen nondum expuncto reatu, impetrare a Deo poſſe juſtificantem gratiam, & culparum veniam, docent: Tertio inter meritum, ut ajunt, *de congruo*, & *de condigno* internoſcentes, bonis operibus ex Dei adjutorio editis ſolam meriti *de congruo*, quod & *impetratorium* promiſcue vocitant, rationem adſcribunt eſt. Hæc quum ita ſint, quid eſt in hac opinione culpandum? Nonne omnis gloriandi occaſio libero arbitrio eripitur? nonne totum gratiæ Chriſti tribuitur, quum memorati Auctores idem ſentiant, quod Auguſtinus in epiſtola ad Sixtum, neminem ſcilicet *liberari a peccatis, atque juſtificari, niſi gratia Dei per J. C. D. N. non ſolum remiſſione peccatorum, ſed prius inſpiratione fidei, & timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu, donec ſanet omnes languores noſtros &c.*? Illud quoque addendum eſt, quod prædictus Leuſæus c. 12. ait: „ Itaque ex Veterum libris quan-
„ dam agnoſcimus ſatisfactionem pro æ-
„ terno quoque gehennæ ſupplicio, ſed
„ profecto imperfectam, minimeque adæ-
„ quantem pœnam illam, pro qua abo-
„ lenda ſuſcipitur, ſatisfactionem quippe
„ pro æterno ſupplicio perfectam ſolus Pa-
„ tri Chriſtus exhibuit, cujus intuitu &
„ illam quoque dignatur ſuſcipere, quam
„ ei pro modulo ſuo humana præſtat fra-
„ gilitas. Cæterum, ſi priores ſatisfactio-
„ nes, ideſt ante juſtificationem elicitæ tan-
„ ti fiunt a Deo, ut pœnam æternam,
„ modo jam explicato, removeant, &
„ quamdam habeant, ea quoque compa-
„ ratione, ſatisfactionis rationem, multo
„ valentiores ſunt poſteriores, ideſt poſt
„ juſtificationem exhibitæ, ad temporarii
„ ſupplicii abolitionem, ſi quod adhuc re-
„ miſſa culpa ſuperfuerit.“

IX. Alterum calumniæ caput, quo nos veluti Chriſto contumelioſos accuſant, qui ſatisfactionis ac meritorum ejus plenitudinem minuamus, atque obſcuremus, ibidem a Tridentino retunditur: „ Dum ſa-
„ tisfaciendo patimur pro peccatis, Chri-
„ ſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfe-
„ cit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt,
„ conformes efficimur, certiſſimam quo-
„ que inde arrham habentes, quod ſi com-
„ patimur, & conglorificabimur.“ Profecto quid peccamus in Chriſtum, qui ſatisfactiones noſtras eatenus Deo gratas eſſe, nobiſque prodeſſe docemus, quatenus a gratia, quam ipſe nobis morte ſua promeruit, manant, & a ſatisfactione pleniſſima, quam ipſe Patri exhibuit, virtutem pretiumque recipiunt, nullius alioqui futuræ nobis utilitatis, niſi ejus ſatisfactio præceſſiſſet, velut univerſaliſſima cauſa, quæ nobis per opera noſtra applicatur? Quid enim ſi ille pro nobis abſolutiſſime ſatisfecit? Ergone vel nos omni debito ſolvit ſatisfaciendi, vel ei irrogamus injuriam, qui hominem per ejus merita poſſe Deo ſatisfacere profitemur? Satisfecit ille quidem cumulatiſſime, attamen ſatisfactionem ſuam non aliter ſtatuit nobis eſſe proficuam, niſi quiſque eam propriis operibus ſibi applicet, ſuamque faciat; ideoque ajebat Math. 16. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, & Petrus epiſt. 1. c. 2. ſingulos fideles commonet ajens: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Dum itaque pœnas vel Sacerdotum judicio impoſitas, vel ſponte aſſumptas, vel divinitus inflictas, luimus, facimus, quod ille juſſit, crucem videlicet noſtram poſt eum gerimus ejus veſtigia ſequentes, neque operibus noſtris, quæ ad ſatis Deo faciendum edimus, ſatisfactionem Chriſti teſta-

mur imbecillam fuiſſe ac imperfectam, ſed etſi ſolam numeris omnibus abſolutam fuiſſe credamus, eam tamen intelligimus ſupremam & univerſaliſſimam cauſam eſſe, quæ edendo effectui licet plene ſufficiens, particularium tamen cauſarum cooperationem exigit, qua generalis ejus efficacia ad affecta quædam ſingularia contrahatur. Exemplo Baptiſmi, & Cœnæ, & peculiaris illius fidei, qua Chriſti merita, & ſatisfactionem applicari credentibus docent, urgeri tam valide Novatores poſſunt, ut eos pudeat, hanc de ſatisfactione Eccleſiæ doctrinam tam futiliter criminari.

Inſiſtunt, aberrare nos pinguiſſime, qui ſatisfaciendi virtutem noſtris operibus tribuamus; Quomodo enim Deo ſatisfacere poteſt homo, qui infinito intervallo a Deo diſtat, cujus opera omnia immunda ſunt, & provocandæ potius quam placandæ divinæ juſtitiæ apta, quæ etſi omni labe carerent, inepta tamen eſſent ſatisfaciendo, quum ſexcentis aliis titulis Deo Creatori, Conſervatori, ac Redemptori ſint debita? Quum hæc præcipua objectio ſit, qua hoc fidei caput ſolet a Novatoribus impeti, paullo operoſius eſt diluenda.

X. Duplex diſtinguitur a Theologis ſatisfactio, perfecta ſcilicet, & imperfecta: quum enim ſatisfactio actus juſtitiæ ſit, genere ſuo a gratia ſecernitur, ita ut eo minor ſit ſatisfactionis ratio, quo plus gratiæ operi ineſt: Perfecta idcirco ſatisfactio illa eſt, cujus valor & pretium totum a debitore promanat, nulla vel præveniente vel comitante gratia creditoris, ita ut ſit æquivalentis alias indebiti voluntaria redditio, ex quo conſequitur, pro illatis Deo injuriis ſolum Chriſtum, qui Deus ſimul & homo erat, perfectam exhibere potuiſſe ſatisfactionem, quamlibet autem creaturam ut ut eximiam, imperfecte ſolum, ideſt ſuppoſita Chriſti gratia, ſatisfacere Deo poſſe, quod plane evincunt duæ illæ rationes, quibus 3. p. q. 1. utitur D. Thomas, & quas perperam Scotus, & Durandus arrodunt. Adnotamus ſecundo, ad eluendam calumniam, quam nobis ubique Novatores important, falſum hoc nobis crimen intendentes, quod hominem ſuis viribus Deo ſatisfacere doceamus, neminem inter Catholicos eſſe, qui de operibus ſola naturæ facultate elicitis id unquam vel cogitarit quidem. Si qui vero ſunt, ut paullo ſuperius memoravimus, qui peccatorem nondum juſtificatum Pœnitentiæ & pietatis operibus, puta jejuniis, precibus elemoſynis, cenſent obtinere a Deo poſſe juſtificationis gratiam, peccatorum veniam, æternæ pœnæ relaxationem, ideoque & pro culpa ipſa, & pro gehenna ſatisfacere Deo poſſe, ii palam aperteque teſtantur, id ſe tribuere operibus actualis gratiæ prævenientis, excitantis, & adjuvantis virtute patratis, quæ ut a libero arbitrio divinitus moto & adjuto procedunt, diſponendi ad recenſitos effectus, eoſque a divina benignitate impetrandi vim habent, & nonniſi improprie ſatisfactionis titulo decorantur. Quod vero ad fidei caput attinet, quod a Tridentino propoſitum pro modulo noſtro tuemur, illud conſtanter adſerimus, ab homine juſtificato atque habituali gratia & charitate prædito pro temporariis pœnis, quæ dimiſſa culpa reſiduæ ſunt, exſolvi Deo poſſe ſatisfactionem non perfectam quidem, condignam tamen.

XI. Duo ſunt, ob quæ homo quantumlibet juſtus ſatis Deo facere perfecte nequit, primum quia quævis juſti ſatisfactio Chriſti gratiam præſupponit, cujus corpori gratis inſerti ſumus: alterum quia Deo æquale non reddimus ſicut Chriſtus, nec vero reddere poſſumus, ſed tantummodo ſecundum proportionem, qualis Deum inter & nos juſtitia *eſſe* poteſt, nempe ſicut, quod nobis largitur Deus, potentiæ ejus ac bonitati, ita quod nos reddimus, tenuitati ac modulo noſtro proportionatum eſt. Cæterum etſi juſti ſatisfactio imperfecta ſit, condigna tamen atque ſufficiens eſſe poteſt; jam enim Deo gratus eſt, & amicus, quare ejus opera ceu filii Dei digni illi Pœnitentiæ fructus eſſe poſſunt, ad quos edendos Baptiſta turbas cohortabatur; *nam licet in iis honoribus, quibus Deum colimus*, ait præclare D. Thomas, *impoſſibile ſit, æquivalens reddere ſecundum quantitatem, ſufficit tamen, ut reddat, quod poteſt, quia amicitia non exigit æqualitatem, ſed quod poſſibile eſt, quod etiam aliqualiter eſt æquale, videlicet ſecundum proportionalitatem*. Infinita itaque hominis a Deo diſtantia facit, ut perfecte ſatisfacere, & plane æquale nequeat reddere, non impedit tamen, quin imperfecte quidem, at condigne faciat ſatis, quum divina clementia eo contenta ſit, quod homo gratiæ cooperans poteſt; præſertim quum ea ratione, qua peccatum eſt infinitum, juſtus infinitum quoque Deo præſtare aliqualiter poſſit obſequium; unde enim habet lætale peccatum, ut in-

finitum

Digitized by Google

finitum ſit? Ex quo eſt infinitæ majeſtatis injuria, & ab ipſo infinito bono averſio. Præſtitum ergo a juſto infinitæ eidem majeſtati obſequium eodem prope modo induit infinitatem, & ſicut offenſa, ait Angelicus, *quamdam infinitatem ex divina majeſtate participat, ita & ſatisfactio ex divinæ miſericordiæ infinitate, prout eſt gratia informata, per quam Deo acceptum ſit, quod reddere homo poteſt*. Hæc ex D. T. in ſupl. 3. p. q. 13. art. 1.

XII. Etſi autem bona omnia, imo nos ipſi a Deo ſimus, Deus tamen non omne illud ſummo jure a nobis exigit, quod totis intentis viribus poſſumus, ideoque multos edere valemus dignos Pœnitentiæ fructus, qui non fuiſſent nobis innocentibus neceſſarii, ſicut omnes divinorum Interpretes, præcipue D. Gregorius M., ea Præcurſoris verba exponentes docent. *Totum utique ſuum poſſe*, ait D. Thomas, *debet homo Deo, nec tamen ab eo de ſalutis neceſſitate exigitur, ut totum faciat, quod poteſt, quum ſit hoc ei impoſſibile in præſenti vitæ ſtatu, ut videlicet totum ſuum poſſe in aliquod unum expendat, quum oporteat, eum circa multa eſſe ſollicitum; ſed eſt quædam menſura homini adhibita, quæ ab eo requiritur, ſcilicet divinorum mandatorum impletio, ſupra quam erogare aliquid poteſt, ut ſatisfaciat*. Addit Angelicus, iis quoque operibus, quæ aliunde ſunt debita, ſatisfacere juſtum poſſe, quum Dei hominem in manu conſilii ſui reliquerit, ſuarumque actionum dominum conſtituerit, quare liberam ipſam obedientiam noſtram Deus ſatisfactionis loco, veluti quoddam juſtitiæ opus, habet, & benigniſſime acceptat, quemadmodum & grati erga Deum animi debito nos exolvimus, pro beneficiis acceptis ei præſtantes obſequia, eique reddentes ea ipſa, quæ de manu ejus accepimus. Illud poſtremo non moramur, quod de quorumcumque juſti operum ſordibus Novatores obtrudunt; ex venenato etenim fonte nonniſi peſtilentes noxiique poſſunt rivi profluere. Convellenda nobis eſſet exitialis eorum de originaria noxa, de peccatorum remiſſione, ac de juſtificatione doctrina, ex qua manant errores, quibus ſatisfactionis & meriti dogmata exagitant: Qui tamen id præſtare poſſumus, quibus vix tantum ſuppetit temporis, ut, quæ inſtituti noſtri ſunt, perſequamur?

XIII. Ex his colligitur 1., non tantum pro ſuis quemque culpis, ſed & pro alienis ſatisfacere condigne poſſe, modo ſint ambo Dei amici; Satisfactio enim ſolutionem pretii dicit; poſſunt autem & regni cælorum Cives, & caritate eximia præditi viatores his quoque mutuis officiis alter alterius portare onera, ut unus Deo ſolvat, quod alter debet, ac multo melius quam in civili Repub. in qua tempore neceſſitatis omnia debent communia eſſe; neque eſt, cur Deus opera ex gratia procedentia non acceptet, ſi pro amico offeruntur, ac ſi pro ſe ille obtuliſſet: in hunc ſatisfactionis ſenſum Patrum plerique illud Pauli ad Coloſſenſes exponunt: *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt, paſſionum Chriſti in carne ea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*; non quod ipſi paſſioni Chriſti aliquid defuiſſet, ſed quia labores omnes atque officia, quæ a Chriſti membris exhibentur, ipſius capitis reputantur, & in bonum Eccleſiæ redundant, unde relaxationes, & indulgentiæ peccatorum in Eccleſiam dimanarunt. Quamquam autem Novatores nobis per deridiculum exprobrent, comminiſci nos quædam opera ſuperexcreſcentia in ſatisfactionem pro alio, quaſi vero pro ſuis cujuſque culpis neceſſaria non ſint omnia, ac multo plura, quam exhibere quis poſſit, ineptiſſime tamen obganniunt; quum enim dimiſſa culpa, pœna, quæ luenda ſupereſt, nonniſi temporaria ſit, quidni poſſint aliqui, viri præſertim ſanctitate provecti, eo charitatis fervore operari, ut culpis ſuis debitam non ſolum expungant, ſed & alienis? Nonne etiam aliquis poteſt, licet adhuc pro ſe ipſe debeat, amici debitum prius quam proprium ſolvere? Sed diſputatio de his locum poſtulat minus anguſtum, recurretque de iiſdem ſermo in tract. de Indulgentiis. Interim illud ſerio animadvertendum eſt, etſi aliquis ſpiritu Dei actus, ſatis Deo facere pro alio condigne poſſit, non poſſe tamen pœnitentem onus ſatisfaciendi in alium propria auctoritate transferre; Merito enim Alexander VII. hanc laxiorum Caſuiſtarum adſertionem confixit, *Pœnitens propria auctoritate poteſt ſibi alium ſubſtituere, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat*; ſiquidem ut ex D. Thoma Catechiſmus Tridentini Concilii monet, *ſatisfactionis opera non ſolum debiti ſolutio, ſed & medicinæ ac curationes quædam ſunt, quæ pœnitenti ad ſanandos pravos ani-*

animi affectus præſcribuntur. Licet autem nihil interſit, an debitum ab ipſo, qui eo obſtrictus eſt, an ab alio ejus vice ſolvatur, medicamenta tamen nonniſi ſumenti prodeſſe, perſpicuum eſt.

XIV. Colligitur 2., etſi ſatisfactio re exhibita non ad Sacramenti eſſentiam, ſed ad integritatem tantum adtineat, acceptandam tamen illam eſſe a Pœnitente, atque explendam; Etſi enim Scotus, Gabriel, Cajetanus, aliique pauci oppoſitum doceant, ſentiantque, quum ſatisfaciendi pro pœna duo ſint media, alterum in hac vita, alterum in Purgatorio, pœnitentem poſſe favori ſuo cedere, quo ex divina miſericordia ſatisfactio præſens pro futura pœna acceptatur, ac proinde futuri ſæculi ſatisfactionem eligere, attamen D. Thomas, cui Theologi plerique ſubſcribunt, non uno loco docet, teneri hominem divino præcepto ſatisfactionem ſibi a Sacerdote præſcriptam accipere, ac pro viribus exhibere, quam D. Thomæ ſententiam, ait Melchior Cano, debemus amplecti, ſi rectam Theologiæ rationem ſequi volumus. Multis graviſſimiſque momentis Scoti placitum idem Cano refellit, quibus miſſis, pauca hæc, quæ ſane decretoria ſunt, exſcribamus: „ Age vero, quem dolorem de peccatis, „ quem animum emendandi vitam illa „ habet, qui pœnitentiam juſtam a Ju„ dice Dei locum habente injunctam nec „ acceptare vult, nec implere? Qua rur„ ſum humilitate accedit judicandus, qui „ judicis ſententiam æquitate plenam ne„ gligere non veretur? Quumque etiam „ vel Judicis arbitri, quem tua voluntate „ elegeris, juſtæ ſententiæ nolle parere „ iniquum ſit, ac Judici quoque arbitro „ injurium, quidni iniquum pariter ſit, „ & injurium, Judici non arbitro, ſed „ divina auctoritate ſubſtituto, juſtamque „ ferenti ſententiam nolle obedire? Præ„ terea, fac Sacramentum hoc medicina„ le eſſe tantum, non item judiciale, „ nonne etiam tunc abſurdum eſſet, libe„ bere pronuntiare, non teneri Pœniten„ tem Sacerdoti in remediis curationis „ parere, quod periude eſt ac ſi dicas, „ non oportere ægrotum Medico obtem„ perare ſalubriter præcipienti? At Sa„ cramentalis ſatisfactio, ſicut in com„ penſationem injuriæ Deo illatæ injun„ gitur, ita etiam in ſpiritualis ægritudi„ nis medicinam, quocirca intolerabilis „ opinio eſt, quæ peccatorem a debito „ ſatisfactionis Sacramentalis abſolvit. “ Merito autem ejuſmodi opinionem intolerabilem vocat Cano, quum eam abſque temeritatis nota propugnari non poſſe, plurimi, iique præſtantiſſimi Theologi ſentiant, præſertim poſt Tridentini definitionem, qua clavibus non ad ſolvendum ſolum ſed etiam ad ligandum Sacerdotibus a Chriſto traditis poteſtatem ſatisfactionis opera imponendi ſignificari docemur: nonne autem hæc Sacerdotum poteſtas merito rideretur, ſi pœnitentes poſſent eorum ſententiam innoxie, & impune rejicere? Plura de imponendæ ſatisfactionis modo, de veteri Eccleſiæ diſciplina, deque variis olim Pœnitentium ſtationibus ſubdenda eſſent; ſed totus nobis in his elaberetur annus, ſuoque, quæ tradenda ſuperſunt, tempore fraudarentur. Qui amplioris hujus eruditionis cupiditate flagrat, hanc abunde explere poteſt, Morinum conſulens, Sirmondum, Petavium, Martenium, alioſque, qui argumentum hoc fuſo calamo pertractarunt, & recentiores quoque Theologicarum rerum Scriptores, qui a laudatis Auctoribus copioſe tradita in epitomen redegunt.

ARTICULUS VII.

De Sacramenti hujus forma.

I. A Pœnitentis actibus, quos Sacramenti hujus *quaſi materiem* eſſe, Florentina, & Tridentina Synodi declararunt, recto ordine calamus excurrit ad formam, in qua præcipue. Sacramenti Pœnitentiæ vim ſitam eſſe, Synodus ipſa Tridentina teſtatur. *Hæc in illis Miniſtri verbis*, ait ibidem c. 3. Concilium, *poſita eſt*, *ego te abſolvo* &c. *quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur*, *ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant*, *neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ*. Inepti eſſemus, ſi e via ad diverticula vellemus conſulto dilabi, & paginas tricis iis implere, quibus ſtrigoſi quidam Scholaſtici, & aridi rerum moralium tractatores liberius indulgent. Habeant ii ſibi quæſtiones illas, an pronomen *Te* formæ hujus ſit eſſentiale, idemne quoque de ſequentibus verbis, videlicet *a peccatis tuis*, & de Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione cenſendum. Una nobis ſatis erit Catechiſmi Ro-

Romani doctrina, quæ tota ex D. Thoma 3. p. q. 84. ar. 3. deprompta eſt, & Tridentini mentem perſpicue aperit: „ Hujns Sacramenti forma eſt, Ego te „ abſolvo, ac quoniam Sacramenta id „ efficiunt, quod ſignificant, illa verba, „ *Ego te abſolvo*, oſtendunt peccatorum „ remiſſionem hujus Sacramenti admini„ ſtratione effici, ideoque planum eſt, „ hanc eſſe Pœnitentiæ perfectam for„ mam. “ Si ergo verbis iſtis perfecta hujus Sacramenti forma concluditur, reliquum eſt, alia præter ejus ſubſtantiam eſſe; nec prætermitti tamen innoxie poſſunt, quum ad ritum ſpectent ab Eccleſia præſcriptum, qui ſcienter negligi abſque piaculo nequit. Idem eſto judicium de precibus, quæ ex laudabili Eccleſiæ more vel præmittuntur formæ vel ſubjiciuntur, quas ſuo quemque arbitratu omittere Religio vetat, gravis vero, & juſta cauſa permittit. His obiter delibatis, totæ nobis intendendæ ſunt vires, ut Novatorum in formam abſolutionis impetum retundamus. Nihil enim omnino efficaciæ verbis iſtis adſcribunt, Sacerdotem abſolventem præfracte negant, Judicem agere, qui ſententia ſua reos abſolvat, nec alias ei partes tribuunt, quam Præconis, qui remiſſa divinitus peccata declaret. Errorem hunc nono Tridentini canone jam protritum, *Si quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi, & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat, ſe eſſe abſolutum, anathema ſit*, Novatorum tamen omnium animis penitus inſitum propoſitione hac evertendum aggredimur.

Sacramentalis abſolutio judicialis actus eſt Sacerdotis divina auctoritate peccata remittentis.

I. Quamquam hactenus dicta veritatem hanc aperte conficiant, peculiaria tamen momenta ſuppetunt, quibus eam magis, magiſque firmemus. Primum ex iis Chriſti Domini verbis, *Quorum remiſeritis peccata* &c. *quacumque ſolveritis* &c. petitum in Novatores validiſſime contorquemus. Chriſtus laudatis verbis Apoſtolos, eorumque in Sacerdotio Succeſſores Judices vere conſtituit, ſed Judicis a Supremo Principe legitima auctoritate donati eſt, ſententiam in reos ferre, non merum Præconem agere: ergo abſolutio a Sacerdotibus Chriſti nomine atque virtute impenſa judiciariæ poteſtatis actus eſt, non nudum miniſterium annuntiandi, remiſſa eſſe peccata. Majoris propoſitionis veritatem, quæ & hujus, quod tuemur, & aliorum, quæ jam expendimus, dogmatum fundamentum & caput eſt, demonſtrat luculentiſſime nativa ipſa atque plana verborum Chriſti poteſtas, quam vitiligare nemo poteſt, niſi communem ipſum ſenſum exuerit; Quis enim niſi & verbis adeo perſpicuis, & ſibi ipſi vim inferat, & præter uſitatum, communemque apud homines loquendi modum, verba Chriſti pervertat, hunc eis poſſit intellectum ſubjicere, *Quodcumque declaraveritis ſolutum eſſe, quorum annuntiaveritis remiſſa peccata eſſe* &c.? Quem Grammaticorum aut Rhetorum, imo quem ſanæ mentis hominem dabunt, qui diſtortam adeo interpretationem æquis auribus ferat? Nonne quoties abſolvendi verbum tributis, aut criminibus junctum in litteris ſacris occurrit, non Præconis denuntiantis miniſterium, ſed Principis auctoritate ſua utentis ſententiam ſignificat? Ubinam in divino utriuſque Teſtamenti eloquio, quod frequentiſſimam remiſſionis peccatorum mentionem injicit, *peccata remittere* pro eorumdem remiſſionis declaratione uſurpatur? Quæ ergo inſania, quis furor, animo imbuere, & licentiſſime efferre, Chriſti verbis alium omnino ſenſum ſubeſſe, quam quem verba ipſa ſponte præſeferunt, quem omnes homines ex obvia locutionis vi mente concipiunt, quem eædem loquendi formulæ in ſexcentis aliis Scripturæ locis exhibent ingeruntque? Quid ſi animadvertamus cum Cl. Morino, Chriſtum ad Rabbinorum ſui temporis loquendi formulas alluſiſſe, & ligandi ac ſolvendi verba in eum adhibuiſſe ſenſum, qui apud Judæorum Doctores erat ea ætate familiaris & receptiſſimus? Quotquot autem Hebraicarum rerum non omnino ſunt rudes, probe norunt, antiquiſſimos Rabbinos, qui ante Chriſtum, eo vivente, eoque in cælos recepto Apoſtolis prædicantibus floruerunt, ligandi atque ſolvendi vocabulis non *Accenſi annuntiantis* officium, ſed Principis, Judicis, Doctoriſque decernentis poteſtatem ſignificaſſe; quare dum Chriſtus ait, *Quæcumque alligaveritis* &c.

ex-

Digitized by Google

ex communi harum vocum tunc temporis uſu dixiſſe videtur : *Quæcumque decreveritis ac definieritis in terra, erunt in cælo decreta ac definita, ſeu quidquid in terra ſtatueritis, ratum Deus in cælo habebit.*

II. 2. Veritatem hanc perſpicue comprobant, quæ Chriſtus dixiſſe, atque egiſſe legitur Jo: 20. : *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: hæc quum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis* &c. Miſit itaque Apoſtolos Chriſtus, ſicut ipſe fuerat a Patre miſſus, quamque ipſe a Patre poteſtatem acceperat, eis communicavit, proportione ſervata tamen, ut qua ipſe pollebat excellentiſſime, *miniſterialiter* tantum ii valerent. Numquid porro filium Pater miſit, ut Præconem tantum ageret, declarantem condonata eſſe delicta? Numquid non omne judicium Pater Filio dedit, quia Filius hominis eſt! An ſolum in eo Præconis miniſterium agnoverunt Scribæ & Phariſæi a Mathæo, & Luca memorati, qui dicentem illum Paralytico, & mulieri peccatrici, *remittuntur tibi peccata*, criminati ſunt, & blaſphemiæ reum egerunt? Niſi ergo velimus, Chriſtum verbis grandioribus, vacuis tamen, Apoſtolos ludificaſſe, eoſque in vanam ſplendidiſſimæ poteſtatis ſpem erexiſſe, fatendum eſt, non eis nudum Præconum miniſterium demandaſſe, ſed excellentiſſimæ judiciariæ poteſtatis, qua fuerat ipſe a Patre inſtructus, uſum in eos ceu, ſui Vicarios tranſtuliſſe. Quid etiam opus erat, ut Chriſtus inſufflationem & Spiritus Sancti in Apoſtolos effuſionem verbis iis præmitteret, *quorum remiſeritis* &c. ſi nudum eis abſolutos homines declarandi miniſterium attribuit? Tanti ne futurum erat hoc munus, ut tam inſigni facto, quemadmodum Tridentinum animadvertit, eoque apparatu indigeret, quum illud ad laicos quoſque, & ad mulierculas ipſas omnes poſt Lutherum Novatores extendunt? Mehercule niſi demus, Chriſtum in Apoſtolos Spiritum Sanctum inutiliter effudiſſe, fateri cogimur, quidpiam peculiare & eximium, judiciariam videlicet poteſtatem Apoſtolis, eorumque legitimis Succeſſoribus fuiſſe collatam, quemadmodum (ut petito e litteris ſacris exemplo rem illuſtramus) Deus ſpiritum Moſis in ſeptuaginta duos ſeniores effundens, populi Judices eos conſtituit, quorum auctoritas ſucceſſione non interrupta uſque ad Synagogæ interitum perduravit.

III. Alterum illudque invictum momentum ex iis, quæ non ſemel a nobis laudata ſunt, Pauli verbis exurgit 2. ad Cor. c. 2. *Et ego quod donavi propter vos in Perſona Chriſti*; Apoſtolum enim iis ſignificaſſe, ſe Corinthio inceſtus reo veniam conceſſiſſe, atque ab admiſſi ſceleris vinculo illum non ſolutum declaraſſe, ſed Chriſti auctoritate vere ſolviſſe, Catholicis omnibus ſecundo Eccleſiæ ſæculo ratum adeo fixumque erat, ut Montaniſtis hoc Pauli teſtimonio crucem figerent, hique peſſime eo torti illud cogerentur arripere, quod ex Tertulliano jam Montaniſta non uno loco indicavimus, ineptiſſimum reſponſum, alium ſcilicet Corinthium eſſe, cui Paulus in epiſt. 2. donaſſe ſe ſcribit, a Mæcho illo, quem in epiſt. 1. memorat a ſe ligatum, & Satanæ traditum. Catholicis ergo & Montaniſtis æque perſuaſum erat, Paulum auctoritate ſibi a Chriſto tradita peccatum vere condonaſſe, & remiſiſſe, deque ſolo peccati genere Hæretici litem Catholicis inferebant, negantes mæchiam eſſe, cujus veniam ſoli ſupremo Domino tribuebant. Præſtat argumentum hoc Ambroſii verbis urgere, quæ etſi ab eo in Novatianos intorta, in Novatores tamen aptiſſime quadrant : *Improbe negant, donari ab Eccleſia peccata poſſe, quum & ipſe Paulus vas electionis Dominicæ dicat, ſi cui autem quid donaſtis & ego, nam & ego quod donavi propter vos in Perſona Chriſti : Cur igitur Paulum legunt, ſi eum tam impie arbitrantur erraſſe, ut jus ſibi vindicaret Domini ſui? Sed vindicavit acceptum, non uſurpavit indebitum.*

Refelluntur Hæreticorum objecta.

IV. Arguunt: Solius Dei eſt peccata dimittere; non aliæ ergo ſunt Sacerdotum abſolventium partes, quam Præconum divinam indulgentiam Pœnitentibus declarantium.

Quoniam moleſta hac a Novatianis mutuata cantilena nobis aures Novatores obtundunt, caſtiganda eſt eorum inſcita garrulitas graviſſimis Patrum verbis, qui Novatianos exagitarunt. *Sed ajunt, ſe Domino deferre pœnitentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem re-*

ſervent; imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt mandata reſcindere, & commiſſum munus refundere; nam quum ipſe dixerit Dominus Jeſus, accipite Spiritum Sanctum &c. *quis eſt, qui eum magis honorat, qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroque ſervat obedientiam, ut peccatum & alliget & relaxet*: Hæc Ambroſius l. 1. de Pœnitentia c. 2. Gemina habet Pacianus Simpronianum Epiſcopum Novatianis addictum ita arguentem inducens: *Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt, ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt; nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit, quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cælis* &c. *? Cur hoc ſi ligare ac ſolvere hominibus non licebat? . . . . . Quod ego facio, id non meo jure, ſed Domini; Dei enim ſumus adjutores, ait Apoſtolus; quare ſive baptizamus, ſive ad pœnitentiam cogimus, ſive veniam pœnitentibus relaxamus, Chriſto id Auctore tractamus. Tibi videndum eſt, an Chriſtus hoc poſſit, an Chriſtus hoc fecerit.*

V. Inſtant: Non e Novatianis petita eſt ſuperior objectio, ſed ii potius Chriſti verba perperam interpretantur, qui ex iis hanc ſibi arrogant judiciariam poteſtatem. Auguſtinus hom. 50. phariſaicam quorumdam Hæreticorum elationem eo deductam, ut dicere auderent, *dimittimus, mundamus, ſanctificamus*, quum acerrime compreſſiſſet, eos ita argutantes exhibet: *Reſpondent, & dicunt, ſi non dimittunt homines peccata, falſum eſt, quod ait Chriſtus, quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cælo.* Annon hic eſt Pontificiorum Achilles? quem tamen Auguſtinus facilime proſternit ajens, hæc idcirco dixiſſe Chriſtum, *quia hominibus Spiritum Sanctum daturus erat, qui Deus eſt, & peccata remittit*, quodque Jo. 20. ait, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis* &c. ſenſum hunc reddere: *hoc eſt, Spiritus dimittit non vos, ſpiritus autem Deus eſt, Deus ergo dimittit, non vos. Quid eſtis vos?* &c. Eadem hæc Chriſti verba in l. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 18. enarrans idem Auguſtinus ſcribit, Eccleſiam peccata remittere, non *ſecundum arbitrium hominum, ſed ſecundum arbitrium Dei, & orationes Sanctorum ſpiritalium*: Tota ergo Dei ſolius arbitrio peccatorum remiſſio ab Auguſtino permittitur, neque aliud hominibus munus adſcribitur, quam deprecandi, ideſt eam a Deo precibus implorandi. Quid etiam iis illuſtrius, quæ l. 3. de Spiritu S. c. 19. Ambroſius habet? *Quum Dominus dixerit, accipite Spiritum Sanctum &c. ecce quia per Spiritum Sanctum peccata donantur, homines autem in peccatorum remiſſione miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent; neque enim in ſuo, ſed in Patris, Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittuntur: iſti rogant, divinitas donat* &c. Quum autem Ambroſio & Auguſtino concinant Hieronymus, Leo M., aliique Patres docentes, delictorum veniam, Deique indulgentiam Sacerdotum ſupplicationibus obtineri, peccata per Eccleſiæ gemitus a Deo ſolvi, abſolutionem peccatorum precibus fieri Sacerdotum, nonne ineptiunt Romani, qui Sacerdotibus ſuis prætorium munus adjudicant, & quam ii proferunt abſolutionis, ut vocant, formam, judiciariam ſententiam eſſe contendunt?

VI. Conſulto vellent nos a via in diverticulum (quod ipſis ſolemne eſt) Novatores abducere, & in irremeabiles interminatæ quæſtionis Mæandros conjicere, ut extra olcas, quemadmodum in proverbio eſt, vagantes, & in aliquod ex controverſis, pleniſque diſſenſionis inter doctiſſimos placitis concedentes, facilius eorum oppugnationibus pateamus; Nobis tamen unice cordi, & curæ eſt, ut fidei dogma, in cujus defenſionem incumbimus, ſartum tectumque ſervemus, oſtendamuſque, Eccleſiæ doctrinam in tuto eſſe, quidquid de abſolutionis formula ſenſiſſe putentur Patres, ſenſerintque Theologi. Paucis D. Thomas argumentum hoc ex memoratis Patrum teſtimoniis promptum diluit ajens, *eorum verba intelligenda eſſe de oratione, quæ abſolutioni præmittitur, non removere autem, quin Sacerdotes abſolvant, miniſterialiter quidem, quatenus eorum verba in hoc Sacramento inſtrumentaliter operantur divina virtute, ſicut & in aliis Sacramentis.* Probandum omnino eſt hoc D. Thomæ reſponſum, niſi velimus laudatos Patres, pugnantia ſcripſiſſe, & turpis inconſtantiæ vitio laboraſſe; quid enim, ut ab Auguſtino ordiamur, frequentius & diſertius in ejus libris occurrit, quam *Evangelium & verba Chriſti ab iis fruſtrari, qui claves Eccleſiæ datas negant*, eique ligan-

gandi ac ſolvendi poteſtatem eripiunt, *Eccleſiam, cui dictum eſt, quæ ſolveritis, ſoluta erunt, erga peccatorum vinculis irretitos, agere, quod Dominus ad Diſcipulos ait, ſolvite illum, & ſinite abire, Dominum a reatus vinculis peccatores ſolvendi officium dediſſe Diſcipulis, quibus ait, quæcumque ſolveritis in terra* &c.? Quando ergo in Hæreticos illos invehitur, qui veſano tumore elati, iiſque Chriſti verbis, *quæ ſolveritis* &c. abutentes, temere enuntiabant *mundamus, remittimus, ſanctificamus*, non alios quam Donatiſtas notat, & carpit, qui Sacramentorum efficaciam Miniſtrorum probitati adſcribebant, ſibique ſolis veram fidem & ſanctimoniam vindicantes, inſolentiſſima ea verba uſurpabant, in quæ ſtylum Auguſtinus exacuit; quam merito autem eorum procacitatem Auguſtinus caſtigarit retuderitque, & peccatorum remiſſionem Spiritui Sancto tribuerit, quam ii ſibi arrogabant impudentiſſime, nemo eſt, qui non videat. Solus etenim Deus eſt condonationis culparum, & humanæ juſtificationis excellentiſſima & princeps cauſa, cujus operatio a Miniſtri probitate non pendet, neque poteſt ejuſdem improbitate impediri. Cæterum etſi Deo ſoli remittendi peccata ſumma conſtet auctoritas, delegatam tamen atque miniſterialem poteſtatem Sacerdotibus Auguſtinus adjudicat; præter enim alia mox teſtimonia id plane conficitur argumento illo, quo Donatiſtas validiſſime perſtringebat, petito e Baptiſmo, quem nulla Miniſtri impietate infici ſuoque effectu fraudari poſſe, iis Baptiſtæ de Chriſto verbis, *hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*, potiſſimum demonſtrabat. Porro etſi Chriſtus ſit, qui baptizat, ideſt, quotieſcumque lavacro regenerationis tinguntur homines, principaliter operatur, an negare poterat Auguſtinus, homines Sacramenti hujus vere Miniſtros eſſe, & ablutionis interioris inſtrumentariam cauſam? Sicut ergo ex iis Præcurſoris verbis unum id Auguſtinus rectiſſime colligebat, ſalutares Baptiſmi fructus non Miniſtrorum meritis, ſed Chriſti inſtitutioni, virtutique adſcribendos, ita ex quo ſolius eſt Dei peccata remittere, legitime concludebat, in ſolam Spiritus Sancti virtutem, non in Sacerdotum probitatem referendam eſſe culparum remiſſionem; non enim propriis meritis, ſuaque virtute, ſed Spiritus Sancti auctoritate Sacerdotes abſolvunt.

VII. Quid vero ex aliis, quæ obiiciunt, Auguſtini verbis exprimere Novatores poſſint, quo dogma hoc labefactent, plane non video, quum Auguſtinus diſerte ſcribat, *Eccleſiam peccata remittere*, non vero declarare remiſſa. An quia ſubiicit, *non ſecundum hominum ſed Dei arbitrium, & ſpiritalium Sanctorum orationes remiſſionem hanc fieri*, judiciariæ huic Eccleſiæ poteſtati Auguſtinus infeſtus eſt? Cui unquam Catholico in mentem venit, remiſſionem hanc in Eccleſia fieri humano arbitrio, non divino? Etſi Chriſtus ratum in cælis futurum edixerit, quidquid in remittendis vel retinendis hominum culpis fuerit Eccleſiæ judicio deffinitum, nemo tamen inter Catholicos eſt, qui probandum adſerat a Deo Eccleſiæ judicium, quod latum fuerit *clave errante*, nec juxta leges a Chriſto Sacerdotibus conſtitutas. Pollent hi quidem ampliſſima poteſtate, certis tamen legibus circumſcripta, quibus inſuper habitis inanis & impia eſt eorum ſolutio vel ligatio, ideoque rectiſſime ajebat Gregorius M., tunc *ſolum veram & ratam eſſe Præſidentis abſolutionem, quum æterni ſequitur arbitrium Judicis*. Quodnam autem hoc ſit æterni Judicis arbitrium, quod Sacerdotis abſolutio ſequatur, oportet, idem Gregorius explicat: *Cauſæ penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſolvendi exercenda poteſtas. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos ſententia Paſtoris abſolvat*. Remitti ergo ab Eccleſia peccata non hominum ſed Dei arbitrio, merito Auguſtinus enuntiat, quod irrita & nulla ſit, quæ ab Eccleſiæ Miniſtris fertur humano arbitratu, ſententia, tuncque ſolum rata habeatur a Deo, quum ſecundum ejus arbitrium ſeu voluntatem fertur, nimirum quum probe diſpoſitis beneficium abſolutionis impenditur, negatur indignis. Quia vero Dei ſolius eſt, interiorem pœnitentiam, quæ ad obtinendos Sacramenti hujus fructus omnino requiritur, inſpirare, addidit conſulto Auguſtinus, peccata ab Eccleſia remitti *ſecundum Dei arbitrium, & orationes Sanctorum ſpiritalium*; horum enim precibus flexus Deus peccatorum corda auxilio ſuo excitat, diſponit, & præparat, ut eam Eccleſiæ miniſterio culparum remiſſionem obtineant, quæ confirmetur in cœlis.

VIII. Neque alius verbis Ambroſii ſenſus ſubeſt; quum enim homines non in ſuo, ſed in Trinitatis nomine peccata dimittant, in eorum remiſſione non utique jus alicujus poteſtatis exercent, quæ ſit ipſis innata eorumque propria; miniſteriali tamen acceptæ divinitus poteſtatis jure in remittendis culpis homines uti, quoties Ambroſius tradidit luculentiſſime? Quid iis diſertius, quæ & paulo ſuperius memoravimus & paulo infra ibidem habet: *Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit?* Quid tandem iis, quæ ibidem adjicit, efficacius, *Dominus par jus eſſe voluit, & ligandi, & ſolvendi, qui utrumque hominibus pari conditione permiſit?* An vero quia ſcribit, *rogare Sacerdotes, divinitatem donare*, nec miniſteriale abſolvendi jus, nec delegatam judiciariam poteſtatem Sacerdotibus conceſſiſſe cenſendus eſt? Ambroſium ergo ſui fateantur immemorem, dum Novatianos inſectans ſcripſit, *improbe negare illos, donari poſſe ab Eccleſia peccata, & Paulum Corinthio ſcelus donantem non indebitum uſurpaſſe, ſed acceptum jus vindicaſſe.* Divinitas itaque propria auctoritate donat, donant & Sacerdotes miniſteriali jure, & delegata divinitus poteſtate, cujus uſui ſupplicationes præmittunt, rogantes Deum, ut a cordibus pœnitentium amoveat, quiquid poſſet effectum donationis, quæ ab eis fit, impedire.

IX. Non alium eſſe verborum S. Leonis intellectum, manifeſte declarant, quæ continenter adjecit; *Mediator enim Dei & hominum, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent &c.*. Hæc quæ ex Patribus recitavimus, plane conficiunt, D. Thomam legitimam eorum mentem, acu, ut ajunt, veluti tetigiſſe, quodque ex eo retulimus, reſponſum etſi paucis elatum elidendo Novatorum argumento ſatis ſuperque eſſe. Cæterum quia nonnulli communionis noſtræ Theologi eadem hæc Patrum verba aliter, (recte ne an ſecus, pronuntiare nolumus) interpretantur, iiſque ſibi fulcire videntur ſuam illam opinionem de abſolutionis formula *deprecatoria*, non vero *indicativa*, tredecim ferme ſæculorum ſpatio communi Eccleſiæ uſu recepta, ne quidquam commodi ex hoc, in quod non vacat, inquirere, Theologorum placito poſſint Novatores arripere, animadvertendum eſt, omnes, quotquot in ea ſententia ſunt, firmiter cum Eccleſia ſentire, Sacerdotes abſolventes non Præcones, ſed Judices agere, eorumque ſententiam etſi orando prolatam actum vere judicialem eſſe, quod Chriſtus integrum eſſe Eccleſiæ ſuæ voluerit, ex duabus formulis eam in peccatorum remiſſione uſurpare, quam mallet, paremque efficacitatem deprecatoriæ, atque indicativæ formæ tribuerit, ut ſcilicet dum eam Sacerdotes efferrent, non imperando, quod ceterarum precum eſt proprium, ſed *ex opere*, ut loquuntur, operato, peccata vere dimitterent. An hæc ſolide dicta ſint, & cordatis hominibus non opinione ſolum, ſed ad veritatem plane perſuaderi poſſint, doctiorum eſto judicium. Illud interim certum eſt, ex laudatis Patrum teſtimoniis, quæcumque tandem eis intelligentia ſubiiciatur, nihil a Novatoribus extundi poſſe, quod peſſimæ eorum cauſæ præſidio ſit.

X. Urgent: Cum Lutheri & Calvini Diſcipulis egit Tridentina Synodus iniquiſſime, anathema in eos intorquens, quod Sacramentalem abſolutionem judiciarium actum eſſe negarent. Eccur enim tot illos celeberrimos Romanæ communionis Theologos, juriſque Pontificii conſultos eadem cenſura non perculit, quibus axiomatis loco fuit, ſolius Dei eſſe, a peccatis, & reatu æternæ mortis abſolvere, Sacerdotum vero, ſententiam ſupremi Judicis ſuo miniſterio patefacere, & pœnas temporarias relaxare, clavium poteſtatem ultra non ferri, neque formulæ illius, *Ego te abſolvo*, alium ſenſum eſſe, quam *declaro te abſolutum*? Belle huc quoque cadit illud Poetæ: Dans veniam corvis, vexat cenſura columbas; ita præ cæteris Paulus Suavis in hiſt. Conc. *Trid. l. 14.*

Sed ipſe eſt Tridentinis Patribus iniquiſſimus, qui hanc in eos conjicit criminationem, quam ſolo inter proſcriptum Novatorum errorem, & toleratam veterum Scholaſticorum opinionem inſtituto parallelliſmo ſolidiſſime depellemus. Non adeo perfrictæ frontis eſt Sarpius, ut negare velit, nefarium, quem exagitamus, errorem, quique a Luthero primum vulgatus omnium ferme Novatorum animos occupavit, exſcriptum fuiſſe fideliter a Tridenti-

no, quum illum ſeſ. 14. cap. 6. & can. 9. damnavit, totidemque verbis apud Lutherum legi, non uno loco abſolutionem videlicet judicialem actum non eſſe, ſed nudum prædicandi Evangelium, & declarandi remiſſa eſſe peccata miniſterium, pœnitentem vero abſolvi a Deo, & peccatorum venia donari, etſi neque contritus ſit nec confeſſus, etſi Sacerdos, aut Laicus quilibet eo miniſterio fungens levius & ludens ſcelerum remiſſionem annuntiet, modo pœnitens immobiliter credat, ſibi per Chriſtum relaxata eſſe delicta. Agedum: cum ſtolidiſſimo commento hoc veterum Theologorum placitum conferamus. A duodecimo ſæculo, quo Theologiæ initium figitur, ad ſextum decimum, quo habitum eſt Tridentinum, haud diffitemur, plurimos fuiſſe, eoſque doctrinæ, & pietatis laude percelebres, qui contritionem charitate perfectam ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum neceſſario adferendam eſſe cenſebant, & neminem a Sacerdote abſolvendum, quem non veriſimiliter crederet contritionis virtute a Deo jam abſolutum. Etſi opinio hæc falſa ſit, nec ſatis dignitati virtutique clavium conſulat, a Tridentini tamen ad configendos manifeſtos errores, non ad finiendas Scholarum controverſias congregati cenſura intacta fuit, quod nihil haberet recitatæ hæreſi affine; Præterquamquod enim neminem e priſcis Scholaſticis, Juriſque peritis reperire erit, qui alium a Sacerdote legitimum Sacramenti hujus Miniſtrum commentus ſit, qui Sacramentum jocnlariter adminiſtratum probet, qui ſpecialem illam promiſſionum fidem vel ſomniarit quidem, qua Pœnitens etſi nulla contritione præmiſſa de pleniſſima culparum venia ſecurus ſit, quem dedabit Sarpius, qui Sacerdotis abſolventis officium judiciarium eſſe negat, atque in ſolo prædicandi Evangelii, & declarandæ culparum veniæ miniſterio conſtituat? Morinus l. 8. de pœnit. cap. 2. diligentiſſime complexus, quidquid antiqui Scholæ juriſque Magiſtri commentati ſunt, omnes quidem exhibet pro perfecta contritione Sacramentali abſolutioni neceſſario præmittenda pugnantes, neque tamen minus de ſarta tecta ſervanda clavium virtute, & Sacerdotalis abſolutionis efficacitate ſollicitos. Perpaucos aliquot obſcuri nominis, nec ſatis ſuo nomine dignos excipimus, a Richardo, & Hugone de S. Victore nervoſe refutatos, qui eo principio freti, a Deo ſolo nimirum condonari poſſe peccata, non alias partes Sacerdotibus tribuebant, quam declarandi, peccatorem virtute contritionis jam a Deo juſtificatum eſſe, & Sacramentorum Eccleſiæ capacem: cæteri quotquot pro ea contritionis perfectæ neceſſitate ſteterunt, in hoc placito cum virtute clavium componendo nervos omnes ingenii contenderunt. Octo feruntur eorum ſententiæ, & ſi quæ ſunt aliæ, ad harum aliquam facile referri poſſunt, quæ omnes in tribuenda Sacerdoti abſolventi judiciaria poteſtate conveniunt, licet in exponendis, quos Sacerdotis abſolutio operatur, effectibus diſcrepent. Cur itaque eodem, quo Novatorum error, anathemate percellerentur, quæ ab illo tanto intervallo diſtabant?

Inſiſtunt: Qui beneficium alienum diſpenſat, iniquus, & impudens eſt, ſi gloriam inde captare velit, ejuſque auctor haberi; Nonne autem abſolutio eſt alieni beneficii, ſeu divinæ indulgentiæ diſpenſatio? Videant ergo Romani, quam ſint ipſi modeſti, & pudentiſſimi, qui ſeſe in delinquentium judices erigunt, qui non Dei ſententiam annuntient, ſed propriam e tribunali ferant.

XI. Non ipſi tamen Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes ſe in Judices erigunt, ſed judiciariam poteſtatem ei acceptam referunt, qui ait, *accipite Spiritum S., quorum remiſeritis &c.*, neque de ſe aliter ſentiunt, quam Paulus ad Corinthios ſcribens: *ſic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, cujus etiam verba uſurpare poſſunt, quibus traditam ſibi a Domino poteſtatem idem Apoſtolus commendabat ajens: *Et ſi quid amplius gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Quid porro ſi alienum eſt beneficium, quod diſpenſant? Solum inde conſequitur, Prætores eos eſſe, ſummique Regis Vicarios, qui non propria, ſed Chriſti, cujus vices gerunt, auctoritate vel ſolvunt peccatorum vincula, vel conſtringunt. Nihil firmandæ veritati huic, & Novatorum argutiolæ retundendæ aptius eſt graviſſimis Chryſoſtomi verbis l. 3. de Sacerdotio: *Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit. Cæterum video, ipſam eamdem omnifariam poteſtatem a Deo filio illis traditam, quorumcumque, ait, retinueritis peccata, retenta ſunt. Quænam, obſecro, poteſtas hac*

una.

Digitized by Google

una major eſse poteſt? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, ut poteſtatem habeat, quoſcumque velit, coniiciendi in carcerem, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille, & admirandus omnium judicio fuerit; at qui a Deo tanto majorem accepit dignitatem quanto cœlum terra pretioſius eſt, quanto animæ corporibus præſtant, hic vilem eouſque dignitatem accepiſse nonnullis videri debet &c. Procul, procul hinc faceſsat hujuſmodi inſania; inſania enim manifeſta, tantum deſpicere principatum, ſine quo nec ſalutis, nec promiſsorum bonorum compotes fieri poſsumus.

XII. Frigidiſſima quoque eſt altera Novatorum argutatio, Sacerdotem videlicet, dum alligat, & peccata retinet, nonniſi declarantis officio fungi, ideoque & dum ſolvit, nonniſi Præconem agere; præſertim, quum animi ſemper pendere, & vehementer angi pœnitentem neceſſe ſit, ſi Miniſter judiciaria hac poteſtate valeat; Ecequi enim ſcire poterit, ſe ab illo ſuiſſe ſolutum? Primum argumenti hujus caput præclara D. Thomæ doctrina refellitur: „ Operatio, ait Angelicus, Sacerdotis in uſu clavium conformis eſt Dei operationi, cujus eſt Miniſter; Deus autem operationem habet & in culpam & in pœnam, in culpam ad ſolvendum quidem directe, ad ligandum autem indirecte, quatenus obdurare dicitur, dum gratiam non largitur, ſed in pœnam habet operationem directe quoad utrumque, quia & pœnam condonat, & pœnam infligit. Sic ergo & Sacerdos, etſi abſolvendo ex vi clavium operationem habeat ordinatam ad culpæ dimiſſionem ligando tamen operationem non habet in culpam, niſi ligare dicatur, quatenus non abſolvit; ſed in pœnam habet & ſolvendi & ligandi, ſolvit enim a pœna, quam dimittit, & ligat ad pœnam, quæ remanet. “ Ex hac D. Thomæ doctrina, quæ ex antiquis Patribus hauſta a Tridentino adoptata eſt, manifeſte conficitur, ſicuti Deus peccatoribus, ſua id exigente juſtitia, gratiam non largiens, nec delicta remittens, Judicem vere agit, ita & in deneganda indignis abſolutione Sacerdotem Dei Miniſtrum judiciaria poteſtate uti, neque mero Præconis officio fungi. Non eſt, cur in altero argumenti capite diſſolvendo hæreamus, quod in art. de confeſſione ſatis eſt dilutum; neque etiam per tempus licet, longam heic attexere diſputationem de iis, quibus vel abſolute negandum eſt, vel differendum abſolutionis beneficium. Non eſt ſcholaſtici, & polemici quem agimus, Tractatoris hoc munus, innumeriſque orbis refertus eſt obviis, & quotidiano uſu maxime tritis libris, qui de rebus ejuſmodi agunt locupletiſſime, quos inter ceu omnium optimos, atque tutiſſimos habetote plurimum commendatos, & familiares a SS. Epiſcopis Carolo Boromæo, & Franciſco Saleſio editos ad Confeſſariorum inſtitutionem, ex quibus veram implendi rite atque ſancte tam auguſti miniſterii, quod *Deus optimus*, ut præclare ait Chryſoſtomus, *neque Angelis, neque Archangelis demandatum eſſe voluit*, normam regulamque haurietis.

ARTICULUS VIII.

De hujus Sacramenti Miniſtro.

I. Quam poſtremo tractatus hujus articulo propugnaturi ſumus, Eccleſiæ doctrinam Tridentini verbis exponimus ſeſ. 14. cap. 6. hæc habentis: „ Circa Miniſtrum hujus Sacramenti, declarat S. Synodus, falſas eſſe, & a veritate Evangelii prorſus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, clavium miniſterium pernicioſe extendunt, putantes verba illa Domini, quæcumque alligaveritis &c. & quorum remiſeritis &c. ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcue contra Sacramenti hujus inſtitutionem ita ſuiſſe dicta, ut quivis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieverit, ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione collatam, tamquam Chriſti Miniſtros functionem remittendi peccata exercere, eoſque prave ſentire, qui poteſtatem hanc malis Sacerdotibus non eſſe contendunt. “ Quæ tamquam falſæ, & ab Evangelii veritate abhorrentes a Tridentino damnantur, de Pœnitentiæ miniſtro doctrinæ Lutheri, Zuinglii, & Calvini ſunt, qui in invectum duodecimo ſæculo a Petro Abaelardo primum, mox a novis Apoſtolicis, deinde a Waldenſibus, quartodecimo ſæculo innovatum a flagel-

lan-

lantibus, & Wiclephiſtis, quintodecimo ineunte demum ab Huſſitis exceptum errorem inſtaurarunt, confirmaruntque, de abſolvendi miniſterio, ad Laicos quoslibet extendendo. Lutheri jam verba dedimus tomo 1. pag. 77. pronuntiantis, „ nihil referre, an is qui remiſſionem peccatorum Dei nomine annuntiat, Sacerdos ſit, an publicus Eccleſiæ Miniſter, an quilibet Chriſtianus, “ & in l. de Babyl. captiv. docentis, „ Chriſtianos quoſque æqualiter Sacerdotes eſſe, eadem in verbo, & quocumque Sacramento præditos poteſtate, licet cuique ea uti non liceat, niſi vocetur. “ Ut in alios plures, ita & in hunc Lutheri errorem manibus pedibuſque ivit Zuinglius, eumque in pſeudo-Synodo Tiguri an. 1519. habita vulgavit his verbis, „ non alios Scripturam noſſe Presbyteros aut Sacerdotes, quam qui Dei verbum annuntiant, poteſtatem, quam ſibi Papa, Epiſcopi, cæterique quos ſpirituales vocant, arrogant, quovis e ſacris literis, & doctrina Chriſti firmamento deſtitui, confeſſionem idcirco cuilibet proximo fieri poſſe, licet quæ Sacerdoti, aut proximo fit, non pro culparum remiſſione, ſed pro conſolatione habenda ſit. “

I. Quæ Calvini Magiſtri fuit doctrina fuerit, quæ inter Calvinianos vigeat praxis, declarat in ſuo fidei clypeo par. 2. ſect. 3. pag. 22. Molinæus ajens: „ Peccatorum confeſſio vel Deo ſoli fit, vel palam toti Eccleſiæ, vel privatim Paſtori, vel proximo, quem quiſpiam læſit. Omnis hæ confeſſiones piæ ſunt, & in noſtris Eccleſiis uſitatæ; & paulo infra: Præter publicam manifeſtorum, & pleriſque notorum criminum confeſſionem, obtinent apud nos privatæ occultorum ſcelerum confeſſiones, quæ vel ſoli Paſtori fiunt, quum peccator eum privatim convenit, ut conſcientiæ ſuæ latebras ei nudet, conſolationem quærens, & certam remiſſionis culparum notitiam, vel Presbyterio, quod Conſiſtorium dicimus ex Paſtoribus, & Optimatibus conſtans, quibus eccleſiaſticæ diſciplinæ cura incumbit. “ Omnes ergo Novatores eo tenentur errore, ut Laicis ipſis miniſterium clavium adjudicent. Quia vero eorum nemo alterum antiquorum, quos memoravimus, Hæreticorum errorem recoxit, Sacerdotibus nimirum, ſi mali ſint, nullam eſſe ſolvendi, ligandique poteſtatem, neque hujus loci eſt, errorem illum preſſius exagitare, pauca ſolum ex S. Bernardo exſcribemus, quibus novos Apoſtolicos in Galliis, & Germania tunc graſſantes ſerm. 66. in Cantica ſolidiſſime refutavit: „ Jam vero qui Eccleſiam non agnoſcunt, non eſt mirum, ſi Ordinibus Eccleſiæ detrahunt, ſi inſtituta non recipiunt, ſi Sacramenta contemnunt, ſi mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis; numquam duo iſta convenient peccatorem eſſe & Epiſcopum. Falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat ſententiam? Si negas Epiſcopum, arguet te Joannis teſtimonium, qui eum in teſtimonium ſui Pontificatus etiam prophetaſſe refert. Apoſtolus erat Judas, & licet avarus, & ſceleratus, electus tamen a Domino. An tu de illius Apoſtolatu dubites, quem Dominus elegit: *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus eſt?* Audis eumdem electum Apoſtolum, & extitiſſe diabolum, & negas poſſe eſſe Epiſcopum, qui peccator eſt? &c. “ Duo hæc, aliaque quæ ibidem e ſacris literis Bernardus inſtruit, argumenta retundendo huic, quem in tractatu de Sacramentis in genere Theologi omnes oppugnant, errori ſatis ſuperque ſunt; quare in alterum, quem Novatorum nemo non imbuit, & in quem præcipue latus eſt decimus Tridentini canon, acuendus eſt calamus.

C O N C L U S I O.

Non alii ab Epiſcopis & Sacerdotibus ſunt legitimi Sacramenti hujus Miniſtri.

III. „ Confeſſionem peccatorum, ait Joannes Forbeſius, fieri licite poſſe cuilibet fratri, præſertim Paſtori, non inficiamur, & poſſe ac debere Paſtorem peccatori privatim delicta confitenti præbere ſolatium inſtructionis, & exhortationis, & ſubſidium orationis, libenter agnoſcimus; at forum judiciarium ſtatuere, in quo Sacerdos loco Dei juriſdictionem exerceat in conſcientias hominum, dicimus eſſe audacem incon- „ ceſ-

„ ceſſæ poteſtatis uſurpationem, & tyrannicam in conſcientias dominationem, „ nullo Dei verbo, ſed violenta ejus interpretatione ſubnixam &c. „ Ex his Anglo-Calviniani Doctoris verbis colligere quiſque poteſt, omnibus idcirco Novatoribus falſo perſuaſum eſſe, confiteri quemlibet cuique poſſe, quod pœnitentia non ſit veri nominis Sacramentum, nullam Chriſtus ligandi ſolvendique poteſtatem, quæ in conſcientias hominum exerceretur, Eccleſiæ contulerit, quæque profertur, abſolunis formula, nudum ſit miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata; quare Geometrarum more arguentes poſitionem ex præjactis evidenter ducimus, conficimuſque firmiſſime: Pœnitentia verum eſt legis Evangelicæ Sacramentum judicii inſtar a Chriſto inſtitutum, cujus Miniſter legitima a Chriſto poteſtate donatus judicem vere agit, ſententia ſua confitentium peccata vel retinens vel remittens, ergo non quilibet Laicus legitimus ejus Miniſter eſt, ſed ſolum Apoſtolorum Succeſſores, Epiſcopi ſcilicet, & Sacerdotes. Singulæ antecedentis partes certiores ſunt, quam ipſa ſint Geometrarum axiomata, & divini verbi auctoritate ſuis quæque locis conſtabilitæ, & a Novatorum cavillationibus extricatæ; conſecutionis autem veritas evidentiſſime demonſtratur; Paulus 1. ad Corinth. c. 12. allegoria ducta ex humano corpore, cujus plura ſunt membra, alia aliis nobiliora, omnia diverſos actus habentia, miram Chriſti in aptando myſtico Eccleſiæ ſuæ corpore ſapientiam commendat, ajens, poſuiſſe Deum in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores &c. neque omnes ab eo fuiſſe conſtitutos Apoſtolos, non omnes Doctores &c. Sapiens ne ergo fuiſſet Chriſtus, ſi omnes Judices conſtituiſſet, quum nec in humana repub. judiciaria poteſtas omnibus promiſcue, ſed quibuſdam ſpeciatim electis deferri ſoleat? Si ergo Sacrament. Pœnitentiæ Miniſtri vere ſunt Judices, non quibuſcumque indiſcriminatim munus hoc a Chriſto demandatum fuiſſe credendum eſt, ſed iis ſolum, quos *Spiritus Sanctus*, ut ait Paulus, *poſuit regere Eccleſiam Dei*, Epiſcopis nempe, & Sacerdotibus.

IV. Alio momento veritatem hanc firmat Angelicus in ſuppl. q. 19. ar. 3. „ Poteſtas Apoſtolis a Chriſto tributa ad cœlum ipſum pertingit, quatenus peccatorum remiſſione impedimenta, quæ regni cœleſtis introitum prohibebant, immediate removet, eaque poteſtate utentes medii efficiuntur Deum inter, & populum, homines ſcelerum reos Deo reconciliantes, “ ergo non Laici quilibet, ſed legitimi ſoli Apoſtolorum ſucceſſores hac poteſtate divinitus inſtructi ſunt. Antecedentis veritas ex ipſis Chriſti Domini verbis perſpicua eſt, conſecutionem vero ita probat Angelicus: Soli Sacerdotes, teſte Apoſtolo ad Hebr. 5. *conſtituuntur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona, & ſacrificia pro peccatis*; ſi ergo poteſtate clavium cœli impedimenta, ſcilicet peccata tolluntur, & pœnitentes divinæ amicitiæ redduntur, ii ſoli ea pollent, qui medii Deum inter, & populum ſunt conſtituti, videlicet Sacerdotes.

V. Prob. denique argumento ex conſtanti Patrum omnium traditione petito: Actum ageremus, ſi longam hic teſtimoniorum e priſcis Patribus ductorum aciem inſtrueremus; nonne etenim unanimem Patrum de hoc fidei dogmate mentem ſatis aperiunt, quæ hactenus, dum de confeſſionis neceſſitate, de ligandi, ſeu imponendæ ſatisfactionis auctoritate, & de judiciaria abſolvendi poteſtate ageremus, allata ſunt? Hoc ergo Patrum conſenſu rem hanc plane decernimus: & tranſigimus, pauca prius ex Gerardo Joanne Voſſio exſcribentes; quæ habet in judicio, quod de hiſtorico-theologicis Forbeſii inſtructionibus tulit: „ Ante omnia ait, ſcrutandum, quid Deus dicat in verbo ſuo; „ ſed ne perperam illud interpretemur, „ attendendum eſt non modo, quid unus „ aut alter dicat, ſed omnino quid conſtanter docuerit Eccleſia Dei; Quantum „ enim adverſatur bonitati Dei, & amori erga nos, ſi per tot ſæcula ad Scripturarum intelligentiam defuiſſe ſtatuamus Spiritum Dei, viris licet pietate, „ & ſanctimonia præcellentibus, Eccleſiæque ſemper commendatiſſimis, atque „ eo melioribus, quo Apoſtolicæ ætate „ propiores erant! Quis vero non fateatur, præſcriptione hac multum firmari „ animos in genuina Scripturarum intelligentia, validius quoque hæreſes refelli? Quare hoc armorum genere, ſemper pugnatum fuit a Sanctis Patribus, „ qui præcipue quidem ſe tuentur Scripturæ auctoritate, nec tamen prætereunt „ priorum temporum conſenſum. “ Bene habet, quod Vir inter Novatores ſummus,

mus,

mus, & celeberrimus nobis arma miniſtrat, quibus & Catholicam tueamur cauſam, & adverſarios proſternamus. Patres omnes ea Chriſti verba, *quæcumque ſolveris &c.*, *& quorum remiſeritis peccata &c.* non ad ſingulos promiſcue fideles, ſed ad ſolos Epiſcopos, & Sacerdotes ſpectare, uno ore teſtantes, aut verum verborum Chriſti intellectum ſunt adſecuti, ideoque Novatores Chriſto injurii ſunt, qui eadem illa ejus verba in pravos, & a veritate alienos ſenſus detorquent, aut omnes in eorumdem intelligentia cæcutientes errarunt; Viris ergo ſanctitate ac doctrina eximiis, Apoſtolico ævo proximis Dei Spiritus per tot ſæcula ad Scripturæ intelligentiam defuit, quod, judice Voſſio, divinæ bonitati & erga Eccleſiam amori adverſatur.

Novatorum objecta refutatur.

VI. Arguunt primo: Jacobi v. legimus, *confitemini alterutrum peccata veſtra;* quicumque ergo poteſt, Jacobo auctore, ſpontaneam fratris confeſſionem excipere, eumque abſolvere, ideſt de remiſſis a Deo culpis certiorem facere.

Quum præpoſtera laudati textus intelligentia Waldenſes primum, alios ſubinde hæreticos in perniciosum, quem exagitamus, errorem traxerit, ſitque eis puppis inſtar, & proræ, demonſtrandum eſt, a vero Jacobi ſenſu quam longiſſime eos abludere. Varias fateor textui huic a Catholicis interpretationes adhiberi, quas tamen Catholico dogmati non obeſſe, nullo negotio deprehendet, quiſquis eas expenderit. De Sacramentali confeſſione Jacobo ſermonem eſſe, Ven. Beda, Alcuinus Flaccus, Hugo Victorinus, D. Thomas aliique multi concedunt. Quid porro? Non aliam adverbii illius *alterutrum* eo loci vim eſſe, nec aliud voluiſſe ſibi Jacobum ſentiunt, quam fideles commonefacere, ut juxta Chriſti inſtitutionem Sacerdotibus confiterentur, neve pudore retraherentur, ſecum animo reputarent, Sacerdotes etſi Judices atque Medicos, homines tamen eſſe, qui & ipſi ſunt infirmitate circumdati, ut poſſint errantibus condolere. Clarius & ſolidius hoc Waldenſium argumentum diluit D. Thomas ajens, Jacobum loqui ex præſuppoſitione divinæ inſtitutionis; & quia divinitus inſtitutio præceſſerat de confeſſione Sacerdotibus facienda per hoc, quod eis poteſtatem remittendi peccata in Apoſtolis dedit Jo. 20., ideo intelligendum eſt, monuiſſe Jacobum, confeſſionem Sacerdotibus faciendam eſſe. Etſi ergo daremus, de Sacramentali confeſſione Jacobum loqui, nihil inde adverſus perpetuam Eccleſiæ doctrinam exprimi jam ab Hæreticis poſſet. Ceterum jam ſupra monuimus, Auguſtinum, Gregorium M., Bedam ipſum, alioſque Patres, & doctiſſimos Bibliorum Interpretes, generalem illam tantum confeſſionem in iis Jacobi verbis cognoviſſe, quam Chriſtianus quilibet humilitatis ſtudio fratri edit, ſeſe peccatorem ingenue confitens, ut alterius conſilio, atque oratione juvetur, quam interpretationem ad Jacobi mentem accommodatam eſſe, integra orationis ſeries, & exemplum, quod ibidem a Jacobo ſubjicitur, haud obſcure demonſtrant. Hæc porro quantum a Sacramentali confeſſione illa diſtat, quam legitimis Chriſti Miniſtris ad obtinendam virtute clavium culparum veniam edendam eſſe, Eccleſia Dei perpetuo docuit!

VII. Inſtant: Etſi Chriſtus undecim tantum Apoſtolos, apud Matthæum allocutus fuiſſe legatur, dum ait, *Euntes docete omnes gentes baptizantes &c.* nemo tamen inter Romanenſes eſt, qui ratum non habeat Baptiſmum a Laico rite collatum; quidni ergo & Laico cuilibet liceat, confeſſiones aliorum excipere, & abſolutionem, ſeu culparum veniam Dei nomine pœnitentibus annuntiare, tametſi verba illa, quorum remiſeritis &c. ad ſolos Apoſtolos tunc in cænaculo præſentes directa fuiſſe dicamus?

Quamquam Calvinus de Baptiſmi neceſſitate perverſe ſentiens, eum pronuntiare audeat irritum atque nullum, quem Laicus neceſſitate urgente contulerit, fatetur tamen ingenue, ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu fuiſſe receptum, ut Laici in mortis diſcrimine baptizarent. Ratus itaque nobis Baptiſmus eſt a Laico adminiſtratus, quia ab ipſo fere Eccleſiæ exordio mos obtinuit, ut eum a Laici, inſtante morte, conferrent, & perpetuus iſte priorum temporum conſenſus, & praxis argumento ſunt, doctos fuiſſe a Chriſto Apoſtolos, & Eccleſiæ tradidiſſe, baptizandi poteſtatem non ita Miniſtris ſacris tributam eſſe, quin & Laici, neceſſitate urgente, ea uti poſſent: Clavium poteſtatem vero ſolis Apoſtolis, eorumque legitimis in Sacerdotio Succeſſoribus ideo col-

Digitized by Google

latam eſſe ſentimus, quod deducta ab ipſis Eccleſiæ primordiis ad hæc noſtra uſque tempora traditione doceamur, Chriſtum ſolos Apoſtolos, Epiſcopos ac Sacerdotes judiciaria poteſtate donaſſe, nec umquam in Eccleſia Dei uſu receptum ſit, ut alius quiſpiam ea legitime uteretur. Quod ſi Novatorum aliqui traditionem hanc nihil pendant, ſicut Calvinus procaciſſime ſcriptitat, vetuſtiſſimum in Eccleſia receptum uſum, ut Laici quandoque Baptiſmi miniſtri eſſent, firma ratione defendi non poſſe, & ne ipſis quidem Veteribus, qui hunc morem vel tenebant vel patiebantur, an recte id fieret, conſtitiſſe, refellendi ſunt recitata Voſſii doctrina, qua nihil eſt opportunius, atque validius.

VIII. Urgent: in Eccleſiaſtica hiſtoria, Patrum, veterumque Theologorum ſcriptis hoſpites ſane ſunt Pontificii, qui numquam in Eccleſia invaluiſſe uſum affirmant, ut quiſquam præter Epiſcopos & Sacerdotes in ſuo illo, ut vocant, conſcientiæ tribunali judex ſederet, reorum ultroneas accuſationes audiens, atque ſententiam ferens, Quid diſertius iis, quæ Epiſt. 12. Cyprianus habet: *Apud Diaconum quoque exomologeſin delicti ſui facere poſſint, ut manu eis in pœnitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace?* Quot in Eccleſiaſtica hiſtoria exempla occurrunt confeſſionum Laicis in vitæ exitu editarum? Nonne inſignium Romanæ communionis Theologorum Magiſtri, Thomæ, Raymundi, Bonaventuræ, aliorumque ſententia eſt, Pœnitentiæ Miniſtrum, cui confeſſio facienda eſt, ex officio Sacerdotem eſſe, premente tamen neceſſitate Laicum quoque Sacerdotis vices ſupplere poſſe, & confeſſiones excipere?

Etſi Cl. Morinus l. 8. *de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ* initio capitis 23. præmoneat, penes Catholicos omnes in confeſſo eſſe, auctoritatem abſolvendi a peccatis ad ſolos Epiſcopos, & Presbyteros pertinere, cum id non Tridentini ſolum decreto, ſed & Latinorum, Græcorumque Patrum conſenſu definitum videatur, atque ad 24. capitis calcem adnotet, litem hanc de legitimo hujus Sacramenti Miniſtro videri jam ab eodem Tridentino diremtam, & ſolis Epiſcopis ac Sacerdotibus adjudicatam, quia tamen & verbo illo *videtur*, quod non præfert ſententiæ firmitatem, utrobique utitur de Tridentini definitione loquens, & nonnulla capitibus iis interſerit ex Patrum dictis & Eccleſiaſticis monumentis excerpta, in quorum interpretatione nolens aliorum veſtigia premere, iis confici putat, Latinorum Patrum nonnullos non ita preſſe atque ſtricte Catholicam hanc ſententiam intellexiſſe, quin opinarentur, abſente Epiſcopo, atque Presbytero, in mortis diſcrimine abſolvendi miniſterium ad Diaconos extra ordinem extendi poſſe, ad amoliendam a ſe ſuſpicionem omnem, in quam incidere poterat, aliam ſe a Tridentini declaratione ſententiam tradidiſſe, in operis ſui recognitione, quam eximio illi, ſpiſſoque ſuo libro præmiſit, hæc habet: „ Quæ de abſolutione a Diaconis, atque „ etiam a Laicis data plurimis teſtimo- „ niis hiſtorice referuntur c. 23. & 24. l. 8. „ expreſſiſſime moneo initio c. 23. & in „ fine 24., intelligenda non eſſe, nec in- „ telligi poſſe de abſolutione Sacramenta- „ li, cujus effati rationes locis adnotatis „ explicantur, imo plurimos ex ipſis Au- „ ctoribus, qui hanc ſui ſæculi conſuetu- „ dinem teſtantur, diſerte aſſerere, nul- „ lam illis prorſus eſſe a peccatis abſolven- „ di poteſtatem. Itaque non poteſt aliud „ eſſe abſolutio illa, quam ceremonia, „ ſive Sacramentale aliquod a quibuſdam „ Eccleſiis in abſentia veri Sacramenti, „ & illius adipiſcendi impotentia inſtitu- „ tum, tumque a Catholica Eccleſia non „ improbatum, quo morientis, aut gra- „ viſſime periclitantis interior diſpoſitio „ excitabatur, & incaleſcebat, atque a Deo „ Eccleſiæ precibus Sacramenti effectum „ pœnitens promerebatur, non nuda ma- „ joris excommunicationis abſolutio, ut „ eodem loco ex S. Cypriani verbis vide- „ mur nobis perſpicue explicaſſe. „ Hæc Morinus, quibus, an ea congruant, quæ duobus memoratis capitibus inſeruit, doctiorum judicium eſto.

IX. Interim Virum habemus antiquitatis Eccleſiaſticæ ſcientiſſimum, quique laudata Cypriani verba quaquaverſum excuſſit, quæque eis ineſſe poterat, vim omnem exeruit, confitentem denique, inter Eccleſiaſticos tractatores nullum occurrere qui Diaconis, aut Laicis abſolvendi a peccatis poteſtatem attribuat, atque abſolutionem illam, cujus impendendæ facultas Diaconis facta legitur apud Cyprianum, in Conciliis Eliberitano, Ancirano, Eboracenſi, ac Londonienſi, & apud veteres Canonum Collectores, Sa-

cra-

ctamentalem non fuiſſe, ſed ritum duntaxat ceremonialem a quibuſdam privatis Eccleſiis inſtitutum, quo veri Sacramenti abſentia aliquatenus ſuppleretur. In operis ſui recognitione Morinus in eam demum ſententiam conceſſit, quæ a Pamelio primum, Albaſpinæo, Petavio, aliiſque præſtantiſſimis, & veteris Eccleſiæ diſciplinæ conſultiſſimis tradita a pleriſque ævi noſtri Theologis adoptatur, exomologeſim illam Diaconis factam, manuum impoſitionem, reconciliationem & pacem ab iiſdem impenſam nonniſi ceremoniales ritus fuiſſe in Aphrica Eccleſia tunc vigentes. Horum porro ſummorum Virorum interpretationem Cypriani verbis adhibitam legitimam eſſe, & ejuſdem Cypriani menti plane conformem, teſtem advocamus locupletiſſimum, quique nullo nomine poſſit Novatoribus ſuſpectus eſſe, Joannem Fellum Oxonienſem Epiſcopum Calvinianis commendatiſſimum.

X. Quum Nicolaus Rigaltius laudatis Cypriani verbis notam hanc adjeciſſet, *eſt enim etiam in Diaconatu Sacerdotii vigor*, & in præpoſteræ hujus adnotationis præſidium ea torſiſſet, quæ idem Cyprianus epiſt. 20. habet, *Presbyteris & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor*, a Joanne Fello ita refellitur & caſtigatur : „ Caute le-
„ gendus eſt Rigaltius, dum ait, eſſe in
„ Diaconatu Sacerdotium : longe etiam
„ a vero abit, dum in dictorum ſuorum
„ fidem adducit verba, quæ infra haben-
„ tur : Presbyteris & Diaconis non de-
„ fuit Sacerdotii vigor ; intelligit enim
„ illic Cyprianus, ſuam poteſtatem in
„ ipſos delinquentes, ſive Presbyteri eſ-
„ ſent, ſive Diaconi, non defuiſſe; ſiqui-
„ dem utroſque admonuiſſet. “ Eundem quoque Cypriani textum a Rigaltio detortum inferius verſans ait : „ Locum
„ hunc a Rigaltio peſſime habitum ſupra
„ monuimus, qui ex verbis his, quæ refe-
„ runt Cyprianum Sacerdotii vigorem exer
„ cuiſſe in Presbyteros, & Diaconos delin-
„ quentes, conficere ſatagit, non tantum
„ apud Presbyteros, ſed etiam Diaconos eſ-
„ ſe jus Sacerdotii. “ Refutata Rigaltii commentatione Fellus idem ea, quæ excutimus, Cypriani verba ita interpretatur : „ Dicitur porro apud Diaconum
„ exomologeſis facta, non quaſi is ſolus
„ eſſet ejuſdem conſcius ; pænitentia enim
„ vel ægrotantium, quantum fieri potuit
„ iis ſæculis, publica erat, ſed quia abſente
„ Presbytero, ad quem munus illud in pri-
„ mis ſpectabat, Diaconi præſentia habe-
„ batur prorſus neceſſaria, quotcumque e
„ plebe adeſſe contingeret; Quum enim
„ Eccleſia Clero & Plebe contineretur,
„ par erat, ut quando per exomologeſim
„ eidem ſatisfieret, adeſſent, qui utriuſque
„ partes ſuſtinerent. Forma a Cypriano
„ Epiſcopo data fuit, conditionem nimi-
„ rum, ſub qua lapſi in Eccleſiam reciperen-
„ tur, is præſcripſit, quod ex Epiſtola hac,
„ & ſequente plurimiſque aliis abunde
„ conſtat. Formæ ſeu conditionis impletæ,
„ Eccleſiæ nomine, teſtes & arbitri erant
„ Diaconus, abſente Presbytero, & fra-
„ tres Laici in hanc rem acciti. Hæc pri-
„ ſca diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio, ut Præ-
„ politi, ſicut epiſt. ſequente Cyprianus,
„ ait, *cum Clero convenientes, præſente,*
„ *& ſtantium plebe, quibus pro fide, &*
„ *timore ſuo honor habendus eſt, diſponant*
„ *omnia conſilii communis religione.* “ Hæc Calvinianus homo, quibus Albaſpinæi aliorumque Catholicorum interpretatio confirmatur, illuſtraturque.

XI. Ex aliis, quæ Cyprianus epiſt. 15. & 16. habet, totius veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ typum idem Fellus exſcribit : „ Primus ad
„ veniam & pacem gradus erat, ſi reus ad
„ Pœnitentiam admitteretur, quod non
„ ſine exomologeſi ſeu confeſſione, & ma-
„ nuum impoſitione expediebatur : ſecun-
„ dum complevit Pœnitentiæ impoſitæ de-
„ curſus per varias fletus, auditionis, &
„ conſiſtentiæ periodos : tertium fecit ex-
„ omologeſis altera ſive ſolemnis & publi-
„ ca poſt peractam Pœnitentiam peccati
„ confeſſio : huic quarto in loco ſucceſſit
„ manus ab Epiſcopo & Clero denuo in
„ teſſeram reconciliationis impoſitio : his
„ rite peractis tandem ad Euchariſtiæ my-
„ ſteria aditus pandebatur. “ Quis inde non colligit, alteram illam ſolemnem & publicam poſt peractam Pœnitentiam peccati exomologeſim, novamque manuum impoſitionem, quæ eſſet plenæ cum Eccleſia reconciliationis teſſera, quaque ad Euchariſtiæ myſteria aditus panderetur, ritus ceremoniales fuiſſe, quos ſeverior priorum temporum diſciplina ferebat? Secundam hanc porro exomologeſin Cyprianus permiſit, ut lapſi in mortis diſcrimine, abſente Presbytero, apud Diaconum facerent, qui eiſdem extreme periclitantibus manus in plenæ reconciliationis teſſeram imponere poſſet ; De Lapſis enim agit,

qui præmiſſa priori exomologeſi, quæ plane Sacramentalis fuit, manuumque impoſitione ad Pœnitentiam admiſſi ejus jam ſtadium decurrebant, atque urgente exitu vetabantur illud abſolvere, ut ſacrorum myſteriorum juxta eorum temporum diſciplinam participes fierent. His ergo ſuccurrendum cenſuit, laxandumque cum eis diſciplinæ rigorem, ut in eis ſolemniter cum Eccleſia reconciliandis & Diaconus eas implere poſſet, quæ pro temporum illorum more nonnisi Epiſcopi cum Clero, & ſtantium plebe partes futuræ erant. Si cui hæc præſtantiſſimorum inter Catholicos Scriptorum, quam Calviniani hominis ſuffragio munivimus, interpretatio minus arrideat, habet aliorum plurium, quam Tomo III. hiſt. Eccleſiaſt. & Cl. Uſſius amplectitur, expoſitionem, de poteſtate ſcilicet ab excommunicatione ſolvendi Diaconis facta Cypriani verba intelligenda eſſe; meminerit tamen, Morino reſpondendum eſſe, qui multis interpretationem illam exagitavit, atque refellit.

XII. In exempla confeſſionum Laicis olim editarum a Morino aliiſque laudata non vacat ſecundum criticæ leges inquirere, ideoque damus, vera eſſe, quæ vulgo feruntur. Licuiſſe id olim, habitumque fuiſſe, ut perutile, ac ſalutare ab antiquis juris Pontificii conſultis, eximiiſque Scholaſticis, quibus D. Thomas preſſius adhæſit, quum in ſententias ſcriberet, ultro concedimus. Negamus tamen, confeſſionem illam Sacramentalem fuiſſe, divinoque jure neceſſariam ad ſalutem, nec quemquam veterum Juriſconſultorum, aut Theologorum laudare poterunt Novatores, qui confeſſioni Laico factæ aliquem ex opere operato effectum tribuat, qui Laico veram ſolvendi ligandique poteſtatem collatam divinitus, ſaltem in neceſſitatis articulo, doceat, quique confeſſionis ejuſmodi, ſi pio quodam, & voluntario humilitatis affectu edita fuerit, qualemcumque vim atque fructum Sacramenti virtuti, non ſoli Pœnitentis devotioni atque humilitati, ideſt operi operantis adſcribat. Veterum canonici juris Doctorum mentem Cardinalis Hoſtienſis verbis exponam, qui caſus recenſens, in quibus licet Sacerdoti proprio non confiteri, poſtquam receptiſſimam ea ætate opinionem adſtruxit, pene neceſſariam hanc, & penes omnes Eccleſiaſtici juris interpretes vulgatiſſimam adnotationem appoſuit: „ Quod autem dictum eſt „ de Laico vel muliere, intelligas quoad „ oſtendendam fidem Sacramenti, unde ſi „ ſic moriatur, ſalvatur, debitum tamen „ Sacramentum deficit, quia nullus poteſt „ vere abſolvere, ut ſcilicet verum ſit Pœ„ nitentiæ Sacramentum, niſi Sacerdos; „ ideoque ſi talis evadat, debet iterum „ proprio Sacerdoti confiteri. "

XIII. Quæ veterum Scholaſticorum de hoc capite ſententia fuerit, non aliunde poſſumus, quam ex D. Thoma luculentius haurire; Quum enim in ſupp. q. 8. ar. 1, doctrinam præmiſiſſet non ejus tantum ævi Scholaſticis, ſed & Catholicæ Eccleſiæ perpetuo conſtitutam, ſolum videlicet Sacerdotem Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrum eſſe, eique idcirco ſoli Confeſſionem Sacramentalem edendam, hæc de more ea ætate vigente, laicis nimirum urgente neceſſitate, quum Sacerdos deerat, confitendi pronuntiat: „ Quando neceſſitas immi„ net, debet Pœnitens facere, quod in „ ſe eſt, conteri ſcilicet & confiteri, cui „ poteſt, qui, quamvis Sacramentum per„ ficere nequeat, ut faciat id, quod Sa„ cerdotis eſt, abſolutionem ſcilicet, de„ fectum tamen Sacerdotis ſummus Sacer„ dos ſupplet: nihilominus confeſſio Laico „ ex defectu Sacerdotis facta Sacramenta„ lis eſt quodammodo, licet non ſit Sa„ cramentum perfectum, quia deeſt ei id, „ quod eſt ex parte Sacerdotis. " Confeſſionem autem Laico factam *Sacramentalem* D. Thomas appellat, minus proprie, & ſecundum imperfectam aliquam ſimilitudinem, quemadmodum diminutivum illud adverbium *quodammodo* ſatis indicat, præſertim quum 3. ejuſdem q. art. eam *Sacramentale quoddam* vocet, tunſioni pectoris, & aquæ benedictæ aſperſioni ſimile.

XIV. De Magiſtri itaque mente, in cujus textum commentarios ibidem D. Thomas adornat, dubitare nemini licet; nec aliud a Magiſtro ſenſiſſe cenſendi ſunt alii ejus Interpretes, Albertus M., Alenſis, Bonaventura, & Scotus, quorum teſtimonia in promptu eſſent, ſi ea huc conferre idem ferme futurum eſſet, ac meridie faces accendere. Adnotandum obiter eſt, morem hunc Laicis, ingruente neceſſitate, confitendi jamdudum obſoletum eſſe & antiquatum. An vero quiſpiam morti proximus morem hunc inſtaurare poſſit, & Sacerdotis copiam non habens, adſtanti Laico non abſolutionis obtinendæ gratia,

tia, ſed vehementioris contritionis excitandæ cauſa, pie & laudabiliter confiteri, definire non audeo. Dominicus Soto, Suarez, Sylvius, De Lugo, aliique docent, numquam aperienda Laico peccata illa, quæ vel audienti ſcandalum, vel confitenti famæ jacturam adferre poſſunt: ſecluſo autem infamiæ ſcandalique periculo iidem monent, perraro & cautiſſime id conſulendum, nec umquam reipſa præſtandum, niſi pœnitens extreme periclitantis prudentis probique Laici conſilio, atque ope juvari poſſit.

Appendix de Confeſſionis ſigillo.

I. Quum præcipue in id incumbamus, ut Eccleſiæ cauſam adverſus juratos ejus hoſtes pro viribus tueamur, nobis animus non eſt, ea perſequi, quæ de Sacramentalis ſigilli natura, de variis legibus, quibus ejus ſervandi neceſſitas inducta eſt, de rebus inviolabili ſigilli hujus religione comprehenſis, deque ſexcentis aliis ad genus hoc pertinentibus fuſe diſſerunt rerum moralium tractatores. Scatent his redundantque curſus, ut ajunt, morales, & caſuum ſummæ, quæ omnibus ad manum ſunt: nobis ſane haud parum negotii erit in frangendo impetu, quo & in hoc fidei caput Novatores irrumpunt; quamquam enim naturali ipſo jure ſecretum hoc teneantur inviolate ſervare, quotquot aliorum Confeſſiones audiunt, Sacerdotes, quamquam & hujus ſigilli tenacitas eadem illa divina lege inducta fuerit, qua Confeſſionis inſtitutio, atque neceſſitas continetur, recens tamen atque futile Scholaſticorum inventum hanc de ſigillo legem eſſe Novatores effutiunt, eamque non ſolum ut novitiam rident, ſed ut perniciosam acerbius inſectantur. Inter alia plura, quæ Romanæ Eccleſiæ exprobrat Iſaac Caſaubonus in reſponſo, quod Jacobi primi Magnæ Britanniæ Regis nomine Cardinali Perronio reddidit, hoc quoque ei in culpa ponit, quod auricularis Confeſſionis purioribus ſæculis inauditæ neceſſitatem adſtruxerit, ex qua ſenſim doctrina invaluit de non prodendo quavis de cauſa Confeſſionis arcano; ut enim dogmatis loco Romani fixerunt, ad ſalutis portum abſque Confeſſione hac pervenire neminem poſſe, neceſſe fuit, ut tollerent quidquid ab ea edenda homines potuiſſet abſtrahere. „ Eo „ tandem doctrina hæc evaſit, pergit Caſaubonus, ut ætate hac Reges occidere, & in eorum necem conſentire præ „ ſigilli hujus violatione nullum videatur „ peccatum eſſe, quod Theologorum ve„ ſtorum, & præſertim Canonici juris „ Interpretum plures libris editis vulgave„ runt, idemque mihi, dum Pariſiis eſſem, „ geminis omnino verbis Binettus Jeſuita „ dixit, ſicut me alias tibi aperuiſſe me„ mini &c. Id quoque ſcio, & forte exi„ miam dignitatem tuam haud latet, a„ lium in Galliis Jeſuitam eſſe, haud ita „ pridem dicere auſum, ſi D. N. J. X. „ adhuc in terra degeret paſſioni & mor„ ti obnoxius, & quiſpiam ſe illi necem „ moliri confeſſus eſſet, maluiſſe ſe pati, „ (horreo id referens) Chriſtum interfici, „ quam confeſſionem prodere: Ex quo au„ tem principio abominabilis hæc blaſphe„ mia fluxerit, plane intelligis. “ Hæc Caſaubonus.

II. Quemadmodum ergo ſolide jam demonſtravimus, de Confeſſionis inſtitutione atque neceſſitate non aliam eſſe Romanæ Eccleſiæ doctrinam ab Apoſtolicorum hominum, veterumque Patrum ſenſu, atque praxi, ita conandum eſt, ut probemus, nihil de ſigillo hoc ab Eccleſia nunc doceri, quod a traditione Apoſtolica non acceperit. Primum veritatis hujus locupletiſſimum teſtem excitamus Sozomenum l. 7. hiſt. c. 16. hæc de ſigilli hujus diſciplina ſcribentem: Quum prorſus non pecca„ re naturæ ſit humana divinioris, Pœni„ tentibus autem quamvis frequenter de„ liquiſſent, veniam dare Deus juſſerit, „ & ad impetrandam denique veniam con„ fiteri peccata neceſſarium ſit, odioſum „ Sacerdotibus ab initio viſum fuit, tam„ quam in theatro audiente Eccleſiæ mul„ titudine peccata annuntiare; Presbyte„ rum itaque aliquem vitæ integritate „ quam maxime ſpectabilem, ſecretorum „ etiam tenacem ac ſapientem, huic præ„ fecerunt, ad quem accedentes, qui pec„ carent, acta vitæ ſuæ confitebantur. “ Quid Scriptoris hujus, qui ad quinti ſæculi medietatem floruit, teſtimonio ſplendidius, quo comprobetur, non a ſcholaſticæ exordio, ſed ab ipſis Eccleſiæ primordiis ſecreti hujus neceſſitatem creditam, & uſurpatam, & præſertim quum ibidem Sozomenus adiiciat, hunc fuiſſe ea ætate Eccleſiarum omnium, imo & ſectarum quarumcumque, Novatianis exceptis, morem?

III. Ne-

III. Neque hoc Sozomeni teſtimonium urgeremus, niſi præſto eſſent eorum Sacerdotum Dei, quos ipſe laudat, ſeu veterum Patrum in hanc rem nitidiſſima loca: Dum veteris Eccleſiæ de Confeſſione doctrinam expenderemus, præclarum illud Origenis monitum jam recitavimus, diligenter ſcilicet circumſpiciendum, cui peccata aperienda ſint, probandum prius Medicum, cui debeamus cauſam languoris exponere &c. Idem antiquis quibuſque Patribus conſtitutum, Sacerdotes ſcilicet Pœnitentiæ Miniſtros animorum Medicos eſſe, quibus nudanda ſunt interiora quæque atque occulta conſcientiæ vulnera, ut ea curare poſſint; Quis porro ex ſimilitudine hac priſcis Patribus perſamiliari vetuſtiſſimam ſigilli legem, uſumque non colligit? A corporum enim Medicis natura ipſa ſecretum quam maxime exigit; multo ergo potiori titulo lege hac obſtricti ſunt Sacerdotes animorum Medici divinitus conſtituti. Legis hujus & praxis diſertiſſime meminit S. Baſilius M. can. 34. ad Amphilochium ſcribens: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur Pœnitentiæ tempus*. Ambroſium ſigilli hujus fuiſſe cuſtodem religioſiſſimum, refert in ejus vita, quam S. Auguſtino nuncupavit, Paulinus Presbyter, ejuſque Diſcipulus: *Quotieſcumque illi aliquis lapſus ſuos ad percipiendam Pœnitentiam confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum poſteris Sacerdotibus, ut interceſſores apud Deum magis ſint, quam accuſatores apud homines*. Idem ſe præſtitiſſe cautiſſime, teſtatur Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Domini ajens: *Novit neſcio quem homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit . . . . Nec prodo nec negligo, corripio in ſecreto, pono ante oculos judicium Dei, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo Pœnitentiam; hac charitate præditi eſſe debemus; unde aliquando homines reprehendunt nos, quod quaſi non corripiamus, aut putant nos tacere, quod ſcimus; ſed forte quod ſcis, & ego ſcio, ſed non coram te corripio, quia curare volo non accuſare*. Poſt tam diſerta Patrum teſtimonia, quis hanc de cuſtodiendo ſigillo doctrinam recens Scholaſticorum commentum pronuntiare poſſit, niſi is fuerit in Patrum lectione plane rudis, ac tyro?

Neque prætermittenda eſt S. Leonis Magni conſtitutio, qua Sacramentalis ſigilli hujus neceſſitatem tam perſpicue adſtruit, ut nihil quæri poſſit illuſtrius. Ea inſerta eſt epiſtolæ, quam ad Epiſcopos Campaniæ dedit, quos graviter increpat, quod a Pœnitentiam acturis exigerent, ut de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcriptam profeſſionem publice recitarent, ſcribitque, præſumptionem hanc Apoſtolicæ regulæ contrariam eſſe, graviſſimaſque rationes addens, cur tollenda ea ſit, ait: *Removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi a Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt, inimicis ſuis ſua facta reſerare &c. tunc etiam plures ad Pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis*: quæ quum ita ſint, nonne in adverſarios merito torquere poſſumus, quæ S. Epiphanius hær. 75. ſui temporis hæreticis exprobrat: *Quibus, rogo vos, credendum potius eſt, ac fidendum, quibuſdam ne homunculis, iiſque recentibus, an teſtibus plurimis, de quorum integritate, ſanctitate, ac ſapientia neque adverſarii ipſi dubitant, iiſque antiquiſſimis, qui traditionem eamdem retinerunt, quam a majoribus ſuis acceperant, qui etiam eam ab aliis, qui eos præceſſerant, habuerunt?* Sane quis prudens velit Caſaubono aliiſque fidem adjungere ſcriptitantibus, hanc de Confeſſionis ſigillo legem nonniſi e Scholaſticorum cerebro prodiviſſe, quum eam prioribus Eccleſiæ ſæculis viguiſſe, & ab Apoſtolica regula dimanaſſe, Patres qui ea ætate vixerunt, tam diſerte teſtentur?

Solvuntur objecta.

IV. Arguunt primo: Si ulla priſcis monumentis fides habenda eſt, olim publica erat peccatorum confeſſio; nulla itaque tunc erat ſigilli hujus religio, quæ Romanenſibus ſacroſancta eſt, atque inviolabilis.

Criminum, quæ notoria dici ſolent, publicam olim editam fuiſſe a reis confeſſionem, vulgatiſſima res eſt, omniumque ore teſtata: morem etiam obtinuiſſe occulta ſcelera, & nemini vel pauciſſimis tantum nota publice confitendi, res eſt luculentiſſimis veterum Patrum (Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Cornelii, Origenis, Euſebii, Epiphanii, Ambroſii, & Auguſti-

guſtini) teſtimoniis adeo comprobata , ut nullus ſit dubitationi locus. Morem hunc ad ſeptimi ferme ſæculi exitum in Eccleſia perduraſſe , ultro damus ; æque tamen exploratum eſt , (& Origenis , Auguſtini , Cæſarii Arelatenſis , Socratis , Sozomeni , aliorumque teſtificatione certiſſimum) ſecretam confeſſionem publicæ ſemper fuiſſe præmiſſam , atque ex ea modum hujus , rationemque fuiſſe petitam , neque fas cuiquam ea ætate fuiſſe , crimen ſuum vel alienum , cujus particeps erat , publice confiteri , niſi prius illud Sacerdoti ſecreto aperuiſſet, ne imprudens quidpiam enuntiaret , quod Eccleſiæ ſcandalo eſſet , quum ea criminum publicatio ad ſolam fidelium ædificationem atque inſtructionem fuiſſet ab Eccleſia inſtituta ; Neque vero occultiorum ſcelerum rei ad eadem coram fidelium cætu vulganda a Sacerdotibus , quibus ea aperuerant , adigebantur , quum , ut recte Tridentinum ait , *non ſit hoc divino præcepto mandatum , nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur , ut delicta præſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda* , ſed a peritis ſui muneris Sacerdotibus tantummodo monebantur , ea in omnium aures effundere , quorum confeſſio futura erat audientibus utilis , cætera cautiſſime tegere , quorum evulgatio aut fratribus ſcandalum , aut confitentibus grave aliquod incommodum , creare poſſent. Liberam olim fuiſſe publicam hanc occultorum criminum confeſſionem , nec niſi prudentibus Sacerdotum monitis ad eam edendam conſueviſſe fideles induci , ſi vellemus Veterum teſtimoniis demonſtrare , laborem inutiliter prodigeremus . Omnium inſtar eſt laudata S. Leonis M. epiſtola ad Campaniæ , Samnii , & Piceni Epiſcopos data , qua eos durius objurgat , quod rem ſolius pietatis atque conſilii dura præcepti neceſſitate temere conſtrinxiſſent : *Illam* , ait , *contra Apoſtolicam regulam præſumptionem , quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi , modis omnibus conſtituo ſubmoveri* , de Pœnitentia videlicet , quæ ita a fidelibus poſtulatur , ut de ſingulorum peccatorum genere *libellis ſcripta profeſſio publice recitetur , quum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta &c.* Quid ergo , ſi quorumdam *ea erat fidei plenitudo* , ejuſdem S. Leonis verba uſurpamus , *ut propter Dei timorem apud homines erubeſcere non vererentur* , & opportunis Sacerdotum conſiliis excitata patratas culpas in publico fidelium cætu vulgarent ? Id laudabile quidem ſed liberum ; quæ tamen ipſi Sacerdotum monitis acquieſcentes Pœnitentiæ & humilitatis ſtudio efferebant , crimina , Sacerdotes , qui ſecretam eorum confeſſionem exceperant , religioſiſſimo ſilentio premebant , quemadmodum momentis jam productis evincitur.

V. Inſtant : Quam ſunt ii inepti , atque ſtupidi , qui iſta regerunt ! Nonne Joannes Heſſelius Lovanienſis Academiæ Theologus coram Tridentinis Patribus hanc e priſcis Eccleſiæ monumentis excerptam doctrinam luculenter expoſuit , editoque poſtea libello vulgavit , priori videlicet Eccleſiæ ævo uſu fuiſſe receptum , ut Presbyter Pœnitentiarius peccata audita maxime enormia quamvis ſecreta , ad Epiſcopum referret , cujus erat decernere , quænam eſſent publice recitanda , & publicæ Pœnitentiæ ſubiicienda ? Nonne idem cum Heſſelio ſentiunt non Tapperus & Lindannus ſolum ejus diſcipuli , ſed Petrus de Soto , Alanus Copus , Pamelius , Gregorius de Valentia , aliique plures ? Papæ quam erant Pœnitentiarii ii hujus Romani ſigilli tenaces , qui audita fidelium crimina Epiſcopis nuntiabant !

Sed ſunt ipſi fraudulenti & iniqui , qui e Catholicis Scriptoribus hæc corradunt , ut poſſint legentibus fucum facere , eaque conſulto reticent , quibus palam fieret , nihil ab eis tradi , quod Catholicæ doctrinæ uſquequaque non conſonet. Occulta crimina numquam Confeſſioni publicæ Eccleſiaſtica lege fuiſſe ſubjecta , vetera monumenta conficiunt evidentiſſime . Quoties ergo horum criminum publica edebatur a reis confeſſio , ſpontanea hæc erat , nullo præcepto obſtricta , ſed ſolis Presbyterorum , qui excipiendis privatim Confeſſionibus ab Epiſcopis præfecti erant , ſuaſionibus , atque conſilio , quando e re eſſe videbatur , expreſſa . Hinc quoque erat , ut , quemadmodum Pœnitentiario in aurem confeſſus , eo ſuadente ac hortante , graviora quædam ſcelera volens libenſque ipſe coram fratribus quandoque vulgabat , ita eidem Pœnitentiario interdum licentiam faceret , ea ad Epiſcopum referendi , qui in publico fidelium cætu illa aperiret . Moris hujus Tapperus idem aperte meminit in artic. 5. ajens : „ Utcumque hoc „ ſeſe habeat , ſive per Epiſcopos , ſive „ per Presbyteros Pœnitentiales , ſive per „ ipſos

Digitized by Google

„ ipſos Pœnitentes peccata occulta recita„ ta fuerint, hoc erat addita mentum, „ quod Epiſcopi propter Novatum adje„ cerant veteri canoni, & regulæ Eccle„ ſiarum, quæ apud omnes jam obtinue„ rat a tempore Apoſtolorum. " Quænam autem eſſet diſciplinæ hujus utilitas, declarat Gregorius de Valentia diſput. 7. quæſt. 9. de Confeſſione ajens: „ Huc re„ citatio illa publica majorum peccatorum, „ pertinebat, nempe ut populo ea re incul„ caretur, nullum eſſe tam enorme pecca„ tum, quod auctoritate Eccleſiæ non re„ mitteretur &c. " Quid inde ergo adverſus ſigilli religionem & praxim, quum publica criminum occultorum confeſſio aut nonniſi ſponte ab ipſo reo, aut nonniſi eo annuente & conſentiente, ab Epiſcopo, aut Pœnitentiario ederetur?

VI. Urgent: Demus, liberam olim fuiſſe publicam ſecretorum criminum Confeſſionem, quis idem de Pœnitentia publica velit aſſerere, niſi Eccleſiaſticam hiſtoriam nec a limine ſalutaſſe ſe prodat? Extant adhuc antiqui canones, quibus certorum criminum rei varios Pœnitentiæ gradus tranſilire jubentur, priuſquam reconciliationis beneficium obtineant: erant ii canones fidelibus quibuſque notiſſimi; quare nihil erat ea ætate facilius, quam ut ex pœnis canonicis, quibus aliquis addicebatur, cunctis innoteſceret peccati genus, quod erat publica illa Pœnitentia eluendum.

Perperam tamen hæc adverſus vetuſtiſſimam ſigilli religionem urgentur; ſunt enim plures, iique eximii, & in Eccleſiaſtica hiſtoria diu, multumque verſati Doctores, qui Canonicis iis pœnis nonniſi publica ſcelera mulctata olim fuiſſe contendunt, nulla lege adactos umquam fuiſſe occultorum ſcelerum reos publicæ Pœnitentiæ ſtadium decurrere, imo nec jure adigi potuiſſe, liberam idcirco ſemper reis ejuſmodi fuiſſe publicam Pœnitentiam, & vel ſponte ſuſceptam, vel etiam petitam atque efflagitatam. Quid vero ſi præclaris aliis Theologis ſubſcribamus, publicæ Pœnitentiæ occultis criminibus impoſitæ uſum non frequentem ſolum antiquitus, ſed & præceptum fuiſſe docentibus? Non erat, cur Sacramentali ſigillo a praxi hac timeretur, quandoquidem plura crimina ſimili pœna, aut non multum diſſimili plectebantur, ideoque, quale eſſet crimen, nemo ex Pœnitentia poterat divinare. Nonne etiam ex priſcis canonibus, Patrumque ſcriptis paſſim haurimus, grave ſcelus mitiori quandoque, breviorique pœna ob ingentem rei contritionem fuiſſe mulctatum, quod alioqui ſecundum canones erat ſeverius diutiuſque plectendum, in minus grave e contra ob cordis in reo duritiem diuturniori, atque aſperiori caſtigatione quandoque animadverſum? Quis ergo tunc ex publicæ Pœnitentiæ modo atque tempore peccati ſpeciem dignoſcere poterat?

VII. Neque vero quis inferat, conſtare ſaltem potuiſſe, Pœnitentiæ publicæ addictum graviter deliquiſſe, quod violandæ ſigilli legi ſatis ſuperque fuiſſet; conſecutionis etenim futilitatem demonſtrat Angelicus in ſupl. q. 28. art. 1. ajens: „ Sacerdos non revelat Confeſſionem talem „ pœnitentiam injungendo, licet ſuſpicio „ oriatur, illum enorme aliquod peccatum „ commiſiſſe; non enim culpa certo ſci„ tur ex pœna, quia quandoque aliquis „ pœnitentiam pro alio facit, ſicut legi„ tur in vitis Patrum de quodam, qui, „ ut ſocium ad pœnitentiam provocaret, „ ipſe cum eo pœnitentiam egit. " Alia haud minus efficaci ratione conſecutionem hanc obierit Petrus Paludanus, quod nimirum multi gravium culparum expertes graves pœnitentias ſponte ſuſcipiant, imo ſint ii plerumque aſperioris Pœnitentiæ, qui minoris ſunt culpæ. Suſceptæ ſolius pietatis ac humilitatis ſtudio publicæ pœnitentiæ apud Occidentales præſertim plura nobis exempla veteris Eccleſiæ hiſtoria, Patrumque libri ſuppeditant; quare quum hæ aliæque longe plures rationes fæliciſſimo ævo illo, quo pœnitentium greges in varias ſtationes diſtributos in ſingulis Eccleſiis videre erat, diſciplinæ huic ſubeſſe poſſent, ineptus ille dialecticus fuerit, qui ex Pœnitentia publica peccatum in ſpecie, ut ajunt, vel ſaltem in genere dignoſci potuiſſe, concludit; Quid enim eſt tam futile, quam ex effectu, qui poteſt a pluribus, iiſque toto cœlo diverſis cauſis effluere, determinatam aliquam cauſam inferre?

VIII. Diſpungenda poſtremo eſt atrox illa calumnia, quam Romanæ communionis Theologis, & Canonici juris Interpretibus Caſaubonus importat, nullum eis videri facinus eſſe, Reges occidere, aut ſinere, ut occidantur, præ ſigilli hujus reſignatione, inde conficiens, hanc de ſigillo

lo legem perniciosum eſſe Romanorum commentum venerandæ antiquitati prorſus ignotum. Si Confeſſionem prodere, fidem ideſt publicam violare, quam Eccleſia cunctis obſtrinxit ad ſe nudandæ conſcientiæ cauſa confugientibus, ſempiterno videlicet ſilentio preſſum iri, quæcumque Miniſtris Chriſti aperuerint, & religioſiſſime confitentium honori, famæ atque vitæ conſultum, lætale peccatum eſt, naturali & gentium juri repugnans, nonne evidens eſt, nefas eſſe, cujuſque boni promovendi, aut cujuſque mali impediendi obtentu quidpiam tale agere, clamante Apoſtolo, facienda non eſſe mala, ut eveniant bona? Etſi autem communis ſit, & receptiſſima inter Catholicos hæc doctrina, numquid eſt Regum ſaluti infeſta & exitioſa? Doctiſſimus Perronius Caſaubono reponens, invicte demonſtrat, Regum ſecuritati Theologaſtros illos peſſime conſuluiſſe, qui docuerunt, fas eſſe Sacerdotibus, eos prodere, qui ſe Regibus inſidias ſtruere confitentur. Quis enim tantum animo ſcelus volvens jam velit ad Confeſſarium accedere? nec vero tenebitur crimen hoc Sacerdoti aperire, quem norit, in ea opinione eſſe, ex qua confitens capiti ſuo graviter timere debet. Communis vero ſententia de numquam violanda ſigilli religione duo haud exigua Regibus affert commoda ex Confeſſione manantia; Primo enim Sacerdos debet tum incuſſo divini judicii terrore, tum propoſita ſceleris immanitate a tam nefario conſilio confitentem abducere, &, niſi a priori mente reſiliat, ſine abſolutionis beneficio dimittere: 2. Regem monere debet, ut ſibi diligentius caveat, quod ſint vitæ ejus paratæ inſidiæ, ideſt, ut idem Perronius ait, non confitentem, ſed Confeſſionem generatim, non reum, ſed crimen prodere, quod ſatis eſt, ut Princeps conflatum ſibi periculum poſſit a capite ſuo amoliri. Cæterum, ſi neque mediis his Principum incolumitati omnino conſultum ſit, numquid idcirco violanda ſigilli religio, & reus ipſe prodendus? Non eſt Chriſtiani hominis, peccatum peccato avertere, ſed quum impediendo crimini nonniſi crimen in promptu eſt, divinæ providentiæ rem committere, plurima enim ei ſuppetunt media, quæ hominum intelligentiam vireſque fugiunt, quibus, ſi velit, malum quodcumque poteſt nullo negotio diſpellere.

IX. Quod vero ad Jeſuitæ dictum attinet, quod Caſaubonus abominabilis blaſphemiæ loco habet, reſpondet primo idem Perronius, adjungendam facile non eſſe rumoribus ejuſcemodi fidem; quotidiano ſiquidem experimento docemur, niti illos plerumque inanibus, & leviſſimis fundamentis. „ Meminerit, eximii Cardinalis „ verba do latine reddita, meminerit Do„ minus Caſaubonus, ſe mihi ſæpe dixiſ„ ſe, quod & in ſuis ad P. Frontonem „ Ducæum literis ſcripſit, Sorbonæ ſenten„ tiam eſſe, quoties de læſæ Majeſtatis „ crimine agitur, revelari innoxie a Sacer„ dote reum poſſe, qui crimen illud con„ feſſus ſit. Mota ſubinde de eadem hac „ re quæſtione, accerſiti a me præcipui „ Facultatis Doctores, atque imprimis Syn„ dicus, ſancte teſtati ſunt, neque ſe eſſe, „ neque umquam in ea ſententia fuiſſe, „ & malle ſe flammis damnari, quam il„ lam amplecti. “ Fac tamen verum eſſe, quod Caſaubonus exaggerat, quid porro? Reſpondet 2. Perronius: Quum revelatio Confeſſionis grande ſacrilegium ſit, ſi Chriſtus Dominus vitam adhuc inter nos ageret pœnis, & morti obnoxiam, quis ſibi in animum inducat, ut credat, eum, qui mortem non pertulit, niſi ut hominum culpas elueret, quique ea nos dilectione proſequitur, ut, ſi jam cruentum ſacrificium non conſumaſſet, unius lætalis culpæ expiandæ gratia mortem lubentiſſime obiret, eum, inquam, velle, quempiam diſcipulorum ſuorum graviter delinquere, ut Magiſtrum neci ſubducat? Quod ſi Sacramentalis ſigilli reſignationem cum permiſſa Chriſti cæde conferre, dura Caſaubono videtur hyperboles, diligenter Regius Scriba perpendat, quod hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. Chryſoſtomus ait, *eos, qui ſchiſma conflant, & myſticum Chriſti corpus, Eccleſiam nempe, diſcindunt, gravioris ſceleris reos eſſe, non iis dixerim, qui Chriſtum necari ſiviſſent, ſed iis ipſis, qui eum dederunt neci, verumque ejus corpus confixerunt, laceraruntque*. Hæc ex Perronio, quibus huic de Sacramento Pœnitentiæ tractationi finem imponimus.

DE INDULGENTIIS.

SI de peramplo hoc argumento ſermonem habiturus, ea omnia vellem attingere, quæ difficultatem aliquam pariunt, modum omnem excederet ſuſcepta diſputatio; verum quum hactenus propoſitum mihi fuerit, in Tridentini veſtigiis inſiſtere, ſatis munere meo perfungatur, ſi eam, quam ſeſſ. 25. eaque poſtrema, idem Tridentinum paucis complexum eſt, doctrinam exponam, ejuſque vindicias adverſus Novatores inſtituam. Eſt autem *Indulgentia*, ut a Theologis omnibus definitur, *relaxatio temporariæ pœnæ, quæ remiſſa jam culpa plerumque luenda ſupereſt, extra Sacramentum ab eo facta, qui ſpirituali juriſdictione pollet cœleſtem Eccleſiæ theſaurum diſpenſandi*. Ad genuinum definitionis intellectum nonnulla animadvertenda neceſſario ſunt, quibus futurum eſt, ut dicenda plurimum illuſtrentur; quum ſolo Sacramento Pœnitentiæ re, vel voto ſuſcepto crimina poſt Baptiſmum admiſſa deleri, æternæque pœnæ reatum tolli, fidei dogma ſit a Tridentino propoſitum, manifeſtum eſt, non poſſe effectum hunc quibuſcumque Indulgentiis adſcribi. Temporalis ergo illa duntaxat pœna Indulgentiis relaxatur, cujus vel in hac, vel in futura vita ſolvendæ hominem etſi pœnitentiæ Sacramento Deo reconciliatum plerumque reum eſſe, Scripturarum auctoritate adverſus Novatores jam demonſtravimus; hæc porro temporariæ pœnæ remiſſio extra Sacramentum fieri dicitur, non ea quidem ratione, quam Auctor librorum de re Sacramentaria tradit, nimirum, quia Indulgentiarum beneficii compos eſſe nemo poteſt, niſi pœnitentiæ Sacramento juſtificatus, quod quidem etſi veriſſimum, ad rem tamen non eſt, ſed ea potiſſimum, quam indicat D. Thomas, qui, teſte Morino, de Indulgentiis *omnium magnificentiſſime* ſcripſit, quia videlicet, etſi Sacramentalis abſolutio temporariæ quoque pœnæ reatum minuat, non tamen expungit; reſiduæ ergo pœnæ, quæ poſt contritionem, confeſſionem atque abſolutionem Deo Judici dandæ ſunt, Indulgentiis relaxantur, quatenus *Indulgentias largiens pro eo, qui adhuc debet, pœnam de bonis Eccleſiæ communibus ſolvit*. Unde autem celeſtis theſaurus ille confletur, ex quo Indulgentiarum virtus elicitur, qui etiam theſauri hujus diſpenſandi juriſdictione inſtructi ſint, declarat idem Angelicus ajens, conſtare illum ex infinitis X. D. meritis, necnon Deiparæ atque Sanctorum, quæ ob myſtici corporis unitatem toti Eccleſiæ communia ſunt, quorum idcirco diſtributio, & ad ſingulos derivatio ejus arbitrio commiſſa eſt, qui toti Eccleſiæ præeſt; quare quum Papa *Pontificalis poteſtatis plenitudinem habeat*, quaſi *Rex in Regno*, Epiſcopi vero in partem ſollicitudinis aſſumantur, quaſi Judices ſingulis civitatibus præpoſiti, Indulgentias largiendi poteſtas plene in Papa reſidet, *in Epiſcopis vero ſecundum Papæ ordinationem taxata*.

II. Non erat, cur Joannes Forbeſius ex Commentariorum Joannis Sleidani *de ſtatu Religionis, & Reipublicæ, Carolo quinto Cæſare*, libro primo, ex primo item Jacobi Auguſti Thuani hiſtoriarum libro prolixa teſtimonia exſcriberet, & recitaret, ut pſeudo-Evangelicam reformationem, captata ab Indulgentiarum prædicatione occaſione, Lutherum auſpicatum eſſe, conficeret. Res eſt lippis ipſis, & tonſoribus nota, neque a Catholicorum quopiam vocatur in dubium. Hominis ne tamen prudentis, & æqui erat, cujuſmodi Lutherum fuiſſe Novatoribus ferme omnibus perſuaſum eſt, jus Indulgentias largiendi Eccleſiæ ſubtrahere, quod in ejus uſum nonnulla vitia irrepſiſſe deprehendiſſet, indeque funeſtiſſimi ſchiſmatis anſam arripere? Quæ tamen Lutheri primum ſumma perverſitas, & iniquitas fuit, eadem eſt Sectariorum omnium, qui Indulgentias cane pejus & angue averſantur, quod earum conceſſio quandoque abuſibus inquinetur, quumque legitimam Eccleſiæ poteſtatem a ſe infractum aut labefactatum iri deſperent, paſſim ſolent vitia, quibus poſſe Indulgentiarum diſpenſationem inſici, aut infectam non ſemel fuiſſe concedimus, carpere, & exaggerare, ut Indulgentiarum valori invidiam creent. Neque ergo adverſarii directe id oppugnant, in cujus defenſionem Catholici præcipue incumbunt,

bunt, neque hi totum id abſolute tuentur, quod a Novatoribus oppugnatur, & licet ineptiſſimi ſint Hæretici, qui ex culpis, quas poteſtatis hujus uſui admiſceri contingit, nullam eam eſſe, atque illegitimam eſſe conficiunt, Catholici tamen non adeo ſtupidi ſunt, ut contendant, non ſolum Eccleſiam diſpenſandi ſpirituales theſauros ſuos legitima auctoritate pollere, ſed & eorumdem diſpenſationem omni ſemper culpa vacare.

III. Prius autem quam manus cum Novatoribus conſeramus, duo præmittenda ſunt tamquam certa, ex quibus Catholicæ *de Indulgentiis* doctrinæ veritas pendet, ne de his litem nobis inter differendum intentantes Hæretici, nos e via, ut ſolent, in diverticula abducant. Primum luculenter jam demonſtratum eſt, hominem videlicet Deo reconciliatum, æternæque pœnæ reatu ſolutum, temporariæ pœnæ vel in hoc, vel in futuro ſæculo Deo Judici dandæ reum perſæpe eſſe: alterum cujus veritatem inſtituti noſtri non eſt, demonſtrare, ſupponimus ut inconcuſſum, locum aliquem eſſe, quem Purgatorium Catholici vocant, in quo Dominus juxta Iſaiæ phraſim *abluit ſordes filiarum Sion in ſpiritu judicii*, & *ſpiritu ardoris*, eæque poſſunt incruento Sacrificio, precibus, eleemoſynis, aliiſque piis viatorum operibus adjuvari. His præjactis, quid de Indulgentiis firmiſſime credendum ſit, ipſis Tridentini verbis exponimus: „ Quum poteſtas conferendi „ Indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſ„ ſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divi„ nitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam „ temporibus illa uſa fuerit, Sacroſancta „ Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtia„ no populo maxime ſalutarem, & ſa„ crorum Conciliorum auctoritate proba„ tum in Eccleſia retinendum eſſe, docet, „ & præcipit, eoſque anathemate damnat, „ qui aut inutiles eſſe aſſerunt, aut eas „ concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe „ negant. “

Eſt Eccleſia legitima auctoritas Indulgentias largiendi, quarum uſus eſt Fidelibus ſaluberrimus.

IV. Prob. 1. Chriſtus Math. 16. Petro ait: *Tibi dabo claves regni cælorum; quodcumque ligaveris ſuper terram* &c. & c. 18. univerſis Apoſtolis, *amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram* &c. ergo Eccleſiæ ſuæ Indulgentias conferendi auctoritatem attribuit: ergo, qua in theſauri cæleſtis diſpenſatione Eccleſia utitur, poteſtas legitima eſt, ſcribente Paulo ad Rom. 13., *ordinatas* ideſt legitimas eſſe, quæ *a Deo ſunt*, *poteſtates*; non ſunt ergo Indulgentiæ, ut l. 3. Inſtit. c. 5. Calvinus procaciſſime ſcriptitat, *Sanguinis Chriſti prophanatio*, *Satanæque ludibrium*, *quæſtuoſæ nundinationes de animarum ſalute*, *ac piæ fraudes*, *quibus Papa membrana*, & *plumbo Chriſti gratiam includens*, *a vita*, *quæ eſt in Chriſto*, & *a vera ſalutis via fideles abducit*. Prior conſecutio, quæ ſola difficultati ſubeſt, probatur: Laudata Chriſti Domini verba generalia quum ſint atque indefinita, ad ſolam culpam recte nequeunt coarctari, ſed ſunt illa æque ad pœnam, quæ culpæ effectus eſt, referenda; Quum enim non culpa ſolum, ſed & pœnæ reatu coram Deo ligentur homines, Chriſtus autem abſolutam, nullaque exceptione affectam ſolvendi poteſtatem Eccleſiæ contulerit, quis audeat, ad unius duntaxat vinculi, culpæ ſcilicet, relaxationem, ampliſſimam hanc poteſtatem contrahere, atque determinare? Donata eſt itaque Eccleſia a Chriſto auctoritate Indulgentias largiendi, quum harum nomine non aliud veniat, quam temporalis pœnæ remiſſio &c.

V. Confirmatur: Quum Chriſtus Apoſtolis dixerit, *quæcumque alligaveritis* &c. ait Molinæus in ſua *Papiſmi novitate* par. 2., qui *facultatem hanc cum Apoſtolis interiiſſe cenſeret*, *magnam Eccleſiæ ſequioris ævi conſolationem ſubtraheret*, & *miniſterium Evangelii penitus enervaret*: Molinæo ergo judice, cui conſentiunt Auguſtana, Saxonica, Helvetica, Bohemica, Gallica, aliæque Novatorum confeſſiones, quæ a Chriſto Apoſtolis tributa eſt, ordinaria poteſtas, ad legitimos eorum Succeſſores manaſſe credenda eſt; ſed Paulus Apoſtolus Indulgentias largiendi auctoritate polluit, quam & exercuiſſe ſe, ſcribit 2. ad Cor. c. 2.; de eodem enim illo Corinthio ibi agit, quem publici inceſtus reum Satanæ tradiderat in interitum carnis, ideſt moleſtis & duris ſatisfactionis operibus addixerat, quemadmodum in art. de ſatisfactione ſuſe probavimus, cui de admiſſo ſcelere vehementiſſime dolenti, atque periclitanti, ne

Ff 2 ſor-

forte *abundantiori triſtitia abſorberetur*, etſi nondum expleto laborioſo definitæ pœnitentiæ curriculo, cenſuit ignoſcendum, utendumque eum eo Indulgentia, quod & Corinthiis ſignificavit his verbis: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt; propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem . . . . nam & ego, quod donavi* &c. qua itaque auctoritate Apoſtolus tunc uſus eſt, jure uti poteſt Eccleſia, quum non defecerit illa cum Apoſtolis, ſed ad eorum Succeſſores legitime ſit derivata.

VI. Prob. 2. momento illo, quod ab antiquiſſimo poteſtatis hujus uſu repetit Tridentinum: Eo ipſo tempore, quod Calvinus l. 3. Inſt. c. 4. Eccleſiaſticæ puritatis, & innocentiæ tempus appellat, Eccleſia iiſdem Chriſti Domini verbis Mat. 16. & 18. ſubnixa in more habuit, Indulgentias, quoties id ei viſum eſſet e re, conferre; Inique ergo a Novatoribus Romana culpatur Eccleſia, quod idem ſibi jus vindicet, exerceatque. Ad demonſtrandam prioris propoſitionis veritatem non aliunde momenta ducam, quam ex Forbeſio, qui *Inſtitutionum* ſuarum *hiſtorico-theologicarum* l. 12. c. 7., cui titulus, *de iis, qui ad publicam exomologeſin admittebantur, & de Indulgentiis ſeveritatem diſciplinæ mitigantibus*, hæc habet:

„ Dicamus nunc de Indulgentiis, per
„ quas olim de rigore diſciplinæ ſecun-
„ dum Epiſcoporum diſcretionem aliquid
„ remittebatur; plurimæ autem erant
„ cauſæ, propter quas diſpenſare poterant
„ Epiſcopi cum Pœnitentibus, ut lenius
„ cum eis ageretur, & citius reconcilia-
„ rentur: Prima, ſi tempore exomologe-
„ ſeos, gravi morbo correptus Pœnitens
„ videretur de vita periclitari: 2., ſi in-
„ ſtaret perſecutio ob fidem Chriſti, pœ-
„ nitentibus fiebat gratia, & communio-
„ ne ad prælium armabantur: 3., ſi cum
„ multitudine negotium eſſet, aut cum
„ eo, qui ſociam haberet multitudinem,
„ & periculum eſſet, ne eorum ſevera di-
„ latio in pernitioſum ſchiſma erumpe-
„ ret, aut illi ad Ethnicos, vel ad Hæ-
„ reticos tranſirent, tunc pacis Eccleſiæ,
„ & fratrum luctandorum neceſſaria cura
„ leniorem cum eis agendi rationem ſua-
„ debat; Denique habebatur ratio perſo-
„ næ pœnitentis, cujus recipiebatur di-
„ gnitas, ætas, infirmitas, & anteacta
„ vita: obſequioſa etiam pœnitentis hu-
„ militas, doloris magnitudo, & manife-
„ ſta converſio impetrabant diſciplinæ mi-
„ tigationem, & reconciliationis accelera-
„ tionem. Hæc omnia ex eis, quæ ſub-
„ jiciam, teſtimoniis & canonibus erunt
„ perſpicua. “

Hactenus Forbeſius, qui recitatas Eccleſiaſticæ Indulgentiæ cauſas, Cypriani in epiſt. ad Antonianum, & ad Cornelium, Baſilii M. ad Amphilochium, Ambroſii l. 1. de pœnitentia c. 17., Gregorii Nyſſeni ad Lætojum, Hieronymi in dialogo adverſus Luciferianos, Auguſtini l. 3. contra epiſt. Parmeniani, Romanorum quoque Pontificum, Siricii, Leonis primi, & Gregorii M. teſtimoniis, quinto pariter canone Ancirani Concilii an. 314. celebrati, undecimo item & duodecimo Magni Concilii Nicæni canonibus comprobat, & confirmat, quibus & quarti Carthaginenſis Concilii, cui Auguſtinus interfuit, duos de eadem Indulgentiarum conferendarum poteſtate atque praxi canones addere potuiſſet. Aliam quoque puriſſimo illo Eccleſiæ ævo frequentiſſimam cauſam debuiſſet adjicere, cui Tertullianus l. ad Martyres c. 1., & Cyprianus pluribus in epiſtolis, & in libello *de lapſis* teſtimonium perhibent locupletiſſimum, ex Martyrum, & Confeſſorum, qui propter Chriſti fidem in carcerem detruſi erant, commendatione petitam, qua ſæpe fiebat, ut Epiſcoporum Indulgentia minueret ac leniret temporarias pœnas iis inflictas, qui in idololatriam lapſi pœnitentiæ canonicæ ſtadium decurrebant, adhibitiſque Martyrum, & Confeſſorum commendatitiis libellis communioni fidelium reddi, vehementer optabant. Quod fuſo calamo Forbeſius perſecutus eſt, Magiſter ejus Calvinus l. 3. Inſtit. c. 5. paucis complectens ait: „ Quum

„ ſatisfactionis opera, quæ Pœnitentibus
„ olim injungebantur, dura adeo atque mo-
„ leſta eſſent, ut ea omnes ferre non poſ-
„ ſent, qui nimium iis gravati erant, rela-
„ xationem aliquam ab Eccleſia petebant,
„ eaque ſeveritatis Eccleſiaſticæ remiſſio, In-
„ dulgentia paſſim appellabatur. Primo ita-
„ que illo ævo pollebat Eccleſia auctoritate
„ legitima Indulgentias conferendi, eratque
„ ætate illa non infrequens illarum uſus. “

VII.

Digitized by Google

VII. Quid ergo ejuſdem duodecimi libri capite octavo, quod *de Indulgentiis Papalibus. & Romano Jubilæo* inſcripſit, idem Forbeſius blaterat, „ citerioribus, „ & deterioribus ſæculis introductum „ fuiſſe novum, Veteribuſque inauditum „ Indulgentiarum genus, dum Epiſcopis, „ imo ſoli fere Romano Pontifici pote- „ ſtas affingitur diſpenſandi fidelibus jam „ reconciliatis, & ad communionem ad- „ miſſis quaſdam ex Eccleſiæ, quem vo- „ cant, theſauro (ſeu ex ſuperabundan- „ tia paſſionum Chriſti, & redundantia „ ſupervacanearum ſatisfactionum B. Ma- „ riæ V., aliorumque Sanctorum) apud „ Papam depoſito, Indulgentias, ſive re- „ laxationes, quibus expiari, atque adeo „ auferri dicunt reatum pœnæ reſiduæ, „ quam ajunt, poſt contritionem, con- „ feſſionem, & abſolutionem vel in hac „ vita, vel in Purgatorio in peccati vin- „ dictam adhuc Deo Judici ſolvendam „ eſſe ? “ Hæc utique eſt de Indulgentiis Romanæ Eccleſiæ doctrina: Quid autem habet illa novi, quod poſteriorum ſæculorum fœda barbaries invexerit, quodque fuerit Veteribus inauditum? Num, quod temporarias aliquas pœnas ab homine etſi Deo reconciliato luendas plerumque eſſe, conſtantiſſime doceamus? Num, quod locum aliquem divinitus fixum eſſe, credamus, in quo, ut ait Auguſtinus, *purgatoriis pœnis torquentur animi carne ſoluti*, quibus aliquid luendum ſupereſt? Nova porro non ſunt hæc dogmata, quorum prius divini eloquii auctoritate, & conſtanti Patrum traditione jam ſatis demonſtratum eſt, poſterioris vero facilis eſſet, & prompta defenſio, niſi in alienam meſſem falcem vetaremur immittere.

Reponunt Forbeſius & Molinæus, Papales Indulgentias ab iis, quæ priorum ſæculorum uſu commendantur, toto cælo diverſas eſſe; Quas enim tunc Eccleſia relaxare poterat, & ſolebat, nonnili canonicæ pœnæ erant, ab eadem Eccleſia cuſtodiendæ diſciplinæ cauſa graviorum criminum reis impoſitæ, quæ etſi ſalutaris caſtigationis loco inflictæ peccantium correptioni atque emendationi, aliorumque ædificationi eſſent revera perutiles, ipſi quoque Eccleſiæ, quam peccator ſcandalo affecerat, ſatis vere facerent, nulla tamen divinæ juſtitiæ ſatisfaciendi virtute pollebant, neque eas in hunc finem, quem Romanenſes excogitant, Eccleſia umquam conſuevit imponere.

VIII. Verum quinam melius tutiuſque edocere nos poſſunt, cujus generis pœnæ eſſent, quas priorum ſæculorum Eccleſia relaxare conſueverat, quam præſtantiſſimi Viri illi, qui ea ætate vixerunt, quique ſoli ferme ſunt, aut præcipui ſaltem Auctores, ex quibus hauſimus, quidquid de pœnis ejuſmodi ſcimus? Tertullianus in l. de pœnit. ſcribit, *pœnis his Domino offenſo nos ſatisfacere*: Cyprianus ſæpe in epiſtolis, & in libello de lapſis docet, *in ſatisfactione Dei vigilandum, ei mæſtitia ſatisfaciendum, placandum illum jejuniis, & fletibus* &c. . . Origenes hom. 3. in l. Judicum, *quanto tempore*, ait, *erraſſe te noſti, quanto tempore deliquiſti, tanto tempore humilia te ipſum Deo*, & *ſatisfacito ei in confeſſionis pœnitentia*, & paulo infra, *ſi te ipſe emendaveris, ſi te ipſe correxeris, pius eſt Deus, & miſericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo prævenit*: Pacianus in Paræneſi ad pœnitentiam, *inquantum*, inquit, *pœnæ veſtræ non peperciſtis, intantum vobis Deus parcet*: Baſilius ad Amphilochium ſcribit, *citius eos a Deo miſericordiam impetrare, qui pœnas has majori ardore perſolverint*: Auguſtinus denique hom. 50. inter quinquaginta hæc habet: *Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, cooperantibus eleemoſynis* &c.

IX. Neque eſt, cur Novatores regetant, nihil ex his aliiſque Patrum teſtimoniis excundi poſſe, quod Romanenſium doctrinæ faveat, quandoquidem Patribus de pœnis iis eſt ſermo, quæ ſatis Deo adhuc irato facere, eumque adhuc peccatori offenſum placare, atque ad miſericordiam flectere utcumque poſſent, numquam vero de temporariis iis, quas Papiſtæ commenti ſunt, Deo dandas eſſe etiam dimiſſo peccato. Mentiuntur ſiquidem inſigniter, ſummamque produnt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ignorationem; Quis enim ignorat, priſcis Eccleſiæ ſæculis pœnas has, de quibus ſermo eſt apud Patres, non ſemper ante obtentam a Deo Sacerdotum miniſterio culparum veniam fuiſſe a pœnitentibus perſolutas, ſed non raro quoque poſt acquiſitam virtute clavium reconciliationis gratiam,

quan-

quandoque etiam poſt Euchariſtiæ ſumptionem, quemadmodum ex 13. Nicæni Concilii primi; ex 76. Carthaginenſis quarti Concilii canone, & ex 82. Synodorum Orientalium capitulo aperte colligitur? Quorſum autem Patres peccatoribus jam plene juſtificatis, imo & jam Euchariſticæ menſæ participatione donatis implendæ hujus pœnitentiæ neceſſitatem inculcaſſent, eique placandi ac promerendi Domini, temperandæ vindictæ ejus, ſatiſque juſtitiæ ejus faciendi efficaciam tribuiſſent, ſi remiſſa culpa, æternæque pœnæ reatu expuncto, nullam ſenſiſſent reliquam eſſe temporariam pœnam ab homine juſtificato luendam?

X. Quid ad hæc Calvinus, ejuſque Symmiſtæ? Quum probe norint, antiquos Patres errori ſuo palam aperteque adverſari, inſolentia, atque procacitate, quam ferre nemo poſſit, hæc licentiſſime ſcribunt:
„ Sanientias non miror, ait l. 3. Inſtit.
„ c. 4. Calvinus, quæ de ſatisfactione fre-
„ quenter apud antiquos occurrunt. Vi-
„ deo ſane ac cognoſco, nonnullos eorum,
„ imo omnes ferme, quorum ad nos per-
„ venerunt opera, in hoc capite erraſſe,
„ aut dure nimis locutos eſſe. “ In examine Concilii Tridentini Kemnitius ait,
„ inconſiderate, atque hyperbolice Patres
„ de ſatisfactione verba habuiſſe, & veri-
„ ritatis limites nimium transgreſſos eſ-
„ ſe. “ Molinæus denique *in Papiſmi novitate* ita ſtylum in Patres, ac in Romanæ communionis homines acuit: „ Si alicubi
„ Patres doceant, poſſe nos ac debere ope-
„ ribus noſtris peccata redimere ac expia-
„ re, unum hoc eis obſequium deferimus,
„ quod abſurdas iſtas loquendi formulas
„ patienter ferimus, ac præterimus. . . .
„ Adverſarii noſtri Veterum ſordes ſtu-
„ dioſe colligunt, eorumque virtutes ne-
„ gligunt, ac relinquunt, muſcis mehercu-
„ le ſimiles, qui intactis aliis corporis par-
„ tibus in ſola ulcera irrumpunt. “

XI. Hæccine eſt debita Patribus veneratio? Siccine ſibi Calvinus conſtat, qui alibi ſcripſerat, nihil omnino a nobis contemni innoxie poſſe, quod a Patribus acceperimus, quandoquidem Dei timor, eximia vitæ integritas, ſapientia, atque vetuſtas maximam eis conciliarunt auctoritatem, præſertim quum illibatæ fidei depoſitum ab Apoſtolis acceptum quingentorum circiter annorum ſpatio intactum prorſus conſtanter atque unanimiter cuſtodierint? Qui ergo non minus ſecum, quam cum Patribus pugnat, nequiſſimus homo, indignus omnino eſt, cui fides aliqua adhibeatur. Neque ſuam illam nobis cantilenam Pſeudo-Reformati inſuſurrent, videlicet fidem ſoli Divino verbo inniti non Patribus; non enim heic agitur, an fidem ſuam in Patrum auctoritate, necne, conſtituant, ſed tota in hoc uno quæſtio verſatur, quum noſſe velimus, cujus generis pœnas peccatoribus benigne indulgens Eccleſia ſoleret antiquitus relaxare, an ab alio quoquam melius certiuſque id reſcire poſſimus, quam ab iis, qui eodem illo ævo florebant, quoſque clariſſima fuiſſe, & ſplendidiſſima Eccleſiæ lumina negare nec ipſi audent? Æquum non eſt, Novatores in propria cauſa eſſe judices, neque nos pronuntiare volumus, ac definire: Arbitri ergo deligendi ſunt, qui controverſiam dirimant, finiantque. Quinam autem rectiores ſanctioreſque ſeligi Judices poſſunt, quam priſci ii, quos laudavimus, Patres? Nonne eos in hac cauſa appellare perinde eſt, ac ſi ipſam illius ævi Eccleſiam conſuleremus, atque ex ea ipſa percuntaremur, cujus rei gratia pœnas peccantibus infligeret, vel relaxaret? Patres omnes coævi ſancte teſtantur, impoſitas illas fuiſſe, ut pœnitens iis ſatis Deo offenſo faceret: judicet nunc, qui æquitati, prudentiæ, ipſique communi ſenſui nuntium non remiſit, an audiendi ſint Novatores, qui oppoſitum ſcriptitant, ac perſuadere nituntur, pœnas illas nonniſi emendationis, correptionis, ac communis exempli cauſa fuiſſe inflictas, vel ad ſummum ut fieret Eccleſiæ ſatis, quæ ſcandalo, ac injuria a peccantibus affecta fuerat.

Novatorum objecta franguntur.

Arguit primo Forbeſius: „ Durandus il-
„ le ſubtiliſſimus inter Romanenſes Theo-
„ gus in 4. ſentent. diſt. 20. q. 3. hæc de
„ Papalibus indulgentiis ſcribit. Pauca dici
„ poſſunt per certitudinem, quia nec Scri-
„ ptura de iis expreſſe loquitur; Sancti
„ etiam Ambroſius, Hilarius, Hierony-
„ mus, & Auguſtinus non loquuntur de
„ Indulgentiis. Polidorus Vergilius in l. 8.
„ de Inventoribus rerum c. 1. ex Joanne
„ Fiſcherio Roffenſi Epiſcopo tradit, mul-
„ tos non adeo Indulgentiis fidere, quod
„ earum uſus videatur recentior eſſe, &
„ apud Chriſtianos admodum ſero re-
„ ce-

„ ceptus, non certo conſtare, a quo primum tradi cœperint, quamvis nonnullus „ fuerit earum uſus, ut ajunt, apud Romanos vetuſtiſſimus, quod ex ſtationibus intelligi poteſt, a nemine quæſitas „ Indulgentias, quamdiu nulla fuerat de „ Purgatorio cura, quum ex illo pendeat „ omnis Indulgentiarum exiſtimatio, cœpiſſe idcirco Indulgentias, poſtquam ad „ Purgatorii cruciatus aliquantulum trepidatum eſt. Alphonſus denique de Caſtro l. 8. adverſus hæreſes ait, apertum „ Scripturæ S. teſtimonium pro Indulgentiarum approbatione deeſſe, earumque „ uſum videri ſerius in Eccleſia receptum; “ ineptiunt ergo Romanæ ſectæ homines, qui harum concedendarum poteſtatem a divino eloquio, earumque uſum a prioribus Eccleſiæ ſæculis arceſſunt.

XII. Ipſe vero ineptit Forbeſius, qui frigidis adeo jejuniſque ratiunculis ſibi viſus dogma hoc evertiſſe, omnes Catholicarum partium Theologos quaſi per triumphum traducit. Leviſſimi hominis intereſt, demonſtrare, laudatos Scriptores vel de hujus dogmatis ſubſtantia dubitaſſe, vel aliud a Romanæ Eccleſiæ doctrina ſenſiſſe. Expendat Durandi, & Alphonſi de Caſtro verba, quorum prior ait, de Indulgentiis Scripturam *expreſſe* non loqui, alter vero, pro earum approbatione *apertum* Scripturæ S. teſtimonium deeſſe. Quid porro habent Scriptores hi, quod a Catholicæ Eccleſiæ ſententia diſcordet? Non enim dogma hoc, quod tuemur, conceptis verbis a Scriptura tradi contendimus, ſed ex iis, quæ in divino eloquio legimus, legitima, & neceſſaria conſecutione deduci. Quod vero Durandus addit, laudatos Patres de Indulgentiis non locutos, Alphonſus vero de Caſtro, Roffenſis, & ex Roffenſi Vergilius ſcribunt, earum uſum recentiorem videri, ſeriuſque in Eccleſia receptum, erratum eſt hominum in Patrum lectione, & in venerandæ antiquitatis ſincerioribus monumentis non admodum verſatorum. Eos errati hujus Forbeſius ipſe redarguet, ex quo plura illa & ſplendidiſſima momenta conſulto depromſimus, quibus vetuſtiſſimum in Eccleſia, imo ei coævum Indulgentiarum uſum luculenter oſtenderemus, neque deterioribus, & citerioribus ſæculis introductum.

Inſtat Forbeſius: „ Thomas Aquinas „ in ſuppl. c. 25. art. 2. ſcribit, *B. Gregorium in ſtationibus Romæ inſtituiſſe hujuſmodi Indulgentias*, quod a Villelmo „ quoque Altiſiodorenſi tradi, ait, Bellarminus l. 2. de Indulg. c. 20. Quam „ vero id falſum ſit, quis non percipit? „ Nulla harum Indulgentiarum mentio „ in ejuſdem Gregorii libris, nulla in Scriptore quopiam vel ſynchrono vel poſteriori ante Thomam. Quando ergo in „ tanti momenti negotio Veteris alicujus „ Scriptoris teſtimonium exquiritur, fateantur Romanenſes, neceſſe eſt, nullum ſe habere Thoma Aquinate, & „ Guillelmo Altiſiodorenſi antiquiorem, „ ideoque arenoſo fundamento ſe Indulgentias ſuperextruere. “

XIII. Peſſima tamen fide Angelici verba Forbeſius recitat, ut præpoſteram illam conſecutionem eliciat, qua ſimplicibus fucum faciat, neque veretur impudens homo, hæc vulgare, quaſi vero Japponenſibus aut Mexicanis hæc ſcriberet. Omnibus ad manum eſt D. Thomæ Summa, ſuiſque oculis certior fieri quiſque poteſt, neque laudato loco, neque alibi uſpiam, D. Thomam ſcripſiſſe, B. Gregorium M. in ſtationibus Romæ primum Indulgentias inſtituiſſe. En legitima S. Doctoris verba: In ſecundo memoratæ quæſtionis articulo Veterum quorumdam Scholaſticorum docentium, tantum valere Indulgentias, quantum pronuntiantur ſecundum juſtam æſtimationem ſeu bonorum judicium, opinionem refellens ait, „ tunc „ non excuſatum iri a mendacio prædicationem Eccleſiæ, cum quandoque Indulgentia prædicetur longe major, quam „ juſta æſtimatio poſſit requirere, omnibus prædictis conditionibus penſatis, „ ſicut quando dat Papa Indulgentiam, „ quod pergens ad unam Eccleſiam habeat ſeptem annos Indulgentiæ, cujuſmodi etiam Indulgentiæ a B. Gregorio „ in ſtationibus Romæ inſtitutæ ſunt. “ Non ergo primam Indulgentiarum originem ad Gregorium M. Angelicus refert, quemadmodum ei Forbeſius affingit, ſed Romanorum Pontificum Indulgentias tot annorum certas Eccleſias viſitantibus conferentium praxim D. Gregorii teſtimonio confirmat, quem ejus generis Indulgentias in ſtationibus Romæ legerat inſtituiſſe. Nolumus Forbeſii ferulæ etſi ſeveriori Bellarminum ſubducere hæc ſcribentem; „ ad probandum a S. Gregorio Indulgentias ſtationibus fuiſſe adjunctas, multo „ amplius valere debet S. Thomæ, & „ Gui-

Digitized by Google

„ Guilelmi Altiſiodorenſis graviſſimorum Vi„ rorum affirmatio, quam aliorum omnium „ ſilentium. “ Quum explorata res ſit, tertiidecimi ſæculi Scriptores in diſcernendis ac diſpungendis antiquis operibus non admodum critice valuiſſe, fucumque eis feciſſe haud raro titulos libris ab aliquo Impoſtore præfixos, Morino ſubſcribimus pronuntianti, ſummos hos Viros in fraudem fuiſſe inductos, quod codicem aliquem ad manum habuerint, qui D. Gregorii nomen falſo ferebat in fronte. Cæterum Forbeſium ſemper habemus in crimine, quod D. Thomæ mendaciter tribuat, quod nunquam ei e calamo excidit, primum videlicet Indulgentiarum Auctorem Gregorium M. fuiſſe, quum Angelicus nonniſi certarum Indulgentiarum inſtitutionem ei, licet per errorem, adſcribat, & abſolutam Indulgentias conferendi auctoritatem e clavibus Petro collatis ducat, hujuſque auctoritatis uſum in primo ejuſdem quæſtionis articulo Gregorii M. ætate multo antiquiorem, & Evangelii promulgationi coævum probet Pauli Corinthio donantis in perſona Chriſti, ſive pœnas relaxantis exemplo.

Urget Forbeſius: Undecumque harum Papalium Indulgentiarum origo petatur, illegitimæ tamen illæ ſunt, atque fictitiæ; e fonte quippe manare creduntur inſincero, & commentitio, ex theſauro nimirum Eccleſiæ, cujus diſpenſatio Papæ voluntati commiſſa ſit. Theſauri hujus nullum apud Patres veſtigium, umbra nulla; duodecimo tantum ſæculo ab acutis Scholaſticis effoſſus eſt, & productus in lucem, & quartodecimo ſæculo magnificentiſſime prædicatus a Clemente illo ſexto Papa Romano, qui Jubilæum ſæcularem, ſeu centeſimo quoque anno a Bonifacio octavo inſtitutum & fixum decurtavit, & quinquageſimo quovis anno celebrandum eſſe decrevit. In ea autem Bulla, quanta peccat Papa ille quot abſurda, atque blaſphema ſcribit? Primo quidquid ultra modicam ſanguinis guttam a Chriſto effuſum eſt, ad conflandum hunc ſuperfluentium ſatisfactionum theſaurum refert, quod audax & temerarium eſt facinus; Ut enim erudite graviterque demonſtrat Daniel Chamierus, quum una eademque ſolida Chriſti paſſione tum omnes tum ſinguli homines redempti ſint, iniquum eſt, redemptionem in particulas diſſecare, ut una huic redimendo, alia alteri impendatur, alia culpam deleat, alia pœnam. 2. Quam inſcite etiam, ut jam Calvinus animadvertit, ſanguinem Martyrum ſanguini Chriſti ad peccatorum remiſſionem, ac ſatisfactionem idem Papa commiſcet ajens, *ad hujus theſauri ex infinitis Chriſti meritis conflati cumulum, B. Dei Genitricis omniumque electorum merita præſtare adminiculum?* Quam eſt ille acutus, qui infinitum acceſſionem admittere, atque egere *adminiculo* ſcribit?

XIV. Quum hoc præcipuum ſit Novatorum argumentum, paulo operoſius in ejus diſſolutionem incumbendum eſt, atque oſtendendum, nihil eſſe ſpirituali hoc Eccleſiæ theſauro, in quem tam ferociter invehuntur, certius, & exploratius. „ Ratio, quare Indulgentiæ valere „ poſſint, ait D. Thomas, eſt corporis „ myſtici unitas, in qua multi in operi„ bus pænitentiæ ſupererogaverunt ad „ menſuram debitorum ſuorum, & mul„ tas etiam tribulationes injuſtas patien„ ter ſuſtinuerunt, per quas multitudo „ pænarum poterat expiari, ſi eis debere„ tur, quorum meritorum tanta eſt co„ pia, ut omnem pænam nunc viventi„ bus debitam excedant, præcipue pro„ pter meritum Chriſti, quod, etſi in Sa„ cramentis operatur, non tamen ejus ef„ ficacia Sacramentis includitur, ſed ſua „ infinitate excedit efficaciam Sacramen„ torum. Dictum eſt autem ſupra, unum „ pro alio ſatisfacere poſſe; Sancti autem, „ in quibus eſt ſuperabundantia operum „ ſatisfactionis, non determinate pro iſto, „ qui remiſſione indiget, hujuſmodi ope„ ra fecerunt, alias abſque omni Indul„ gentia remiſſionem conſequeretur, ſed „ communiter pro tota Eccleſia, & ſic „ prædicta merita ſunt totius Eccleſiæ, „ ea autem, quæ ſunt alicujus multitudi„ nis, ſingulis diſtribuuntur ſecundum ar„ bitrium ejus, qui multitudini præeſt; „ unde, ſicut aliquis pænæ remiſſionem „ conſequeretur, ſi alius pro eo ſatisfeciſ„ ſet, ita ſi alterius ſatisfactio per eum, „ qui poteſt, ſibi diſtribuatur. “ Hæc D. Thomas qui in art. ſequenti addit, non aliam eſſe cauſam remiſſionis pænæ in Indulgentiis, quam abundantiam meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habet ſufficienter ad totam pænam expiandam.

XV. Quid porro habet hæc D. Thomæ doctrina, quam Clemens ſextus in laudata conſtitutione complexus eſt, quod.

Ca-

Catholicæ fidei principiis apprime non congruat? Infinita eſſe Chriſti Domini merita ob infinitam ejus, qua Deus eſt, dignitatem, quis in dubium vocare velit? Satisfeciſſe illum Deo Patri non æquivalenter ſolum, ſed etiam redundantiſſime, haud obſcure ſignificat Paulus ſcribens, *ſuperabundaſſe gratiam, ubi abundavit delictum*, atque diſerte docent Chryſoſtomus, Auguſtinus, uterque Cyrillus, Leo Magnus, aliique Patres: Pleroſque Sanctorum illud merito uſurpare poſſe, quod ajebat Beatus Job, *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas hæc, quam patior in ſtatera, quaſi arena maris hæc gravior appareret*, ideſt multo plura, multoque graviora paſſos, quam quæ eorum forte criminibus deberentur, quis negare audeat, niſi & iis, quæ de antiqui fœderis Sanctis ad Heb. xi. ſcribit Apoſtolus, & probatiſſimis Eccleſiæ monumentis fidem omnem abjudicet? Eos vero, quæcumque paſſi ſunt, ad communem Eccleſiæ utilitatem direxiſſe imitantes Apoſtolum, qui ad Coloſ. 1. ſcribebat, *adimplere ſe ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne ſua pro corpore ejus quod eſt Eccleſia*, ipſa perſuadet unitas myſtici corporis, in quo, ut ait idem Apoſtolus, ſolicita eſſe debent *membra pro invicem*. Quum ergo ſupremum myſtici hujus corporis caput Chriſtus ſatisfactionis ſuæ redundantiam, & præcipua hujus corporis membra, Deipara Virgo, Apoſtoli, Martyres, aliique Sancti paſſiones, atque ſatisfactionis opera, quæ debitorum ſuorum menſuram excederent, in commune ejuſdem corporis bonum contulerint, abſonum ne eſt, ut tanti pretii cumulus aptiſſima metaphora e ſacro eloquio ducta theſaurus vocetur, ejuſque diſpenſatio illius arbitrio commiſſa credatur, quem Chriſtus domui ſuæ præpoſuit, & univerſi ovilis ſui Paſtorem inſtituit; cui potiſſimum Regni cælorum claves tradidit, ut, quemadmodum ait S. Hilarius, *ejus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cælis, & quæ in terris ab eo ligata ſunt, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in cælo?*

XVI. Quid vero, ſi theſauri hujus prima apud Scholæ Doctores occurrit mentio? Non eſt ille a Scholaſticis excogitatus, licet eum in ſacris literis, Apoſtolorum traditionibus, & antiquiſſima Eccleſiæ doctrina quaſi abditum in lucem eruerint, illuſtrarint, ac confirmarint, remque perpetuo creditam perquam idoneo, etſi novo vocabulo declararint. Noverant ex Evangelio, Indulgentias largiendi poteſtatem divinitus Eccleſiæ conceſſam, noverant, ea uſum Apoſtolum, & priorum ſæculorum Eccleſiam, noverant præſertim, ſecundo, & tertio ſæculo morem in Occidentali Eccleſia viguiſſe, commendatiriis Martyrum & Confeſſorum libellis pænas lapſis remittendi, faciendique peccatorum, ut nunc loquimur, Indulgentiam, pænarum, quas Martyres ſuſtinebant, intuitu, quam a Deo ratam haberi, ac in cælis confirmari graviſſimi ejus ævi Patres credebant, ut patet ex Cypriano in tract. *de lapſis* ſcribente: *Credimus quidem poſſe apud Judicem plurimum Martirum merita, & opera Juſtorum &c.* & epiſt. 14. *Qui libellos a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum apud Deum adjuvari in delictis ſuis poſſunt &c.* Ceterum, quia vulgatiſſimum illud Auguſtini aliorumque Patrum effatum, *Aut Deus punit, aut homo*, Scholaſticorum animo crucem figebat, neque ſcrupulus inde injectus eximi poterat, niſi aliqua conſtitueretur pretii ſolutio, quæ eſſet pænæ relaxatæ vicaria, ad ſanctiſſimum hunc Eccleſiæ theſaurum confugiendum fuit, ex quo pænarum temporalium remiſſionis compenſatio Deo facienda hauriretur. Omnium nitidiſſime theſaurum hunc Indulgentiarum compenſationi primus applicaſſe legitur Albertus M. in 4. ſent. diſt. 2. ar. 16. difficultatem ex veriſſimo illo Patrum axiomate ductam ſic diluens: „Quia „ vero non poteſt remitti debite, & diſcrete pro peccatis injunctum uni, niſi „ fiat compenſatio per alterum, qui plus „ debito facit, ideo Indulgentia definitur „ pænæ injunctæ remiſſio ex vi clavium, „ & theſauro ſupererogationis perfectorum „ procedens; in hoc enim theſauro habet „ Eccleſia divitias meritorum Chriſti, & „ glorioſæ Virginis Mariæ, omnium Apoſtolorum, & Martyrum, & Sanctorum Dei &c." Neque Alberti Diſcipulus D. Thomas hujus aliarumque difficultatum extricationem peti aliunde poſſe, quam ex theſauro illo, invicte demonſtrat, unique huic, ut Morinus ait, theſauro confiſus, quæ e ſacris litteris, ac Patribus opponi poſſunt, perſpicue ſolidique refellit ajens: „ faciens Indulgentias pro eo „ qui debet, pænam ſolvit de bonis Ec-

„ cleſiæ communibus: ſuſcipiens Indul-
„ gentias non abſolvitur, ſimpliciter lo-
„ quendo, a debito pœnæ, ſed datur ei,
„ unde debitum ſolvat: remiſſio, quæ
„ per Indulgentias fit, non tollit quanti
„ tatem pœnæ ad culpam, quia pro culpa
„ unius alius ſponte pœnam ſuſtinuit: ne-
„ que in Indulgentiis fit nimis magnum
„ forum de miſericordia Dei, nec divinæ
„ juſtitiæ derogatur, quia nihil de pœna
„ dimittitur, vel pœna unius alteri com-
„ putatur.“

XVII. Faceſſat itaque cum ſuo Chamiero Forbeſius ineptiens, diſſecari a nobis temerario facinore illud redemptionis pretium, quod Deus ſolidum eſſe voluit, & indiviſum. Cui enim Catholicorum hactenus in mentem venit hæc redemptionis in particulas concilio, & ſtulta ſingularum partium ſingulis hominibus applicatio? Non paucos electos tantum, ut Forbeſius impie blaſphemat, ſed omnes omnino homines uno illo eodemque ſolido magno pretio, quod commendat Paulus, emptos fuiſſe, *corde credimus ad juſtitiam, confitemurque ore ad ſalutem*; unum idemque ſolidum hoc, atque indiviſum puriſſimi ſanguinis pretium abolendis omnium culpis, atque expungendis non æternis ſolum, ſed & temporariis quibuſque pœnis fuiſſe æquivalens, imo & redundans, atque in hunc finem Deo Iudici a Chriſto ad ſtrictos juris apices perſolutum, Theologis ferme omnibus perſuaſum eſt; Verum quia ſolidum hoc redemptionis noſtræ pretium, etſi ſufficiens, ac ſuperabundans, nemini actu prodeſt, niſi iis inſtrumentis & mediis, quæ Chriſtus ipſe conſtituit, ſingulis applicetur, ideo ſicut Baptiſmate exhibitum culpas omnes, & quamlibet pœnam expungit, pœnitentiæ vero Sacramento culpas, æternæque pœnæ reatum tollit, & temporariæ debitum minuit, ita legitime Indulgentias largientis auctoritate applicatum eam temporariæ pœnæ remiſſionem operatur, quæ, ut ait D. Thomas, *Indulgentias diſpenſantis taxatur arbitrio*.

XVIII. Mentitur quoque cum Magiſtro ſuo Diſcipulus procaciſſimus, a Clemente ſexto ſanguini Chriſti ſanguinem Martyrum ad peccatorum remiſſionem atque ſatisfactionem miſceri ſcripturiens, quaſi vero Pontifex ille, aut Catholicorum alius quiſpiam parem ad delenda peccata, laxandaſque eorum pœnas ſanguini Chriſti atque Martyrum virtutem tribuat, & efficaciam. Immenſum plane inter Domini & Servorum ejus ſanguinem intervallum agnoſcimus, qui ſoli Chriſti ſanguini infinitam ex Divini Verbi Perſona dignitatem habenti omnem redemptionis noſtræ, remiſſionis peccatorum, atque ſatisfactionis efficientiam adſcribimus, atque ex eo ſolo Martyrum ſanguinem, aliaque juſtorum opera vim habere docemus cum Tridentino, ut remiſſionem culparum aliis impetrent, & pro alienis delictis ſatis divinæ juſtitiæ faciant. Qui vero ſupinitatis Clementem ſextum arguit, eſt ipſe nugaciſſimus, amenſque Forbeſius; infinitum enim quum ſit Chriſti meritum, non eget ſane adminiculo, neque acceſſionem admittit; ceterum quemadmodum ajebat Paulus, ſe, alioſque Apoſtolos *Dei adjutores* eſſe, ſeque *adimplere, quæ deerant, paſſionum Chriſti in carne ſua pro corpore Ejus, quod eſt Eccleſia*, ita non abs re Clemens ſextus affirmat, ad theſauri hujus ex infinitis Chriſti meritis conflati cumulum Deiparæ, Electorumque omnium merita accedere, ac præſtare adminiculum, quia quum de Chriſti *plenitudine*, ut ait Joannes Evangeliſta, *omnes acceperint*, ſicque a Chriſto & per Chriſtum quidquid gratiæ, virtutis, ac meriti in Sanctis eſt, meritorum atque ſatisfactionum a Capite in membra, a vite in palmites redundantium acceſſione fit theſaurus Eccleſiæ *extenſive*, ut Schola loquitur, cumulatior, non intenſive, & infinita Chriſti ſanguinis virtus, etſi præſtando Indulgentiarum effectui pleniſſime ſola ſufficiat, per Electorum ſatisfactiones & merita ceu adminicula quædam ſive inſtrumenta iis, quibus Indulgentia conceditur, applicatur.

Inſurgit Forbeſius: „Totus hic Eccleſiæ theſaurus nonniſi Papiſtarum chimæris, & nugis refertus eſt; fictus eſt enim a Romanenſibus, ut haberent, unde commentitias illas temporarias pœnas remiſſa culpa luendas expungerent: hinc figmenta figmentis addita, juſtorum ſcilicet pœnas ſatisfaciendi virtute pollere, unum pro alio ſatis poſſe Deo facere, Sanctos plura paſſos eſſe, quam quæ eorum debitis reſponderent, voluiſſe denique illos, hæc a ſe liberaliter ſupererogata in commune Eccleſiæ bonum cedere, atque ad ſatisfactionem arbitratu Papæ aliis applicari. Quam male materiatæ ſunt hæ Ro-
ma-

Digitized by Google

manenſium hypotheſes! Nec Durando ipſi, Pontificio licet Theologo ac Epiſcopo probatur theſaurus iſte ex redundantibus Sanctorum ſatisfactionibus coaleſcens, quare in 4. ſent. diſt. 20. c. 3. negat, Sanctorum paſſiones poſſe nobis ad ſatisfactionem cedere, atque ad theſaurum Eccleſiæ pertinere, neque illas poſſe cuipiam per Indulgentiam applicari, duplici hoc argumento demonſtrat, 1. quia ea non fuit Sanctorum intentio, 2. quia ſi quid ultra debitorum ſuorum modum paſſi ſunt Sancti, vel jam plena paſſionum ſuarum mercede donati ſunt, vel reſumpto in generali reſurrectione corpore donabuntur.

XIX. Sed ipſe mehercule fungum pro cerebro habet Forbeſius, qui puris putiſque commentis hunc Eccleſiæ theſaurum oppugnat; Pro frivolis ac puerilibus gerris, ſolidis ab eo agendum fuerat demonſtrationibus adverſus hæc, quæ iniquiſſime vocat *falſas Romanenſium hypotheſes*, Chriſtianæ doctrinæ capita, quæ quum jam fuerint ſuis quæque locis, qua Scripturarum auctoritate, qua Patrum teſtimoniis conſtabilita, operæ pretium non eſt, ut eadem rurſus a Forbeſii ineptiis vindicemus. Etſi nobis ad manum non ſit Durandi textus, mendacii tamen atque calumniæ conſtantem Forbeſium poſtulamus, quod vadem habeamus Virum Clariſſimum, non ſolum antiquitatis Eccleſiaſticæ conſultiſſimum, ſed & in Veterum Scholaſticorum libris diu multumque verſatum Joannem Morinum, qui l. x. de pœnit. ad 21. capitis calcem hæc ſcribit: „ Poſt iſtos Scholaſticæ doctri-„ næ Principes, Alenſem videlicet, Al-„ bertum M., D. Thomam, D. Bona-„ venturam, S. Raimundum, poſteriores „ omnes hunc Eccleſiæ theſaurum non „ modo conceſſerunt, ſed & faciendæ In-„ dulgentiæ fundamentum eſſe docuerunt. „ Durando ſententia contra Eccleſiæ the-„ ſaurum, qua Sanctorum merita reſpi-„ cit, immerito tribuitur, ut ipſius tex-„ tum legenti manifeſte conſtabit. " Quum ergo peſſime fidei in recitandis, mutilandis, detorquendis Scriptorum teſtimoniis Forbeſius haud ſemel revictus ſit, Morinus contra ad ipſum Durandi textum fidenter provocet, ex cujus lectione manifeſta cuique fiat impacta Durando calumnia, non eſt, cur Durandi auctoritas inique a Forbeſio jactata nobis negotium exhibeat.

XX. Verum, ut omnem tricandi anſam Forbeſio præcidamus, diſtinguendum accurate eſt inter dogmatis hujus ſubſtantiam, ejuſque veluti adjuncta. Nullum Romanæ communionis Theologum proferre Forbeſius poterit, qui legitimam Indulgentias conferendi poteſtatem Eccleſiæ non adſerat, qui Indulgentiarum veluti fundamentum theſaurum hunc non conſtituat, qui ad eumdem Sanctorum merita pertinere, nobis præſtare adminiculum, nobiſque ad ſatisfactionem applicari, non tradat, unum ſi forte excipias Franciſcum Mayronis, cujus rationes, quibus in theſaurum hunc agit, non videntur Clariſſimo Morino ſatis catholicæ. Quei autem merita Sanctorum ad cumulum theſauri hujus accedant, nobiſque ſint adminiculo, an ſolam impetrationis atque ſuffragii vim habeant, an veræ etiam ſolutionis, qua aliorum debita redimantur, non una eſt Scholaſticorum opinio. Intacta fide pro utraque decertatur in Scholis; prior Patronos habet noſtra ætate neque ignobiles, neque paucos, quibus perſuaſum eſt, Sanctorum meritis atque ſatisfactionibus, quibus ſupra condignum reddita jam a Deo eſt retributio, non aliam quam impetrationis ac ſuffragii virtutem ineſſe, quatenus Deum movent, ut ſupplicantium ſibi Amicorum intuitu redundantem Filii ſui paſſionem nobis applicet, qua debita criminibus noſtris pœna laxetur: pro altera ſunt B. Albertus M., Sancti Thomas, ac Bonaventura, & plerique Theologorum, qui Sanctorum merita atque ſatisfactiones in hoc Eccleſiæ theſauro veri pretii loco eſſe contendunt, quo exhibendæ a nobis Deo ſatisfactiones penſari poſſunt, atque remitti.

XXI. Pudet, a poſteriori hac tantorum Virorum ſententia deſciſcere; quare Recentioribus nonnullis in ſuo ſenſu abundare permiſſis, duo illa momenta, quæ Forbeſius Durando inique tribuit, & a nonnullis ævi noſtri Theologis urgeri ſolent, ut Sanctorum merita ſolam impetrationis, ac ſuffragii virtutem ad Indulgentias conferre demonſtrent, breviter nitideque refellimus. Primum diluitur a D. Thoma, qui ait, „ Sanctos, quorum ſunt ſuper-„ abundantia ſatisfactionis opera, non de-„ terminate quidem ac ſpeciatim pro iſto, „ qui remiſſione indiget, redundantia e-„ juſmodi opera egiſſe, ſed generatim pro „ Eccleſiæ corpore; quare prædicta opera „ toti Eccleſiæ communia ſunt, eorum-

„ que diſtributio, atque egentibus applicatio ejus, qui toti Eccleſiæ præeſt, arbitrio commiſſa eſt. “ Alterum a præſtantiſſimo D. Thomæ Interprete Cajetano ſolvitur in tract. de Indulg. q. 1. hæc habente: „ Sanctorum opera, quatenus meritoria fuerunt, acceperunt mercedem ſuam in ipſis Sanctis: quatenus vero ſatisfactoria, primo quidem ſolverunt debitam pro peccatis eorum pœnam, deinde ſi plus pœnalitatis habuerunt, quam pœna peccatis eorum debita exigeret, remanſit illud plus veluti Sanctis ſuperfluum, hocque eſt, quod a quibuſdam vocatur in remuneratum, non propter defectum divinæ largitatis aut operis, ſed propter Perſonæ excellentiam, quæ ſuperabundanter voluntarie paſſa eſt: ex eo namque quod perſona patiens non habet propria pœnarum debita pro peccatis, fit, ut ſatisfactiones ſuperfluæ nequeant in ea habere ſolutionis effectum; quoniam itaque conſtat, Sanctos multo plus paſſos, quam ex peccatis deberent pati, conſequens eſt, ut multa ſatisfactionis opera eis ſupervacanea remanſerint: ſuperfluunt igitur multa ſatisfactoria Sanctis ultra ingens pelagus ſuperfluentis ſatisfactionis Chriſti; quocirca ex meritis Chriſti, & Sanctorum, quatenus ſatisfactoria, redundantibus, theſaurum Indulgentiarum conſtitui intelligito, ſi non vis errare. “ Hæc Cajetanus, cui ſubſcribunt Bellarminus, aliique Theologi.

Inſiſtit Forbeſius: Quod Deus jubet, relaxare Papa non poteſt, ſed Deus præcipit, ut dignos pœnitentiæ fructus edamus; quotus ergo eſt Papa Romanus, qui audeat, ab hac Dei lege homines ſuis Indulgentiis eximere? ſunt enim hi digni Pœnitentiæ fructus, Tridentino docente, ea pœnitentiæ opera, quæ ſatisfactoria Romanenſes appellant, & Indulgentiis relaxari contendunt. Rurſus idem Tridentinum docet, pœnis a Deo immiſſis, & patienter toleratis divinæ juſtitiæ ſatisfieri, has autem pœnas divinitus conſtitutas nullis Indulgentiis tolli poſſe, Bellarminus affirmat, jure ergo Andreas Rivatus inſignis Theologus in Romanenſibus Doctoribus candorem deſiderat ajens: „ Jeſuitæ illudunt orbi terrarum, dum negant afflictiones naturales, aliaſque a Deo nobis immiſſas Indulgentiis remitti poſſe, eas tamen, ut homines alliciant, in hac materia recenſent. “

XXII. Sed hæc Forbeſius inſcite ſcripſitans videtur ſus Minervam docere velle; in id enim præſertim incumbens, ut Pontifices, Concilia, Theologos in manifeſta contradictione deprehendat, & ineptiæ redarguat, ineptiſſimus ipſe eſt, doctrinam non intelligens, quam vituperat. Nonne primum argumentum, quod vaniſſimus homo magnificat, illud idem eſt, quod ſecundo loco ſibi opponit Angelicus, *inferior non poteſt ab eo abſolvere, ad quod Superior obligavit, ſed Deus a culpa abſolvens obligat ad pœnam temporalem; ergo &c.?* Quam facile autem nitideque illud a D. Thoma diſſolvitur reſpondente, eum qui Indulgentias ſuſcipit, e debito pœnæ, ſimpliciter loquendo, non ſolvi, ſed ex communibus Eccleſiæ bonis ei dari, unde debitum ſolvat? Cœterum, quia ſatisfactoria opera, quæ Tridentinum docet, dignos illos eſſe pœnitentiæ fructus, quos Deus a nobis exigit, non ad præteritorum tantum criminum vindictam atque caſtigationem, ſed etiam *ad novæ vitæ cuſtodiam*, & *infirmitatis medicamentum*, eodem Tridentino declarante, referuntur, ſeu ut ait Angelicus „ *ad ſolutionem debiti ſimul, & medicinam pro peccato vitando*, ideo quatenus hujuſmodi pœnæ ſequentis peccati remedium ſunt, ſatisfactionerius alteri non prodeſt, quia jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere conſuevit, niſi per accidens, quatenus aliquis per bona opera poteſt alteri mereri (ſubintelligite merito congrui), augmentum gratiæ, quæ efficaciſſimum remedium eſt ad vitanda peccata. “

XXIII. Hinc idem Angelicus aliud, quod & Forbeſius inſulſe jactitat argumentum extricans, non poſſe videlicet Indulgentiis relaxari ſatisfactionem, quæ ad utilitatem noſtram, quatenus remedium præbet, inducta eſt, cum, teſte Paulo, *non in deſtructionem, ſed in ædificationem* Miniſtris Eccleſiæ poteſtas collata ſit, egregie ait „ majus ad vitanda peccata remedium dari ex gratia, quam ex aſſuetudine noſtrorum operum; quia vero ex affectu, quem ſuſcipiens Indulgentias concipit ad cauſam, pro qua datur Indulgentia, ad majorem gratiam diſponitur, ideo etiam per Indulgentiam remedium ad vitanda peccata datur, neque in deſtructionem eſt Indulgentias dare, niſi inordinate dentur. Confitendum

tamen

„ tamen eſt eis, qui Indulgentias conſe- „ quuntur, ne propter hoc ab operibus „ pœnitentiæ injunctis abſtineant, ut et- „ iam ex his remedium conſequantur, „ quamvis a debito pœnæ eſſent immu- „ nes, & præcipue, quia quandoque ſunt „ plurium debitores, quam credant. “ Hæc D. Thomas, cui præiverat Magiſter ejus Albertus M. in 4. ſent. diſt. 20. art. 17. hæc habens: „ Quum pœnitentiæ non „ imponantur tantum in peccatorum vin- „ dictam, ſed etiam in antidotum, ut ſa- „ nitas animæ recuperetur, & pravi affe- „ ctus extinguantur, conſilium meum in „ talibus ſolet eſſe, quod etiam poſt rela- „ xationem Pœnitens maneat in pœniten- „ tia, quam diſcretus Confeſſor poſt dili- „ gentem examinationem confeſſionis in- „ jungit, quia inde non imponit tantum „ pro reatu delendo, ſed etiam ut ſit me- „ dicina contra pronitates ex antiquis pec- „ catis contractas, quæ non tolluntur per „ indulgentias, ſed potius per opera ſatis- „ factionis injuncta, & ideo licet non te- „ neatur ſervare, ut ſatisfaciat pro reatu, „ utile tamen eſt, ut ſervet pro medici- „ na. “

XXIV. Quis vero intolerandam Riveti & Forbeſii dicacitatem tranquille ferat, Bellarminum, alioſque ex præclariſſima ejus Societate Scriptores criminantium, quaſi vero inter ſatisfactionis opera pœnas *divinitus inflictas* enumerantes, eaſque negantes Indulgentiis tolli poſſe, orbi terrarum illudant? Quæ, ambo, ludificatio iſta eſt, qua Jeſuitæ orbi terrarum imponunt? An, quod doceant, flagellis divinitus immiſſis, ac patienter toleratis ſatis Deo vindici fieri? At hæc non peculiaris Jeſuitarum opinio eſt, ſed Catholica veritas perſpicuis ſacrarum litterarum teſtimoniis jam demonſtrata. An, quod afflictiones hujuſmodi negent, indulgentiis expungi poſſe? Negant id ſcite, atque rectiſſime, neque eſt, cur in eis *candorem* Forbeſius cum Riveto deſideret; Quis enim negare velit, quandoque Deum ita pœnam aliquam conſtituere, ut nullam velit pro ea redemptionem accipere? Quis ut ut juſtus & Deo acceptus mortem, quæ originariæ noxæ pœna eſt, avertere piis operibus poteſt? Etſi jejunaverit David, atque humi jacens Dominum enixe precatus ſit, numquid potuit infantis ex adulterio ſuſcepti mortem redimere? Nonne irritæ fuerunt, quas Moſes fudit ad Deum, preces pro obtinenda temporariæ pœnæ ſibi divinitus præfinitæ relaxatione, quemadmodum Deuteron. 3. ipſe *refert: Precatus ſum Dominum &c. nec exaudivit me, ſed dixit mihi, ſufficit tibi, nequaquam ultra loquaris de hac re ad me?* Quæ itaque Deus abſolute decrevit, certo implenda ſunt, quia, ut 1. Reg. c. 15. legimus, *Triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam;* quæ vero hypothetice tantum eventura conſtituit, ſeu quorum eventum certæ conditioni alligavit, nonniſi poſita conditione complentur. Hinc fit, Indulgentiarum virtute vel omnino tolli vel minui temporarias eas pœnas, quarum in futuro ſæculo luendarum reum hominem Deus habet, quia pœnas hujuſmodi ab iis ſolum ſtatuit in Purgatorio repetere, qui eas, dum viverent, vel per ſe, vel per alios non pependerunt, hocque debito non ſe liberarunt vel ex propriis vel ex alienis. „ Quia vero, ut præ- „ clare ait Angelicus, præteritæ injuriæ „ recompenſatio fieri poteſt & ab eo qui „ offendit, & ab eo qui offenſus eſt, fla- „ gella ipſa, quæ pro peccatis a Deo in- „ fliguntur, rationem induunt ſatisfactio- „ nis, ſi aliquo modo ipſius flagellati fiant; „ fiunt autem ejus, quatenus ea ad purgationem peccatorum acceptat, eis pa- „ tienter utens; “ quare homo flagellis attritus ſatis divinæ juſtitiæ facit, ſi ea æquo animo ferat, Deo ſe percutienti conſentiens, & licet quibuſcumque pietatis operibus manum Domini ſuper ſe gravatam nequeat amovere, ſi tamen pœnas peccatis debitas redemerit interim Indulgentiis, efficiet, ut quæ ad peccatorum caſtigationem atque ſatisfactionem conferre poterant, cedant ad meritorium cumulum, virtutum exercitationem, ampliorisque in cœlis gloriæ ſegetem.

Regerit Forbeſius: Quæ eſt iſta Papæ Romani præſumptio, ut ſuas illas Indulgentias ad defunctos etiam extendat? In eos ne quoque, qui jam humanis rebus exempti ſolius Dei judicio obnoxii ſunt, jus ſibi tribuet, & poteſtatem?

XXV. „ D. Thomas in ſuppl. q. 71. „ ar. 2. quærens, an mortui vivorum o- „ peribus juvari poſſint, reſpondet, chari- „ tatem, quæ eſt vinculum, quo Eccleſiæ „ membra uniuntur, non ad vivos ſolum „ ſed & ad mortuos, qui in charitate de- „ cedunt, extendi; *charitas* enim, teſte „ Apoſtolo *numquam excidit*, mortuos quo-

„ que

que in viventium hominum memoria vivere, ideoque vivorum intentionem poſſe ad eos dirigi, quare vivorum ſuffragia mortuis dupliciter proſunt, &. propter charitatis unionem, & propter intentionem in eos directam; quamquam enim mortuorum ad vivos communicatio civilium operum eſſe non poſſit, poteſt tamen eſſe quoad opera vitæ ſpiritualis, quæ eſt per charitatem ad Deum, cui mortuorum ſpiritus vivunt. “ Articulo vero ſexto inquirens, an vivorum ſuffragia Purgatorio detentis proſint, catholicam veritatem hac demonſtratione confirmat: „ Pœna purgatorii in ſupplementum eſt ſatisfactionis, quæ non fuerat in corpore conſumata, & ideo, quia, ſicut ex dictis patet, opera unius valere ad ſatisfactionem alteri poſſunt, ſive vivus, ſive mortuus fuerit, dubium non eſt, quin ſuffragia a vivis facta exiſtentibus in Purgatorio proſint. “ Poſtremo ſpeciatim de Indulgentiis ar. decimo ſermonem inſtituens ita in rem noſtram præclariſſime diſſerit: „ Si Indulgentia ſub hac forma fiat, quicumque hoc vel illud fecerit, ipſe & pater ejus, vel alius quicumque ei adjunctus in Purgatorio detentus tantum habebit de Indulgentia, ea non ſolum vivo ſed etiam mortuo proderit; non enim eſt aliqua ratio, quare Eccleſia transferre poſſit *communia* merita, quibus Indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos; nec tamen ſequitur, Prælatum Eccleſiæ poſſe pro ſuo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia ad hoc, ut Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens Indulgentias faciendi, ut ſupra dictum eſt. “

XXVI. Etſi D. Thomas, quod fidei caput eſt, doceat, juvari ſcilicet poſſe mortuos vivorum operibus, Purgatorio detentis viventium ſuffragia prodeſſe, iis quoque poſſe Indulgentias applicari, quia tamen modum non determinat, quo communia merita, quæ Indulgentiarum theſaurus ſunt, in eos Eccleſia transferre poſſit, non una eſt inter Diſcipulos ejus de germana S. Doctoris mente ſententia. Communius Theologorum placitum eſt.ram ipſis Cardinalis Richelii verbis latine redditis, quibus Forbeſii argutiuncula penitus eludetur: „ Indulgentia latius accepta ſolam temporariæ pœnæ relaxationem ſignificat, quæ vel auctoritate, atque abſolutorio, ut loquuntur, judicio fit, vel ſuffragio atque deprecatione: Iis, qui mortalis vitæ ſtadium decurrunt, pœnas has remittit Eccleſia, virtute clavium & judicaria poteſtate abſolutionis ſententiam ferens, defunctis vero nonniſi ſuffragando, atque obſecrando; quæ enim iis applicantur, Indulgentiæ oblatio ſunt votorum ac precum Eccleſiæ, ut Deus pro infinita pietate ſua ex theſauro meritorum Chriſti, & electorum ipſe velit ſolutionem promere temporalium pœnarum, quarum rei ſunt ſpiritus carne ſoluti. Hæc eſt Doctorum noſtrorum opinio; quod ſi Pſeudo-Reformati aliud ſibi fingunt, ut Indulgentias exagitent, deſerto corpore, in perſequenda umbra operam inutiliter ponunt. “

Poſtremo Forbeſius Indulgentias acerbius inſectatur, quod graviſſimi in earum diſpenſationem abuſus irrepſerint, quos ex Platina in vita Bonifacii noni, & Thuano de rebus Leonis decimi agente collectos exaggerat.

XXVII. Iniquiſſime tamen Forbeſius ejuſque Gregales abuſus iſtos, alioſque ejuſcemodi, quos in Romana Eccleſia graſſari contendunt, ut juſtam Schiſmatis ſui cauſam prætexunt; „ ſi enim, ait Witakerus Calvinianus, abuſus alicujus rei valeret ad ejuſdem rei uſum tollendum, abſtinendum nobis eſſet a cibo a potu, veſtibus etiam utendum non eſſet, quia iis rebus plurimi ad crapulam, ebrietatem, & ſuperbiam abutuntur. “ Nolumus in Platinæ, & Thuani, quos Romanis Pontificibus minus æquos fuiſſe explorata res eſt, narrationem inquirere; num ignorare tamen Forbeſius potuit, quam ſeveris legibus abuſus iſtos identidem Eccleſia proſcripſerit, quamque prudenter & ſancte Indulgentiarum diſpenſationem circumſcribere conata ſit? Qui tantam Eccleſiaſticæ eruditionis pompam inepte adhibet, cur præterivit ſanctiſſimas illas Lateranenſis quarti, Lugdunenſis primi, Viennenſis & Tridentini Conciliorum Generalium ſanctiones de eliminando pravo omni quæſtu, de abuſibus quibuſcumque, quas ſuperſtitio, ignorantia, irreverentia aut alia quævis cauſa Indulgentiis miſcuiſſet, omnino abolendis, de compeſcenda nimia earumdem concedendarum facilitate, juſtiſque figendis earumdem diſpenſationi limitibus? Qui Pontificibus maledico dente carpendis plurimum delectatur, num Leonem III., Sergium

II.,

II.; Innocentium III., Nicolaum IV., Clementem V. & VI.; Martinum V., alioſque Pontifices audebit arrodere, quos poteſtate Indulgentias largiendi conſtat, uſos fuiſſe parciſſime? Damus, Urbanum ſecundum in Claromontano Concilio an. 1096. habito *plenarias*, ut vocant, Indulgentias conceſſiſſe, ſimiles ab Eugenio III. conceſſas a D. Bernardo plurimum commendari, in Lateranenſi quoque Concilio Innocentium III. Indulgentias ejuſmodi impertiviſſe; Verum qui ſecum animo reputet, Pontifices eam in fideles gratiarum plenitudinem effudiſſe, ut ad ſuſcipiendam pro Chriſti fide militiam, & conſecratam Chriſti ſanguine regionem ab Infidelibus recuperandam, eorumdem animos excitarent, nonniſi temere accuſare illos poterit effuſionis immodicæ; ſi quis etiam ſummam operis, quod erat plenariæ Indulgentiæ cauſa atque conditio, difficultatem expendat, e veſtigio intelliget, memoratos Pontifices theſaurum Eccleſiæ non profuſe fudiſſe, neque a ſatisfaciendi debito homines exemiſſe, ſed onus onere commutaſſe, & pœnis canonicis aliud pœnæ genus æque grave aut forte gravius ſubſtituiſſe; præſertim, quum, ut vetus S. Raimundi Gloſſator animadvertit, *ex magnitudine fidei & charitatis videretur procedere, ut quis aſſumeret, vel reciperet transmarinam peregrinationem tot & tantis periculis & mortibus plenam.*

XXVIII. Hinc quum præpoſtera Indulgentiarum largitio multis fuerit Conciliorum generalium canonibus improbata, atque in Indulgendis ejuſmodi remiſſionibus parcos admodum fuiſſe Pontifices Cardinalis Baronius ad an. Chriſti 1177. ſcribat, immodica ipſa, atque profuſa, quæ jactatur Indulgentiarum conceſſio, *lydius lapis* eſt, teſte Baronio ipſo, *ex quo earumdem impoſtura colligitur*; quare inſignes Theologi bene multi poſt Gerſonem atque Baronium in ea ſententia ſunt, commentitias eſſe, atque ab hominibus vel ſuperſtitione, vel craſſa ignorantia, vel turpi avaritia laborantibus procuſas immanes illas centies, vel quinquagies mille annorum & totidem quadragenarum Indulgentias; hujuſmodi enim *Indulgentiarum portenta*, ait Gerſo, *numquam Papa concedere cogitavit*. Verum quia egregii alii Theologi pro earumdem ſinceritate pugnant, neque eas *ab Evangelii veritate*, & *ab ipſo communi ſenſu*, quemadmodum fidenter nimis pronuntiat Auctor librorum *de Re Sacram.*, *alienas* eſſe contendunt, quod ea videlicet tot pœnitentiæ annorum relaxario ei reſpondeat tempori, quod peccator ob frequenter iterata delicta in ſatisfactione canonica tranſigere debuiſſet, idcirco, re in medio relicta, permiſſoque cuilibet ſentire, quod malit, diſſertatiunculam iſtam abſolvam præſtantiſſima D. Thomæ doctrina, a qua nemo reſilit Theologorum,
„ nimirum, licet in arbitrio dantis Indul-
„ gentiam ſit, taxare quantum per Indul-
„ gentiam de pœna remittitur, peccare il-
„ lum tamen, ſi inordinate remittat, ita
„ ut homines quaſi pro nihilo ab operibus
„ pœnitentiæ revocentur, tantum quoque
„ valere Indulgentias, quantum prædican-
„ tur, dummodo ex parte dantis ſit au-
„ ctoritas, ex parte recipientis charitas,
„ ex parte cauſæ pietas, quæ Dei hono-
„ rem, & utilitatem Eccleſiæ compre-
„ hendit; demum pro re mere temporali
„ non poſſe Indulgentias fieri, ſed pro
„ temporali bono ad ſpirituale relato, pu-
„ ta pro hoſtium Eccleſiæ repreſſione,
„ templorum & pontium conſtructione,
„ aliarumque eleemoſynarum largitione.“
Hactenus de Indulgentiis.

DE

DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO.

I. Tridentini Patres, quos Magiſtros ac Duces perpetuo ſequi, nobis animus eſt, doctrinæ de Pœnitentia tractationem de Sacramento hoc e veſtigio adjiciendam eſſe, rectiſſime cenſuerunt, quod non modo *pœnitentiæ*, *ſed & totius Chriſtianæ vitæ*, *quæ pœnitentia perpetua eſſe debet*, *conſumativum* a Patribus habitum ſit, ſeu, ut 4. cont. gen. c. 73. ait D. Thomas, *totius ſpiritualis curationis*, *quæ pœnitentia inchoata fuerat*, *complementum*. Quoniam nobis per tempus non licet, ea omnia fuſe perſequi, quæ de Sacramento hoc ſolent a Theologis tradi, ita contrahenda res erit, ut leviculis, minuſque utilibus prætermiſſis, toti incumbamus in Catholicæ doctrinæ ſummam a Tridentino propoſitam illuſtrandam, & frangendum Novatorum impetum; nemo etenim unus inter eos eſt, qui extremam unctionem proprie & veri nominis Sacramentum eſſe non neget: „ Supereſt ſecundum caput, ait in ſuo fidei clypeo Molinæus, an unctio nimirum, qua utebantur Apoſtoli, eorumque Diſcipuli, Sacramentum vocari queat. Si eo ſenſu Sacramenti vocabulum uſurpemus, quo a Veteribus, & in Romanæ Eccleſiæ Bibliis vulgo uſurpatum legimus, ideſt myſterium, ſacrumque ſignaculum intelligamus, nihil vetat, quin Sacramentum ea unctio dicatur, quæ divinæ gratiæ atque aſſiſtentiæ ſignum erat: Sacramentum tamen dici nequit, ſicut Baptiſmus, & Cœna; non enim eſt ſacratum ſignum, & divini fœderis in Chriſto Jeſu ſigillum ab eodem Chriſto inſtitutum, ut in Eccleſia *perpetuo* obſervaretur; quare unctionem illam, de qua S. Jacobus agit, Sacramentum proprie appellari non poſſe contendo. “ Etſi Novatores Sacramentum hoc averſentur, illud tamen præ cæteris exagitarunt, acerbiorique ſtilo inſectati ſunt Dallæus, Chamierus, Forbeſius, & noviſſime Benedictus Pictetus Miniſter, & in Genevenſi Academia Profeſſor, qui ſecundo polemicorum ſuorum operum tomo unctionem, quæ vetuſtis Eccleſiæ ſæculis infirmis adhibebatur, nonniſi labente duodecimo in extremam unctionem a Scholaſticis fuiſſe mutatam, & poſtmodum in Florentino Concilio ab Eugenio IV. an. 1439. Sacramenti dignitate donatam, ſcriptitat confidentiſſime. Quidquid ergo ab Erronibus iſtis objectum eſt, diſpungere, ac refutare conabimur, in quo quidem ponentes operam, quidquid ad dogmatis hujus ſubſtantiam pertinet, complectemur, & pugnantia Scholaſticorum placita, ex quibus præcipua cuſa ſunt Novatorum arma, exponere, & cum Eccleſiæ doctrina conciliare ſatagemus.

Extrema unctio verum eſt legis Evangelicæ Sacramentum.

II. Quamquam Theologi plures ad veritatis hujus confirmationem iis Marci 6. verbis utantur, *& ungebant oleo multos ægros*, *& ſanabant*, quia tamen alii bene multi, iique doctiſſimi, & celeberrimi negant, ex recitato textu Sacramentum illud extundi poſſe, neque Tridentina Synodus teſtimonium idem adhibuit, ſed a Scholaſticorum ac Interpretum diſſidiis ſibi conſtanter temperans prudentiſſime monuit, Sacramentum hoc a Marco in memorato capite *inſinuatum*, cui participio multiplex ſignificatio ſubeſſe poteſt, ideo eo prætermiſſo illud tantum urgebimus, quo Synodus eadem divinam Sacramenti hujus inſtitutionem adſtruit ſolidiſſime, ſeſ. 14. de extr. unct. c. 1. ajens: „ Inſtituta eſt ſacra hæc infirmorum unctio, tamquam vere, & proprie novi Teſtamenti Sacramentum a Chriſto D. N. apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum fidelibus commendatum, ac promulgatum: *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ*, *& orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini*, *& oratio fidei ſalvabit infirmum*, *& alleviabit eum Dominus*, *& ſi in peccatis ſit*, *dimittentur ei*: quibus verbis, ut ex traditione Apoſtolica per manus accepta Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium Miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sa-

„ cra-

„ cramenti " &c. Ex qua Tridentini Concilii doctrina duo hæc argumenta, alterum e recitato Jacobi textu, alterum e conſtanti Apoſtolica traditione conficimus.

III. Quum l. 3. Inſtit. c. 6. Calvinus ſcribat, quoties aliquid in quæſtionem adducitur, definitionem ſpectandam eſſe, quæ velut totius diſputationis fundamentum jacienda eſt, lubentiſſime viam iſtam inimus, ut extremam unctionem Sacramentum vere eſſe probemus. Quæ eſt genuina Sacramenti notio? Ipſum profetimus. Novatorum Catechiſmum, fidei confeſſionem, & Calvinum in *Tridentini Concilii Antidoto*, hæc de Sacramenti natura docentes: *Sacramentum eſt externus & ſenſibile ſignum divinitus ordinatum, gratiam continens, quam figurat, quo Deus ceu inſtrumentaria conferendæ gratiæ cauſa utitur*. Quis porro audeat e Sacramentorum novæ legis albo extremam unctionem eradere, in quam æque ac in Baptiſmum, & Cœnam germana hæc Sacramenti definitio aptiſſime quadrat? Nonne externo, & ſenſibus ſubjecto ritu conſtat, unctione videlicet, quæ oleo fit, precibus juncta, qui ritus exterior inviſibilis gratiæ forma ſeu ſignum eſt, quum, teſte Jacobo, peccatorum, ſi quæ forte ægrotantem tenent, remiſſionem, quam Novatores ipſi abſque gratia non fieri ſcribunt, ſignificet? Nonne & divinam ritus iſte refert inſtitutionem? Qui enim potuiſſet Jacobus peccatorum remiſſionis, quæ ſolius Dei proprius effectus eſt, promiſſionem ritui huic certo & fidenter adjungere, ſi Chriſtus ipſe eum ad remittenda crimina non inſtituiſſet? Nonne & Molinæus par. 2. clypei fidei ſect. 8. diſerte ait, unctionem hanc fuiſſe a Chriſto præceptam, quum a fide abhorreat, Apoſtolos quidpiam abſque ejus mandato molitos eſſe? Oleum vero quo hæc unctio peragitur, quodque Sacramenti hujus materiem eſſe, diſcimus ex Jacobo, Sacramentali effectui ſignificando, gratiæ ſcilicet, aptiſſimum eſſe, non Tridentinum ſolum, ſed & Calvinus ipſe l. 4. Inſt. c. 19. reſtatur ajens, *Apoſtolos oleo gratiam conſulto ſignificaſſe, ut docerent, non ſuam, ſed Spiritus Sancti virtutem in ægrotantibus operari*. Extrema itaque unctio vere Sacramentum eſt; quandoquidem eas omnes conditiones aperte præfert, quas ad Sacramenti notionem exigi, Novatores conſentiunt. Quidpiam ne deeſt eorum, quæ Calvinus ipſe deſiderat ibidem ſcribens. „ Quando duo hæc in „ Sacramentis exigimus, ut ceremoniæ „ ſint a Chriſto inſtitutæ, & Divinæ „ gratiæ adjunctam promiſſionem habeant, illud ultra requirimus, ut eæ „ ceremoniæ nobis præſcriptæ ſint, eaque „ ad nos ſit directa promiſſio? " Quis hæc omnia in Jacobi teſtimonio perſpicue non deprehendit? Divinam ceremoniæ hujus inſtitutionem atque juſſionem præter momenta jam allata nonne clare indicant ea Jacobi verba *unguentes eum oleo in nomine Domini*, ideſt Chriſti auctoritate, mandato, ac virtute ceremoniam hanc exercentes? gratiæ vero promiſſionem divinitus ceremoniæ huic adnexam ad nos ſpectare, noſque reſpicere, quis dubitare poſſit, quum de ſolis fidelibus, qui infirmantur, verba Jacobus habeat?

IV. Patres, qui veritati huic teſtimonium perhibent locupletiſſimum, commodius infra laudabimus, quum Novatorum argumenta ſolvemus: perpetuam interim Apoſtolicam traditionem per manus acceptam momento hoc irrefragabili demonſtramus: Unctionem extremam inter ſeptem novi fœderis Sacramenta non a Latinis ſolum, ſed & a Græcis, & quibuſcumque aliis, quæ Chriſtianæ profeſſionis ſunt, Orientalibus ſectis cenſeri retinerique, ut a Chriſto inſtitutam ac juſſam, atque ab Apoſtolis traditam, exploratiſſima res eſt, cui fidem indubiam faciunt antiquiſſima quæque Sacramentaria, Euchologia, orthodoxæ confeſſiones, & rituales libri, quo præjacto, graviſſimis Tertulliani verbis Novatores urgemus: *Age vero, omnes erraverint, nullam reſpexerit Spiritus Sanctus, ut eam in veritatem deduceret, ad hoc miſſus a Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, ut eſſet Doctor veritatis: neglexerit officium Dei Villicus, Chriſti Vicarius ſinens Eccleſias interim aliter intelligere, aliter credere, quod ipſe per Apoſtolos prædicabat; Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus unus eſt, ſeu*, ut exponit Rigaltius, caſus inter multos diſperſus non uno eodemque modo ab omnibus excipitur: *exitus variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum; cæterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum ſed traditum*. Hæc Tertullianus l. de præſcript. c. 28., ex quibus in hunc mo-

Digitized by Google

modum argumentum inſtruimus, quod & aliis, quæ Novatores ſacrilege eliminant, Sacramentis Eccleſiæ adſtruendis perquam idoneum eſt: A pluribus ſæculis Latini, & quotquot in Oriente Chriſtiani ſunt, extremam unctionem veri Sacramenti loco habent, & invariata religione cuſtodiunt; ergo quod inter tot genere, moribus, ingenio, & perſuaſione plurimum diſcrepantes unum invenitur, non eſt erratum ſed traditum; conſecutionis hujus veritas non Tertulliani auctoritate ſolum, ſed & ipſo naturæ lumine evidenter oſtenditur; qui enim fieri potuit, ut tot illæ Orientalium Chriſtianorum ſocietates a Romana Eccleſia jamdudum communione diſciſſæ, eamque pluſquam vatiniano odio proſequentes, in unum cum ea errorem conſpirarint, eundemque retineant conſtantiſſime, quum hæc ſit erroris natura, ut nunquam eodem gradu conſiſtat, nec diu ſibi conſtare poſſit, ſed variationem ſubeat pro ingeniorum diverſitate, a quibus adoptatur? quæ ergo Latinorum, atque Orientalium omnium animis penitus inſidet, firmiſſima & invariata de extrema unctione perſuaſio, non error eſt, ſeu traditio. Poſſumus autem, ait Pamelius, noſtri temporis Ariſtarchis, qui Eccleſiam errati inſimulant, idipſum optimo jure reponere, quod immediate addidit Tertullianus: *Audeat ergo aliquis dicere, erraſſe illos, qui tradiderunt? Quoquo modo ſit erratum, tamdiu utique regnavit error, quamdiu hæredes non erant. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat; interea perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa* &c. quæ verba in Lutherum & Calvinum pſeudo-Evangelicæ reformationis artifices, eorumque gregales perbelle cadere, nemo non videt.

Novatorum argumenta ſolvuntur.

V. Non moramur Lutheri blaſphemias in canonicam Jacobi Epiſtolam, quam negat Jacobi eſſe, dignamque apoſtolico ſpiritu, cujus Auctorem *delirare*, & *præpoſtere ratiocinari* ſcribit, quum inſtituti noſtri non ſit, Epiſtolæ hujus, ejuſque Auctoris vindicias adornare. Luthero Calvinum opponimus, qui eandem genuinum Jacobi fœtum eſſe, & vere canonicam confitetur, licet, dum ejus premitur auctoritate, impius & inconſtantiſſimus homo illam flocci faciat, & rejiciat. Lutheri, & Calvini Diſcipuli in id præſertim incumbunt, ut, quæcumque ſit Epiſtolæ hujus auctoritas, Sacramentum hoc elici inde non poſſe demonſtrent. Arguunt idcirco primo: De eadem unctione Jacobus agit, cujus Marcus c. 6. meminit, ſed illa Sacramentum plane non erat, quum nonniſi ad ægrorum omnium, quibus adhibebatur, corporalem curationem referretur, ergo nec iſta: ita præ cæteris Pictetus.

V. ℞. Falli inſigniter Genevenſem Miniſtrum; etſi enim unctio a Marco memorata, ejus, quam Jacobus commendat, typus atque figura fuerit, minus tamen inter utramque non intereſt, quam inter ablutionem cæci nati in natatoria Siloe, & lavacrum regenerationis, quo ex aqua & Spiritu Sancto renaſcimur; quid enim ſi lotio illa Sacramentum non fuit, ſed tantum Baptiſmatis typus? Ergone idem de Baptiſmo cenſendum? Sane ea unctio, quæ a Marco deſcribitur, neque precibus juncta fuiſſe legitur, nec annexam habuiſſe gratiæ promiſſionem; quæ vero a Jacobo præcipitur, a ſolis Eccleſiæ Presbyteris adhibenda eſt non ægris quibuſcumque, ſurdis puta, cæcis, claudis, mutis &c. ſed iis tantum qui graviori infirmitate laborant, atque ungentium orationibus comitata peccatorum remiſſionem in infirmo, qui ungitur, ex divina promiſſione operatur, eſtque idcirco veri nominis Sacramentum, quia eas omnes præfert conditiones, quas ad veri Sacramenti notionem Novatores quique deſiderant.

VI. Reponit Pictetus: quis dubitare poſſit, idem prorſus Apoſtolos non præſtitiſſe, quum Marco teſte, *ungebant oleo multos ægros & ſanabant*? ℞. Id non in dubium ſolum vocari poſſe, ſed & jure negandum, quandoquidem id neque Scriptura, neque traditio nos edocet; Unctos quidem oleo multos ægros legimus ab Apoſtolis, & ſanatos: hunc autem unctionis ritum, quo ad ægrorum curationem utebantur Apoſtoli, ubinam Pictetus legit, fuiſſe illis a Chriſto præſcriptum? Mathæus c. x. poteſtatem a Chriſto Apoſtolis factam ægros ſanandi, cujus & Marcus meminit, referens ait: *Duo-*

decim

Digitized by Google

decim miſit Jeſus dicens : infirmos curate, leproſos mundate &c. de adhibendo autem ad ægrorum curationem oleo ne verbum quidem ; pro iis vero, quos oleo ungebant, Apoſtolos precatos eſſe, iiſdemque non corporis ſolum, ſed & animæ incolumitatem contuliſſe, undenam Pictetus extudit ?

Regerit : Nonniſi de miraculoſa unctione, quæ infirmis redderet valetudinem, Jacobus agit; quis ergo velit ab illa, qua ægros omnes a ſe oleo unctos Apoſtoli repente ſanabant, hanc ſecernere, atque diſtinguere ? Neque enim peccatorum remiſſio unctioni a Jacobo tribuitur, ſed orationi fidei, qua efficitur, ut infirmus præter incolumitatem ſibi oleo redditam, adhibitis precibus fide plenis veniam quoque peccatorum obtineat. Inſcite itaque unctio hæc inter Sacramenta a Romanenſibus numeratur, quum ea curationum gratia jamdudum in Eccleſia deſierit, Sacramenta vero inſtituta a Chriſto ſint, ut perpetuo durent.

VII. Pinguiſſimi tamen erroris Pictetus ipſo Jacobi textu revincitur; Si enim nonniſi de miraculoſa unctione verba Jacobo ſunt, quorſum ibidem præcipit, ut infirmus non eos, qui curationum gratia pollent, ſed Eccleſiæ Presbyteros inducat, qui oleo eum in nomine Domini perungant ? Numquid ſoli ea ætate Presbyteri ſanitatum gratia divinitus inſtructi erant, ita ut ſanari infirmi non poſſent niſi ab eis oleo delibuti ? Sane ut Laicos etiam felici illo ævo a Spiritu Dei dividente ſingulis, prout vult, & operatione virtutum, & aliis, quas gratis datas Theologi vocant, gratiis fuiſſe donatos, teſtatur Paulus 1. ad Cor. 12. & 14., ita non omnibus Presbyteris dona hæc tunc fuiſſe collata, fidenter aſſerimus; quis enim credat, Diotrephem illum Presbyterum, cujus in tertia ſua epiſtola mentionem habet Joannes, qui amabat primatum in Eccleſia gerere, qui Joanni ipſi infenſus erat, malignis verbis in eum garriens, qui fideles peregrinos vetabat ab aliis ſuſcipi, & de Eccleſia pellebat, ſupernaturalibus donis his polluiſſe, quæ nonniſi ad aliorum utilitatem ac ædificationem Spiritus Sanctus, teſte Paulo, credentibus diſtribuebat ? Si ergo ad unctionem a Jacobo commendatam ſoli advocandi ſunt Eccleſiæ Presbyteri, non Laici etſi ſanitatum gratia præditi, non eſt illa miraculoſa, quæ morborum depulſionem unice ſpectet, ſed vere Sacramentalis, ad ſpirituales effectus, animæque ſalutem principaliter inſtituta. Veritatem hanc perſpicue declarant alia Apoſtolicæ locutionis adjuncta : Ad fideles enim ſcribit Apoſtolus, & ſi quiſpiam inter eos ægrotet, hunc jubet, Eccleſiæ Presbyteros inducere, a quibus oleo in nomine Domini perungatur. Quorſum autem ad fideles ſolos, eoſque non quomodocumque ægros, ſed graviori morbo detentos, ita ut ipſi nequeant Eccleſiæ Presbyteros convenire, ſed hos neceſſe ſit acceerſiri, & ad ægrotos induci, Apoſtolica locutio dirigitur ? Si nonniſi de miraculoſa unctione ſermonem Jacobus inſtituit, nonne Paulus ſcribit, miracula *in ſignum eſſe non fidelibus ſed infidelibus* ? Nonne cæci, claudi, paralyſi correpti, aliique hujus generis ægri ſupernæ curationis auxilio æque indigent, ac qui ex gravi morbo decumbunt ? Miraculoſam ergo unctionem ſi unice commendabat Apoſtolus, infideles potius, quam fideles, & quocumque morbi genere laborantes debebat ad hujuſmodi remedium hortari. Decretorium tandem illud eſt, quod de peccatorum remiſſione unctionem hanc conſequente ſubdit Apoſtolus ; quum enim multo majoris momenti ſit culparum expunctio, quam cujuſque morbi depulſio, atque animæ ſalus corporali quavis curatione ſit potior, nonne manifeſtam vim Apoſtolico textui Pictetus infert, præcipuum unctionis illius finem priſtinæ valetudinis reſtitutionem fuiſſe contendens ?

VIII. Peſſime quoque Genevenſis Theologus eadem Jacobi verba detorquet, blaterans, corporalem ſanationem unctioni, peccatorum vero remiſſionem orationi fidei a Jacobo palam adſcribi ; falſum enim hoc eſt quam quod maxime, quum Jacobus unctionem cum prece jungat, atque utrique ſimul effectus tribuat, quos ibi recenſent. Non pigeat, iterum Jacobi verba proferre, ut prava Picteti fides perſpecta fiat : *Infirmatur quis in vobis ? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Si velimus in litteræ cortice hærere, totum erit precibus tribuendum, quum orationi fidei ſanationem, & confirmationem infirmi, & a peccatis

emundationem videatur Jacobus adſcribere, ideoque Pictetus ineptit, effectus hos ſuo marte diſpertiens, duoſque priores unctioni, poſteriorem deputans orationi. Verum quum Apoſtolus immediate præmiſerit jubens, Eccleſiæ Presbyteros ſuper infirmum, ad quem inducti ſunt, preces fundere, dum eum oleo liniunt, ideſt orantes ungere, & unguentes orare, hinc Catholica Eccleſia perpetuo intellexit, ex unctione hac precibus comitata totum quoddam morale conſurgere, in quo oleum materiei, ungentium autem verba formæ partes obtinent, ac veri nominis Sacramentum exiſtere juxta celeberrimum illud Auguſtini effatum, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum;* quare ſicut hominum regeneratio, quæ Baptiſmate fit, non ſoli ablutioni, ſed & verbis Evangelicis, quæ illi junguntur, tribuenda eſt, ſcribente Paulo, Chriſtum *pro Eccleſia ſe tradidiſſe, ut eam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, ita effectus unctionis hujus a Jacobo deſcripti dividendi non ſunt, ut quidam in oleum, quidam referantur in preces, ſed omnes ex ſacra illa ceremonia fluunt, quam a Chriſto inſtitutam promulgavit Apoſtolus ex linitione ſimul ac precibus coaleſcentem, pro qua ceu vero Sacramento pugnamus, quod nihil illi deſit, quod ad Sacramenti Evangelici notionem exigitur.

IX. Delirat poſtremo cum Luthero, & Calvino Pictetus, Sacramentum iſtud exterminare nitens, quod curationum gratia Apoſtolorum ætate & proximiori ævo fidelibus ferme communis jamdudum in Eccleſia deſierit. Sed erroris Magiſtri, & iniquitatis operarii in eodem figendo clavo tempus laboremque infeliciter ponunt; eum enim nullo negotio refigimus. Fundamenti loco conſtituunt, Jacobæam uncturam non aliam eſſe a curationum gratia, quod ruinoſum, & peſſime jactum fundamentum jam a nobis disjectum eſt. Age vero, & quamquam pluribus opus non ſit, addamus alia, quibus falſiſſima hæc eorum poſitio magis, magiſque elidatur. 1. Si memorata a Jacobo unctio eadem eſt ac gratia ſanitatum, certo ergo convaleſcebant, quotquot juxta Jacobi monitum oleo in nomine Domini a Presbyteris inungebantur. Unde autem id Pictero innotuit, quum nullibi id Scriptura teſtetur? 2. Si Jacobæa unctio nonniſi miraculoſa eſt, cur oleum præſcribit Apoſtolus ceu proprium edendi miraculi inſtrumentum? Neminem enim latet, eos, qui curationum gratia valebant, uti promiſcue potuiſſe quocumque medio divinitus inſpirato, collatamque eis a Deo virtutem nulli fuiſſe determinatæ rei alligatam. Inſcite porro Pictetus regerit, ſanitatum gratia præditos oleum adhibuiſſe, quod frequentiſſimus apud Judæos eſſet olei in morbis uſus. O ſtolidiſſimum caput nonniſi chimæris paſtum! Demus tamen, Hebræos oleo uſos fuiſſe ad medicamen: ergone ad miracula adhibendum erat? Quot ægros ab Apoſtolis curatos legimus abſque oleo, aliaque quavis unctione? Jacobus tamen ſolos Eccleſiæ Presbyteros induci jubet, qui infirmos ungant, oleoque ad ungendum utentes orationes adjiciant, quin tamen infirmi quique ab eis uncti priſtinæ incolumitati reddantur. 3. Si idcirco, Pictero judice, ableganda eſt unctio hæc ceu otioſa & inutilis, quia miraculorum tempus elapſum eſt, rejicienda quoque erit Evangelii prædicatio, quam ætate noſtra miracula non comitantur, quibus confirmaſſe Deum Apoſtolorum prædicationem, referunt Marcus poſtremo Evangelii ſui verſiculo, & Lucas in toto Actorum libro, neque quotquot in Chriſtum credunt, & firmiſſime revelatis omnibus aſſentiuntur, fideles erunt, quandoquidem ea communiter ſigna non edunt, quæ Chriſtus Marci ultimo a credentibus patranda eſſe prædixit ajens: *ſigna autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.* Quemadmodum legitima Evangelii prædicatio in Eccleſia perdurat, perdurabitque ad ſæculi conſumationem, licet a Deo miraculis confirmari non ſoleat, quia permanet præcipuus finis ille, ad quem refertur, electorum videlicet ſalus, ſcribente Paulo ad Rom. x. ſalutem ex fide, fidem vero ex auditu, auditum autem per verbum Chriſti; neque minus germana eſt fides noſtra, quam priſcorum credentium fuerit, etſi illam miracula non conſequantur, quæ Apoſtolorum ævo frequentiſſima erant, quia eandem in nobis operatur immobilem revelatis omnibus aſſenſionem, quæ principalis ejus effectus eſt,

Digitized by Google

eſt, ita extrema unctio, quamvis infirmis non adferat ſanitatem, aut ſaltem id frequenter adeo & paſſim non præſtet, ſicut in Eccleſiæ primordiis, verum tamen Sacramentum eſſe non deſinit, quum gratiam conferat, quæ Sacramentorum novæ legis præcipuus effectus eſt.

X. Inſtat Pictetus: Unctioni illi Jacobææ adjuncta erat reſtitutionis infirmi, & remiſſionis culparum certe promiſſio: Quot autem ſunt, qui Papiſtico oleo delibuti nunc convaleſcant? Vix inter mille unum reperire eſt, cujus etiam reſtitutio medicaminum vel naturæ beneficio potius, quam olei, quod Papa ad Sacramenti dignitatem evexit, virtuti eſt adſcribenda. Quis etiam animo concipiat, unctionem auribus, oculis, naribus, manibus, pedibuſque, ut apud Romanos in more eſt, adhibitam, gratiam operari, & criminum remiſſionem? Nihil ergo habet Eugeniana unctio cum Jacobæa commune.

Quoniam Salomon Proverb. 26. nos monet, *ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ejus, ne ei ſimilis efficiaris*, Picteti ſcommata præterimus, breviterque reponimus, promiſſum ſanationis infirmi iis Jacobi verbis expreſſum, *& oratio fidei ſalvabit infirmum*, abſolutum non eſſe, cui effectus ſemper, certoque reſpondeat, ſed hypotheticum, ſi nimirum ſanitas ægro futura ſit utilis, æternæque ejus profutura ſaluti: niſi enim animalis homo carnem pluris faciat quam ſpiritum, negare profecto Pictetus nequit, inter effectus, quos unctioni huic Jacobus adſcribit, primas tenere peccatorum remiſſionem, atque gratiam, abſque qua remiſſio non fit, corporis idcirco recreationem a morbo nonniſi ſecundarium, minuſque principalem unctionis hujus effectum eſſe, ad quem edendum non eſt hæc unctio per ſe primo inſtituta, ſed quatenus ad primarium effectum confert. Profecto ſi egregium Geneveuſem Profeſſorem percunctemur, an eo tempore, quod cum Calvino *miraculorum ævum* appellat, ſanitati redderentur omnes, quibus adhibebatur hæc unctio, hæreat illi aqua, neceſſe eſt. Si enim reſpondeat, morbos unctorum omnium certo fuiſſe depulſos, neceſſario conſequitur, toto eo tempore eos ſolum ex morbo obiiſſe, qui remedium promptum adeo, certoque efficax neglexiſſent; quum autem omnibus a natura inſit vitæ amor, putas, non omnes de curando ſibi ſaluberrimo hoc pharmaco futuros fuiſſe ſollicitos, ut morbis omnibus promptiſſime mederentur, vitamque in tempora multa protraherent? Longæva ergo fuerit, oportet, & neſtoreis annis major priſcorum fidelium vita, quum eis præſto eſſet remedium, quo numquam morbo extingui poſſent. Si vero infirmis omnibus incolumitatem corporis Jacobæa unctio non adferebat, non eſt ergo ei abſoluta ſanationis infirmi adjuncta promiſſio. Quem vero effectum certo præſtet unctio a Jacobo præſcripta, niſi obicem infirmus apponat, Græci in orthodoxa ſua confeſſione, & Latini in Tridentino Concilio ex ipſis Jacobi verbis eliciunt: „ Res & „ effectus hujus Sacramenti, ait Tridentinum, verbis illis explicatur, & oratio „ fidei &c. res etenim hæc eſt gratia Spiritus S., cujus unctio delicta, ſi quæ „ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias „ abſtergit, & ægroti animum alleviat & „ confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua ſublevatus & morbi incommoda levius „ fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo „ inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem „ corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.“ Quod vero Pictetus addit, concipi mente non poſſe, quei diverſarum corporis partium unctione effici interius poſſit gratia culparumque remiſſio, indignum eſt, quod ſerio refellatur. Videat ipſe, quomodo Libertinorum, qui ſpiritus conſtantes, ſeu fortes hodie paſſim audiunt, ſimilia in Baptiſmum & Cænam jactantium impietatem coarguat, qui unctionem hanc divinitus inſtitutam, & ab Apoſtolo commendatam ſacrilega dicacitate deridet.

Urget Pictetus: Unctio infirmis olim adhibita duodecimo tantum ſæculo in extremam Scholaſticorum arbitrio converſa eſt, & quintodecimo Papæ Romani auctoritate Sacramenti dignitatem adepta: egregium plane Sacramentum, quod nonniſi a tribus ſæculis Papali poteſtate Florentiæ eſt inſtitutum. Id jam fuit a Domino Dallæo non probatum ſolum, ſed & ſolide demonſtratum. Perperam autem Funiger Leorati Innocentii I. Papæ, Synodi Aquiſgranenſis, & S. Bernardi auctoritatem, & Magdeburgenſium Centuriatorum teſtimonium opponit; Innocentius enim I. de extrema unctione non loqui-

quitur, memorata Synodus ungi quidem jubet infirmos non extrema illa tamen unctura, quam poſteriores arguti Dialectici commenti ſunt, Bernardus duodecimi ſæculi Scriptor eſt, & nimis ab Apoſtolica ætate remotus; non omnibus denique, quæ Centuriatores referunt, fides eſt adjungenda.

XI. Quoniam ea eſt Picteti inſolentia, ut veluti de præjudicata, jamque a Dallæo confecta re ſibi plaudat, nobiſque licenter inſultet, enitendum eſt, ut vanam ejus glorationem momentis graviſſimis comprimamus: Si nonniſi quintodecimo ſæculo ab Eugenio IV. extrema unctio ad Sacramenti dignitatem evecta eſt; quid ſibi itaque voluit Origenes tertii ſæculi clariſſimus Scriptor, dum hom. 2. in Levit. ait: *Eſt adhuc ſeptima per pœnitentiam remiſſio peccatorum, quum peccator lavat in lacrimis ſtratum ſuum, & quum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere ab eo medicinam &c. in quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit, ſi quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei?* Nonne duo verbis his Sacramenta deſignat, quibus remiſſio peccatorum adjuncta eſt, pœnitentiam nimirum, lacrymis, ſeu cordis contritione, oris confeſſione, & Sacerdotis medicinam præbentis ſeu abſolventis miniſterio conſtantem, & unctionem infirmi ceu pœnitentiæ appendicem & complementum, a Presbyteris Eccleſiæ in nomine Domini adhibitam, qua peccatorum reliquiæ tolluntur? Nonne quod Chryſoſtomus l. 3. de Sacerdotio ſcribit, *Sacerdotes Chriſti, non ſolum quum nos regenerant, ſed etiam poſt condonandorum peccatorum facultatem obtinere; infirmatur, inquit Apoſtolus, aliquis inter vos? acceſat. Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & obſecratio fidei ſalvum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei*, nonne, inquam, perſpicuum adeo planumque eſt, ut Magdeburgenſes Centuriatores etſi jurati Romanæ Eccleſiæ hoſtes, centuria VI. p. 205. hæc adnotent: „ Chryſoſtomus unus ex vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus, verbis Iacobi probat, Sacerdotes poteſtate pollere remittendi peccata extrema unctione, „ quæ ſimplex ceremonia non eſt, ſed „ Eccleſiæ Ieſu Chriſti Sacramentum? “ Noſtra porro nihil intereſt, non omnia a Pictero pronis auribus excipi, & adoptari, quæ Centuriatoribus placent: illud extra litem eſt, laudatum ab eis Chryſoſtomi teſtimonium genuinum eſſe, atque adeo ſplendidum, ut interperrationem ſuſcipere nequeat aliam ab ea, quam ipſa clara verborum lux, & veritatis vis a Lutheranorum doctiſſimis vel invitis extorſit.

XII. Quid etiam illuſtrius iis, quæ Innocentius I. quinto ineunte ſæculo ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſcripſit: *Non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus, quod in B. Jacobi epiſtola conſcriptum eſt, intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt . . . . Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt, quia genus eſt Sacramenti, nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* In immenſum ſermo noſter abiret, ſi ex ſingulis Eccleſiæ ſæculis vellemus teſtimonia hujus veritatis excerpere, atque ſingula chronologico ordine percurrentes, quidquid a Patribus & Conciliis traditum eſt, huc conferre. Suppetunt quinto ſæculo Victoris Antiocheni in carena Græcorum Patrum, & Auguſtini in l., cui titulus *ſpeculum*, ſexto Cæſarii Arelatenſis ſem. 265., & Gregorii M. in ſuo Sacramentario, ſeptimo Theodori Cantuarienſis Epiſcopi in ſuo Pœnitentiali, octavo Ven. Bedæ in epiſt. Jacobi, nono Conciliorum Cabilonenſis ſecundi, Aquiſgranenſis, Moguntini, & Ticinenſis, undecimo tandem Teophylacti, Euthimii, atque Oecumenii locupletiſſima teſtimonia, quæ a Polemicis tractatoribus ſtudioſe collecta, & ſolide vindicata Pictetum, ejuſque gregales putidiſſimi mendacii revincunt; quum enim hæc in omnium oculis manibuſque verſentur, qua fronte Pictetus adfirmat, ægrorum unctionem ſæculo duodecimo tranſiſſe in extremam, & ſæculo quintodecimo Sacramenti dignitate donatam, idque a Dallæo invicte jam demonſtratum? Quum duodecim ſæculorum ſpatio unctionem hanc in Eccleſia fuiſſe uſitatiſſimam, momenta ſuperius indicata conficiant, qui blaterare audet, Jacobæam unctionem nonniſi ad tempus illud fuiſſe inſtitutam, quo miraculorum donum fuerat in Eccleſia perduraturum? Num toto illo duodecim ſæculorum intervallo miraculoſa fuit hæc unctio, qua ſe-

ſexto, ſeptimo, & proxime ſecutis ſæculis delibutos plures eximiæ ſanctitatis Viros paulo poſt feliciter ad cæleſtia migraſſe memorant probatiſſimi coævi Hiſtorici? Nonne etiam extreme impudens Pictetus eſt, unctionem, de qua Aquiſgranenſe Concilium agit, aliam ab ea eſſe contendens, quam poſteriores Scholaſtici excogitarunt? Eſtne Sinenſi aut Japponico idiomate conceptus primus hic ejuſdem Concilii canon, ut in ejus intellectum ſudandum ſit: *ſi quis infirmitate depreſſus fuerit ne confeſſione, atque oratione Sacerdotali, necnon unctione ſacrati olei per Presbyteri negligentiam careat: Denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino Deo ſuo cum acceptione ſacræ communionis?* Poſtremo quam ſit Pictetus S. Bernardo contumelioſus, cujus auctoritatem nihili pendit, quod ille fuerit ſæculi duodecimi Scriptor, in oculis cujuſque eſt; neque enim Bernardus cujuſpiam novi ritus ſeſe auctorem exhibet, ſed vetuſtiſſimi, atque in Eccleſia receptiſſimi moris oculatum teſtem, dum in vita S. Malachiæ Hibernorum Epiſcopi ſcribit, eum in Clarevallenſi Monaſterio ægrotantem mortique proximum juſſiſſe oleo ſacro ſe ungi, eoque linitum, ſumptoque viatico reverſum ad lectulum pie in Domino deceſſiſſe. Abrogare ne fidem tanto Viro Pictetus audebit rem geſtam narranti, quam ſuiſmet oculis hauſerat?

XIII. Repulſo diſiectoque Picteto, congrediendum nobis eſt cum Forbeſio, qui comparatis ex pugnantibus Theologorum noſtrorum opinionibus armis Sacramentum illud oppugnat. Quis, inquit, inter novæ legis Sacramenta unctioni huic locum tribuat, de cujus inſtitutione, materia, forma, Miniſtro, ſubjecto, & effectibus ii, qui inter Romanenſes Theologos primas obtinent, inter ſeſe acerrime digladiantur? Thomas, Chriſtum immediate Sacramentum illud inſtituiſſe, ejuſque promulgationem Jacobo mandaſſe cenſet, Hugo tamen a S. Victore, Petrus Lombardus, & Bonaventura non Chriſto ſed Apoſtolis primam ejus inſtitutionem adſcribunt, immo Cajetanus Pontificius Cardinalis rotundis verbis negat, ex jactato illo Jacobi textu extremam Sacramentalem unctionem extundi: Iidem Lombardus, Thomas, atque Bonaventura, quibus adhærent Scotus, Bellarminus, aliique plures, oleum Epiſcopi benedictione non conſecratum ineptam unctionis hujus materiem eſſe pronuntiant, numerari tamen ex adverſo non poſſunt, quibus oppoſitum placet: de forma vero, deprecatoria ne futura ſit, an, ut ajunt, indicativa, quam vehemens inter eos eſt concertatio! Tridentinum anathema fert in eos, qui ſolum Sacerdotem proprium non eſſe dixerint unctionis hujus Miniſtrum: Waldenſis tamen ad Laicos etiam, ſi nullus Sacerdos adſit, ejus adminiſtrationem extendit, eamque olim Diaconis fuiſſe commiſſam, ſcribit in ſuo *de extrema unctione* libro Jo. Launojus. Latini omnes nonniſi graviter ægrotantes perungunt, Græci vero Pœnitentes omnes etſi corpore firmos, optimeque valentes. In figendis porro Sacramenti hujus effectibus quantum inter ſe diſſident duo illa Scholaſticorum lumina, Thomas atque Bonaventura! Negat ille, unctionem hanc ad venialium deletionem principaliter inſtitutam, affirmat iſte, ſuumque placitum ait commune eſſe Theologis. Tandem Baltaſſar Paes communem eſſe ſcribit Theologorum doctrinam, nullam a Chriſto ſuſcipiendi Sacramenti hujus inductam fuiſſe neceſſitatem, nec peccare eum, qui citra contemptum, & ſcandalum illud omiſerit. Ecquod autem Sacramentum hoc eſt, quod Domini præcepto caret? Num Sacramenta Chriſtus inſtituit, ut adiaphora quædam cujuſque arbitrio permiſſa? Apage ergo Romanenſem ſuperſtitionem, in qua conſtabilienda Auctores ejus nec ipſi ſibi conſtare poſſunt.

XIV. Quamquam Forbeſio demus, Theologos noſtros in laudatis capitibus invicem diſcrepare, operam tamen illum luſiſſe contendimus, dum hac opinionum varietate ac diſſenſione Sacramentum iſtud evertere aggreſſus eſt, quod ei quam infeliciter ceſſerit, non admodum operoſum futurum eſt, demonſtrare, quum Forbeſius dogmatis hujus ſummam cum iis, quæ extra ejus ſubſtantiam ſunt, inſcite confundens, in fidei caput urgeat Scholaſticorum diſſidia, quæ in adjunctis tota verſantur. Ad rem itaque, & ſingula breviter perſequamur. Extremam unctionem verum novæ legis Sacramentum eſſe a Chriſto inſtitutum, laudato Jacobi teſtimonio perſpicue commendatum, atque Divina & Apoſtolica traditione ad nos deductum, fidei articulus eſt, in quo adſerendo Catholici quique conſentiunt. Immediate ne, an mediate tantum fuiſſet inſtitu-

turum a Chriſto, ante Theologiæ Scholaſticæ ortum nullus in quæſtionem adduxit, neque qui ejus inſtitutionem poſtea Apoſtolis tribuerunt, a receptiſſima Eccleſiæ doctrina vel latum unguem receſſiſſe dicendi ſunt; Hugonis enim & Magiſtri verba Theologi celeberrimi, Albertus M., Thomas Argentinenſis, & Doctor Angelicus benigne interpretantur de inſtitutione *promulgationis*, *executionis*, & *canonis*, ſeu ut omnium nitidiſſime ait D. Thomas: *Magiſter dicit Sacramentum ab Apoſtolis inſtitutum, quia per doctrinam Apoſtolorum nobis promulgata eſt ejus inſtitio*. Fac tamen, Hugonis & Magiſtri verbis interpretationem hanc aptari non poſſe, eoſque vere Sacramenti hujus inſtitutionem ad Apoſtolos retuliſſe, quemadmodum Alenſis, & D. Bonaventura contendunt, violatæ tamen fidei rei agendi non ſunt, quia id præſtitiſſe Apoſtolos docent non propria auctoritate, & arbitrio, ſed Chriſti nomine, poteſtate, ac mandato, divinam idcirco referre Sacramentum illud originem, quum a Deo ipſo in Apoſtolos fluxerit ejus inſtituendi auctoritas, inſpiratio, atque juſſio; quare etſi D. Thomæ ſententia, quæ inter Theologos communis eſt, nobis multo probabilior, imo explorata videatur, & certa, nullam tamen Hugonis Victorini aliorumque etſi improbabili & falſæ opinioni notam audemus inurere, quum Tridentina Synodus prudentiſſime ei pepercerit, quod probe noſſet, eam a Novatorum errore longiſſimo intervallo diſtare. Etſi enim pauci ii Scholaſtici Apoſtolos primos unctionis hujus finxerint Inſtitutores, eam tamen non humani commenti, ac hiſtrionicæ ceremoniæ, ut Lutherus, & Calvinus, & quotquot de eorum grege ſunt, ſed veri Sacramenti efficiendæ gratiæ virtute pollentis loco habuerunt, ad cujus veritatem atque efficaciam nihil intereſſe putabant, an a Chriſto ipſo immediate, an vero mediate ſolum, ideſt ab Apoſtolis Chriſti inſtinctu, auctoritate ac præcepto ſancitum fuerit.

XV. Tametſi Pontificius Cardinalis ſit Cajetanus, canonicus tamen Scriptor non fuit, cujus manum & calamum ita rexerit Deus, ut nihil umquam ei erroneum, ac falſum exciderit. Incaute illum ante Tridentini Concilii celebrationem nonnulla ſcripſiſſe, quæ poſt ejuſdem Synodi definitiones adoptari jam a nemine citra temeritatem atque errorem poſſunt, fatemur ingenue: hæreticum tamen fuiſſe illum, iniquiſſime & falſo quis dixerit, quum in iis erratum a Cajetano ſit, de quibus Eccleſia ſolemni certoque judicio dubitationem omnem nondum ſuſtulerat, ipſeque, qua erat eximia animi pietate ac religione, ſcripta ſua Apoſtolicæ Sedis correctioni ſubjecerit. Erravit Cajetanus ergo, dum ſcripſit, ſæpe laudatis Jacobi verbis probare Sacramentum illud non poſſe, meritoque refellitur a Theologis omnibus, a Catharino præſertim in ſuis annotationibus in Commentaria Cajetani; quamquam optandum maxime fuerat, ut Catharinus in eum ſolis rationum momentis ageret, a contumeliis vero in Virum non dignitate ſolum, ſed probitate, ſcientia, & egregiis in Eccleſiam meritis eminentiſſimum abſtineret, præ quo ipſe paucorum menſium Theologus pumilio erat piæ Hercule; ſed impune mortuis erſi ſummis a proletario quolibet inſultatur, quod ii jam ſe tueri non poſſint. Ceterum nihil Forbeſius habet, quo ſe Cajetani præſidio protegat, eodem enim in commentario in Jacobi Epiſtolam Catholicus Scriptor, unctionem extremam veri nominis Sacramentum eſſe fatetur, docetque, veritatem hanc, etſi Jacobi teſtimonio non probaretur, ex perpetua Apoſtolica traditione palam aperteque conſtare.

XVI. Quoad Sacramenti hujus materiem, inter omnes communionis noſtræ Theologos convenit, oleum eſſe ex olivis expreſſum, neque ejus loco adhiberi poſſe liquorem alium ex pingui quavis craſſaque materia elicitum, quum Jacobus a Presbyteris infirmos perungi oleo jubeat, oleum autem ab olea ſit, eique ſoli proprie & abſolute ejuſmodi appellatio conveniat, aliis vero liquoribus minus proprie ſolum, & nonniſi, ut loquuntur, cum addito tribuatur. Inter fidei quoque capita Catholici quique recenſent, & unanimiter confitentur, ſanctum eſſe, plurimumque laudabilem ritum, quo in olei hujus benedictione Eccleſia jamdudum utitur, & nemo unus inter eos eſt, qui Calvinum non execretur l. 4. Inſtit. c. 19. hæc ſcribentem: „ Jacobus, dum inungi infirmos jubet, non aliam unctionem mihi ſignificat, quam vulgaris olei: iſti oleum non dignantur niſi ab Epiſcopo conſecratum, hoc eſt multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, & novies fle-

„ xu

„ xu ſalutatum. " De unctionis hujus materia fidei noſtræ hæc ſumma eſt, nec quemquam opponere Forbeſius poterit, qui communi ſententia deſciſcat. Cetera, de quibus libere & innoxie diſputatur in Scholis, ſubſtantiam dogmatis non attingunt; Etſi enim in ea Jacobi verba *ungentes oleo in nomine Domini* de oleo divini nominis invocatione jam conſecrato quidam interpretantur, plures tamen ea ad ſolam Presbyteri ungentis actionem referri cenſent, quæ Chriſti nomine, auctoritate, atque mandato fit; Etſi Innocentius I. Fideles ægrotantes perungi ſcribat oleo ſancto ab Epiſcopo confecto, Concilia ſuperius memorata, Latinorum rituales libri, & Græcorum Euchologia infirmorum oleum paſſim vocent *oleum ſanctum*, *divinum*, *exorcizatum*, *per Epiſcopum confectum*, & *Pontificali benedictione ſacratum*; etſi denique Florentinum & Tridentinum *oleum ab Epiſcopo benedictum* Sacramenti hujus materiam eſſe declarent, graviſſimi idcirco, præſtantiſſimique Theologi cum Angelico Doctore propugnent, irritum fore Sacramentum ſi oleo non conſecrato Sacerdos utatur, Recentiorum tamen plerique ex adverſo ſtant, docentque, olei benedictionem Sacramenti, ut ajunt, neceſſitate non exigi, quod nullum nobis neceſſitatis hujus argumentum invictum Scriptura ac traditio ſuppeditent, poſſintque ea omnia teſtimonia, quæ benedictionis mentionem injiciunt, de Eccleſiæ præcepto percommode exponi. Neminem tamen repetire eſt, qui non doceat Sacerdotem graviter peccaturum, qui infirmum oleo non conſecrato auderet inungere, Eccleſiæ inſtitutionem ac diſciplinam in re graviſſima violans, atque in Sacramenti adminiſtratione, tutiore relicta, probabilem opinionem amplectens, quod nefas eſſe Innocentius XI. declaravit.

XVII. Quum novæ legis Sacramenta rebus, verbiſque conſtent, huic quoque Sacramento propriam formam Catholici omnes adſcribunt, refelluntque Kemnitium in Tridentini Concilii examine hæc inſulſe ſcribentem: „ De adhibita illa forma „ verborum, quam Pontificii præſcribunt, „ nulla vel litera, vel ſyllaba in Evange- „ lica hiſtoria legitur. " In Sacramenti hujus quoque adminiſtratione deprecativam formulam in Græca Latinaque Eccleſia communiter nunc uſurpari, extra controverſiam eſt, quum Euchologia apud Græcos uſitatiſſima, & rituales libri, quibus a ſexcentis & amplius annis Latini utuntur, necnon Florentini & Tridentini Conciliorum declaratio veritati huic teſtimonium perhibeant locupletiſſimum: illud pariter omnibus ratum fixumque eſt, aliam jam non poſſe abſque ſacrilegio adhiberi, quam deprecativis verbis conceptam formulam, quum hæc ſit univerſaverſalis Eccleſiæ auctoritate recepta, eaque ſola jubeantur Sacerdotes inviolabiliter uti. Quod ergo inter Theologos diſſidium eſt, ipſam Catholicæ veritatis ſummam non violat, imo ne vellicat quidem; qui enim Sacramenti hujus formam, niſi deprecatoria fuerit, ineptam eſſe pronuntiant, Jacobi textu pugnant jubentis, induci *Presbyteros*, *qui ſuper infirmum orent*, *ungentes eum oleo &c.* & promittentis, *oratione fidei ſalvandum infirmum &c.* objectaſque ſibi veteres formulas in pluribus Italiæ, Germaniæ, & Galliarum Eccleſiis olim receptas, quæ abſolutis atque indicativis vocibus contextæ erant, interpretantes, reponunt, eas ex verbis indicativi modi, & precatione fuiſſe permixtas, ita tamen ut indicativa oratio ad formam potius eſſet diſpoſitio quam forma: ſic præ ceteris D. Thomas in ſuppl. quæſt. 29. art. 8., „ verba illa „ indicativi modi, quæ ſecundum morem „ quorumdam præmittuntur orationi, non „ ſunt forma hujus Sacramenti, ſed quæ- „ dam diſpoſitio ad formam, in quantum „ intentio Miniſtri determinatur ad actum „ per illa verba, ungo hos oculos oleo „ ſanctificato &c. " Qui autem in oppoſita ſententia ſunt, laudatis Jacobi verbis parum moventur, quum *Oratio* abſolutam enuntiationem æque ac precationem ſignificare poſſit, ideoque indicativi modi formula *oratio fidei* apte appellari, ſicut & Baptiſmi forma ab Auguſtino *verbum fidei* dicitur, a fide nimirum profectum, & fidei, ſi non Miniſtri, Eccleſiæ ſaltem, cujus ille perſonam gerit, innixum. Nihil porro certi, quo una potius quam altera forma figenda ſit, ex Jacobi verbis deduci poſſe, perdocti Viri Menardus, Morinus, Martenius, Launojus aliique Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcrutatores diligentiſſimi invicte demonſtrant, D. Gregorii M. Sacramentario, Vaticano, Armarenſi, Corbejenſi, Sagienſi, Siculo & Veneto Codicibus, atque Eccleſiarum Ambroſianæ, Viennenſis, Sueſſionenſi, Lug-

dunenſis, Attrebatenſis, Metenſis, & Virdunenſis manualibus libris, qui omnes abſolutam formam exhibent, atque indicativam; Si enim Jacobi verba deprecatoriam formulam certo præſcriberent, qui auſæ fuiſſent tot illæ celebres Eccleſiæ indicativam aſſumere, ad plura ſæcula retinere, Romana omnium Matre, & Magiſtra non diſſimulante ſolum & permittente, ſed & probante?

XVIII. Etſi autem Tridentina Synodus declararit, formam Sacramenti hujus eſſe illa verba, *per iſtam ſanctam unctionem &c.* litem tamen iſtam lato judicio cenſenda non eſt diremiſſe; Rite quidem & valide formam hanc adhiberi, atque ex receptiſſima latinæ Eccleſiæ conſuetudine neceſſario uſurpanadm eſſe decrevit, indicativam tamen veluti ineptam exploſiſſe ac damnaſſe dicenda non eſt, quum probe noſſet, eam in pluribus Occidentis Eccleſiis ad plura ſæcula olim fuiſſe uſitatam, nec judicare prudenter poſſet, in hujus Sàcramenti admiſtratione tot illuſtres Eccleſias erraſſe, quas conſtat, numquam hoc nomine a Romana Eccleſia vocatas in culpam. Cur vero laudata Synodus deprecatoriam formam ita præſcripſerit, ut tamen indicativam ceu ceu nullius efficaciæ non damnarit, cur Epiſcopi quidam, qui eidem Synodo interfuerant, ejuſque mentem habebant probe perſpectam, manuales libros poſt ejus celebrationem ediderint abſolutam formam exhibentes, quæ jam dudum in more erat, cur elapſo proxime ſæculo, & noſtro hoc plures Catholici doctiſſimique Viri, etſi gravis peccati reum pronuntient Sacerdotem, qui aliam uſurpet, quam quæ in Latina Eccleſia jam pridem obtinens a Tridentino confirmata eſt, libere tamen innoxieque propugnant, verbis indicative prolatis perfici Sacramentum, quod deprecatoria forma ad Sacramenti ſubſtantiam ex divina inſtitutione non ſpectet, in promptu ratio eſt, quæ a D. Bonaventura in 4. ſent. diſt. 23. q. 4. art. 1. tradita a Theologis omnibus adoptatur; ibi enim adverſus Sacramenti hujus veritatem ſibi argumentum objiciens ex diverſitate formæ in Catholica Eccleſia uſu receptæ petitum, quum Gregoriana ſeu Romana hac forma uteretur, *per iſtam ſanctam unctionem &c.* Ambroſiana vero hac, *ungo te oleo ſanctificato*, aliæ Eccleſiæ alias huic ſimiles uſurparent, reſpondit: „ Dicendum, quod ſecundum id, quod eſt eſ„ ſentiale Sacramento, eandem formam „ oportet eſſe; ſed forma verbi non eſt „ neceſſaria ratione vocis exterioris, ſed „ prout eſt expreſſiva verbi interioris. “ Eſſentiale itaque Sacramento eſt, ut ad elementum accedat verbum, quod propriam Sacramenti virtutem, & peculiarem effectum ſignificet, atque elemento junctum id efficiat, quod ſignificat; perinde autem eſt ad Sacramenti ſubſtantiam, an eadem ab omnibus grammaticalis formæ enuntiatio, & materialis verborum ſyntaxis ſervetur, an diverſa, modo idem ſit ſenſus, eademque invariata ſignificatio. Quod ergo inter abſolutam atque deprecatoriam formam intercedit diſcrimen, nonniſi accidentarium eſt, quum idem prorſus utraque ſignificetur, ſuprema ſcilicet cauſa, nempe Deus, Miniſtri actio, & præcipuus unctionis hujus effectus, ideoque Theologorum noſtrorum pugna innoxia eſt, quippe quæ inviolatam fidei doctrinam tenens, tota in vario ejuſdem exponendæ modo verſatur; quare Bened. XIV. in op. de Syn. Diœc. l. 6. c. 2. ait: Quum nihil de hac re ab Eccleſia definitum habeamus, non decet in Synodo hanc quæſtionem commemorare, ſed ſolum injungendum eſt Parochis, ut formam adhibeant in Rituali præſcriptam.

XIX. Merito Lutherum & Calvinum Tridentina Synodus anathemate perculit, qui adverſus perpetuum univerſalis Eccleſiæ ſenſum, atque ſemper, & ubique cuſtoditam religioſiſſime diſciplinam, quemadmodum ex omnibus Latinorum ritualibus, & Græcorum Euchologiis conſtat, Presbyteros Eccleſiæ, quibus unctionis hujus infirmis adhibendæ munus Jacobus attribuit, non Miniſtros Eccleſiæ Sacerdotio initiatos, & peculiariter Deo ſacros, ſed Laicos ætate ſeniores, aut primores in plebe interpretari auſi ſunt; quamquam enim Græca vox *Presbyter* & Seniorem ætate, & Sacerdotem ſignificare poſſit, in laudato tamen Jacobi textu non majores ætate, qui communitati politice præſunt, ſed Sacerdotes, qui Eccleſiam regunt, intelligendos eſſe, ipſa Jacobi locutio aperte declarat; non enim Presbyteros ſolum, ſed Presbyteros Eccleſiæ induci jubet, qui orent ſuper infirmum ungentes eum &c. Qui autem ſunt Eccleſiæ Presbyteri, niſi qui divino cultui, & fidelium curæ ſpeciali conſecratione addicti ſunt? Veritatem hanc ſuis

in

in commentariis in Jacobi Epiſt. doctiſſimus Grotius agnoſcit, aitque ex verſione Syriaca perſpicue colligi, nec repugnare poteſt Forbeſius ipſe, qui in poſtremo ſui operis libro, in quo agit *de Presbyterio*, nomine Presbyterorum Eccleſiæ, quorum non ſemel in novo Teſtamento occurrit mentio, primos ac præcipuos poſt Epiſcopum Eccleſiæ Miniſtros Deo ſacros venire demonſtrat, quorum eſt, verbum Dei ex officio prædicare, baptizare, Euchariſtiæ Sacramentum conficere ſeu conſecrare, & cum Præſidente ſuo, ideſt Epiſcopo, communi conſilio Eccleſiam regere. Legitimos itaque Sacramenti hujus Miniſtros ſolos Sacerdotes eſſe, fidei dogma eſt, quod violari abſque hæreſi nequit; quare Thomam Waldenſem, ſtrenuiſſimum licet Wiclephiſtarum atque Huſſitarum oppugnatorem, erraſſe concedimus, dum Chriſtiano cuilibet, ſi Sacerdos deſit, Sacramenti hujus adminiſtrandi facultatem attribuit; nec tamen hæreticus habitus a quoquam eſt, ut nec haberi juſte poteſt, quod nec errorem ſuum pertinaciter propugnarit adverſus ſolemnem aliquam Eccleſiæ definitionem, quæ tunc temporis nulla erat, & teſtimonio quodam excerpto ex l. *de rectitudine catholicæ converſationis* Auguſtino perperam adjudicato deluſus fuerit in cujus etiam germano ſenſu, cujuſcumque demum liber ille ſit, ut & in alterius ex Ven. Beda deprompti intellectu hallucinatus eſt Vir eximius. Quidni etiam dicamus, Scriptorem de Catholica Eccleſia egregie meritum, cenſuiſſe quidem, inſtante morte, quum nullus præſto eſt Sacerdos, unctionem hanc adhiberi etiam a Laicis poſſe, nec tamen illam veri Sacramenti, ſed religioſi cujuſdam officii ad infirmi levamen a piis, fideque plenis Laicis, quo veri Sacramenti defectus ſuppleatur, exhibiti loco habuiſſe? Idem de confeſſione in mortis articulo, quum nullus in promptu erat Sacerdos Laicis edenda, Veterum Scholaſticorum pleroſque ſenſiſſe, jam adnotavimus, quorum tamen nemo de legitimo pœnitentiæ Miniſtro dubitavit, nec confeſſionem ejuſmodi, opinatus eſt, vere eſſe Sacramentalem.

XX. Launoium non moramur impotentis ingenii, & intemperantis criterii hominem. Neque hoc ſolum nomine eum refellimus & reiicimus, quod adverſus divinii eloquii auctoritatem, perpetuam Eccleſiæ traditionem atque uſum, Tridentini Concilii definitionem, & unanimem Theologorum omnium conſenſionem præpoſtere ſentiat, & confidentime ſcribat, Diaconis olim fuiſſe conceſſum, ut infirmos, urgente morte, perungerent, ſed, & quæ ex Eccleſiaſtica antiquitate monimenta corraſit, prave detorqueat, erroremque ſuum nimia verboſitate ſimplicioribus venditet. Quorſum enim tanta illa teſtimoniorum undequaque collecta congeries? Ad danda Lectoribus verba, faciendumque iis fucum, qui ſint Eccleſiaſticæ eruditionis omnino jejuni. Cypriani Epiſtolas, nonnullorum Conciliorum canones, quædam canonici juris capita, & juriſconſultorum gloſſas obtrudit, in quibus de facta quandoque adminiſtrandi Sacramenti hujus Diaconis poteſtate ne verbum quidem. Quid enim ſi iis omnibus in locis legitur, imminente vitæ exitu potuiſſe a pœnitentibus exomologeſim apud Diaconos fieri? Acerrimi ne Launoii judicii erat inferre, & Diaconis fuiſſe permiſſum, ut pœnitentes extreme laborantes oleo ſacro perungerent, ideſt conſecutionem elicere, quæ nec ipſis Dialecticæ tyronibus probaretur? Fac enim, exomologeſis illius nomine Sacramentalem Confeſſionem atque abſolutionem venire, quod tamen falſum eſt; ſtupidi tamen hominis eſt, hinc colligere, & veluti certum efferre, hujus quoque Sacramenti adminiſtrationem Diaconis fuiſſe permiſſam, quum numquam in Dei Eccleſia duo hæc Sacramenta æqualis habita fuerint neceſſitatis. Cæterum tam falſum eſt, licuiſſe umquam Diaconis Sacramentum hoc miniſtrare, quam a vero abeſt, fas illis umquam fuiſſe Sacramentales fidelium confeſſiones excipere, eiſque abſolutionis Sacramentalis beneficium impendere, quemadmodum in tract. de Pœnit. art. *de Miniſtro* ſolide demonſtratum eſt.

XXI. Sacramentum hoc iis tantum, qui adverſa corporis valetudine, eaque gravi laborant, adminiſtrandum eſſe, inter fidei articulos Eccleſia cenſet, quod veritatem hanc perſpicue adſtruat ſæpe laudatus Jacobi textus, & Apoſtolica invariata traditio confirmet; quæcumque enim adtulimus, dum Picteto reſponderemus, Eccleſiaſtica monumenta non ſolum Sacramenti hujus veritatem, & divinam inſtitutionem probant, ſed etiam ſolis infirmis juxta Jacobi ſanctionem exhibendum eſſe declarant: quare & *oleum infirmorum*, & *Sacramentum exeuntium* nuncupari jamdudum ſolet. Eandem eſſe Græcorum fidem, ille ſolus in du-

dubium vocet, qui eorum Enchologia non legerit, nec præcipuos inter eos Doctores adiverit, qui vel de re Sacramentaria ſcripſerunt, vel Lutheranis Witembergenſibus, & Tubingenſibus reſponderunt, vel Cyrilli Lucaris articulos refutarunt. Quid ſibi ergo vult ea unctio, quam Græcos omnibus promiſcue pœnitentibus etſi corpore valentibus adhibere, ſcribunt Leo Allarius, Arcudius, & Goarius? Mera illa eſt ceremonia, ac etiam ſi velis Sacramentale quidpiam ex ſolo operantis, ut ajunt, opere nonnihil virtutis habens, non verum Sacramentum: ita hanc Græcorum conſuetudinem cum Arcudio, Renaudorio, aliiſque doctiſſimus Goarius exponit in Euchologio nota tertia *in officium ſancti olei* ajens: „ Infirmum ſpiritualem, pœnitentem ſcilicet, præ oculis habentes Græci, precibus quidem his, veluti pharmaco ſalubri ſanandum ſuſcipiunt, vulnera ejus ſancto oleo curare, tum votis & benedictionibus alligare ſtudent, non ita tamen ut unctio precibus adjuncta ex opere operato animæ deleat infirmitates, ſed, ſi quid poſſit, ex pœnitentis tantum devotione, aut ex Sacerdotis deprecantis charitate, ideſt ex opere operantis illud valeat producere: addo & hac eadem mente unumquemque oleo ſancto ab Epiſcopis benedicto ſeſe in Eccleſia ungendum offerre feria v. in cœna Domini, unctionemque hujuſmodi, ut peccatorum antidotum, & ſanctitatis largitricem, ſacræ communioni præviam de Epiſcoporum manu ſuſcipere, ſed nec pœnitens corpore vegetus, nec illi Myſteriorum Dei diſpenſatores, veri germanique Sacramenti ſuſcipiendi vel concedendi mentem animumque dicendi ſunt habere: “ Hactenus Goarius Græcorum rituum peritiſſimus.

XXII. In eo vero, quod de Sacramenti hujus effectibus Catholica Eccleſia docet, ſumma eſt Theologorum conſenſio; quem enim Forbeſius dabit, qui Sacramento hoc adſerat, gratiam non conferri, qua a Domino allevietur infirmus, & ea peccatis, ſi quibus forte inquinatus eſt, emundetur? Illud quoque in confeſſo eſt apud omnes, Sacramentum hoc ad expungenda lethalia non fuiſſe a Chriſto primo & principaliter inſtitutum, quum proprium hunc eſſe Baptiſmi tantum & Pœnitentiæ effectum, cujus per ſe primo edendi efficacitas iis a Chriſto collata eſt, Catholica ſemper Eccleſia docuerit: quare jam uſus obtinuit, ut hac de cauſa *mortuorum* Sacramenta dicantur; quæ ergo inter D. Thomæ & Scoti Diſcipulos diſſenſio eſt, perperam a Forbeſio jactatur, quum ii in figendis Sacramenti hujus effectibus plane concordes, in eo ſolum invicem diſcrepent, quod non eundem in iis recenſendis ordinem ſervent, ideſt Scotiſtæ venialium remiſſionem Sacramento huic principaliter reſpondere propugnent, Thomiſtæ vero ſecundario ſolum, atque, ut ajunt, ex conſequenti: intacta itaque eſt dogmatis in utraque Schola ſubſtantia. Quoniam vero Sacramenti hujus effectus probe noſſe, pertutile eſt, verba huc conferam D. Thomæ, qui l. 4. c. 9. c. 73. & Sacramenti hujus inſtituendi cauſam, & ſalubres ejus effectus diſertiſſime exponit: „ Ex infirmitate animæ quæ eſt peccatum, interdum infirmitas derivatur ad corpus, hoc divino judicio diſponente, quæ quidem infirmitas interdum utilis eſt ad animæ ſanitatem, prout homo eam ſuſtinet humiliter & patienter, & ei quaſi in pœnam ſatisfactoriam computatur, quandoque impeditiva eſt ſpiritualis ſalutis, prout ex corporali infirmitate impediuntur virtutes; conveniens ergo fuit, ut ſpiritualis aliqua medicina adhiberetur contra peccatum, quatenus ex eo derivatur corporalis infirmitas, qua quidem ſpirituali medicina quandoque ſanatur corporalis infirmitas, quum ſcilicet expedit ad ſalutem, & ad hoc ordinatum eſt Sacramentum extreme Unctionis, de quo dicitur Jac. 5. *Infirmatur quis in vobis &c.* nec præjudicat virtuti Sacramenti, ſi aliquando infirmi, quibus confertur, a corporali infirmitate non curantur, quia quandoque corporaliter ſanari, etiam digne hoc Sacramentum ſumentibus utile non eſt ad ſalutem; nec tamen inutiliter ſumitur, quamvis corporalis ſanitas non ſequatur; quum enim ordinatum ſit contra corporis infirmitatem, quatenus conſequitur ex peccato, manifeſtum eſt, illud ordinari contra alias ſequelas peccati, quæ ſunt pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, & tanto magis, quanto hujuſmodi ſpirituales infirmitates ſunt propinquiores peccato, quam infirmitas corporalis. Hujuſmodi quidem ſpirituales infirmitates pœnitentia ſunt curandæ, prout pœnitens per opera virtutis, quibus ſatisfaciendo utitur, a malo retrahitur, & ad bonum inclinatur; ſed quia homo

„ vel per negligentiam , aut varias vitæ
„ occupationes, aut propter temporis bre-
„ vitatem , aut alia hujuſmodi , prædi-
„ ctos defectus in ſe perfecte non curat ,
„ ſalubriter ei providetur , ut hoc Sacra-
„ mento prædicta curatio compleatur , &
„ a reatu pœnæ temporalis liberetur , ut
„ ſic nihil in eo remaneat , quo in exitu
„ animæ a corpore eam poſſit a perce-
„ ptione gloriæ impedire , & ideo Jaco-
„ bus addit : *& alleviabit eum Dominus* .
„ Contingit etiam, quod homo, omnium
„ peccatorum , quæ commiſit , notitiam
„ vel memoriam non habet, ut pœniten-
„ tia poſſit ſingula expurgare, ſunt etiam
„ quotidiana peccata , ſine quibus præ-
„ ſens vita non agitur, a quibus oportet,
„ hominem in ſuo exitu per hoc Sacra-
„ mentum emundari , ut nihil in eo in
„ veniatur, quod perceptioni gloriæ repu-
„ gnet , & ideo Jacobus addit , *& ſi in*
„ *peccatis ſit*, *dimittentur ei* ; unde mani-
„ feſtum eſt , hoc Sacramentum eſſe ulti-
„ mum , & quodammodo conſumativum
„ totius ſpiritualis curationis , quo homo
„ quaſi ad participandam gloriam præpa-
„ ratur, unde & *extrema unctio* nuncupa-
„ tur : “ Hactenus D. Thomas.

XXIII. Quorſum denique tantas Forbeſius tragædias excitat , quaſi vero inter Catholicos quiſquam ſit, qui Sacramentum hoc Domini mandato carere ſomniet, reique adiaphoræ aut inutilis loco habeat ? Quotquot Catholici ſumus, Tridentino ſubſcribimus anathemate Novatores percellenti, qui docent, unctionem extremam vel humanum figmentum eſſe, aut ritum a Patribus acceptum , mandatum Domini , & promiſſionem gratiæ non habentem . Etſi autem ne unus inter nos ſit , qui Sacramento huic eam , quam medii dicunt , neceſſitatem tribuat ad ſalutem , quo ſenſu D. Thomas non uno loco docet, *non eſſe illud ſimpliciter neceſſarium* , *nec de neceſſitate ſalutis* , atque Baltaſſar Paez ſcribit , *communem hanc eſſe Theologorum doctrinam* , omnes tamen cum Tridentino fatemur , hujus Sacramenti contemptum abſque ingenti ſcelere & ipſius Spiritus S. injuria eſſe non poſſe ; neque gravis ſceleris reum tantum habemus illum , qui *formaliter* , ut loquuntur Sacramentum iſtud contempſerit ceu otioſum & inutilem ceremoniam , quod ſane hæreſim & ſacrilegium redoleret , ſed illum quoque contemnere interpretamur , graviterque idcirco delinquere pronunciamus , qui, quum ejus ſuſcipiendi facultas adſit , illud ſciens & prudens vel reſpuit, vel omittit, nec Theologorum aliquem proferre Forbeſius poterit , qui Magiſtro non conſentiat in 4. ſent. diſt. 13. hæc habenti : *Si ex contemptu vel negligentia Sacramentum hoc prætermittitur*, *periculoſum eſt*, *& damnabile*. Quo etiam ſpectant graviſſima illa tum Catechiſmi Romani, tum nonnullarum Provincialium Synodorum verba, quibus monentur Parochi , cavere diligentiſſime , ne quiſquam abſque hoc Sacramento decedat , quo illud Colonienſis Concilii decretum , quo Eccleſiaſtica ſepultura privantur , qui infirmitatis tempore unctionem ſacram reſpuerint ? Hæccine in rem adiaphorem cadunt , quæ in cujuſque arbitrio ſit poſita ? Legat Forbeſius , qui penitiorem ſibi rerum noſtrarum peritiam arrogat , probatiſſimos communionis noſtræ Scriptores, qui docent, illos, qui oralem ſuorum criminum confeſſionem edere jam præ morbo non poſſunt, cujuſcumque juris religione obſtringi, ut ſaltem Sacramento hoc ſibi conſulant, cujus eſt, venialia peccata per ſe delere , lætalia quoque per accidens expungere, quod quiſque debeat , in extremo diſcrimine opportuna illa, quibus æternæ ſalutis impedimenta ſubmoventur , remedia arripere , & adhibere , quæ ſibi in promptu ſunt , nec vero ab iis , qui Pœnitentiæ Sacramento jam ſunt expiati , negligi innoxie poſſe ; inſtante enim noviſſima colluctatione cum Diabolo , qui , ut Apocal. 17. legimus , *deſcendit habens iram magnam* , *ſciens* , *quia modicum tempus habet* , quis poſſit abſque culpa Sacramenti hujus numen vel reſpuere vel prætermittere, cujus propria hæc virtus eſt, quemadmodum ex Tridentino jam adnotavimus , ut *ægroti animum alleviet* , *& confirmet* , *magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua ſublevatus infirmus non morbi ſolum incommoda laboreſque levius fert, ſed & antiqui ſerpentis calcaneo tunc potiſſimum inſidiantis tentationibus facilius reſiſtit ?* In refellendo Forbeſio breviter , nitideque complexi , quidquid de Sacramenti hujus inſtitutione, materia , forma, Miniſtro , ſubjecto , effectibus , atque neceſſitate fuſe tradunt Veteres , recenteſque Theologi, diſputationis hujus finem facimus. L. D. B. V. D. & D. A.

FINIS TOMI SEPTIMI.

Digitized by Google

INDEX RERUM.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. GEnuina Sacramenti notio profertur.

PROPOSITIO I.

Septenarius Sacramentorum numerus ceu fidei caput adſtruitur.

I. Tridentini judicium de ſeptenario hoc numero injuſtum & temerarium Forbeſius vocat. II. III. IV. Sanctiſſimum illud, æquiſſimumque eſſe probatur perpetua Eccleſiarum omnium conſenſione. V. & VI. Calvini primum argumenta. VII. Exin Forbeſii. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. Necnon Fehlavii, & Auctoris *hiſtoriæ critica fidei Gentium Orientis* diſſolvuntur. 3

PROPOSITIO II.

Novæ legis Sacramenta non ſunt plura, quam ſeptem.

I. II. Eadem Eccleſiarum omnium conſenſione veritas hæc demonſtratur. III. IV. V. & VI. Quæ ad labefactandum conſenſum hunc Novatores e Latinis Doctoribus torquent, inepta. VII. & VIII. Ut & quæ ex Græcorum Scriptorum nonnullis. 9

PROPOSITIO III

Septem hæc Sacramenta neque ſunt dignitate paria, neque ſuperflua.

I. Novatorum adverſus veritatem hanc erroris radix detegitur. II. Et præciditur. III. & IV. Dignitatis Sacramentorum ordo & gradus exponitur. V. Duplex neceſſitatis genus cum D. Thoma diſtinguitur, nullumque Sacramentum eſſe, quod non aliquo nomine ſit neceſſarium, evincitur. VI. VII. & VIII. Quæ Cathari & Adiaphoriſtæ opponunt, futilia. 12

PROPOSITIO IV.

Sacramenta Evangelica gratiam ex opere, ut ajunt, operato conferunt.

I. Variæ, quæ apud Novatores volitant, Sacramenti definitiones exploduntur. II. Quæ germana ſit dictionis hujus *ex opere operato* poteſtas, aperitur. III. & IV. Scripturarum teſtimoniis primum propoſitio confirmatur. V. Exin conſtanti omnium Chriſtiani nominis Societatum conſenſu. VI. VII. VIII. Maledicta, quibus hanc Eccleſiæ doctrinam Calvinus proſcindit, retunduntur. IX. & X. Quid Sacramenta veteris inter & novæ legis interſit, explicatur. XI. Alia Calvini maledicta eliduntur. XII. & XIII. Controverſiam de modo, quo Sacramenta gratiam efficiunt, inter Scolaſticos ferventem doctrinæ Eccleſiæ non incommodare, probatur. 15

PROPOSITIO V.

Alterum habent nonnulla Sacramenta effectum, characterem nempe.

I. II. III. Characterem meram non eſſe *novorum Theologiſtarum* fictionem, atque commentum ab Innocent. III. excogitatum, ut Novatores ajunt, Apoſtolica traditione, omniumque Eccleſiarum conſenſione, conficitur. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Quidquid adverſus veritatem hanc Novatores urgent, refutatur. 21

PROPOSITIO VI.

Miniſtri, dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt, intentionem habeant, oportet, faciendi ſaltem, quod facit Eccleſia.

I. Breviter perſtringuntur, quæ de Sacramentorum Auctore, ac Miniſtris fuſe ſolent ab aliis diſputari. II. Novatorum error exponitur. III. Intentionis notio, & multiplex genus, explicatur. IV. De qua intentione quæſtio ſit, figitur. V. & VI. Momentis e Chriſtiano-

norum omnium conſenſu, atque ex Sacramenti natura, ejuſque, quas Novatores tradunt, definitionibus petitis doctrina Eccleſiæ confirmatur. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. Novatorum argumentis e naturali ratione, ex Eccleſiaſtica hiſt., Patrumque teſtimoniis conflatis ſatisfit. XIV. XV. XVI. XVII. & XVIII. Catharini opinionem Novatorum errore procul abeſſe, Benedictus XIV. l. 7. *de Syn. Diœceſ.* c. 4. luculenter evincit. 25

PROPOSITIO VII.

Sacramentorum perfectio a Miniſtri probitate non pendet.

I. Qui olim veritati huic adverſati fuerint, nuncque adverſentur, breviter indicuntur. II. III. & IV. Tridentini canon Chriſtianorum omnium conſpiratione, & theologicis rationibus communitur. V. VI. VII. VIII. & IX. Quæ ex Scripturarum oraculis, Patrum dictis, & naturali ratione tela cudunt Hæretici, repelluntur. X. S. Gregorii VII. de ordinationibus ſimoniaca labe pollutis judicium cum propoſitionis hujus veritate non pugnat. 33

De Baptiſmo.

I. Baptiſmi Evangelici natura declaratur. III. Præpoſtera Calvini & Socini de Baptiſmo opinio exponitur. III. Necnon Willelmi Dell' Quakerorum Miniſtri. IV. Et Benjamini Holme. 37

PROPOSITIO I.

Baptiſma, quod Chriſtus inſtituit, verum & proprium eſt, ex naturali aqua, & verbis Evangelicis coaleſcens.

I. II. III. & IV. Momentis firmiſſimis veritas hæc confirmatur. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. & XV. Quæ Willelmus Dell' e Scripturis congerit, argumenta futilitatis revincuntur. XVI. XVII. & XVIII. Quæ Benjaminus Holme adjicit, ejuſdem furfuris ſunt. XIX. XX. & XXI. Naturalem aquam ita propriam eſſe hujus Sacramenti materiem, ut suppleri alio liquore non poſſit, momentis validiſſimis D. Thomæ, & perpetuo Chriſtianorum omnium conſenſu adverſus Lutherum, & Bezam efficitur. XXII. XXIII. Quæ vel e naturali ratione, vel ex Eccleſ. Hiſtoria opponuntur, veritatem hanc non labefactant. XXIV. Qui Jacobitas, præſertim Æthiopes igne, non aqua ad Baptiſmum uti ſcribunt, a Renaudotio convincuntur errati. XXV. Quæ vera ſit & naturalis aqua ad Baptiſmum idonea, explicatur. XXVI. & XXVII. De ordinario & extraordinario Baptiſmi miniſtro pauca præmittuntur. XXVIII. XXIX. & XXX. Celeberrima, quæ ſæculo III. S. Stephanum Papam inter & S. Cyprianum de Baptiſmi Miniſtro hæreſi aut ſchiſmate infecto agitata eſt, controverſia memoratur. XXXI. & XXXII. Certiſſimum hoc Eccleſiaſt. Hiſtoriæ caput minus prudenter, & ſcite recentiſſimus Scriptor in dubium vocavit. XXXIII. Plures, quæ ad controverſiam hanc a Theologis attexuntur, quæſtiones prætermittuntur. XXXIV. Et ſola, quam Tridentinum can. 4. de Bapt. finivit, expendenda ſuſcipitur. 38

PROPOSITIO II.

Ratum eſt Baptiſma ab Hæreticis vel Schiſmaticis ritu Evangelico adminiſtratum.

I. Eccleſiæ Catholicæ auctoritas. II. Et conſuetudo, qua nullus eſt legum Chriſti ſanior interpres. III. Necnon Auguſtini adverſus Donatiſtas argumenta ad veritatis hujus confirmationem conferuntur. IV. & V. Quæ ad elidendam Eccleſiæ in *Plenario* Concilio collectæ auctoritatem torquentur, infirma. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. Nihilo meliora, quæ adverſus Eccleſiæ conſuetudinem ſive e divino eloquio, ſive a ratione Adverſarii urgent. XVI. Licet Auguſtinus quæſtionem definire noluerit, an approbandum ſit Baptiſma a non baptizato collatum. XVII. *Poſtmodum* tamen, *eſt per Eccleſiam determinatum*, ait D. Thomas, valere illud. XVIII. Quæ poſitioni huic videntur incommoda, ab eodem D. Thom. perſpicue diſſolvuntur. 52

PRO-

PROPOSITIO III.

Ratum non ſolum eſt, ſed & culpa vacat Baptiſma a Laicis cujuſque ſexus, urgente neceſſitate, adminiſtratum.

I. Calvini & gregalium ejus error notatur. II. III. IV. V. & VI. Ad eum coarguendum non aliunde, quam ex ipſa Calvini confeſſione, & communibus Novatorum principiis momenta petimus. VII. & VIII. Perperam a Forbeſio Tertulliani, Hieron., & Auguſtini anctoritas flocci fit. IX. X. & XI. Longa, quam idem Forbeſius inſtruit, argumentorum ſeries refutatur. XII. & XIII. In collatum a fæminis præſertim Baptiſmum Calvini impetus frangitur. XIV. XV. & XVI. Quæ de Græcis & Cophtis jactantur, cum Arcudio, & Renaudotio facile expediuntur. 59

PROPOSITIO IV.

Baptiſmus divino jure ad ſalutem neceſſarius eſt.

I. Quæ vera ſit Baptiſmi neceſſitas, declaratur. II. Calvini, & plurium ex ejus grege peſtilentiſſimus error exponitur. III. Et notiſſimo Chriſti D. effato Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. profligatur. IV. V. Ex hoc Chriſti effato tria adverſus Calvinum invicta argumenta cuduntur. VI. Præpoſtera ad hoc Chriſti effatum adhibita a Calvino interpretatio rejicitur. VII. VIII. & IX. Ut & quam adhibet ad illud Apoſt. teſtimonium 1. ad Cor. 7.: *Si quis frater uxorem habet infidelem* &c. X. XI. & XII. Reliqua Calvini objecta diluuntur. XIII. XIV. & XV. Forbeſii & Picteri tricæ expediuntur. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Singularis Caietani opinio *de miſericordia Dei Baptiſmi defectum quandoque ſupplente* perſtringitur. 65

PROPOSITIO V.

Ratum & ſanctum eſt Baptiſma adminiſtratum infantibus.

I. Anabaptiſtæ veritatis hujus hoſtes. II. & III. Momentis firmiſſimis ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine ductis refutantur. IV. V. VI. & VII. Ad præcipua eorum argumenta ipſa Calvini reſponſa ceu plane firma adhibentur. VIII. & IX. Reliqua eorumdem objecta extricantur. X. Eraſmi error poſtremo Tridentini canone confixus notatur. XI. & XII. Singulare Tertulliani, & Greg. Nazianz. placitum ab errore Anabaptiſtarum procul abeſſe, demonſtratur. 72

PROPOSITIO VI.

Perinde valet Baptiſma, ſive aſperſione, ſive infuſione ſive immerſione, hacque una vel trina adminiſtretur.

I. Cur reliquos Tridentini de Baptiſmo canones prætereamus, ratio redditur. II. Impacta nuper ab Anonymo Gallo D. Thomæ calumnia diſpungitur. III. D. Thomas veteris Eccleſiæ diſciplinæ conſultiſſimus. IV. Erravit Cl. Renaudotius, dum ſcripſit, Baptiſmum infuſione collatum a nullo Orientalium improbari. V. Proferuntur Græci, qui hoc Latinis in crimine poſuerunt. VI. Momentis, quæ D. Thomas egregie verſat, propoſitionis veritas demonſtratur. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. Diluuntur omnia, quæ ex *baptizandi* verbo, Chriſti exemplo, Apoſtolorum more, nonnullorum Patrum teſtimoniis, & priſcis quibuſdam canonibus Græci objiciunt. 77

PROPOSITIO VII.

Ritus, quo Eccleſia in baptizando utitur, omni ſuperſtitione vacat, & ſanctus eſt.

I. Ceremonias cum olim ad ſolemnitatem Baptiſmi adhibitas, jamque obſoletas, tum quæ adhuc vigent, D. Thomas luculenter exponit. II. Impia Calvini adverſus Eccleſiam, quæ illas retinet, verba exſcribuntur. III. Ex quibus tria ad caſtigandam ejus procacitatem inſtruuntur validiſſima argumenta. IV. Nihil eſt ſanctius, fine, cujus gratia ceremonias has inſtitutas eſſe, D. Thomas probat. V. VI. VII. VIII. & IX. Omnia, quibus harum uſum Novatores exagitant, refelluntur. X. In fali-

ſalivæ præſertim uſu nihil indecorum eſſe, demonſtratur, & nonnullorum imprudens agendi ratio perſtringitur, qui hoc, & alia quædam Sacramentalia in Baptiſmi adminiſtratione abolenda, aut omittenda eſſe putarunt. XI. XII. & XIII. Quid in ſingulis ceremoniis myſterii lateat, paucis ex Angelico delibatis exponitur. 82

DE CONFIRMATIONE.

I. Sacramenti hujus natura, ac definitio promitur. II. Etſi de ejus natura non una ſit Novatorum ſententia, omnes tamen in eo rejiciendo conveniunt. 86

PROPOSITIO I.

Confirmationem novæ legis Sacramentum eſſe, ſcripti Dei verbi auctoritate conficitur.

I. II. Ad veritatem hanc demonſtrandam duo illa tantum teſtimonia ſatis ſuperque ſunt, quæ a priſcis Eccleſiæ Patribus in hanc rem adhibita leguntur, Act. ſcil. 8. *Quum audiſſent Apoſtoli* &c. & 19. *Et quum impoſuiſſet illis manus Paulus* &c. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. Quidquid ad horum teſtimoniorum vim infringendam Calvinus, ejuſque aſſeclæ, Pictetus præſertim, commenti ſunt, vanitatis redarguitur. 87

PROPOSITIO II.

Eadem veritas tradito Dei verbo confirmatur.

I. II. & III. Vetuſtatem dogmati huic apertiſſime ſuffragari, quod Calvinus negat, & ejuſdem vetuſtatis auctoritate certo effici, Sacramentum hoc *non ex hominibus ſed a Deo eſſe*, demonſtratur. IV. V. VI. & VII. Calvini primum, VIII. & IX. exin Dallæi objecta dipelluntur. 91

PROPOSITIO III.

Eadem veritas conſtanti Eccleſiarum omnium conſenſione conſtabilitur.

I. II. & III. Conſenſionis hujus documenta locupletiſſima producuntur. IV. V. VI. VII. & VIII. Perperam ad labefactandum conſenſum hunc pugnam Forbeſius jactat, quæ de Sacramenti hujus inſtitutione, materie, forma, & Miniſtro inter noſtræ communionis Theologos eſt. IX. & X. Quæ Latinos inter & Græcos in Sacramenti hujus uſu differentia eſt, fidei ſummam non violat. 95

PROPOSITIO IV.

Solus Epiſcopus ordinarius eſt hujus Sacramenti Miniſter.

I. II. III. Veritas hæc argumentatione ex communi Sanctorum omnium ſenſu ducta firmatur, IV. Necnon argumento, quo Beveregius Dallæum nervoſe perſtringit, V. Photii primum argumenta exſcribuntur, VI. VII. Et ipſis Arcudii verbis refutantur. VIII. Ad ea plenius diluenda præclara adjicitur D. Thomæ doctrina. IX. Multa e Scripturis, ex Patribus, ex antiquis canonibus, & pervetuſta Orientalium diſciplina opponit Dallæus in lib. *de Confirmatione*, X. XI. & XII. Inſcite tamen, & infeliciter. XIII. XIV. & XV. Quæ ex antiquiſſimo Orientalium more difficultas exiſtit, egregia Bened. XIV. doctrina l. 7. de Syn. Diœc. c. 9. expeditur. XVI. Morem hunc cum Eccleſiæ doctrina non pugnare, demonſtrat & Arcudius. 99

FINIS.

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO
INDEX RERUM.

Tridentini doctrina novem capitibus, & quindecim canonibus comprehenſa illuſtranda in hoc Tract. & defendenda ſuſcipitur,

ARTICULUS I.

An Pœnitentia verum ſit Sacramentum a Chriſto inſtitutum.

I. SAcramenti Pœnit. pervulgata definitio promitur. II. Primi Sacramenti hujus hoſtes indicantur,

Pœnitentia verum eſt legis Evangelicæ Sacramentum.

I. Demonſtratione ex principiis a Luthero jactis petita veritas hæc confirmatur. II. Refutantur Novatores, qui Chriſti verbis, *Quorum remiſeritis &c.* ſolam prædicandi Evangelii poteſtatem Apoſtolis tributam deſignari, comminiſcuntur, III. & IV. Negantque, Apoſtolos judiciaria ligandi ac ſolvendi poteſtate umquam uſos, V. & VI. Qui & mendacii revincuntur in eo, quod ajunt, nullam Sacramenti hujus apud veteres PP. mentionem occurrere. VII. Adhibita a nonnullis PP. ad laudata Chriſti verba interpretatio communem Eccleſiæ doctrinam non labefactat. VIII. Ex quo nullum fuerit in veteri lege Pœnit. Sacramentum, perperam Novatores inferunt, illud & ab Evangelica ablegandum. IX. Quandonam Chriſtus Sacramentum hoc inſtituerit, ex D. Thoma profertur. 106

ARTICULUS II.

An Pœnitentia Sacramentum ſit a Baptiſmo diſtinctum.

Lutheri & Calvini error indicatur.

Pœnitentia Sacramentum eſt a Baptiſmo plane diverſum.

I. II. & III. Ad veritatis hujus confirmationem tria Tridentini momenta, IV. Quartum ex Baptiſmi notione a Calvino tradita, V. Quintum ex art. 3. *Apologiæ Confeſſionis Auguſt.* deprompta conteruntur. VI. VII. & VIII. Præpoſtera verborum Chriſti, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, a Luthero & Calvino excogitata interpretatio coarguitur. IX. X. XI. & XII. Ut & violata illa, quam Calvinus adhibet ad verba Pauli ad Eph. *Chriſtus ſe ipſum tradidit pro Eccleſia . . . mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* XIII. XIV. & XV. Germana Auguſtini mens a Calvino detorta aperitur. XVI. Sacramentum hoc *ſecunda poſt naufragium tabula* vere ſanctéque a Patribus appellatum. XVII. Quæ ſit ejus neceſſitas, declaratur. 110

ARTICULUS III.

De Sacramenti hujus materie.

I. De remota, ut ajunt, materie nec verbum habemus, quod nullus de ea Tridentino fuerit ſermo. II. Ratum ponimus, & jam Chriſtianorum omnium confeſſione certiſſimum, nullum peccatum eſſe, quod Sacramenti hujus virtute deleri nequeat. III. De ſola itaque proxima materie, ſeu de Pœnitentis actibus verba habituri canonis quarti de Pœnit. a Trident. in Novatores lati defenſionem aggredimur.

Sacramenti hujus eſſentia in conſcientiæ terroribus, & ſpeciali fide perverſe a Novatoribus collocatur.

I. II. III. IV. & V. Ex ipſis Adverſariorum principiis valida nobis præſto ſunt argumenta, quibus hunc eorum errorem profligemus. 116

ARTICULUS IV.

De primo Pœnitentis actu, ſeu contritione.

Trident. doctrina, & Novatorum error breviter exponuntur.

Contritio non ſolum ceſſationem a peccato, & novæ vitæ propoſitum, atque inchoationem, ſed etiam veteris odium ac deteſtationem continet.

I. Scripturarum doctrina, II. III. IV. Et exemplis, V. Necnon naturali ratione Novatorum error exagitatur. VI. Quid *Pœnitentia* latine, VII. Et Metanœa græce ſonet, exponitur. VIII. IX. X. & XI. Quæ ex Paulo, & Patribus Lutherus arripit, nihil habent ejus errori affine. XII. Nec quæ e ratione petit, eidem ſuffragantur. XIII. Refutantur Theologi, qui ad veræ pœnitentiæ rationem veteris quidem vitæ deteſtationem, non item novem vitæ propoſitum neceſſarium eſſe, ſcriptitant. XIV. Propoſitum hoc explicitum, &, ut vocant, *formale* ſit, oportere. XV. De duplici contritione, de qua Tridentinum, pauca dicuntur. XVI. Veterum Scholaſticorum, qui contritionem charitate perfectam ad Sacramentum hoc neceſſario afferendam eſſe ſenſerunt, opinio jam obſoleta eſt. XVII. Contritionis *imperfectæ*, quæ & *attritio* dicitur, non una apud Theologos notio. XVIII. & XIX. Ejus, quæ proprie *attritio* dicitur, de qua Tridentinum, germana definitio, eique oppoſitus Novatorum error ab eodem Trident. confixus. 126

Attritio ex gehennæ & pœnarum metu concepta utilis eſt, & ad juſtificationem diſponit.

I. Multiplex timoris diviſio ex D. Thoma profertur. II. Veteris, III. Et novi Teſtamenti locupletiſſimis teſtimoniis, IV. Necnon Patrum auctoritate Tridentini doctrina firmatur. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. Multa e Scripturis, Patribus, Auguſtino præſertim, & naturali ratione Novatores objiciunt, perperam tamen & infeliciter. XV. Acerrima, quæ inter Theologos fervet de attritione hac controverſia, an ſcilicet Sacramento juncta juſtificando peccatori ſola ſufficiat, an aliquo præterea, quam *initialem* dicunt, Dei amore animetur, oporteat, indicatur. XVI. & XVII. Graviſſima Bened. XIV. l. 7. de Syn. Diœc. c. 13. verba exſcribuntur. 126

ARTICULUS V.

De ſecundo Pœnitentis actu, Sacramentali videlicet confeſſione.

I. Ejuſdem a Catech. Rom. tradita definitio præmittitur. II. & III. Veteres recentesque veritatis hujus hoſtes chronologico ordine exhibentur. 134

PROPOSITIO I.

Scripturarum teſtimoniis divina confeſſionis inſtitutio & neceſſitas demonſtratur.

I. Quum pleraque teſtimonia, quæ Theologi e litteris ſacris arceſſunt, certum præſtare nequeant argumentum, II. & III. Sola momenta urgemus, quæ Tridentini Patres egregie verſarunt. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. & XIII. Quæ ut ab iis ſe expediat, Dallæus regerit, vanitatis convincuntur. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. & XX. Infeliciſſime quoque operam ille poſuit in multis e divino eloquio, XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. Et e naturali ratione adverſus veritatem hanc comparandis. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. & XXXVI. Reliqua ejuſdem tela retunduntur. 135

PROPOSITIO II.

Perpetua atque conſtanti Eccleſiæ traditione eadem veritas communitur.

I. II. & III. Nonnulla ſcitu neceſſaria ex Card. Perronio præmittuntur. IV. Primus veritatis hujus teſtis excitatur S. Irenæus. V. & VI. Et vanæ adverſus ejus teſtimonium Dallæi, & Jo. Erneſti Grabbe exceptiones eliduntur. VII. Secundus Tertullianus, VIII. & IX. Cujus verba nullis Novatorum tricis obſcurari poſſunt, X. & XI. Tertius Cyprianus, XII. XIII. & XIV. Quartus tus Origenes. XV. Ejuſdem veritatis evidentiſſimum argumentum eſt controverſia Catholicos inter, & Montaniſtas, ac Novatianos. XVI. Ex veterum denique Patrum conſtanti teſtificatione demonſtratio conficitur, quæ idoneo nullo Adverſariorum reſponſo labefactari poteſt. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. & XXIV. Nihil eſt in tot iis, quæ Dallæus, aliique congerunt, PP. teſtimoniis ab Eccleſiæ doctrina alienum. XXV. Veterum ſilentium perperam Dallæus opponit. XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. Celebre Nectarii factum penitus excutitur, & ad peſſimam Novatorum cauſam nihil præſidii adferre, demonſtratur. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. Mentitur Dallæus ſcribens, Orientales de confeſſionis neceſſitate contra ſentire, ac Latinos. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. & XXXIX. Idique etiam in erroris ſui communionem vocat priſcos aliquot canonici Juris peritos, & Scholæ Magiſtros. 152

De Confeſſionis conditionibus, atque modo.

I. In Confeſſionis integritatem ſpeciatim inquiritur. Hæc a Theologis duplex communiter ponitur, *materialis* ſcilicet, & *formalis*. II. III. Tridentini de *formali* integritate doctrina defenditur, IV. Et a Novatorum calumniis vindicatur. V. Ad integritatem hanc neceſſario pertinet & circumſtantiarum, quæ peccati ſpeciem mutant declaratio. VI. VII. VIII. & IX. Probabilius eſt, & eas declarandas, quæ peccati gravitatem, intra eandem ſpeciem multum augent. X. & XI. Peccata *dubia* neceſſario in confeſſione aperienda eſſe, duobus D. Thomæ momentis evincitur. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. & XVIII. De quorumdam, qui ſecus opinati ſunt, Theologorum ſententia paullo acrius, minuſque circumſpectum P. Berti judicium notatur, & refellitur. XIX. Quædam ſcitu neceſſaria perſtringuntur de eadem hac confeſſionis integritate. XX. Criminis ſocius manifeſtandus, ſi nequeat peccati ſpecies ſatis aperiri. XXI. Cajetani aliorumque paucorum contra ſentientium momenta eliduntur. XXII. & XXIII. Verum gravis jacturæ propriæ vel alienæ periculum a confeſſionis eximit integritate. XXIV. Caute tamen doctrina hæc proponenda. XXV. & XXVI. Quid de muto cenſendum, declaratur. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX. De Confeſſione per literas, aut internuncium multa adverſus Morinum diſputantur. XXXI. Confiteri ſcripto non poſſe, qui voce poteſt, docet D. Thomas: quandoque, (quod tamen rarum erit) licere affirmat Melchior Cano. XXXII. Qui & cenſent, non omittendam in mortis articulo confeſſionem, licet edi ſolum per Interpretem poſſit. XXXIII. Tempus, quo divinum edendæ confeſſionis præceptum urget, determinatur. XXXIV. In mortis diſcrimine, quod a mortis *articulo* longe differt, & quum quis periclitatur, Confeſſario carere, cujus nunc copiam habet, XXXV. Nec non, quum gravis criminis ſibi conſcius voluerit Euchariſtiam ſumere. XXXVI. Octavus demum Trident. canon *de annua confeſſionis præcepto* expenditur, & illuſtratur. 173

ARTICULUS VI.

De poſtremo Pœnitentis actu, ſatisfactione videlicet.

I. Tertium hunc actum ad pœnitentiam neceſſario ſpectare, ipſum pœnitentiæ nomen ſive Latinum, ſive Græcum, ſive Hebraicum ſignificat. II. Nullam pœnitentiæ partem a Novatoribus actius exagitari, quam hanc, adnotat Tridentinum. III. Cujus adverſus Novatorum errores lati canones deſcribuntur. 188

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Fidei articulus eſt, non totam ſimul cum culpa pœnam ſemper a Deo remitti.

I. Cur Tridentinum canoni ſuo parculam ſemper appoſuerit, explicatur. II. & III. Locupletiſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis propoſitio confirmatur. IV. Quæ ad ea eludenda Novatores regerunt, plane futilia. V. VI. VII. VIII. & IX. Perperam & inſcite ex aliis Scripturarum teſtimoniis erroris ſui præſidium petunt. X. Quare ſublata culpa temporariæ pœnæ reatus plerumque remaneat, ex divina voluntate arceſſendum eſt. XI. Quid Baptiſmum inter, & Pœnitentiam interſit, exponitur. 189

PROPOSITIO II.

Chriſtus non ad adſolvendum ſolum, ſed etiam ad ligandum, ſeu ad imponendas confitentibus pœnas Eccleſiæ ſuæ claves tribuit, qua poteſtate perpetuo illa uſa eſt, non tantum ad aliorum exemplum, ſed præcipue ad illatas Deo injurias compenſandas.

I. II. III. IV. V. VI. VII. Scripturæ auctoritate, & graviſſima Patrum teſtificatione poteſtas hæc, ejuſque perpetuus in Eccleſia uſus demonſtratur. VIII. Momentum ex Pauli verbis 1. ad Cor. 5. *Ego quidem . . . judicavi . . . tradere ejuſmodi Satanæ in interitum carnis &c.* a nobis ductum variis nonnullorum PP. interpretationibus non infirmatur. IX. X. XI. Quæ ex Evangelio & Pauli Epiſt. Novatores torquent, cum doctrina Eccleſiæ non pugnant. XII. Inepta eorumdem cavillatio diſſolvitur. 194

PROPOSITIO III.

Pœnis a Sacerdote injunctis, vel ſponte ſuſceptis, vel a Deo inflictis & patienter toleratis Deo per Chriſti merita vere fit ſatis.

I. II. III. IV. V. Inſignia nobis veritatis hujus momenta literæ ſacræ ſuppeditant. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Omnes Novatorum calumniæ diſpelluntur, quibus obſcurare nituntur doctrinam Eccleſiæ. XII. Non pro ſuis tantum quemque culpis, ſed & pro alienis ſatisfacere condigne poſſe, modo ſint ambo Dei amici, probatur. XIII. Etſi ſatisfactio re exhibita ad Sacramenti eſſentiam non attineat, ſed tantum ad ejus integritatem, eſt illa tamen a Pœnitente acceptanda, & explenda. 201

ARTICULUS VII.

De Sacramenti hujus forma.

Novatorum præpoſtera de hoc capite opinio deſcribitur.

Sacramentalis abſolutio judicialis actus eſt Sacerdotis divina auctoritate peccata remittentis.

I. Nativa ipſa verborum Chriſti poteſtas, *Quæcumque ſolveritis &c. Quorum remiſeritis &c.* veritatem hanc ad liquidum perducit. II. Eandem confirmant, quæ Chriſtus Jo. 22. ait : *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos &c.* III. Item quæ Paulus 2. ad Cor. 2. ſcribit : *Et ego, quod donavi propter vos in Perſona Chriſti &c.* IV. V. VI. VII. VIII. Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Leonis M., aliorumque PP. teſtimonia, quibus abutuntur Novatores, explicantur. IX. Quantum a Novatorum errore, quem Tridentinum proſcripſit, veterum Scholaſticorum opiniones diſtent, quibus Eccleſia pepercit, demonſtratur. X. & XI. Reliqua Novatorum momenta disjiciuntur. 207

ARTICULUS VIII.

De hujus Sacramenti Miniſtro.

I. Eccleſiæ doctrina ipſis Tridentini verbis exprimitur. II. Novatorum errores referuntur.

PROPOSITIO.

Non alii ab Epiſcopis, & Sacerdotibus legitimi ſunt hujus Sacramenti Miniſtri.

I. Ex iis, quæ Forbeſius ſcribit, primum veritatis hujus momentum inſtruitur. II. Alterum ex D. Thoma. III. Tertium

Digitized by Google

tium ex iis, quæ Jo. Gerardus Voſſius *in judicio de Forbeſii inſtitutionibus* de PP. conſenſu & auctoritate habet. IV. Celeberrimum Jacobi teſtimonium, *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, cum hac Eccleſiæ doctrina non pugnat. V. Cur neceſſitate urgente Laicus Baptiſmi, non item Pœnitentiæ Miniſter eſſe poſſit ratio redditur. VI. VII. VIII. IX. X. XI. Quæ ex Partum, Cypriani præſertim, & veterum Scholæ Magiſtrorum ſcriptis Novatores objiciunt, eliduntur. 214.

Appendix de Confeſſionis ſigillo.

I. Jacobi I. Angliæ Regis in reſponſo ad Card. Perronium, ſeu verius Iſaaci Caſuaboni adverſus ſigilli hujus originem atque uſum maledicta & calumniæ exſcribuntur. II. III. & IV. Sigilli hujus religionem ex Apoſtolica traditione manaſſe, locupletiſſimis veterum Scriptorum teſtimoniis comprobatur. V. VI. VII. VIII. Publicæ olim confeſſionis, & pœnitentiæ diſciplinam cum ſigilli hujus religione conciliari recte poſſe, oſtenditur. IX. & X. Atrox demum calumnia communionis noſtræ Theologis, & Juris canonici peritis a Caſaubono impottata diſpungitur. 221

DE INDULGENTIIS.

I. Indulgentiæ, & theſauri cæleſtis, ex quo illa virtutem habet, notio promitur. II. Lutherus Indulgentiis bellum primus indixit. III. Duo præmittuntur ut explorata, ex quibus doctrinæ de Indulgentiis veritas pendet. 226

PROPOSITIO.

Eſt Eccleſiæ legitima auctoritas Indulgentias largiendi, quarum uſus eſt fidelibus ſaluberrimus.

I. Ex Evangelio primum poteſtas iſta repetitur. II. Exin ab antiquiſſimo poteſtatis hujus uſu, cui teſtimonium perhibent Veteres PP. locupletiſſimum. III. IV. V. Calvini, Molinæi & Forbeſii dicacitas caſtigatur. VI. Nonnullorum e noſtris dicta Forbeſius præpoſtere & inſcite opponit. VII. Peſſima ejus in D. Thomæ teſtimonio recitando fides notatur. VIII. IX. X. XI. & XII. Inſanus ejus in theſaurum Eccleſiæ, & Clementis VI. Bullam, in qua multa de hoc theſauro, impetus frangitur. XIII. Puris putiſque commentis theſaurum hunc ab eo oppugnari, demonſtratur. XIV. XV. Ut & pugnantibus Theologorum noſtrorum placitis fidei ſummam non violari. XVI. & XVII. Præclara D. Thomæ & Alberti M. doctrina aliæ Forbeſii nugæ refelluntur. XVIII. Ejuſdem & Riveti in Bellarminum, & Jeſuitas iniquitas coarguitur. XIX. Mortuos Indulgentiis juvari poſſe, Catholicis omnibus conſtitutum eſt. XX. Controverſus tamen modus, quo Eccleſia communis theſauri bona derivare ad eos poteſt, auctoritate ne ſcilicet, an ſuffragio, atque deprecatione. Communior Theologorum opinio ex Card. Richelio refertur. XXI. & XXII. Ad evertendam doctrinam Eccleſiæ de Indulgentiis non minus imperite quam injuſte abuſus graviſſimos Forbeſius exaggerat, quos in Indulgentiarum diſpenſationem irrepſiſſe ſcribunt Platina in vita Bonifacii IX. & Thuanus *de geſtis* Leonis X.

DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO.

Tridentini doctrina, eique oppoſitus Novatorum error exhibetur.

PROPOSITIO.

Extrema unctio verum eſt legis Evangelicæ Sacramentum.

I. Miſſo eo quod Marci 6. legitur, *& ungebant oleo multos ægros &c.* quod non ſit ad rem uſquequaque efficax, II. Celebre illud duntaxat urgemus Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis &c.* ex quo, III. Et ex conſtanti Eccleſiarum omnium conſenſu veritas hæc decretorie conficitur. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. & XI. Quidquid ad infringenda duo hæc veritatis momenta Pictetus obtrudit, valide diſpellitur. XII. Opinionum,

Digitized by Google

num, in qua Theologi noſtri ſunt, varietate ac diſſenſione Sacramentum iſtud Forbeſius perperam evertere aggreſſus eſt. XIII. XIV. Etſi de Sacramenti hujus origine, ſive inſtitutione, XV. De ejuſdem materie, XVI. & XVII. Forma, XVIII. & XIX. Miniſtro, XX. De iis, quibus adminiſtrandum eſt, XXI. De ejus denique effectibus, XXII. Atque neceſſitate non eadem ſit Theologorum omnium ſententia, in hac tamen opinionum colliſione dogmatis ſubſtantiam in tuto eſſe, oſtenditur.

INDICIS RERUM FINIS.

Digitized by Google

DE AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PROLOQUIUM.

I. DE Sacramento, quo nihil habet Chriſtiana religio ſublimius, auguſtius, ac ſalubrius, quod eſt Sacramentorum omnium finis, ac conſumatio, in quo *mirabilium ſuorum memoriam fecit miſericors & miſerator Dominus, eſcam dans timentibus ſe, & in filios regni divitias ſuæ bonitatis effundens*, hoc anno dicturi in id potiſſimum nobis ducimus incumbendum, quod ſeſe in votis habere Tridentina Synodus declaravit, nimirum:
„ ut ſtipitus convellantur Zizania execrabilium errorum,
„ & Schiſmatum, quæ noſtris his calamitoſis temporibus in
„ doctrina fidei, uſu, & cultu Sacro-ſanctæ Euchariſtiæ ini-
„ micus homo ſuperſeminavit, atque ut omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur,
„ in hoc unitatis ſigno, in hoc charitatis vinculo, in hoc concordiæ ſymbolo jam
„ tandem aliquando conveniant, memoreſve tanta Majeſtatis, & tam eximii amoris
„ Jeſu Chriſti Domini Noſtri, (qui dilectam animam ſuam in ſalutis noſtræ pre-
„ tium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum,) hæc ſacra myſteria corpo-
„ ris, & ſanguinis ejus ea fidei conſtantia, & firmitate, ea animi devotione, pie-
„ tate, ac cultu credant, ac venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem fre-
„ quenter ſuſcipere poſſint, & is ſit eis vere animæ vita, ac perpetua ſanitas men-

„ tis , cujus vigore confortati ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad cæleſtem
„ patriam pervenire valeant eundem panem Angelorum , (quem modo ſub ſacris
„ velaminibus edunt :) abſque ullo velamine manducaturi . "

II. In hoc autem perſequendo, in refellendis nimirum erroribus, & Catholica veritate firmanda præibunt nobis facemque præferent & Tridentina Synodus ipſa , & Doctor ille, qui, ut ab eximia vitæ integritate, & ingenii homine majoris excellentia Angelicus, ita & Doctor *Euchariſticus* ubique, & ſemper audivit, quod omnium nitidiſſime, ſolidiſſime, & copioſiſſime tum in tertia Summæ ſuæ parte, tum in Opuſculis myſterium hoc verſavit, illuſtravitque; dignus idcirco, qui poſt adornatam Pariſiis luculentiſſimam de Euchariſtia ſcriptionem Chriſtum ipſum approbatorem haberet, & laudatorem his eum verbis affatum: *BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA*; ac primo quam bene ſcripſit ille de variis hujus Sacramenti nominibus , & de multiplici, quam illud habet, & quæ iis nominibus exprimitur, ſignificatione! Adnotat ille 3. par. q. 73. art.4. Sacramentum hoc pro triplici ſignificatione, quæ illi ſubeſt, tribus præſertim nominibus inſigniri, ac *Sacrificium* dici, quatenus cujuſpiam præteriti rememorativum eſt, paſſionis nempe Dominicæ, quæ verum ſacrificium fuit; *communionem* vero, ſeu græce *Sinaxim*, quatenus quidpiam præſens ſignificat, Eccleſiaſticam ſcilicet unitatem, cui per Sacramentum hoc aggregamur; quatenus denique futurum aliquid præſignat, fruitionem nimirum Dei, quæ erit in patria, *Viaticum* appellari, quia nobis in hac mortali vita conſtitutis viam præbet perveniendi ad patriam. Hoc etiam nomine docet Sacramentum hoc *Euchariſtiam* græce , ſeu latine *bonam gratiam* dici, quia *gratia Dei vita æterna*, ut ad Rom.*6.* ait Apoſtolus , vel quia realiter continet Chriſtum, qui plenus eſt gratia.

Quoniam vero id peculiare habet Euchariſtia , ut Sacramentum ſit , & Sacrificium, nec ullus eſt Theologorum, qui duos hos Euchariſtiæ characteres non ſecernat, & de utroque ſeorſim non agat , hanc noſtram iccirco tractationem duas in partes tribuimus, alteram Euchariſtiæ, ut Sacramentum eſt, alteram eidem, ut eſt Sacrificium, deputantes.

DISSERTATIO I.

De Euchariſtia , ut Sacramentum eſt.

I. QUum nihil ſit , quod faciliorem ad veritatis intelligentiam viam paret, quam apta rerum , quæ in diſputationem veniunt, partitio, & recta earumdem tradendarum methodus, ſex quæſtionibus tota nobis concluſa erit prima hæc diſſertatio, quæ de Euchariſtiæ Sacramento inſcribitur . Prima in ejus Auctorem ſive Inſtitutorem inquiret : ſecunda in ejuſdem Miniſtrum : tertia in materiem ; quarta in verba , quibus in hoc Sacramento conficiendo uſus eſt Chriſtus, utendumque eſſe præſcripſit : quinta, quæ cæterarum omnium graviſſima , ac præcipua eſt, tota in re Sacramento iſto contenta verſabitur : ſexta Euchariſtiæ neceſſitatem excutiet, quibus in quæſtionibus definiendis eam agendi rationem , quam in tradendis divinis rebus hactenus ſectati ſumus, conſtanter retinentes in rebus ſcitu utilibus, aut neceſſariis toti , in iis, quæ ad tricandum potius, quam ad diſcendum excogitatæ videntur, aut nulli erimus, aut parciſſimi; ſatis enim nobis, ſuperque fuerit ea noſſe , quæ ad percipiendam Eccleſiæ de venerabili , & divino hoc Sacramento doctrinam, ad profligandos Novatorum errores , ad vindicandos Eccleſiaſticos ritus , qui in conficienda, ac miniſtranda Euchariſtia adhibentur, ad ſanctum denique, & ſalutarem ejuſdem uſum conferre poſſunt, quin neceſſe ſit infinitas illas quæſtiones excitare, quæ (licet priſcis aliquot Scholaſticis in deliciis fuerint) omnium tamen conſenſu jam antiquata ſunt , & Neotericis Philoſophis riſum movent.

QUÆSTIO I.

De Euchariſtiæ inſtitutore.

I. A Quæſtione hac tractationem noſtram ordimur, licet Divus Thomas , omneſque fere Theologi ejus initium aliunde ducant, quod planior nobis, ac expeditior fluere videatur diſputatio, ſi ab hoc capite reperiatur . In Auctorem vero Euchariſtiæ inquirentes exploratæ rei loco ponimus, illam veri nominis Sacra-

mentum eſſe, quum Novatores ipſi, qui, pleraque Evangelica Sacramenta ſuſtulerunt, Cœnam tamen ſive Euchariſtiam cum Baptiſmo retineant, & veri Sacramenti loco, & gradu habeant. Quoniam autem Matthæus cap. 26. Marcus cap. 14. Lucas cap. 22. & Paulus 1. ad Cor. cap. 11. Sacramentum hoc a Chriſto Domino pridie quam pateretur, inſtitutum fuiſſe diſerte ſignificant, de Sacramenti hujus Auctore cum Catholicis Novatores quique conveniunt, quare non eſt cur veritatem apertiſſimam & Chriſtianorum omnium conſenſu fretam tueri operoſius velimus. Sunt nonnulla quidem hujus inſtitutionis adjuncta, in quibus exerceri poteſt utiliter ſtylus, tum quod de iis inter ſe Eruditi diſſentiant, tum quod adcurata eorumdem diſquiſitio Evangelicæ hiſtoriæ multum adferat lucis, an ſcilicet Chriſtus Moſaici Paſchatis celebrationem Euchariſtiæ inſtitutioni præmiſerit? an Paſcha legitima die celebrarit? an denique Judæi Paſchatis celebrationem anno Chriſti emortuali in alium diem diſtulerint? etſi enim quæſtiones hæ videantur ſola Evangelica narratione facile finiri, poſſe, ſunt tamen ætate noſtra Theologi, & Bibliorum Interpretes, quibus Evangelica hiſtoria videtur non uſque eo perſpicua eſſe, ut de propoſitis quæſtionibus idem omnino ſentire cogat.

II. Celebraſſe Chriſtum legale Paſcha, omnium primus negaſſe legitur Marcion Hæreſiarca; Moſaicam etenim legem Diabolo Auctori adſcribens, ad quam deſtruendam Chriſtus in phantaſtica carne veniſſet, quid mirum, ſi præcipuum hoc veteris legis caput prætermiſſum & poſthabitum a Chriſto fuiſſe, contenderet? Etſi a Marcionis errore de Moſaicæ legis Auctore procul abeſſet Joannes Philoponus agnomine Grammaticus, a quo Tritheitæ ſæculo ſexto enati ſunt, negavit tamen perfeciſſe Chriſtum poſtremum Judaicum Paſcha, quem errorem ſæculo nono inſtaurarunt Græculi quidam, quos inter Anonymus *in diſputatione adverſus Judæos*, & alter ignotus Scriptor in libro, cui titulum fecit *de Sancto Paſchæ Feſto*, multis probare conati ſunt, Chriſtum in mortis ſuæ pervigilio legalem cænam non peregiſſe, inepte tamen, & infeliciter; eodem enim ferme tempore Photius Græcorum doctiſſimus, licet in Latinos peſſime animatus, veritate tamen teſtimonium extorquente Bibliothecæ ſuæ codice 116. ſcripſit, temere, & inconſulto id ab eis fuiſſe prolatum, „ quoniam Chryſoſto„ mus, & Eccleſia docent, Chriſtum Do„ minum pridie, quam pateretur, legiti„ mum Paſcha perfeciſſe, antequam my„ ſticam inſtitueret cœnam. “

III. Primus inter Latinos in hanc Græcorum opinionem conceſſit Marcus Antonius de Dominis, quem poſtea excepit Hugo Grotius, & cum eo plerique ex Arminianis, & Socinianis. Dolendum eſt, Catholicos quoſdam eoſque doctrina, ac pietate ſpectabiles placitum hoc præpoſterum, atque falſum adoptaſſe. Apud Italos illud invehere molitus eſt Hieronymus Vecchiettus Florentinus in libro *de anno primitivo ab exordio mundi ad annum Julianum accommodato*, infauſtis tamen avibus; vix enim prodiit male conſarcinata ſcriptiuncula, ut a ſupremis Judicibus proſcripta fuit, & flammis adjudicata, ejuſque imprudens Auctor in vincula datus, inter quæ ærumnis, & ſquallore confectus obiit. E Gallis vero illud præ cæteris avide arripuerunt, & conſtabilire conati ſunt Bernardus Lamy Gallicani Oratorii Presbyter tum in peculiari, quam de hoc argumento edidit, diſſertatione, tum in aliis ſuorum operum locis, Auguſtinus Calmat in diſſertatione *de noviſſimo Jeſu Chriſti Paſchate*, in qua non omnem ſolum falſitatis, & novitatis notam a ſententia hac abſtergere nititur, ſed æqualem ei auctoritatis, firmitatiſque gradum tribuit, quem oppoſita inter Catholicos receptiſſima ſemper habuit, Pater denique Tourneminus in ſuis Theologicis Theſibus, quas anno 1691. & 1692. Pariſiis vulgavit, & in ea, quam ad Patrem Honoratum a Sancta Maria dedit, Epiſtola.

IV. Etſi Pater Suarez in commentariis ad tertiam Divi Thomæ partem quæſt. 30. art. ſect. 3. hæc habeat: „ ſtatuen„ dum primo eſt, Chriſtum Dominum „ ante paſſionem ſuam legalem cœnam „ cum Diſcipulis celebraſſe, agnumque „ Paſchalem ritu Judaico immolaſſe, ac „ comediſſe, quæ res tam aperta eſt in „ Evangeliſtis, ut mirum ſit non defuiſſe „ hoc tempore Hæreticos, qui eam ne„ garent; hæc ſententia eſt plane hære„ tica; “ ab hac tamen cenſura abſtinemus, quum nolimus Eccleſiæ judicium antevertere, neque Patrem Lamy repre-

hendimus, quod in ſecunda parte tractatus hiſtorici *de veteri Judæorum Paſchate* probandum ſibi ſumpſerit, quæſtionem hanc fidei caput non eſſe, & imprudentes illos Theologos inſectetur, qui fidei definitiones ad arbitrium cudunt, & Catholicis Scriptoribus, quibus Eccleſia hactenus pepercit, hæreſeos notam inurunt. Quid vero? Eidemne Lamy dabimus, quod minus religioſe ille ſcribit, quæſtionem hanc, quum in earum numero collocanda non ſit, quæ ad fidem, moreſque ſpectant, iis accenſendam eſſe, in quibus integrum cuique eſt a communi Patrum ſenſu recedere? Stamus imo ex adverſo, & contendimus, eſſe illam, ſi non hæreticam, falſiſſimam tamen, nec temeritate vacare; ſi enim temeraria aſſertio (ut eam definit Melchior Cano) ea eſt, qua quidpiam effertur confidenti audacia, & jactatione ſuperba, etſi non contra fidem, contra Eccleſiaſticæ tamen modeſtiæ regulam, an non habet Lamy, Tournemini, aliorumque opinio ſuperbam Eccleſiaſticæ regulæ contemptionem, quam a Hieronymo Vecchietto olim inductam Summi fidei Judices confixerunt, quod videretur illa *contra ſacrarum litterarum fidem*, *contra Eccleſiæ univerſæ auctoritatem*, *contra Sanctorum Patrum doctrinam adſerta*? Singula Romanæ hujus cenſuræ capita totidem propoſitionibus confirmanda ſuſcipimus.

PROPOSITIO I.

Patris Lamy, aliorumque opinatio a ſacrarum litterarum fide videtur aliena.

I. Trium Evangeliſtarum Matthæi, Marci, & Lucæ idem iiſdem ferme verbis narrantium teſtimonia exſcribenda ſunt, ut propoſitionis noſtræ veritas perſpecta fiat. *Prima die azimorum*, ait Matthæus cap. 26., *acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Paſcha? at Jeſus dixit: ite in Civitatem ad quemdam, & dicite ei, Magiſter dicit, tempus meum prope eſt, apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis; & fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus: & paraverunt Paſcha. Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis, & edentibus illis dixit* &c. Gemina habet Marcus cap. 14. ſcribens: *Et primo die azimorum quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli, quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha? & mittit duos ex Diſcipulis . . . & paraverunt. Veſpere autem facto venit cum duodecim, & diſcumbentibus* &c. Non abſimiliter rem geſtam cap. 22. deſcribit Lucas: *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidit Paſcha, & miſit Petrum & Joannem dicens, euntes parate nobis Paſcha, ut manducemus . . . . paraverunt Paſcha; & quum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo, & ait illis, deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Quis hæc legens non ſibi videre videtur Chriſtum ſtatuta die, atque hora cum Diſcipulis legali menſæ accumbentem, atque agnum Paſchalem ex legis præſcripto edentem? Preſſius tamen rem urgere volumus, atque ex Evangelicis verbis hanc (de qua agimus) veritatem ratiocinando conficere.

II. Chriſtum die legitima de manducando typico Paſchate ſerio cogitaſſe, ejuſque parandi provinciam duobus Diſcipulis demandaſſe extra litem eſt; clariora enim ſunt Evangeliſtarum verba, quam ut ulla tergiverſatione eludi poſſint; vere ergo comedit legale Paſcha, quod comedere propoſuerat, quodque Apoſtoli ab eo juſſi paraverant, alioquin Diſcipulis ſuis illuſiſſe dicendus erit, quibus feriam celebrandi ex veteri inſtituto Paſchatis voluntatem ſignificavit, quoſque ad paranda omnia conſulto miſerit, ſi, quod animo propoſuerat, quod ſe velle declaraverat, quod parari juſſerat, non implevit; quis autem ne fingere quidem poſſit citra impietatem, Chriſtum quidpiam per ſimulationem egiſſe, & Diſcipulos, & Patremfamilias, apud quem Paſcha parari juſſerat, feſelliſſe? Rurſum: quis negare, aut in dubium vocare poſſit, diem, qua Apoſtoli de parando Paſchate ſolliciti Dominum interrogarunt de loco, in quo vellet illud ſibi, ſuiſque parari, diem fuiſſe Moſaicæ legis ſanctione immolando, & edendo Paſchati addictam, quum Marcus, & Lucas ſcribant, *prima die azimorum, quando Paſcha immolabant, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*, dixiſſe Jeſu Diſcipulos: *ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* ſi ergo ea die Chriſtus legale Paſcha non edit, peccavit in legem, quam tamen ipſe, etſi legis Do-

Digitized by Google

Dominus, non venerat *ſolvere*, *ſed adimplere*, imo Diſcipulis ſuis ejus violandæ Auctor fuit; non enim aliam ea die cœnam Apoſtoli celebrarunt præter illam, quam una cum Magiſtro ſuo egiſſe leguntur in Evangelio; quare ſi illa legalis cœna non fuit, legem tranſgreſſus eſt Chriſtus, ſecumque Apoſtolos in tranſgreſſionem induxit.

III. Fac etiam, Chriſtum a Moſaici Paſchatis celebratione die illo legitimo abſtinuiſſe, num Principes Sacerdotum, & Scribæ, qui omnem perdendi Jeſu occaſionem anxie quæritabant, a Juda proditore certiores facti de violato recenter ab eo præcipuo hoc legis capite omiſiſſent inter cætera criminationis capita, quæ illi per ſummam calumniam, ut ejus necem urgerent, coram Pilato, & Herode affinxerunt, recentiſſimam tanti præcepti tranſgreſſionem objicere? Quidpiam ne vero ejuſmodi innuunt vel leviter Evangeliſtæ? Commentitia ergo & hæc de prætermiſſo a Chriſto ſupremo Paſchate opinio. Poſtremo: *Veſpere facto*, *facta hora* Chriſtum cum duodecim non diſcubuiſſe ſolum, ſed una cum eis cœnaſſe, atque ediſſe ſcribunt Evangeliſtæ, Matthæus quidem narrans, hoc proditorem indicio a Chriſto cæteris Diſcipulis deſignatum: *qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*; Marcus vero: *Unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum*: quid porro eſt: *qui intingit mecum manum* &c. niſi qui ex diſco eodem, unde ego ſumo, cibos ad edendum petit? Quid eſt: *qui manducat mecum* &c. niſi qui cum me ſimul edente manducat? Suprema itaque nocte cœnavit cum Diſcipulis Jeſus; quum ergo integra Evangelicæ narrationis ſeries non alios, de quibus cum Apoſtolis ederit Chriſtus, cibos exhibeat, quam qui fuerant a Petro, & Joanne jubente Chriſto parati, quum hi non alios cibos inſtruxerint, quam quos prima azimorum die apponi, comedique jubebat lex, niſi velimus temerariam vim ſacris litteris inferre, negare non poſſumus, Chriſtum Euchariſtiæ inſtitutioni Judaici Paſchatis celebrationem præmiſiſſe.

IV. Audiendus nunc Tourneminus hæc in memorata ad Patrem Honoratum Epiſtola habens: „ Evangeliſtarum nullus diſerte ſcribit, a Chriſto propediem morituro celebratum legale Paſcha, " Lepide vero. Aliquem ne proferet Tourneminus, qui prætermiſſam ab eo hujus Paſchatis celebrationem affirmet? Quid ſi contenderet aliquis, Chriſtum nullo mortalis vitæ ſuæ anno Judaicum Paſcha peregiſſe, quia Evangeliſtarum nullus conceptis verbis id tradit? Nonne ſolide reponeret Tourneminus, nefas eſſe ex Evangeliſtarum ſilentio falſam hanc conſecutionem inferre? Etſi enim Evangeliſtæ non omnia, quæ Chriſti ſunt, articulatim retulerint, ex iis tamen, quæ litteris mandarunt, alia plura legitime, & neceſſario ducuntur; quare ſi nemo abſque ſacrilegio adfirmarit neglectum fuiſſe a Chriſto apud Judæos agente legalis Paſchatis ritum, quia ipſe non ad ſolvendam, ſed adimplendam legem ſe veniſſe teſtatur, quia autem legalia religioſe ſervaſſe, perſæpe legitur, quia nunquam a Phariſæis, & Scribis etſi profeſſis ejus hoſtibus id ei poſitum fuit in crimine, quomodo & ſibi perſuadere potuit, & aliis voluit Tourneminus, Chriſtum jamjam agendum in crucem a noviſſimi Paſchatis celebratione abſtinuiſſe, quia nullus Evangeliſtarum id expreſſe memorat? Annon Chriſtiano, cordatoque homini ſatis ſuperque eſſe debuerat, ea a tribus Evangeliſtis diſtincte notari, quæ inter probandum expendimus, ex quibus neceſſario conſequitur, Chriſtum etiam ſupremæ vitæ ſuæ nocte, potiſſimo huic legis mandato obtemperaſſe?

V. Pergit Tourneminus: Chriſtus Paſchalem agnum edere non potuit, niſi veſpere quartæ decimæ diei Niſan, feria ſcilicet ſexta ad veſperam, qua die & hora a cæteris edebatur; atqui ea feriæ ſextæ hora ſpiritum jam in cruce tradiderat; agnum ergo Paſchalem edere non potuit: quidquid de hoc Evangeliſtæ ſcripſerunt, ſi legitime intelligatur, ac explicetur, fidem facit non celebraſſe illum legalem cœnam: habet itaque in Evangelio fundamentum opinio mea. Ruinoſum eſt tamen hoc fundamentum, quia principii loco ponit Tourneminus, quod in quæſtione eſt, & veluti certum ſumit, quod non ambiguum ſolum, ſed plane falſum eſt, quinta ſcilicet feria illa, quæ Chriſti necem præceſſit, & cujus veſpere a Chriſto cœnatum eſt, incæpiſſe lunam, ſeu diem Menſis Niſan quartamdecimam, nec niſi ſequenti feria ſexta poſt Chriſti obitum deſiiſſe; in lib. enim de ratione tem-

temporum cap. 45. ſcribit Venerabilis Beba : „ quod Dominus quintadecima „ luna feria ſexta crucem aſcenderit, & „ una ſeu prima ſabbatorum , ideſt die „ Dominica reſurrexerit a mortuis, nulli „ licet dubitare Catholico, ne legi, qua „ agnum Paſchalem decimaquarta die pri- „ mi menſis ad veſperam immolari præ- „ cepit, pariter & Evangelio, quod Do- „ minum eadem veſpera tentum a Ju- „ dæis , & mane ſexta feria crucifixum , „ & ſepultum prima ſabbati reſurrexiſſe „ perhibet, videatur incredulus; “ ſi ergo Catholicorum nemini dubitare licet luna quintadecima menſis primi eo anno in feriam ſextam incidente Chriſtum in crucem fuiſſe ſublatum , nonne fallitur Tourneminus Chriſti obitum luna quartadecima , quæ eo anno cum feria ſexta conjuncta fuerit , deſinente conſignans ? ſi vero in lunæ quintædecimæ exitu Chriſtus certo mortuus eſt, præcedenti ergo veſpere, quo cænaſſe cum Apoſtolis legitur, vere Paſchalem agnum ab Apoſtolis paratum edit, qui ex veteri inſtituto luna quartadecima ad exitum vergente, & ad quintamdecimam accedente immolandus , atque edendus erat.

VI. Cæterum ne quidquam adverſus Bedam cauſetur Tourneminus, Evangeliſtarum teſtificationem iterum advocamus. *Primo die azimorum*, ait Marcus, *quando Paſcha immolabant*, vel ut habet Syriaca verſio, *quando ſacrificant Judæi Paſcha*, vel ut legit Perſica, *quos Judæi Paſcha mactant : Venit dies azimorum*, inquit Lucas, *in qua neceſſe erat occidi Paſcha :* prima itaque azimorum die Diſcipulos Chriſtum interrogaſſe , ubi Paſcha ſibi parari vellet, eodemque die cænatum a Chriſto cum Diſcipulis in diverſorio, in quo Paſcha paraverant, exploratum eſt : azimorum autem ſolemnitatem, ſeu primam azimorum diem cum luna Menſis Niſan quintadecima concurriſſe Levitici 23. manifeſte docemur : *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Paſcha Domini eſt, & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas azimorum Domini eſt*. Quem porro latet Judaicas ſolemnitates a veſpera ad veſperam duci, ſeu ut in laudato Levitici loco habet Hebraica & Samaritana lectio *inter duas veſperas*, & Chaldaica *inter duos ſoles* celebrari ? quare azymorum ſolemnitas, ſeu prima azymorum dies a die decimaquinta , non quartadecima , & a luna quartadecima non incipiente, ſed exeunte ducebat initium ? Si ergo primo azymorum die inſtante Diſcipuli Paſcha pararunt , ſi eo poſt ſolis occaſum jam incipiente cum Chriſto cænarunt , jam quartadecima luna, ſeu dies declinabat , in cujus clauſula immolandum erat , atque edendum Paſcha, jam quintadecima illuceſcebat, a cujus initio azymorum ſolemnitas , ſeu prima dies capiebat exordium. Hæc vero preſſa demonſtratio adverſus Tourneminum exurgit : Chriſto a Diſcipulis paratum eſt Paſcha prima azymorum die, eademque die cum Diſcipulis ab eo cænatum : ita tres Evangeliſtæ : prima azymorum dies non quartadecima Menſis Niſan , ſed quintadecima eſt: ita Levitici 23. ; errat ergo, qui Chriſtum ante quartædecimæ diei terminum , & quintædecimæ initium morte ſublatum eſſe ſcriptitat.

VII. At , ſi Chriſtus Paſcha peregit , prima azymorum die id implevit : quomodo autem ea die legale hoc perficere potuit , quod ante primam azymorum diem Levitici lege implendum fuerat ? Hac tamen difficultate non permovebitur , qui animadvertet, quartamdecimam diem , cujus ſecundis veſperis celebrandum erat Paſcha , ſimul fuiſſe primæ azymorum diei poſt ſolis occaſum illuceſcentis initium, ideoque vocari primam azymorum diem , nempe ineuntem, quia, quo tempore Judæi typicum agnum edebant, excluſo prorſus fermentato, azymis panibus veſci incipiebant, quorum uſus ad ſeptem ſolidos dies, a veſpera ſcilicet diei quartædecimæ menſis primi *uſque ad diem vigeſimam primam ejuſdem menſis ad veſperam* protrahebatur , ut legere eſt Exodi 18. ſi quis autem a veſpera diei vigeſimæprimæ Menſis Niſan ad quartædecimæ ejuſdem menſis veſperam calculos ineat , ſeptem inveniet integras dies , quibus apud Judæos vetitus erat fermentati uſus, deprehendetque evidentiſſime, azymorum ſolemnitatem ſeptiduo apud Judæos celebrem a quartædecimæ diei veſpera initium habuiſſe, ita ut veſpera eadem, & quartædecimæ diei, qua agnus edebatur , clauſula fuerit , ſimulque quintędecimę initium, quę erat prima dies, & ſolemnitas azymorum incipiens. Inſtante itaque prima die azymorum Diſcipuli de loco parandi Paſchatis Dominum interrogarunt , & in deſignato cęnaculo epulum in-

inſtruxerunt, *factaque hora*, facto ſcilicet veſpere, quo dies quartadecima claudebatur, & quintæ decimæ fiebat initium, Paſcha celebrarunt.

VIII. Regerit Tourneminus: quorſum nonnulli Chriſtum ſuprema vitæ ſuæ nocte vetus Paſcha ediſſe contendunt, quod Chriſtus ipſe a ſe non edendum aperte teſtatus eſt? Ita enim eum Diſcipulos alloquentem Lucas inducit: *deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum; dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, quibus verbis duo Paſchata denotavit, alterum, quod edere concupiverat, alterum, quod comeſturus non erat, & cujus figura in regno Dei complenda erat: primum, ſi Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Chryſoſtomum, alioſque plures audimus, non aliud ab Euchariſtia fuit, ſecundum, quod a ſe non amplius edendum eſſe prædixit, Moſaicum Paſcha fuit, interprete Hippolyto Martyre in tract. de Paſchate. Verum quum integra narrationis ſeries, quam ex Evangeliſtis jam dedimus, dubitare non ſinat, quin Diſcipuli legitima die Moſaicum Paſcha pararint, quin *hora facta* ad illud edendum cum Chriſto accubuerint, ea Chriſti verba: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, ad quod Paſcha referre ſapiens, & prudens poteſt, niſi ad illud, ad quod ab Apoſtolis paratum celebrandum una cum Diſcipulis Chriſtus tunc recumbebat? Nonne τὸ *hoc Paſcha* manifeſte illud deſignat, de quo ſolo in antecedentibus fuit ſermo, de quo ſcilicet parando Apoſtoli ſolliciti fuerant, quod in commonſtrata ſibi domo inſtruxerant, & cujus edendi jam hora advenerat? Rectene τὸ *hoc Paſcha* ad Euchariſtiam traxeris, de qua ne verbum quidem hactenus Lucas habuerat? Quum Grammaticis omnibus ratum ſit, pronomen *hoc* rem præſentem demonſtrare, quomodo verbis iis *hoc Paſcha* indicare Chriſtus Apoſtolis potuit Euchariſtiam, quam nondum eis manifeſtaverat? Pronomen ergo *hoc* Euchariſtiam nondum inſtitutam denotare non potuit, agnum vero legalem præſentiſſimum demonſtrabat, quem vere cum Apoſtolis Chriſtus tunc comedebat.

IX. Quis autem ferat Tornemini fidentiam ea Chriſti verba: *Dico autem vobis, quia ex hoc non manducabo illud*, ita interpretantis: Dico autem vobis, quia ex hoc non manducabo aliud Paſcha, idest, poſt inſtitutam Euchariſtiam Paſcha legale non comedam? Hanc vero Scripturæ verba ad alienos ſenſus marte ſuo torquere licet? quum pronomen *illud* ad idem omnino ſpectet, quod Chriſtus *hoc Paſcha* mox appellarat, nonne legitimus verborum Chriſti ſenſus menti ſtatim occurrit, præſens hoc Paſcha, quod vobiſcum edere deſideraveram, quodque nunc ſimul peragimus, non amplius manducabo, quum pronomina *hoc*, & *illud* ad idem omnino Paſcha, de quo Chriſto tunc erat ſermo, ſpectare, tam perſpicue ex verbis ejus appareat, ut apertam eis vim inferat, quiſquis alium iis ſenſum affingit? Quid etiam eo falſius, quod idem addit, hujus Paſchatis nomine memoratos Patres ſolam Euchariſticam cœnam intellexiſſe, quum iidem ii Patres, ac Interpretes celebraſſe Chriſtum ſupremum Paſcha diſerte ſcribant, & laudata Chriſti verba de Moſaico Paſchate interpretentur? Referunt ea quidem, & recte, etiam ad Euchariſticam cœnam, quia Chriſtus eadem nocte cœnam utramque peregit, &, ut ait eleganter Sanctus Leo Magnus, *antiquam obſervantiam novo excluſit Sacramento, vetus teſtamentum conſumavit, & novum Paſcha condidit*, magno iccirco celebrandi ultimi Paſchatis, quod in multo ſanctius, & ſalubrius commutare decreverat, ardebat deſiderio, quoniam, ut ſcribit Theophilactus in Lucam, *legali cœna peracta, magna myſteria Diſcipulis traditurus erat*. Quam denique inſcite Hippolyti Martyris interpretatione ſe protegat Tourneminus, propoſitione tertia patebit.

X. Poſtremo urgenti illi, obeſſe poſitioni noſtræ Evangeliſtarum narrationem, qui tradunt celebratam a Chriſto & Apoſtolis diſcumbentibus cœnam, quæ ſi legatis fuiſſet, celebranda erat a ſtantibus, ſicut Exodi 12. mandatum legitur, reponimus cum Buxtorphio, & Grotio apud Matthæum Polum in ſua Criticorum Sacrorum Synopſi, primo ſentire multos ſtationem in agno edendo non in perpetuum fuiſſe præceptam, ſed pro eo inſtantis exitus de Ægypto tempore: ita Cajetanus Baronius, Tremellius, & Beza, omneſque Hebræi tum antiqui, tum recentiores: ſecundo quum in celebratione Paſchatis duplex Judæis uſitata eſſet cœna, *ſacramentalis*, in qua agnum edebant, & *vulgaris*, in qua aliis cibis veſcebantur, Chriſtum primo ſtantem comediſſe agnum, deinde ad vul-

vulgarem cœnam accubuiſſe, & in hoc ſuo accubitu Euchariſtiam inſtituiſſe, & miniſtraſſe, ſicut etiam Chryſoſtomus interpretatur.

PROPOSITIO II.

Eadem opinio univerſæ Eccleſiæ auctoritati contraria eſt.

I. Quamquam plurima in promptu ſint momenta, quibus evincitur hanc, quam exagitamus opinionem ab univerſæ Eccleſiæ conſenſu alienam eſſe, ideoque redundare temeritate; paucula tamen ſeligimus cæteris validiora, magiſque perſpicua. Primum ex Quartadecimanorum errore petitur, qui vergente ad exitum ſecundo ſæculo pugnaciſſime ſentiebant, Dominicum Paſcha luna quartadecima, in quamcumque hebdomadæ diem illa incidiſſet, Judaico more celebrandum eſſe, unicum opinionis ſuæ fundamentum in hoc collocantes, quia Chriſtus, & Apoſtoli luna quartadecima Paſcha peregerant, & Polycarpus Smirnæorum Epiſcopus Joannis Apoſtoli Auditor, aliique plures Apoſtolorum ævo propiores idem in more habuerant: Aſianis ergo perſuaſum erat, Chriſtum morti proximum legale paſcha perfeciſſe, quum exemplo Chriſti, Apoſtolorum, & Apoſtolicorum hominum conſuetudini ſuæ auctoritatem, firmitatemque prætexerent. Quid adverſus eos Romani Pontifices, Sancti præſertim Anicetus, Pius, & Victor, reliquæ Orientis, & Occidentis Eccleſiæ, Magni denique Nicæni Concilii Patres, a quibus hæc controverſia certo judicio diremta eſt? Num, quod intemperantes quidam Scriptores ab Apoſtolorum ætate remotiſſimi incredibili licentia auſi ſunt, repoſuit aliquis falſum, aut ſaltem incertum eſſe, Chriſtum cum Apoſtolis legitimum Paſcha celebraſſe? Quam fuiſſet id ad refellendos Quartadecimanos, eorumque conſuetudinem profligandam expeditum, & efficax? Nemo tamen id negaſſe, aut in dubium vocaſſe legitur: eccur vero? quia omnes in ea perſuaſione erant, legale Paſcha vere a Chriſto morti proximo ex veteri inſtituto celebratum fuiſſe; quare quum nihil ſit antiquiſſima hac Latinæ Græcæque Eccleſiæ conſenſione magis teſtatum, nonniſi temere, pauculi, recentiſſimique Scriptores ab ea recedere ſibi fas eſſe duxerunt.

II. Alterum conſtantis hujus, perpetuique conſenſus, & publicæ Eccleſiæ profeſſionis argumentum ducitur ex Tridentino Concilio, ex ejuſdem Concilii catechiſmo, & ex publicis precibus, quibus in Corporis Chriſti ſolemniis, quid de capite hoc crederit hactenus, atque credat, teſtatum facit Eccleſia; Tridentinum namque Concilium ſeſſ. 22. (quæ de Miſſæ ſacrificio eſt) cap. 1. hæc habet: *Chriſtus celebrato veteri Paſchate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolat, novum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum &c.* Gemina habet Catechiſmus ejuſdem Concilii, appendix, & explicatio part. 2. cap. 4. num. 2. *celebrata*, ajens, *cum Diſcipulis agni Paſchalis cœna &c.* Quid iis demum inſignius, quæ in laudatæ ſolemnitatis hymnis canit Eccleſia? *In ſuprema nocte cœnæ recumbens cum fratribus obſervata lege plene cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ ſe dat ſuis manibus.... Noctis recolitur cœna noviſſima, qua Chriſtus creditur agnum, & azima dediſſe fratribus juxta legitima Priſcis indulta Patribus: Poſt Agnum typicum expletis epulis, Corpus Dominicum datum Diſcipulis &c.* Quum ergo, quæ ſemper fuerit, ſitque adhuc univerſæ Eccleſiæ perſuaſio, publica hæc, omniumque maxime authentica monumenta ſatis, ſuperque declarent, annon cum Eccleſiæ auctoritate aperte pugnat Adverſariorum opinio? nequit iccirco a temeritatis labe purgari.

III. Nihil non agunt Lamy, & Tourneminus, ut ſe turpi hac nota liberent, noſtrorumque momentorum firmitatem infringant; quoniam vero eos maxime urit laudatum Tridentini teſtimonium, ambo in illud elevandum, aut eludendum præſertim incumbunt. P. Lamy tum in tract. de Paſchate, tum in reſponſo ad Epiſtolam Tillemontii reponit: „ Nemo
„ eſt, qui ambigat, canones tantum Tri-
„ dentini Concilii, quibus hæreſes anathe-
„ mate percelluntur, fidem noſtram neceſ-
„ ſario poſtulare: porro locus hic in ca-
„ nonibus non continetur.... Quam-
„ quam etiam confiterer Doctores, qui
„ huic Concilio interfuerunt, ab opinione
„ mea diſſenſiſſe, quod nullo negotio cre-
„ do, quid tandem iſthuc rei eſſet?
„ Quum loquerentur illi de re, in qua
„ non erat illis propoſitum veritatem
„ ſcru-

„ ſcrutari, pro certo id poſuerunt, quod
„ nemini controverſum erat, quodque paſ-
„ ſim apud omnes obtinuerat: non eſt
„ autem cur illos redarguamus; ſed etiam
„ id ſequitur, quum res hæc minime fue-
„ rit ab eis examinata, atque obiter tan-
„ tum memorata, nihil inde colligi poſ-
„ ſe, niſi communem temporum illorum
„ opinionem tuliſſe, quod Chriſtus poſt
„ celebratum legitimum Paſcha Euchari-
„ ſtiam inſtituerit: " Hæc Lamy, qui a Clariſſimo Boſſueto commonefactus reſponſum hoc ſuum paulo petulantius, & Religioſo homine indignum emolliens, & quadantenus corrigens, in parergo Tract. de Paſchate inter errata addidit, quæ ſequuntur: „ Mihi viſa fuerat opinio optime con-
„ ſtituta, qua ſcripſeram, ſolos Tridenti-
„ ni canones ejuſdem deciſiones contine-
„ re; at iis, quæ mihi ante oculos obji-
„ cere placuit Jacobo Benigno Boſſuet,
„ perſuaſum, ut ſentiam, ſicut Canones
„ damnant, quæ credenda non ſunt, ita ca-
„ pita præcedentia docere, quæ ſunt cre-
„ denda.

IV. Quid vero, ſi P. Lamy prioris reſponſi ſui petulantiam viſus eſt temperaſſe? quum in ſua opinione tamen perſtiterit, nec in communem Eccleſiæ ſententiam deſcenderit, manifeſtæ, neque excuſandæ temeritatis ſua illum confeſſione revincimus. Si acerbiori Suareſii cenſum utentes P. Lamy, aliorumque opinionem plane hæreticam pronuntiaremus, non eſſet, cur de nobis ille conquereretur; quum enim ſcribat ipſe, perſuaſum ſibi a Boſſueto, capita Tridentini Concilii Canonibus præmiſſa docere quæ ab omnibus credenda ſunt, ſi hoc univerſim, & abſolute ſit verum, quis aperte hæreticam opinionem ejus eſſe non videat, quippe quæ directe pugnat cum iis quæ laudato capite Tridentina Synodus credenda propoſuit? Cæterum quum nobis generatim, & abſolute non prohibetur, ſpectare ſcilicet ad fidem, & credenda eſſe omnia, quæ capitibus canonum editioni præfixis Tridentinum declarat, ſolius temeritatis Lamianam poſitionem arguimus, hocque vel ſolo nomine a Catholico Viro non poſſe innoxie propugnari contendimus. Doctores, & Patres Tridentinæ Synodi ab opinione ſua diſſentire confeſſus, addit: Quid tandem iſthuc rei eſſet? Quid rei eſt? Inſignis temeritatis eſt crimen in opinione perſtare, cui oppoſitum ſenſiſſe noſti Patres omnes in Concilio Œcumenico congregatos. Das communem ejus temporis opinionem tuliſſe, nonniſi poſt legalis Paſchatis celebrationem inſtitutam a Chriſto Euchariſtiam, nec tamen quidquam tibi negotii faceſſit communis, & notiſſima ſententia, quam ſponte concedis fuiſſe tunc temporis receptiſſimam? Nihil ergo te univerſæ Eccleſiæ conſenſus movet, nihil defers tot Epiſcoporum, Doctorumque auctoritati, qui in laudato capite numquam certe id veluti ratum, exploratumque conſtituiſſent, niſi veritas hæc a primis Eccleſiæ ſæculis ad ea uſque tempora pervulgata, & tralatitia fuiſſet traditione deducta? Quæ porro temeritas erit, ſi hæc non eſt?

V. Neque hanc labem abſtergere poteſt Lamy ajens: Tridentinos Patres eo loci de re ſermonem habere, cujus veritatem penitius ſcrutandam ſibi non ſumpſerant, quamque diligenti examini non ſubjecerant, ſed obiter tantum attigerant; illud enim extra litem eſt, quod Lamy, aliique concedunt, Tridentinos Patres in eo capite de explicanda atque illuſtranda Euchariſtiæ inſtitutione ſollicitos certæ, & ab omni controverſia remotæ rei loco conſtituiſſe, Chriſtum nonniſi poſt Judaici Paſchatis eſum novum condidiſſe Paſcha ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, opus iccirco non fuiſſe, ut rem omnibus teſtatiſſimam, nec a quoquam eo tempore in dubitationem adductam accuratiori indagatione diſquirerent; ſi ergo id erat Tridentinis Patribus perſuaſum, ſi ea tum ſententia ubique obtinebat, ſi Eccleſiæ conſenſus non alio locupletiori teſte probari poteſt, quam Œcumenico Concilio, innoxie ne diſſidere Adverſarii poſſunt ab hoc Eccleſiæ conſenſu, & ſingulare placitum adoptare, quod Tridentinorum Patrum ſenſui aperte repugnare ipſi probe intelligunt? Soli ne ſapient Adverſarii, quotquot vero ad habendum Tridenti Concilium ex univerſo Occidente confluxerunt Epiſcopi, atque Doctores, pietate, literis, & Eccleſiaſticarum rerum peritia ſpectatiſſimi, erraſſe dicendi erunt, falſamque opinionem retinuiſſe, atque vulgaſſe? Si hoc temeritate vacat, non video, in quem temeritatis culpa conferri jam poſſit.

VI. Meliora ne vero Tourneminus?

„ Angelorum natura, ait ille, corporis „ expers cum hoc aſpectabili mundo fa„ cta ex nihilo legitur in decretis quarti „ Concilii Lateranenſis tam perſpicue fal„ tem, quam ſententia meæ oppoſita in „ Tridentino Concilio, Sancti tamen Tho„ mas, & Bonaventura, licet paulo poſt „ ejuſdem Concilii celebrationem ſcripſe„ rint, diſerte tradunt, neutrum caput ad „ fidem pertinere, quia, ut animadvertit „ Suarezius, Concilium non ex inſtituto „ ad definiendum, ſed obiter, & quaſi „ aliud agens id dixit; & Vaſquezius ad„ notat, Concilium his opinionibus certi„ tudinem non contuliſſe, ſed majorem „ tantum probabilitatis gradum, quum „ Eccleſia eam controverſiam definire tunc „ nollet; idem de opinione a me propu„ gnata &c. " Totus tamen hic Tournemini ſaltus eſt extra ſtadium: ſicut enim Lateranenſis quarta Synodus ceu fidei articulum non definivit, Angelos ſuapte natura incorporeos, atque una cum hoc viſibili mundo a Deo fuiſſe conditos, ita ultro concedimus, Tridentinum inter fidei capita non retuliſſe, noviſſimum Paſcha fuiſſe celebratum a Chriſto: Quid porro? Sicut Angelos cum aſpectabili hoc mundo cæpiſſe, & corporis omnino expertes eſſe, licet fidei dogma non ſit, poſt eam tamen Lateranenſis Concilii declarationem eo auctoritatis, majoriſque probabilitatis, utraque hæc ſententia deducta eſt, ut ſola ei apponatur inconſiderata temeritas quemadmodum cum Melchiore Cano cenſent plurimi, graviſſimique Theologi, ita etſi divina fide ratum non ſit, peregiſſe Chriſtum ultimum legale Paſcha, poſt luculentum tamen Tridentini teſtimonium, quo ſenſus univerſæ Eccleſiæ declaratur, abeſſe a temeritate non poſſunt, qui oppoſitum conſtanter ſentiunt.

VII. Æque futilia ſunt, quæ adverſus Catechiſmi Romani, hymnorumque, qui in Corporis Chriſti ſolemniis Eccleſiæ in uſu ſunt, auctoritatem regerunt Adverſarii, plura ſcilicet Catechiſmum habere, quæ ſapientibus merito non probantur, quod ſint illa vel ex Ariſtotelicæ Philoſophiæ principiis, vel ex Scholæ ſuæ opinionibus a Catechiſmi Auctoribus in eum derivata, laudatos hymnos Divi Thomæ Aquinatis, ideoque privati Doctoris opinionem ſuam a priſcis Scholaſticis hauſtam exprimentis fætum eſſe. Etſi enim aliud ſentire liceat, quam quod ex Scholæ præjudicio Catechiſmi Editoribus quandoque viſum eſt, temere tamen ea quis rejicit, quæ cum Tridentini doctrina apprime conveniunt, imo ipſam Concilii doctrinam exhibent, inter quæ certiſſime locum habet ſententia, quam tuemur. Quum etiam eos D. Thomæ hymnos in ſacris precum officiis uſurpet Eccleſia, ejus quoque ſententiam hymnis iis probaſſe cenſenda eſt. Ii certe non ſumus, qui certitudinem & veritatem omnibus velimus adſerere, quæ in Romano Breviario lectitantur, hoc tamen caput merito excipiendum eſſe contendimus; non enim mera facti hiſtorici quæſtio eſt, at quod rerum genus definiendum nec majeſtatem ſuam demittit Eccleſia, nec judicium interponit, ſed nonnihil dogmatis admixtum habet, quippe quod e ſacris literis haud obſcure colligitur, in quod Patrum traditio conſpirat, quodque ad vindicandam Latinæ Eccleſiæ de azymorum uſu in Euchariſtiæ celebratione diſciplinam mirifice confert; quare etſi nonnulla ad res pure hiſtoricas adtinentia minus certa, minus etiam vera in publicas Eccleſiæ preces irrepſiſſe, non abnuamus, negamus tamen, idem de poſitione hac noſtra cenſeri abſque piaculo poſſe, quum unanimem, & perpetuam Eccleſiæ ſententiam præferat, quemadmodum ex dictis patet.

PROPOSITIO III.

Eadem opinio cum Sanctorum Patrum doctrina aperte pugnat.

Patres in duas claſſes tribuimus juxta adcuratam temporum ſeriem, atque a Græcis exorſi primum appellamus Origenem hom. 9. in Leviticum, & hom. 35. in Matthæum diſerte ſcribentem, *Apoſtolos ſecundum Moſaicæ legis præceptum Paſcha cum Domino proxime morituro manducaſſe*. Secundus adeſt Euſebius Cæſarienſis, cujus inſigne fragmentum e chronico petitum in fine chronici Paſchalis exhibet Ducangius in hæc verba: *quum una cum Diſcipulis umbratile Paſcha comediſſet Dominus noſter, inducto alio authentico Paſchate feria quinta hebdomadis, in qua erat luna quartadecima &c.* Idem non uno ſuorum operum loco tradit Chryſoſtomus hom. præſertim 81. in Matthæum, in qua quæſtionem, *cur Chri-*

ſtus

Digitized by Google

ſtus Paſcha ſervare voluerit dirimens ait: *Ut omnibus ſemper uſque ad ultimum paſſionis diem oſtenderet, ſe legi non adverſari*; hom. quoque 82. & 83. in eundem difficultatem expediens, quæ ex iis Evangeliſtæ verbis enaſcitur, *veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim &c.* hæc habet: *Quomodo ſi Paſcha comedebant, adverſus legem recumbentes manducabant? Sed dicere poſſumus, quia poſtquam comederunt Paſcha, ad cœnandum recubuerunt.* Epiphanius Chryſoſtomo coævus in lib. adverſus hæreſes hæreſi 30. Ebionitas carnium uſum damnantes argumento e Chriſti Domini exemplo ducto refellit, quia ſcilicet Dominus judaicum *Paſcha comedit, quod conſtabat Agno, & panibus ſine fermento ſubactis.* Cyrillus Alexandrinus Epiphanio ſuppar in epiſt. ad Patres Cartaginenſis Concilii ſcribit: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus una die conjunxit Agnum Judæorum, & verum manna, quando benedixit panem & vinum dicens: hoc eſt corpus meum, & ſanguis meus.* Miſſis denique aliis pluribus, qui e Græcis laudari poſſent, Proterius in Alexandrina Sede Cyrilli ſucceſſor a Leone I. Imperatore de ratione celebrandi Paſchatis interrogatus in hæc verba reſpondit: *Dominum Jeſum quinta feria, quintadecima luna menſis primi in cœnaculo cum Diſcipulis Paſcha manducantem paullo poſt a Juda traditum, & ſequenti die, luna quintadecima crucifixum &c.*

II. Inter Latinos agmen ducit Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem cap. 42. ſceleſtiſſimum illum Moſaicæ legis Adverſarium, cum aliis argumentis, tum hoc potiſſimum retundens, *quod Dominus ipſe Paſcha a Moſe promulgatum ſervavit*, eaque recitans quæ Lucæ 22. Chriſtus dixiſſe legitur: *deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum* &c. ironice ſic exclamat! *O legis deſtructorem, qui concupierat etiam Paſcha ſervare!* Idem ſentiunt Ambroſius in epiſt. ad Epiſcopos Æmiliæ, Auguſtinus epiſt. 36., Hieronymus lib. 4. in Matthæum cap. 10. Quorſum vero alios ſingillatim recenſeamus, & compellemus ex nomine, quum ipſe Lamy præfat. in tractatum de Paſchate fateatur ingenue, ſententiam noſtram totius antiquitatis ſuffragio fultam eſſe, ſuam vero omni prorſus præſidio deſtitutam? „ Quia opinio,
„ ait ille, quam tueri aggredior, in univerſum
„ deſerta erat, congredi cogor cum
„ Theologis, Scripturæ interpretibus, Hi-
„ ſtoricis Eccleſiaſticis, Chronologis, & ge-
„ neratim cum iis omnibus, qui ſive inter
„ Catholicos, ſive Ethærodoxos eruditione
„ præliterunt. Cuncti adverſarii mei ſunt,
„ quos partim adorior, partim refello, ut de
„ me dici poſſit, quod de Iſmaele ſanctæ
„ litera tradunt, *manus ejus contra omnes,*
„ *& manus omnium contra eum.* " Hæccine Chriſtianam modeſtiam ſapiunt? Hæcne digna viro Religioſo gloriatio? Conqueri jam ergo ille non poterit, opinionem ſuam communiter temeritate notari, quam fatetur ipſe a Sanctorum Patrum, ac Interpretum doctrina abhorrere.

III. Ab unanimi porro Patrum, ſapientumque ſententia gravibuſne, ſolidiſque momentis abſtractus eſt Lamy? Licere ſibi, ait, a Patrum traditione recedere, quod nemo illorum cauſam hanc adcurate diſcuſſerit, penituſque expenderit, integrum iccirco ſibi jus eſſe, ab eorum ſententia appellandi, atque petendi, ut cauſa iterum cognoſcatur. Origenes hac de re ſcripſit obiter, Hieronymus de hoc capite non diſputavit, ſed verbo, ut ita dicam, uno curſim tranſgreſſus eſt, Ambroſius id pro certo poſuit nullis adhibitis probationibus, Auguſtinus eadem ratione ſe geſſit, nec quæſtioni huic operam conſulto dedit &c. Verum qui fieri potuit, ut non ſecum animo reputaverit Lamy, ſuum hoc reſponſum non in Patres ſolum contumelioſum eſſe, ſed & Catholicæ Eccleſiæ infeſtum, & percommodum Novatoribus? Si Lamy iis Chriſti Domini verbis: *hoc eſt corpus meum*, realem ejus in Euchariſtia præſentiam adverſus Calvinianum adſereret, hic vero ad ſolam figuram ea verba torqueret, nonne Lamy ad traditionem provocans longiſſimum Patrum ſyllabum inſtrueret, qui ab Apoſtolorum ævo ad hoc noſtrum teſtes ſunt, Eccleſiam Chriſti non de figura, ſed de veritate ea verba interpretatam eſſe, quod argumento eſt, ſenſum hunc a Chriſto ipſo Apoſtolis traditum, & continua ſibi invicem ſuccedentium ſæculorum teſtificatione ad nos uſque traductum? Quid ſi Calvinianus reſponſum Lamy arripiens reponeret: *Eccleſiaſticos Auctores id ponere, non probare, de capite hoc obiter, & ſine probationibus loqui, eorum, qui inter Eccleſiæ Patres jure cenſentur, neminem proferri poſſe, qui de hoc argumento libros ediderit, illudque ſibi ſumpſerit adcurate explicandum?* Hæreret aqua Lamy, tumque intelligeret, quam inſcite

& imprudenter, ne temere dicam, & arroganter, reſponſum hoc ſuum Patrum teſtimoniis opponat, & vincendam fidei cauſam Eccleſiæ adverſariis exhibeat.

IV. Tourneminus in ſua ad Patrem Honoratum epiſtola perſuadere legentibus volens, dari ſibi vitio non poſſe, ſi Patrum teſtimoniis a præconcepta opinione ſuâ non deducitur, illud, ait: „ initio animadverto, nullum ex Patribus ante Origenem „ dixiſſe, Chriſtum poſtremo vitæ ſuæ anno Paſcha celebraſſe; non ignoramus „ autem, qua eſſet Origenes auctoritate, „ ut nullus ſit admirationi locus, traxiſſe „ illum in ſententiam ſuam, quotquot illum ſecuti ſunt, & Scripturarum explicationes ab eo mutuarunt .... Satis „ tamen erit in rem meam trium Eccleſia Doctorum Origene antiquiorum auctoritas, Clementis ſcilicet Alexandrini, „ S. Apollinaris Hieropolytani Epiſcopi, „ & Sancti Hippolyti Portuenſis Epiſcopi „ & Martyris, quorum teſtimonia Chronicon Paſchale Heraclio imperante confectum ad nos uſque traduxit. Patres „ hi in tractatibus adverſus Hæreticos Quartadecimanos rem ea, qua decebat, accuratione excutientes Chriſtum extremo „ vitæ ſuæ anno paſchalem Agnum comedere non potuiſſe teſtantur, & probant:“ Excandeſcit in hoc reſponſum Joannes Harduinus ejuſdem Societatis ſcriptor, illudque acerbiſſimo ſtylo divexat. Fervidiſſimi ingenii hominem non imitabimur, neque cenſuram, & convicia adoptabimus, quibus Tournemini, aliorumque opinionem laceſſit. Solas receptiſſimæ, ſanioriſque criticæ regulas tenentes mitiori quidem, efficaciori tamen ſtylo hoc Tournemini reſponſum profligabimus.

V. Quæcumque de Chronici Paſchalis Auctore ferenda ſententia ſit, certo certius eſt, falſo, & per ſuppinum errorem ab eo laudari Clementis Alexandrini, Apollinaris Hieropolitani, Hippolyti Portuenſis, Petri Alexandrini teſtimonia de prætermiſſa a Chriſto noviſſimi Paſchatis celebratione; quis enim exempli gratia non deprehendat, Petro Alexandrino, qui Diocletiano imperante Martyr occubuit, falſo adſcribi librum, in quo Conſtantini Magni, Nicæni Concilii, & S. Athanaſii poſt Nicænam Synodum Alexandrini Patriarchæ fit mentio? quis, ut alia argumenta mittamus, de ſuppoſitione non dubitet teſtimoniorum atque operum Hippolyti, Clementis Alexandrini, atque Apollinaris? quum Calmetus ipſe, oppoſitæ licet opinionis approbator, in diſſertatione de Paſchate ſcribat, nec eſſe fore, ut inter omnes conveniat, loca hæc eorum non eſſe Scriptorum, quibus adjudicantur? Hæc quum ita ſint, an non quaſcumque prudentiæ, & ſanioris criticæ leges poſthabuit Tourneminus nolens ſententiæ ſubſcribere, quam plurium Græcæ, Latinæque Eccleſiæ Patrum ſuffragio fretam eſſe fatetur, oppoſitam vero arripiens, a qua paucos ſtare contendit, quorum teſtimonia, atque opera, ſi non certiſſime falſa ſunt, vehementer ſaltem falſitatis, & ſuppoſitionis ſuſpicionem eruditis omnibus commovent? Si Cicerone teſte gravitatis, & conſtantiæ ſapientis indignum eſt, aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, ſine ulla dubitatione defendere, ſapientes ne Tourneminus, aliique, qui Græcorum, Latinorumque Patrum teſtimonii ipſorum etiam confeſſione certiſſimis lubrica, & ambigua præferunt, & ſolo novitatis amore illud reiiciunt, quod Veterum Patrum pleriſque conſtitutum fuiſſe fatentur, idque ſine ulla dubitatione defendunt, quod non ſatis explorate perceptum eſt, an alicui priſcorum Patrum umquam in mentem venerit? Eſt certe, cur majorem in Lamy, Tournemino, eorumque Aſſeclis & modeſtiam, & prudentiam deſideremus.

PROPOSITIO IV.

Chriſtus legitima die, luna ſcilicet quartadecima Menſis primi exeunte cum univerſa Judæorum gente Paſcha peregit.

I. Etſi de celebrato a Chriſto noviſſimo Paſchate mira ſit Patrum, Interpretum, Theologorumque conſenſio, inter eos tamen non convenit de celebrati hujus Paſchatis die, viſi enim ſibi ſunt Joannem cum aliis Evangeliſtis non poſſe componere, niſi dies, qua hoc Paſcha peregit Chriſtus, diverſa figatur ab ea, qua illud eo anno cæteri Judæi celebrarunt. In exponenda autem hac dierum diverſitate non eandem omnes ineunt viam; Aloyſius enim Legionenſis, & Baſilius Poncius certe rei loco ponentes mactari indiſcriminatim potuiſſe Paſcha luna quartadecima vel ineunte, vel exeunte, omnem ſibi videntur Joannem inter, alioſque Evangeliſtas antilogiam ſuſtuliſſe, ſi ſtatuant incipiente luna quartadecima Chriſtum, eadem

eadem illa deſinente Judæos Paſcha celebraſſe. Bucherius, Petzonius, & Arduinus, quibus compertum erat ex Levitivo, Numeris, atque Deuteronomio, diem celebrando Paſchati a Deo præſcriptam quartamdecimam eſſe Menſis Niſan non ineuntem, ſed exeuntem, duplicem excogitarunt Neomeniam, ſeu menſis initium, ac novilunium, duplex item plenilunium, alterum a luminarium congreſſu, alterum a primo lunæ conſpectu, ideſt primum a lunæ conjunctione cum ſole, alterum a lunæ phaſi ſive apparitione. Galilæos aſtronomicum calculum, & lunæ cum ſole conjunctionem ſpectaſſe ajunt, atque inde quartam decimam diem celebrando Paſchati præfixiſſe, Jeroſolymitas vero, cæterosque Judæos a lunæ phaſi, ſive apparitione celebrandi Paſchatis iniviſſe rationem, cohærere icirco mirifice omnia apud Evangeliſtas. Chriſtus enim ſtatuta die poſtremum Paſcha comedit, idem peregerunt Judæi rite, ac legitime, quamquam ſequenti die, quod Chriſtus & Apoſtoli origine Galilæi aſtronomicum calculum, Judæi vero vulgarem ſectati fuerint.

II. Hæc tamen ad arbitrium conficta ſunt, quum nonniſi unius Neomeniæ, uniuſque calculi perpetuo Scriptura meminerit, jubeatque, ut uno, eodemque die univerſa congregatio filiorum Iſrael agnum Paſchalem immolet, atque comedat, ſcribantque Phylo, & Joſephus Hebræi homines rerum gentis ſuæ ſcientiſſimi, & Chriſti ætate poſteriores, *univerſam Judæorum gentem ex diverſis locis congregatam celebrare communem victimam decimaquarta menſis primi &c.*; quare contendunt alii, præfinita die legi quidem paruiſſe Chriſtum, Judæos vero eo anno celebrationem Paſchatis diſtuliſſe, cujus dilationis non una ab eis adſertur ratio; Joannes Gerardus Voſſius, Carolus Sigonius, & Chriſtianus Lupi opinantur, diſtuliſſe in ſequentem diem Judæos Agni eſum, ut liberius Chriſti necem urgerent, neque a perficiendo conſilio ſuo Paſchali ſolemnitate impedirentur: Paulus Burgenſis, Catharinus, Maldonatus, aliique multi id factum putant, quod apud Judæos oralis quædam lex, ſeu traditio antiqua vigeret, qua cautum erat, ne duo feſtivi dies ſeſe immediate conſequentes celebrarentur, ſed unus in alterum transferretur, & ex duabus ſolemnitatibus nonniſi una fieret; quod quum anno Chriſti emortuali contingeret, incidente ſcilicet ſolemnitate Paſchali in feriam ſextam, quam e veſtigio ſabbatum excipiebat, Chriſtus legis ſcriptæ tenax die quartadecima ſacris in litteris definita Paſcha perfecit, Judæi vero legi ſcriptæ oralem, ſeu traditionem anteferentes in aliam diem celebrationem Paſchatis diſtulerunt. Duas has poſtremas opiniones, quæ plures, eoſque celebres Patronos habent, infra opportune reſutabimus. Ad propoſitionis noſtræ, quæ duabus partibus conſtat, momenta interim procedamus.

III. Primo: Cœnaſſe Chriſtum cum Apoſtolis *prima die* azimorum *ad veſperam*, Matthæus, Marcus, & Lucas conceptis verbis adfirmant; ſi ergo ea Chriſti cœna vere legalis fuit, ſicuti dant adverſarii, jamque a nobis probatum eſt, Chriſtus diem celebrando Paſchati divinitus præfinitam non antevertit, ſed legitima die Paſcha peregit; Dies enim a lege præſcripta luna quartadecima erat Menſis primi ad ſecundam veſperam, quæ & lunæ quintædecimæ prima veſpera erat, ideſt lunæ quartædecimæ exitus, & quintædecimæ initium, ut legere eſt Levitici 23. *Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt, & quintadecima die menſis hujus ſolemnitas azimorum Domini eſt; ſeptem diebus comedetis azima &c.* Secundo: Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore Moſaicæ legis ſervandæ zelum præſetulit; præfinito ergo tempore Paſcha celebravit; quæ enim ei ſubeſſe poterat ratio, ut diem legitimam præverteret? Num, quod propediem ſeoccidendum ſciret? Etſi id optime noſſet, ſi tamen ea, qua Paſcha celebraſſe legitur, dies non erat a lege ſtatuta, abſtinuiſſet potius a celebrando Paſchate, nec diem legitimam præveniſſet; etſi enim num. 9. divina lege cautum eſſet, ut ſi quiſpiam quartadecima Menſis primi die legali ſorde pollutus eſſet, aut procul a gente ſua, ad quartamdecimam ſecundi menſis lunam delinentem Paſchatis celebrationem differret, nullibi tamen lex permittit, ut ante quartamdecimam primi menſis lunam Paſcha immoletur. Tertio: Etſi Chriſtus (quod reponere Adverſarii ſolent) ceu ſupremus legis cujuſque Dominus non eſſet Moſaicæ obnoxius, numquam tamen, licet ſupremo jure poſſet, id ſibi ſumpſit, ut aliquod ejus caput violaret, immo ſervavit omnia legis mandata Religioſiſſime, objectamque ſibi a Phariſæis, & Scribis legis violationem invictis argumentis a ſe depu-

depulit, ac demonſtravit, nihil umquam a ſe in Moſem peccatum eſſe; ab omni ergo fide abhorret, voluiſſe illum in mortis ſuæ pervigilio deeſſe obſequio, quod toto vitæ ſuæ tempore legi exhibuerat, diemque celebrando Paſchati a lege præfinitam anteoccupare.

IV. Quarto: Si Chriſtus ante diem legitimam Paſcha cum Diſcipulis perfeciſſet, id ſtatim hoſtes ejus reſciviſſent a Juda, qui unus fuerat e convivantibus, & cæna facta exivit, ut eum Judæis traderet, qui id eis certe indicaſſet, ut aliquam ſceleri ſuo excuſationem prætexeret, nimirum quod hominem legis violatæ reum, aliiſque ejus violandæ Auctorem Magiſtratibus traderet puniendum. Id ne vero Chriſto objectum? eorum ne aliquis, qui undique falſum teſtimonium quærebant adverſus eum, hoc titulo uſus eſt ad damnationem ejus urgendam? Commentitia ergo eſt hæc legitima diei anticipatio, præſertim quum Latinorum, Græcorumque Patrum conſenſioni adverſetur; hi enim, ut celebratum a Chriſto noviſſimum Paſcha ſcripſerunt, ita obſervatum ab eo legitimum diem conſtanter aſſerunt. Huc etiam facit momentum ex Quartadecimanorum errore petitum; quum enim luna quartadecima Martii Dominicum Paſcha Judæorum more peragendum eſſe docerent, ſtultamque opinationem ſuam Chriſti, Apoſtolorumque exemplo defenderent, inter Græcos, Latinoſque Scriptores, inter Nicænos Patres, inter Romanos Pontifices nemo unus occurrit, qui errorem illum convellere aggreſſus hoc a Quartadecimanis fundamenti loco poſitum falſi expoſtularit; obtinebat ergo tunc apud omnes firmiſſima perſuaſio de celebrato a Chriſto ſupremo Paſchate non alia die, quam quæ fuerat divinitus definita.

V. Judæos vero eo anno eadem die Paſcha legale impleviſſe, nec ejus celebrationem in diem alteram diſtuliſſe, ex Luca, & Marco manifeſte colligimus. *Venit autem*, ait Lucas, *dies azimorum, in qua neceſſe erat*, præcepti ſcilicet neceſſitate, *occidi Paſcha, & primo die azimorum*, ſcribit Marcus, *quando Paſcha immolabant*: prima illa azimorum dies teſte Luca ſecundum legem immolando Paſchati deſtinata erat, eadem die, ut Marcus ait, Judæi, ſeu univerſa Hebræa gens eo anno Paſcha immolabat; quum ergo eadem prima azimorum die celebratum a Chriſto Paſcha iidem Evangeliſtæ teſtentur, reliquum eſt, conveniſſe tum Chriſto Judæos in legitima celebrandi Paſchatis die. Quam ſunt autem frivolæ rationes dilati a Judæis Paſchatis a nonnullis excogitatæ! Non diſtuliſſe illos immolationem Phaſe, ut urgendæ Chriſti neci liberius vacarent, imo ipſa recurrente ſolemnitate Paſchali, quam celebrabant, ſæviſſe illos in Chriſtum, ea primo demonſtrant, quæ Joan. 18. Pilato eis poteſtatem facienti Chriſti ſecundum legem judicandi repoſuerunt, nobis non licet interficere quemquam; *intelligendum enim eſt*, ait præclare Auguſtinus tract. 114. in Joan. cui concinunt Chryſoſtomus hom. 83. in eundem, & Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joannem, *eos dixiſſe non ſibi licere interficere quemquam propter diei feſti ſanctitatem, quam celebrare jam cœperant*. Secundo: qui Joan. 8. & 10. legit, quæ in Tabernaculorum ſolemnitate, in Encæniorum feſto, in templo ipſo, ac in porticu Salomonis adverſus Chriſtum moliti ſunt Judæi, illum certe lapidibus oppreſſuri, niſi ille miraculo ſe ſubduxiſſet, qui novit in Evangelio, totam noctem a Judæis in Chriſti judicio fuiſſe contritam adverſus probatiſſima gentis ſuæ jura, quæ ſtatuunt *judicia capitalia tranſigi, & finiri interdiu*, qui poteſt ſibi in animum inducere, ut credat, tranſtuliſſe Judæos in aliam diem Paſchatis celebrationem religionis cauſa, ne ſolemnitatem ſcilicet violarent Chriſtum ea ipſa die poſtulantes ad necem?

Futilior eſt altera tranſlati a Judæis Paſchatis ratio ex vulgato illo *Majorum* decreto de feſtorum tranſlatione; primo enim doctiſſimus Petavius tum in notis ad Epiphanium, tum lib. 12. de doctrina temporum, Hebræorum omnium, Rabbini præſertim Moſis Maimonidis ſummæ apud eos auctoritatis teſtimonio fretus ſcribit, decretum illud nondum ætate Chriſti fuiſſe editum, nec niſi diu poſt Chriſti paſſionem apud Hebræos hanc ſuperſtitionem inductam. Secundo: nec etiam poſt Chriſti ævum prodiiſſe hoc Synagogæ decretum, neque obtinuiſſe unquam, neque ætate noſtra obtinere, probant eximii viri tum auctoritate Thalmudis in lib. Maſſuchet Succa cap. 5., in quo ſermo fit *de ſolemnitatibus Sabbato conjunctis, ſive antecedant, ſive ſubſequantur, omnino obſervandis*, tum exemplis e præſenti Hebræorum more deductis; quum enim e. g. an. 1718. feſtum

Pen-

Pentecoſtes Sabbato immediate conjunctum eſſet, utrumque feſtum diſtinctis diebus agitarunt Judæi, ac duos dies ſeſe abſque medio conſequentes feriati ſunt; male ergo materiatum eſt fundamentum, cui ſuperſtructa eſt nonnullorum opinio de translata a Judæis anno Chriſti emortuali Paſchatis celebratione. Verum quæ illa ſunt Joannis perſpicua adeo, & decretoria teſtimonia, ut Adverſarios coegerint tam varias, oppoſitaſque ingredi vias? alia ne componendi cum aliis Evangeliſtis Joannem ratio non ſubeſt, niſi Chriſtum una, Judæos altera die Paſcha celebraſſe dicamus?

VI. Ut ea ſecundum capitum ſeriem expendamus, illud primo ſucum Adverſariis fecit, quod cap. 13. Joannes ait: *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem . . . & cæna facta &c.* inde enim argumentantur: Agit eo loci Joannes de legali cæna a Chriſto ſuprema vitæ ſuæ nocte cum Apoſtolis celebrata; quum ergo peractam illam fuiſſe ſcribat ante diem feſtum Paſchæ, alterutrum dicendum, aut prævertiſſe Chriſtum diem legitimam, aut Judæos ejuſdem feſti ſolemnitatem in diem alteram tranſtuliſſe. Neutrum tamen inde conſequi demonſtrat Angelicus 3. par. q. 46. art. 9. idem hoc argumentum ſibi proponens, atque ita diluens: „ quum dici-
„ tur Joann. 13. *ante diem feſtum Paſchæ*,
„ intelligitur hoc fuiſſe luna quartadeci-
„ ma, quæ tunc evenit feria quinta; nam
„ luna exiſtente quintadecima erat dies ſo
„ lemniſſimus Paſchæ apud Judæos, & ſic
„ eundem diem, quem Joannes nominat
„ *ante diem feſtum Paſchæ* propter diſtin-
„ ctionem naturalem dierum, Matthæus
„ nominat *primum diem azimorum*, quia
„ ſecundum ritum Judaicæ feſtivitatis ſo-
„ lemnitas incipiebat a veſpera præceden-
„ tis diei. " Hoc D. Thomæ reſponſum Theologi, ac Interpretes ferme omnes non Catholici ſolum, ſed & inter Novatores celeberrimi excipiunt, majoriſque claritatis gratia animadvertunt, apud Judæos olim, ut & nunc apud Chriſtianos, alios fuiſſe dies ſacros, ſive legales celebrandis feſtivitatibus addictos, alios naturales, naturæ ſcilicet lege diſtinctos, artificiales alios faciendo quotidiano operi deſtinatos, artificiales iccirco dictos, quod eo temporis ſpatio ſoleant artifices ſuis in operibus occupari. *Legales* ab unius diei veſpera inchoati in ſequentis diei veſpera deſinebant, ſecundum Levitici legem cap. 23. *A veſpera ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*, quem morem Catholica Eccleſia retinet: *Naturales* dies a media nocte ducentes initium ad alterius noctis dimidium protrahebantur; *Artificiales* autem, qui & *uſuales*, ab aurora ad auroram producebantur.

VII. His explicatis omnis inter Evangeliſtas antilogiæ ſpecies evaneſcit, & Joannem tribus aliis mirifice conſonare deprendimus. Scribunt ii peractam a Chriſto legalem cænam *prima azimorum die* rectiſſime atque veriſſime; ab ea enim veſpera, qua recubuiſſe cum Apoſtolis Chriſtum, atque cænaſſe memorant, jam initium ſumpſerat quintadecima luna, & prima azimorum ſive Paſchalis ſolemnitatis dies ſacra, & legalis, quæ a veſpera ad veſperam celebranda erat: quia nondum tamen incæperat ejuſdem Paſchalis celebritatis naturalis dies, quæ nonniſi in noctis illius dimidio capiebat exordium, & in media ſequentis diei nocte deſitura erat, merito Joannes ſcripſit, factam fuiſſe legalem cænam *ante diem feſtum Paſchæ*, videlicet naturalem. Nulla itaque inter Evangeliſtas diſſenſio, quoniam de legali, & ſacra die, quæ jam cæperat, tres locuti ſunt, alter vero de naturali, quæ horis aliquot poſterior erat.

VIII. Hallucinati quoque ſunt Adverſarii in iis Chriſti verbis ad Judam ibidem a Joanne memoratis, *quod facis, fac citius*, quorum ſenſum Apoſtoli non adſecuti exiſtimarunt, *quia loculos habebat Judas, quod dixiſſet ei Jeſus, eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis ut aliquid daret*, quaſi vero, ſi legalis & ſacra dies cæpta jam fuiſſet, Apoſtolorum nemini in mentem venire potuerit, juſſum fuiſſe Judam a Chriſto emere, quæ agendo diei feſto neceſſaria erant. Eccur enim id Apoſtolorum nullus reputare ſecum animo potuit? An quod ea eſſet Paſchalis ſolemnitatis religio, ut nefas eſſet, ea recurrente cibos, aliaque ejus celebrationi neceſſaria parare? Id quidem viſum eſt Adverſariis, perperam tamen, & falſo; Exodi enim 12. jubentur Hebræi primam & ſeptimam azimorum diem ſolemnem habere, hiſque diebus ab omni opere ceſſare, *exceptis iis, quæ ad veſcendum pertinent*. Qua hora itaque Chriſtus iis verbis Judam affatus eſt, jam cæ-

na

Digitized by Google

na legalis peracta fuerat, jam deſierat quarta decima Luna, ad cujus veſperam Paſcha immolandum, edendumque erat, jam quintadecima Luna, & prima azymotum, ſive ſacra Paſchatis dies illuxerat, quare quum ad ſolemnitatem Paſchalem ſolemniter, & cum lætitia traducendam moris eſſet apud Hebræos, ex ovibus & bobus toto eo ſeptiduo in templo immolandis ſibi lautiores cibos inſtruere, quid mirum, ſi Apoſtoli ea Chriſti verba interpretati ſunt de emendis a Juda loculos habente cibis, quos comparare, & ad veſcendum inſtruere ipſa Paſchalis ſolemnitatis religio diſertiſſime permittebat?

IX. Neque melioris eſt commatis argumentum, quod Petavio, Maldonato, aliiſque e noſtris, Joſepho Scaligero, Ludovico Capello, Caſaubono, & Grotio e Novatorum grege viſum eſt decretorium, ex eodem Joanne ductum cap. 18. ſcribente, Iudæos noluiſſe, Prætorium Pilati ingredi, *ut non contaminarentur*, *ſed ut manducarent Paſcha*. Quid enim, ſi a Prætorii ingreſſu abſtinuerunt Iudæi, ne legali immunditia inde contracta a Paſchatis eſu prohiberentur? ergone vel legitima celebrandi Paſchatis dies nondum incœperat, ideoque eam anteverterat Chriſtus, vel Judæi in aliam diem Paſchatis celebrationem diſtulerunt? Audiamus Angelicum 3. par. q. 46. art. 9. cui Theologi ferme omnes, & Bibliorum Interpretes concinunt: „ quod autem dicitur, „ ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha, intelligendum eſt, „ quod ibi *Paſcha* non dicitur agnus Paſchalis, qui immolatus fuerat luna quartadecima, ſed cibus Paſchalis, ideſt „ azimi panes, quos oportebat comedi a „ mundis; unde Chriſoſtomus hom. 82. „ in Ioannem aliam expoſitionem ponit, „ quod Paſcha poteſt accipi pro toto Iu„ dæorum feſto, quod ſeptem diebus a„ gebatur. “ Sive de azimis panibus, ſive de toto Paſchatis feſtiduo, ac legalibus victimis, quæ ad cumulandam ejus feſti lætitiam toto eo dierum ſpatio offerri, comedique ſolebant, hoc Paſchatis nomen apud Ioannem ambiguum interpretari volueris, habebis perſpicua Scripturæ teſtimonia utrique interpretationi faventia. Nonne Lucas Act. 2. ſcribens, Petrum in vincula datum fuiſſe ab Herode volente, *poſt Paſcha producere eum populo*, ſeu conſumata ſolemnitate Paſchali morte mulctare, atque adnotans *tunc fuiſſe dies azimorum*, Paſchatis nomine azimorum dies ſignificavit? Paſchatis quoque nomine victimas pacificas venire toto ejus ſolemnitatis intervallo a Judæis immolari ſolitas, manifeſte indicant ea Deuteronomii verba cap. 16. *Immolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus*, *& de bobus &c.* quibus tamen veſci non poterant niſi mundi. Iudæi ergo, qui Chriſtum ad Pilatum adduxerant, veriti, ne incircumciſi, & prophani Judicis Prætorium ingreſſi, ac legali ſorde polluti Paſchales hoſtias edere ſubinde non poſſent, ingredi Prætorium noluerunt, etſi præcedenti veſpere agnum Paſchalem jam comediſſent.

X. Etſi autem Scaliger, & Capellus præfracte contendant, nuſpiam in ſacris litteris Paſchatis nomen præterquam ad Paſchalem agnum ſignificandum uſurpari, præpoſtere iccirco τὸ *Paſcha* apud Joannem ad Paſchales hoſtias referri, quas Hebræi non *Paſcha* dicunt, ſed *Chagigà*, *ſeu Euchariſtica ſacrificia feſto congrua*, *de quibus ederent ad ſatietatem*, facile tamen conficitur, & Paſchatis nomen non ſoli agno Paſchali in ſacris literis accommodatum occurrere, & laudato Joannis loco non agno Paſchali, ſed Euchariſticis hoſtiis eo ſeptiduo immolandis aptatum eſſe; ac primum quidem ex recitatis Deuteronomii verbis evincitur; ſive enim Hebraicum textum, ſive Syriacam & Arabicam verſionem, & Chaldaicam paraphraſim conſulamus, ſive in Vulgata noſtra hæreamus, legere ubique eſt, juſſos a Deo Hebræos immolare, atque mactare Paſcha de ovibus, & bobus, ideoque Paſchatis nomen non ſoli agno Paſchali, de quo ad quartædecimæ lunæ veſperam immolando Moſes in Exodo, Levitico, & Numeris egerat; ſed & pacificis victimis toto azymorum ſeptiduo mactandis attribui. Rem plane decernunt ſequentia verba: *Sanctificabis Paſcha Domino Deo tuo ovem*, *& bovem &c. non comedes ſuper eo fermentatum: ſeptem diebus comedes ſuper eo infermentatum &c.* ita Hebraicus textus, cui conſonant textus Samaritanus, nec non Syriaca, & ſeptuaginta Interpretum verſio. Præcipit Deus, ut ſeptem diebus Hebræi *ſuper Paſcha*, *& cum Paſcha-*

Digitized by Google

ſchate nonniſi azyma comedant ; non ergo ſolus paſchalis Agnus Paſchatis nomine venit ; nam etſi ſuper eum, & cum eo azymi panes edendi eſſent, ita tamen ipſa prima azimorum nocte totus comedendus erat, ut ſi quidpiam ejus ſuperfuiſſet, ante auroræ ortum igne deberet abſumi. Cum agno ergo, & ſuper agnum paſchalem non poterant Hebræi ſeptem diebus azymos panes edere : ſi ergo toto ſeptiduo azymi panes edendi erant *cum Paſchate & ſuper Paſcha*, non ſolum paſchalem Agnum, ſed & reliquas victimas a Moſe denotatas, & ſeptem diebus Paſchalibus immolandas Paſchatis nomen eo Deuteronomii loco ſignificat.

Joannem autem Paſchatis nomine non paſchalem agnum, ſed Euchariſticas hoſtias paſchali tempore edendas deſignaſſe, hoc argumento conficitur : qui ante fores Præſidis ſeſe continuerunt nolentes Prætorium ingredi, neque ignobiles, neque numero pauci erant, ſed Optimates, Principes videlicet Sacerdotum, ac Seniores ingenti populi caterva comitante, ut apud Evangeliſtas legere quiſque poteſt : quid porro? Omnes ergo, qui præ foribus Prætorii aderant, nolebantque illud ingredi, ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha, jam præcedenti veſpere agnum paſchalem ederant, unumque id verebantur, ne ex introitu in Prætorium legalis immunditia eis adhærens ab eſu cæterarum paſchalium victimarum illos arceret ; ſi enim agnum paſchalem comeſturi adhuc erant, quorſum ab ingreſſu Prætorii abſtinebant, ne immundi fierent? Etſi legalis immunditia paucos, eoſque privatos afficiens impedimento eſſet celebrando Paſchati, efficeretque, ut ejus celebratio in quartamdecimam menſis ſequentis diem a privatis, qui immundi eſſent, ex Dei mandato differretur, quando tamen major Sacerdotum, ac populi pars immunditiæ legali obnoxia erat, non erat differenda Paſchatis celebratio ; præfinita die agenda, quod neceſſitatis atque præcepti eſſet. Id ex Rab. Maimonide non ſolum, ſed & ex Judæorum Miſena in tract. Temurà cap. 2., & in tract. de Paſchate cap. 7. aperte liquet : *Agnus Paſchalis immolabatur etiam cum immunditia, modo tamen majoris partis immunditia eſſet*. Paſchatis itaque nomine, quod ut manducare rite poſſent, noluerunt Judæi in Prætorium introire, paſchalem Agnum, quem ii etſi immundi mactare, ac comedere potuiſſent, Joannes ſignificare non potuit, ſed alias paſchales hoſtias, quæ, quum paris non eſſent neceſſitatis, ac præcepti, ſicut agni paſchalis immolatio, edi non poterant niſi a mundis.

XI. Plura ex iis, quæ tum cap. 19. tum alibi idem Joannes refert, congerunt Adverſarii, quæ videntur propoſitioni noſtræ adverſari ; Primo : diem, atque horam, qua in crucem ſublatus eſt Chriſtus, adnotans Evangeliſta ait : *Erat autem paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*. Quid hæc Paſchæ paraſceve, niſi præparatio ad Paſcha ? Non ergo ipſa Paſchatis die, ſed pridie Paſchatis crucifixus eſt Chriſtus. Secundo : ibidem memorat, petiiſſe a Pilato Judæos, ut Chriſti, ac duorum cum eo crucifixorum corpora tollerentur, neque *in cruce remanerent Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati* ; quo autem nomine magnus erat ille Sabbati dies, niſi quia ſimul cum eo prima azymorum, ſeu Paſchalis feſtivitatis dies concurrebat? Tertio : nonne Joannes ipſe plura deſcribit ſexta feria illa, qua in crucem actus eſt Chriſtus, a Judæis peracta, quæ plane demonſtrant, primam azymorum diem celeberrimam, ac venerabilem nondum Judæis illuxiſſe ? Quis credat, Paſchalem ſolemnitatem jam cæptam fuiſſe nocte illa, quam ferme integram in capiendo judicandoque Chriſto Synagoga contrivit, ſolemniſſimam illam fuiſſe Paſchatis diem, qua ad tot tribunalia raptus eſt Chriſtus, & quæ ab Hebræis in urgenda ejus morte, in eo ad ſupplicium deducendo, in curanda militum cuſtodia, in obſignando ſepulchro tota conſumpta eſt, qua etiam homines pii, & Scripturæ teſtimonio laudati nonnulla egiſſe leguntur, quæ cum ſacratiſſimæ diei religione non videntur poſſe componi ? Poſtremo : qui fieri potuit, ut Judæorum Optimates, qui conſilium paulo ante inierant de interficiendo Jeſu, *non tamen in die feſto, ne forte tum ultus fieret in populo*, ad tam nefarium ſcelus implendum ipſam ſolemniſſimam Paſchatis diem elegerint, qua, conveniente Hieroſolymam maxima multitudine, facillime poterat tumultus oriri, eaque occaſione Chriſtus ex eorum manibus vel eripi, vel elabi?

Levia tamen hæc ſunt, & explicatu facillima ; primo enim quod Joannes ait :

ait : *erat Paraſceve Paſchæ*, non de præparatione ad Paſcha, ſed de feria ſexta cum Paſchali ſolemnitate concurrente Theologi communiter interpretantur; recte quidem, & ad germanam Evangeliſtæ mentem : nam quæ Joanni eſt *Paraſceve Paſchæ*, Marco eſt *Paraſceve ante ſabbatum*: immo Joannes ipſe paulo infra ſcribens, *Judæi ergo*, (*quoniam paraſceve erat*) *ut non remanerent in cruce corpora ſabbato &c.* ſatis declaravit, ſe Paraſceven Paſchæ paulo ſuperius poſuiſſe, non quod eſſet Paſchatis pervigilium, ſeu præparatio ad Paſcha, ſed quod feria ſexta eſſet, Paraſceve a Judæis dicta, ſeu præparatio ad Sabbatum, quam iccirco Paraſceven Paſchæ appellavit, quod eo anno primus ipſe ſolemniſſimus Paſchatis dies in feriam ſextam, ſeu Paraſceven incurreret. Qui vero reſponſum hoc noſtrum reprehendunt, rejiciuntque, Marcus Antonius de Dominis, & Joannes Gerardus Voſſius, probent neceſſe eſt, aliquam fuiſſe diem ad Hebræis præparationi ad Paſcha addictam, quæ propterea *paraſceve Paſchatis* diceretur : qui vero id facient, quum omnibus perſpectum ſit, quavis ſexta feria poſt meridiem ab Hebræis parari cibos, menſaſque poni, perinde ac ſi ſtatim cænandum, ac prandendum eſſet, quod id Sabbato facere nefas ſit, feriam iccirco ſextam Paraſceven ab eis dici, quod ea parentur cibi in ſequens Sabbatum, pridie vero Paſchatis nullam ab eis fieri ciborum præparationem, quod emere, atque parare, quæ ad veſcendum pertinent, ipſa prima Paſchatis die, ſicut & ſeptima pari cultu venerabili, per legem eis liceat? Si ergo nulla eſt Paſchatis apud Hebræos Paraſceve, dies illa Chriſti emortualis non alia de cauſa a Joanne dicta eſt *paraſceve Paſchæ*, quam quod eo anno & Sabbati paraſceve ſimul eſſet, & Paſcha.

Quo autem nomine idem Evangeliſta ſabbati diem, qui Chriſti mortem ſubſequutus eſt, *magnum* dixit? An quod prima azymorum, & Paſchatis celeberrima dies in eum incideret, ſicut Adverſarii contendunt? Quum infra Paſchales dies, in ſecundam nempe azymorum ſabbatum illud incurreret, qua die populus templum Domini adibat cum pacificis victimis, & ſpicarum manipulum offerebat, ii vero feſti dies, quibus cum holocauſtis & victimis populus ſecundum legem coram Domino apparebat, *magni dicerentur*, ſicut noviſſimam Scenopegię diem, qua fiebant collectę & cętus, *magnum feſtivitatis diem* Joannes ipſe vocavit, mirum non eſt, ſabbatum, quod cum ſecunda azymorum die, quę victimarum immolatione, & manipuli ſpicarum oblatione celebris erat, eo anno concurrebat, *magnum ſabbati diem* appellatum fuiſſe a Joanne. Jam vero ſi quis impia Judæorum, qui Chriſti necem urſerunt, opera ab eorum ſecernat operibus, qui Chriſto defuncto pietatis officia exhibuerunt, nullo negotio argumentum diluet, quod Adverſarii magnificant. Vere ſacratiſſimam Paſchatis noctem, & diem totam in Chriſti damnatione curanda, ac perficienda Sacerdotum Principes, & Seniores, nulla tam ſolemnis feſti ratione habita, conſumpſerunt : quid ergo? Mirum ne, aut incredibile cuiquam videri debet, ſceleſtiſſimos homines, qui ſacratiora omnia naturæ, juſtitiæ, pietatis, ac veritatis jura in Chriſti judicio proculcarunt, ceremonialem legem neglexiſſe, & nefarium ſcelus, quod in Encæniorum, & Tabernaculorum ſolemnitate, in templo ipſo moliti fuerant, data opportunitate ipſo Paſchatis die implevisse? Abſit tamen, ut Joſephum, & Nicodemum Chriſti Pollinctores violati feſti accuſemus, quum & Tobiæ exemplo, & Rabbinorum doctrina perſpectum ſit, ſabbato, aliiſque ſolemnioribus diebus ſepeliri poſſe cadavera, & R. Jacob BenJudæ doceat, prima azymorum die exerceri poſſe, quidquid ad funus pertinet, licite quoque vendi, & emi, quæ ſunt ad ſepulturæ officium neceſſaria.

XII. Quid denique, ſi Judæi haud ita pridem conſilium cæperant de non perdendo Jeſu *in die feſto*? *Conſidera*, ait Chryſoſtomus hom. 80. in Matth., *valide ipſos timere non Deum, neque ne majus ſcelus eſſet in ipſa Paſcha celebratione tam tetrum facinus agere, ſed homines, & tumultum : ita tamen inflammati, poſtquam proditorem invenerunt, expectare non potuerunt, ſed in ipſa ſolemnitate eum occiderunt*. Hæc Chryſoſtomi verba, ut & quæ habet hom. 84. in Matth., Judæos ſcilicet immiſiſſe in Chriſtum manus, & tenuiſſe illum ipſa nocte, qua comederunt Paſcha, cum iis certe non videntur componi poſſe, quæ hom. 86. in Matthæum tradit, Judæos nempe, quoniam

niam ita inflammati, & ſæpe conati Jeſum capere, nihil facere potuerant, ex inſperato nactos, quod cupiebant, tempus Paſchæ tranſpoſuiſſe. Ut omnem a Chryſoſtomo contradictionis, atque inconſtantiæ notam depellat, nihil non molitur Arcudius, feliciter ne an ſecus, alii cenſeant: fac tamen Chryſoſtomum homilia mox recitata docuiſſe, Judæos unice de perdendo Chriſto ſollicitos Paſcha tranſpoſuiſſe, unum id conſequetur, opinionem de dilato a Judæis Paſchate ob Chryſoſtomi, &, qui illum ſemper exſcribit, Theophylacti auctoritatem non nihil probabilitatis habere, multo tamen probabiliorem, ac vero propiorem eſſe ſententiam, quam tuemur, quod Scripturæ ſacræ conformior ſit, & communi aliorum Patrum, imo & Chryſoſtomi ipſius hom. 80. & 84. in Matth. & hom. 82. in Joan. ſuffragio communita.

XIII. Multum poſtremo negotii facesſit momentum ex feſto Pentecoſtes ductum, quod lib. 5. de emendatione temporum pronuntiat Joſephus Scaliger, nulla ratione diſſolvi poſſe. Feſtum Pentecoſtes Deus Levitici 23. celebrari juſſit poſt quinquaginta dies a ſecunda azymorum, ſeu a ſextadecima luna menſis Niſan enumeratos; ſi ergo prima azymorum die, & quintadecima luna Chriſtus obiit, enumeratis a ſequenti azymorum die quinquaginta diebus, eo anno feſtum Pentecoſtes in ſabbatum incidiſſe neceſſe erit, quod tamen a conſtanti traditione abhorret, qua docemur, Pentecoſten eo anno cum prima ſabbati concurriſſe, dieque Dominico Spiritum Sanctum in Apoſtolos deſcendiſſe: quod ſi Pentecoſtes, ſeu quinquageſima a ſecunda azymorum in Dominicam incidit, ſecunda ergo azymorum cum die Dominica eo anno concurrit: præcedens ergo ſabbatum prima azymorum fuit, ſeu ſolemniſſima Paſchatis dies; quum ergo Chriſtus feria ſexta Paraſceve tradiderit in cruce ſpiritum, non ipſo Paſchatis die, ſed pridie Paſchatis conſignanda eſt ejus mors, ideoque fatendum eſt, vel eo anno prætermiſiſſe illum legale Paſcha, vel ejus celebrationem die una præveniſſe. Ut nodum illum expediant, nonnulli fidenter negant, anno Chriſti emortuali Pentecoſten & Spiritus Sancti in Apoſtolos illapſum in Dominicam incidiſſe, traditionem, quæ id fert, ceu fictitiam explodunt contenduntque Pentecoſtes Judaicæ feſtum, & viſibilem Spiritus Sancti miſſionem cum ſabbato concurriſſe. Pugnat acerrime pro traditione hac cum Cardinalibus Baronio, & Bellarmino, & Theologis pluribus Benedictus XIV. in ſuo de *Chriſti, & Deiparæ feſtis* opere; ut autem propoſitam difficultatem enodet, concedit, quinquaginta dies numerandos ſecundum legem fuiſſe a ſecunda azymorum die, niſi concurriſſet illa cum ſabbato, ducendos vero illos a tertia azymorum die, ſi ſecunda incidiſſet in ſabbatum; quare quum eo anno quo Chriſtus paſſus eſt, ſecunda azymorum dies in ſabbatum incurrerit, ſumpto non ab ea, ſed a tertia azymorum die, quæ Dominicæ Reſurrectionis fuit, numerandi initio ſubductis calculis patet quinquageſimam diem Levit. 23. feſto Pentecoſtes adſcriptam in Dominicam incidiſſe.

XIV. Inter pugnantia hæc Theologorum placita mediam inimus viam, quodque habet utraque ſententia veri, tenentes, quod autem falſi, refutantes Scaligeri objectum feliciter diſſolvemus. Licuiſſe, primum meſſis hordeaceæ manipulum coram Domino elevandum ſecunda azymorum die etiam in ſabbatum incidente colligere, ut certum ponimus, tum quod demeſſio hæc actus religionis eſſet a Deo præſcriptus, ideoque non poſſet inter opera ſervilia ſabbati religioni contraria computari, tum quod innumeri Synagogæ Magiſtri, quorum teſtimonia in Bibliotheca Rabbinica proſtant, id luculenter affirment; facto ergo a ſecunda azymorum die, quæ eo anno cum ſabbato conjuncta erat, numerationis quinquaginta dierum initio numerus hic in ſeptimæ hebdomadis ſabbato completus eſt, ac Judaica Pentecoſtes eo anno vere in ſabbatum incidit. Ipſone vero Judaicæ Pentecoſtes die concurrente cum ſabbato Spiritus Sanctus ad Apoſtolos venit? Ita quidem ſentiunt Pater Serry aliique recentiores adverſus pervetuſtam, & conſtantem Eccleſiæ traditionem, a qua nunquam deſciviſſent, ſi animo ſecum reputaſſent, nec Conſtitutionum vulgo Apoſtolicarum Scriptorem, nec Veterem Sermonis, qui inter opera D. Auguſtini extat, Auctorem, nec S. Leonem Magnum traditioni huic teſtimonium perhibentes adſerere, a ſecunda azymorum, & ab elevatione manipuli, ſed *a Reſurrectione*

ne Domini quinquageſima die Spiritum Sanctum in Apoſtolos deſcendiſſe, quod nemo non agnoſcit eſſe veriſſimum; quum enim Chriſtus *prima ſabbati*, ideſt prima poſt ſabbatum, quæ nobis Dominica eſt, reſurrexerit, annon evidens eſt, ductos ab hac Dominica quinquaginta dies Dominica item die deſinere? Etſi ergo in ſabbatum Judaica Pentecoſtes inciderit, non eadem tamen, ſed ſequenti die Spiritus Sancti miſſionem figimus, quod Judaicæ Pentecoſtes ratio habenda ſit ex ſecunda azymorum, quæ eo anno in ſabbatum incidit, illapſus vero Spiritus Sancti ex Domini Reſurrectione, quæ in tertiam azymorum diem incurrit.

XV. Opponi videtur reſponſum hoc noſtrum Lucæ Act. 2. ſcribenti, repletos Spiritu Sancto Apoſtolos, *dum complerentur dies Pentecoſtes*; ſi quis tamen hæc Vulgatæ noſtræ verba ad primigenii Græci textus rigorem exegerit, deprehendet, nihil inde adverſus reſponſum hoc noſtrum extundi poſſe; hunc enim juxta Græcæ linguæ poteſtatem ſenſum reddunt, *ineſſe completum diem Pentecoſtes*, quod recte dicitur de præſenti æque ac de præterito, & ſignificare perinde poteſt, vel diem Pentecoſtes adhuc agi, vel eum jam præterlapſum. Illum autem jam prætériiſſe, dieque Judaicam Pentecoſten ſubſequente Spiritum Sanctum veniſſe, aperte indicant Syrus, & Arabs Interpretes recitatum Lucæ textum reddentes: *quum igitur impletus eſſet dies Pentecoſtes* &c. En perſpicuam ejus, quod Scaliger adeo magnificat, argumenti diſſolutionem? Chriſtus legale Paſcha peregit ad lunæ quartædecimæ veſperam, luna quintadecima occiſus: ſabbato, quod mortem ejus proxime excepit, quodque erat ſecunda azymorum dies facta eſt apud Hebræos manipuli demeſſio, atque inde ductum eſt ſeptem hebdomadum, ſeu quinquaginta dierum, qui ad Pentecoſten uſque fluxuri erat, initium. Quinquaginta dies hi a ſabbato numerari cœpti, ſabbato impleti quum fuerint, reliquum eſt Judaicam Pentecoſten in ſabbatum incidiſſe. Spiritus vero Sancti miſſio ſequenti die, nempe Dominica, facta eſt, quod Eccleſiæ traditio doceat, a Chriſti Reſurrectione ad Spiritus Sancti illapſum quinquaginta dies fluxiſſe; quare quum Chriſtus Dominica die ſurrexerit, poſt quinquaginta dies Dominica pariter die Spiritus Sanctus in Apoſtolos effuſus eſt; ſed de prima quæſtione jam ſatis.

QUÆSTIO II.

De Euchariſtiæ Miniſtro.

I. QUum Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui Chriſtus in Eccleſia ſua voluerit eſſe perpetuum, divinæ ſapientiæ conſilium decebat, ut aliquos in Eccleſia ſua hujus Sacramenti Miniſtros inſtitueret, ac ſui veluti Vicarios delegaret. In quæſtionem iccirco venit, quinam ſint legitimi hujus Sacramenti Miniſtri a Chriſto ſpeciatim electi; quia vero, ut jam prænotatum eſt, Euchariſtia bifariam ſpectari ſolet, ut Sacrificium videlicet, atque ut Sacramentum, quæſtio quoque excitatur, an idem ſit ejus, ut eſt Sacrificium, ſeu ut conſecratur, atque conficitur, ac ut Sacramentum eſt, & fidelibus diſpenſatur, Miniſter; quare ut omnia accurate perſequamur, quæſtionem hanc duabus propoſitionibus transfigemus, in quarum prima de conſecrandæ, ſeu conficiendæ Euchariſtiæ, in altera de ejuſdem diſpenſandæ Miniſtro verba habebimus, duo capita hæc facilioris intelligentiæ cauſa huc jungentes, etſi nonnulli ea diſgregent, & primum in tractatum de Euchariſtia, ut Sacrificium eſt, alterum in tractatum de eadem, ut Sacramentum, conjiciant.

PROPOSITIO I.

Solos Sacerdotes Chriſtus conficiendæ Euchariſtiæ poteſtate donavit, nec alius quiſquam præter eos, quavis etiam poſita neceſſitate, ejus conſecrandæ Miniſter eſſe poteſt.

I. COmmunem hanc, & inconcuſſam Eccleſiæ doctrinam a primis fere ſæculis oppugnarunt Hæretici, pergunque noſtra etiam ætate totis viribus labefactare. Primi adverſus hoc dogma inſurrexiſſe leguntur ſecundo Eccleſiæ ſæculo Marcoſiani, a Marco quodam e ſpurciſſimo Gnoſticorum grege dicti, quem S. Irenæus lib. 1. adverſus hæreſes cap. 13. refert, eo impietatis deveniſſe, ut mulierculis a ſe dementatis conficiendæ Euchariſtiæ miniſterium deferret. Sub ejuſdem ſecundi ſæculi finem in eodem errore hæ-

ſiſſe

fuiſſe Montanum, ejuſque Diſcipulos Pepuzianos, tradit Auguſtinus in lib. de hæreſibus cap. 27. ſcribens: *Pepuziani e loco quodam nominati ſunt . . . . . tantum dantes mulieribus Principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur; dicunt enim Quintillæ, & Priſcillæ in eadem civitate Pepuza Chriſtum ſub ſpecie fœminæ revelatum, unde ab hac Quintilliani etiam nuncupantur*. Ejuſdem erroris reos agit Epiphanius in Panario hær. 79. Collyridianos, quos ait fœminas ad Sacerdotii & Epiſcopatus honorem evectas conficiendæ Euchariſtiæ poteſtate inſtruxiſſe. Duodecimo ſæculo Waldenſes a Petro Waldo Lugdunenſi Mercatore primum, ſubinde Hæreſiarca appellati, cæteros, quos in Eccleſiam invexerunt, errores hoc quoque peſtilentiſſimo cumularunt, omnem ſcilicet Laicum, modo pius & probus ſit, Sacerdotem eſſe, malum autem Sacerdotem ab honore, & poteſtate ſua peccando excidere: ita lib. contra Waldenſes cap. 5. refert Raynerius ejuſdem ſectæ primum Pſeudo-Epiſcopus, dein Prædicatorii inſtituti Sodalis, ejuſque, quam profeſſus fuerat, ſectæ acerrimus expugnator.

II. Hunc Waldenſium errorem inſtauravit, auxitque ſæculo ſextodecimo Lutherus in lib. de abroganda Miſſa, & in lib. de Babylonica captivitate cap. de Ordine, non ſolum piis, ſed promiſcue quibuslibet Laicis Euchariſtiæ conſecrandæ poteſtatem attribuens, atque omnes divino jure Sacerdotes eſſe decernens, licet poteſtate hac quilibet uti non debeat, niſi legitime vocatus fuerit, articulo tamen neceſſitatis excepto. Quid vero Calviniani? etſi Presbyteratus nomen ad vanam quandam ſpeciem retineant, res tamen ſacro hoc nomine denotata apud eos nulla eſt; qui enim veros Presbyteros habere poſſunt, apud quos nulli ſunt Epiſcopi, a quibus rite ordinentur? Cænæ iccirco conficiendæ, atque adminiſtrandæ miniſterium nonnullis, quos Miniſtros, atque Paſtores vocitant, demandatur, qui a civili Magiſtratu ad munus hoc eliguntur, vel ab eo removentur, & gradu dejiciuntur, prout iis libuerit, qui Rempublicam adminiſtrant. Antiquum hunc errorem in Novatoribus redivivum Synodus Tridentina ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can. 10. percutit: *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandis poteſtatem habere, anathema ſit*. Item ſeſſ. 22. quæ de Miſſæ ſacrificio eſt, Can. 2. eundem obtrivit. *Si quis dixerit, verbis illis: hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum, anathema ſit*. Quia vero niſi canonum auctoritati rationum momenta addiderimus, Novatorum pervicaciam expugnare non poſſumus, illud arripimus, quod ibidem Tridentinum ait, doctrinam hanc ſcilicet novam non eſſe, ſed perpetuo ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Dei creditam, ac populis traditam, atque inde argumentamur.

III. Primo, Novatoribus omnibus conſtitutum eſt, prioris ævi Eccleſiam omnis erroris fuiſſe puram, illud iccirco credendum, ac retinendum, quod primitiva Eccleſia credidit, atque docuit: annon vero primitiva Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum tempore conſtanter credidit, ac populis tradidit, ſolis Sacerdotibus attributum fuiſſe a Chriſto conficiendæ Euchariſtiæ miniſterium? Perpetuæ hujus Eccleſiæ fidei, & traditionis teſtes ſingillatim non advocabimus Concilia plura ſæculo quarto habita, Arelatenſe I. Can. 15. Alexandrinum a S. Athanaſio in ſua apologia laudatum, Anciranum, atque Laodicænum, quum firmandæ veritati huic ſatis, ſuperque ſit locupletiſſima Magni Nicæni teſtificatio; ad compeſcendam enim quorumdam Diaconorum audaciam, qui Euchariſtiam Presbyteris diſpenſabant, hunc edidit canonem, qui numero decimus octavus eſt: *Pervenit ad Sanctum, Magnumque Concilium, quod in quibuſdam locis, & Civitatibus Presbyteris gratiam ſacræ communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his, qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, corpus Chriſti accipiant*: tanto ergo Concilio teſte veteri Eccleſiæ univerſim perſuaſum erat, Diaconos offerendi corpus Chriſti poteſtate carere, ſolos autem Presbyteros ea inſtructos eſſe; qui ergo non Diaconis ſolum, ſed omnibus indiſcriminatim Laicis, iiſque etiam ex infima plebe, poteſtatem hanc deferunt, ii a Veteris Eccleſiæ doctrina, quæ Chriſti ipſius & Apoſtolorum eſt, quamque omni errore vacaſſe concedunt, palam aperteque deſciſcunt.

IV. Secundo, quoniam momenti hujus,

ut

ut & alterius quod à graviſſima Veterum Patrum teſtificatione ducitur; vim enervare ſibi videntur Novatores; Grotius in ptimis, teponentes vera hæc eſſe, & ſolide dicta, *ubi adſunt Paſtores*, ſecus vero *ubi Paſtores deſunt*; tunc enim ne populus fidelis hujus Sacramenti uſu careat, poteſt Laicus, aut alius quiſque, qui Sacerdos non ſit, Euchariſtiam conſecrare; inane iſtud effugium hoc eis argumento præcludimus: Nullus, ut ſæpe adnotavimus, legum Chriſti ſanior eſt interpres, quam perpetuus Eccleſiæ uſus, quum illud, teſte Auguſtino, rectiſſime intelligatur a Chriſto, & Apoſtolis conſtitutum, quod Eccleſia religione perpetua ſanctiſſime cuſtodivit: Agant Novatores, atque omnia excutiant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta, an ullum in eis deprehendere ſit veſtigium tactæ aliquando Laicis, aut Clericis non Sacerdotibus, urgente ſaltem neceſſitate, conficiendæ Euchariſtiæ facultatis. Fruſtra tamen id ſibi laboris ſument, quum nihil ejuſmodi in probatiſſimis quibuſque documentis occurret. Fingi ne gravior neceſſitas poteſt, ulla ne æquiot cauſa excogitari, faciendæ non Sacerdotibus poteſtatis hujus, quam dum Confeſſores, & Martyres vinculis adſtricti plures annos in arctiſſima cuſtodia tranſigebant, ad extremum ſubinde ſupplicium rapiendi, quam dum Epiſcopi potiſſimum, Paſtores, ac Sacerdotes a Tyrannis ubique quærebantur ad necem, ideoque ſumma erat Paſtorum inopia ob plures vel morte ſublatos, vel in exilium actos, vel ob ignaviam fugientes? quid vero tum? Legimus quidem, Sacerdotes aperto vitæ diſcrimini ſe committentes clam adiviſſe carceres, ut Confeſſores ibi detentos ſacra ſynaxi reficerent, eoque cæleſti cibo ad extremum certamen communirent, in ſumma Paſtorum inopia fideles id unum habuiſſe præſidii, ac ſolatii, ut conſecratam a Sacerdote in antelucanis occultis cœtibus Euchariſtiam ſecum domum deferrent, qua ſe ipſos reficerent, & ad tolerandą pro Chriſto aſpera quæque confirmarent; aliquem vero fidelium id ſibi ſumpſiſſe umquam, ut quum Sacerdos non eſſet, Euchariſtiam conficeret, qua ſibi in extremo illo diſcrimine ſubveniret, inauditum hactenus eſt, & a pervulgata, ac teſtatiſſima veritate prorſus alienum.

V. Jam vero hoc enaſcitur argumentum: Exploratiſſima facti veritas eſt, auctoritatem conficiendæ Euchariſtiæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus non interrupta ſæculorum ſibi ſuccedentium ſerie pene ſolos Sacerdotes ita reſediſſe, ut nulla unquam gravi premente neceſſitate, alteri a Sacerdote umquam conceſſa legatur, imo qui eam temeratio auſu in alios a Sacerdotibus derivare tentarunt, ceu publici doctrinæ Chriſti everſores, & jurati Eccleſiæ hoſtes habiti ſint, omniumque execratione rejecti: conſtantiſſima, porro hæc primitivæ Eccleſiæ conſuetudo, aut recta fuit, & doctrinæ Chriſti conformis, aut prava, & ab Evangelica regula diſcordans: ſi primum, confectum plane eſt, quod volumus: ſi alterum, ab ipſo Apoſtolorum ævo conſuetudo hæc invaluit in Eccleſia, vel quod ignorarit illa, exceptum fuiſſe a Chriſto hunc neceſſitatis articulum, vel quod huic Chriſti diſpenſationi erſi probe cognitæ ſciens, prudenſque reſtiterit: ſi hujus conſuetudinis pravitas in Eccleſia ſemper obtinuit ex ignorantia, jam hoc erit ponendum in crimine vel Chriſto, qui Spiritum veritatis Eccleſiæ ſuæ pollicitus eam fefellerit, vel Spiritui ſancto, qui ad eam omnia edocendam a Chriſto miſſus, quæcumque Chriſtus mandaverat, ei non ſuggeſſerit, vel Apoſtolis, qui a Spiritu ſancto omnia edocti, caput hoc erſi graviſſimum Eccleſiam aut per incogitantiam, aut meditato celaverint: ſi vero Eccleſia exceptionis hujus conſcia probare illam, atque uſu recipere conſulto noluit, ab ipſo ergo ſui exordio fuit in Chriſtum immorigera, atque contumelioſa, & in filios ſuos graviter periclitantes crudelis, indigna idcirco, quæ vera Chriſti Eccleſia habeatur; quum ergo abſurda hæc ex Novatorum poſitione neceſſario fluant, ex perpetuo Eccleſiæ uſu intelligant, Euchariſtiæ conficiendæ poteſtatem divino jure ad ſolos Sacerdotes pertinere; eademque divina inſtitutione nefas eſſe cuilibet, qui gradum hunc legitime non obtineat, gravi etiam ingruente neceſſitate, id ſibi muneris arrogare.

VI. Tria ſunt Scripturæ ſacræ teſtimonia, in quibus perverſe detortis erroris ſui arcem collocant Novatores. Quum Petrus Ep. 1. cap. 2. fideles omnes alloquens eos vocet *genus electum*, *regale Sacerdotium*, *gentem ſanctam*, Joannes item in ſua Apocalypſi inter cætera collata a Chriſto fidelibus beneficia hoc quoque recenſeat, quod *fecerit nos regnum*, *& Sacerdotes*

tes Deo, *& Patri*, videntur inde ſibi decretorie conficere, fideles omnes divino jure Sacerdotes, & Euchariſtiæ Miniſtros eſſe, præſertim quum verba illa, quibus in noviſſima cæna Apoſtolos Sacerdotes Chriſtus; inſtituit ajens: *hoc facite in meam commemorationem*, ad fideles omnes ſpectaſſe credant, quod tunc Apoſtoli totius Eccleſiæ perſonam gererent. Quam vero turpiter Petri, & Joannis teſtimoniis abutantur, intelligant ex Auguſtino lib. 20. de Civit. Dei cap. 10. ea ad Catholicæ Eccleſiæ mentem interpretante: *Erunt Sacerdotes Dei*, *non utique de ſolis Epiſcopis*, *& Presbyteris dictum eſt*, *qui proprie vocantur in Eccleſia Sacerdotes*, *ſed ſicut omnes Sacerdotes*, *quoniam membra ſunt unius Sacerdotis*, *de quibus Apoſtolus Petrus*, *plebs*, *inquit*, *ſancta*, *regale Sacerdotium &c.* quare fideles quique, Auguſtino interprete, Sacerdotes dicuntur, quod Summo Sacerdoti Chriſto, ceu membra Capiti fide, aut etiam charitate uniuntur, quod etiam Sacramento Baptiſmi renati ſpirituali gratiæ unctione Deo ſacrati ſunt, & ſpiritualibus hoſtiis, carnis nimirum & terreſtrium affectionum mortificationi, nec non precibus & laudibus Deo offerendis addicti; non vero proprie, quaſi vero quilibet eo ipſo, quod baptiſmate tinctus eſt, ſacrificandi externo ritu, & vero Sacerdotio fungendi poteſtatem accipiat.

VII. Legitimum hunc eſſe laudatorum textuum intellectum, pluribus e Scriptura petitis argumentis demonſtrari evidentiſſime poteſt; ſi enim fideles omnes æquo jure Sacerdotes proprie, atque Paſtores ſint, falſa oportet eſſe, quæ de variis perſonarum gradibus, ac officiis a Deo in Eccleſia conſtitutis Paulus habet, non omnes ajens, poſitos fuiſſe Paſtores, non omnes Doctores &c. plura eſſe myſtici corporis membra, non eundem tamen actum habere: perperam quoque, ac inutiliter Paulus idem Timotheum monuit, *ut gratiam ſuſcitaret ſibi datam cum impoſitione manuum Presbyterii*, *ut nemini cito manus imponeret*, *ut accuſationem adverſus Presbyterum niſi ſub duobus*, *aut tribus teſtibus non reciperet*, *ut Presbyteris*, *qui bene præeſſent*, *& in verbo*, *ac doctrina fideliter laborarent*, *duplicem honorem exhiberet*; ſtulte etiam multus fuit in præſcribenda Timotheo, & Tito ordinationis Epiſcoporum, ac Diaconorum forma, & recenſendis dotibus, quibus præditos eſſe oportebat, qui ad eos gradus deligerentur: quorſum enim hæc omnia, ſi omnes fideles divino jure Sacerdotes veri nominis ſunt, atque Paſtores? Cæterum ex ipſis Petri, & Joannis verbis duo præ aliis invicta argumenta ducuntur, quibus inſana Nova torum poſitio profligatur.

VIII. Primo quod Petrus de fidelibus Chriſti ait, non idem illud eſt, quod univerſæ Iſraeliticæ genti Deus per Moſen Exodi 19. promiſerat, *hæc dices domui Jacob*, *& annuntiabis filiis Iſrael* .... *Eritis mihi in peculium de cunctis populis* .... *& eritis mihi in regnum Sacerdotale*, *gens ſancta &c.*? Tam vero ſplendido, ac diſerto Dei promiſſo num omnes promiſcue filii Iſrael conſtituti ſunt Sacerdotes, qui tabernaculo inſervirent, victimas immolarent, aliaque veri Sacerdotii munia obirent? Uni Leviticæ tribui, & ſoli Aaronicæ familiæ tabernaculi, & altaris miniſterium, ſive proprium Sacerdotium quum Deus ipſe attribuerit, reliquum eſt, ut Sacerdotium illud univerſæ domui Jacob promiſſum nonniſi myſticum, ſpirituale, & interius fuiſſe credatur, nec ſane alium laudatis Exodi verbis ſenſum ſubeſſe intellexerunt hactenus, intelliguntque Hebræi, & Chriſtiani: eccur ergo non idem erit eorumdem apud Petrum intellectus, quum certo certius ſit, proprium, & exterius Sacerdotium non omnibus indiſcriminatim fidelibus divina inſtitutione commiſſum eſſe, ſed iis tantum delatum, qui peculiari ritu ad altaris miniſterium fuerint initiati? Secundo Petrus, & Joannes regnum, & Sacerdotium eo loci conjungunt, ajuntque, fideles omnes non Sacerdotes ſolum, ſed & Reges eſſe: eodem itaque ſenſu Sacerdotes ſunt, quo Reges; quum itaque eos ampla quadam, minuſque propria tantum ſignificatione Reges dici, quatenus ſibi ipſis dominantur, animique affectiones Dei ſpiritu regunt, res ſit in Petri & Pauli Epiſtolis teſtatiſſima, non aliter ſunt Sacerdotes, quam myſtice, & figuraliter, quatenus nimirum ſanctimoniam colentes, ſeipſos Dei Miniſtros exhibent, ut eos monet Apoſtolus, in multa patientia, aliarumque virtutum operibus, Deoque precum & laudum ſpirituales hoſtias offerunt.

IX. Quum Chriſtus Dominus in poſtrema cæna, in qua Euchariſtiam inſtituit, panem conſecrarit, conſecratum fregerit, fractum Apoſtolis diſtribuerit, tradideritque

que ſumendum, omnes actiones has verbis iis: *hoc facite in meam commemorationem*, diſtributione commoda comprehendit, ſolis nimirum Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus Euchariſtiæ conficiendæ, offerendæ, atque aliis diſtribuendæ poteſtatem deferens, iiſque ſolis ejuſdem poſt conſecrationem ad ſacrificii integritatem ſumendæ neceſſitatem imponens, Laicis vero ſolam ejuſdem ſumptionem demandans; quare etſi ea Chriſti verba, ut Euchariſtiæ in mortis ejus commemorationem ſumendæ uſum ſpectabant, fideles omnes afficerent, falſum tamen eſt quam quod maxime, idem de iis cenſendum eſſe, ut conſecrandæ, offerendæ, atque ex officio diſtribuendæ Euchariſtiæ auctoritatem ſignificabant. Num vero id arbitratu noſtro reponimus? num hæc, quæ Chriſtus eadem orationis ſerie complexus eſt, perperam ſeparamus? Adeſt legitimus, omniumque optimus horum verborum Interpres, perpetuus nempe Eccleſiæ uſus, quem inter probandum expendimus, cujus auctoritatem ſi flocci faciunt Novatores, intoleranda illa abſurda concoquant, neceſſe eſt, quæ paulo ſuperius excuſſimus.

X. Plura corradunt e Patribus, & priſcis Eccleſiæ monumentis, quæ videntur errori ſuo favere, atque illud primo magnificant, quod in lib. de exhortatione caſtitatis habet Tertullianus: *nonne & Laici Sacerdotes ſumus? ſcriptum eſt, regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo. Differentiam inter ordinem, & plebem fecit Eccleſiæ auctoritas, honorque per Ordinis conſeſſum ſanctificatus; adeo ubi Eccleſiaſtici Ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus*. Secundo Cyprianum obiicit Grotius in lib. de lapſis, poteſtatem *offerendi calicem* Diaconis adſcribentem, nec alium tò *offerre* ſenſum habere contendit, quam *benedicere, gratias agere, ac conſecrare*. Tertio Ambroſium in lib. de officiis, qui S. Laurentium Diaconum S. Xiſtum ſecundum Pontificem ad Martyrium raptum ita alloquentem inducit: *Experire certe, utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem*; licet Papiſtæ adverſus omnium ferme veterum manuſcriptorum codicum fidem *conſecrationi diſpenſationem* in Romano Breviario perperam ſubſtituerint. Quarto ſecundum Ancyrani Concilii canonem, quo Diaconi in idololatriam lapſi jubentur, *in poſterum ab omni Sacerdotali Miniſterio ceſſare, panem vel calicem offerendi, vel prædicandi*. Illud quoque addit Grotius, quod in veteri Martyrologio legitur: *Romæ S. Petronillæ Virginis. Hæc fuit filia Beatiſſimi Apoſtoli Petri, quæ poſt multa miracula ſanitatum .... continuis jejuniis, & orationibus vacans, tertio celebratis Dominicæ oblationis myſteriis, mox ut Sacramentum Chriſti accepit, reclinans ſe in lectulo emiſit ſpiritum*; nec non illud urget, quod in Prato ſpirituali memorat Sophronius, Laicum ſcilicet Monachum verbis ſanctæ oblationis panes conſecraſſe, quodque duo præclari noni ſæculi Scriptores memorant, nimirum panem a Paſtoribus ovium in agro conſecratum in veram carnem fuiſſe converſum.

XI. Vana tam ea hæc ſunt, nec quidquam commodi Novatorum errori adferunt; Primo enim inconcuſſum eſt reſponſum, quod Tertulliani teſtimonio adhibent Viri Clariſſimi Albaſpinæus lib. 2. de Euchariſtia, & Petavius in Diatriba *de poteſtate conſecrandi* adverſus Grotium, Tertullianum nimirum Laicis fidelibus myſticum illud, minuſque proprium Sacerdotium deferre, de quo in lib. ad Scapulam agit, *Sacrificamus*, ajens, *quomodo præcepit Deus, pura prece*, & in Apologetico, *offer opimam & majorem hoſtiam Deo, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocente, de Spiritu Sancto profectam*. Quod ſi loqui illum de Euchariſtiæ oblatione præfracte velis, non efficies certe, ſenſiſſe illum Laicos omnes veri nominis Sacerdotes eſſe; nonne enim ibidem ſpeciale quoddam Sacerdotium agnoſcit *Eccleſiæ auctoritate conſtitutum, & per Ordinis conſeſſum ſanctificatum*, verbis iis, ut ſcite adnotat Albaſpinæus, Sacerdotii originem, ac inſtitutionem ab Apoſtolis derivatam, & characterem impoſitione manuum presbyterii infixum deſignans? Nonne in lib. de præſcriptione in Hæreticorum temeritatem invehitur, *quod Laicis Sacerdotalia munera injungerent*, non eos certe hoc nomine reprehenſurus, ſi Laicos quoſque veros Sacerdotes eſſe putaſſet? Dum ergo ait, *Ubi non eſt Eccleſiaſtici Ordinis conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus*, ad ea perſecutionum tempora digitum intendebat, quibus in antelucanis cœtibus Euchariſtiam a Sacerdote conſecratam, deque ejus manu acceptam quilibet fidelis Laicus domum deferebat, eamque præmiſſis precibus, & ipſe ſua

manu

manu ſumebat, &, ſi major natu fuiſſet, aliis diſtribuebat, agens ea occaſione Sacerdotem, non qui Euchariſtiam conficeret, ſed qui a Sacerdote jam conſecratam ſumeret, ac diſtribueret.

XII. In Cypriani verbis hallucinatur Grotius; ait enim Cyprianus *Calicem Diaconus offerre præſentibus cæpit*; quid porro eſt calicem præſentibus offerre, niſi ſanguinem Domini calice contentum fidelibus, qui ſynaxi intererant, miniſtrare? Deſignavit ergo Cyprianus conſuetudinem tunc vigentem, ut fideles, qui ſacrificio altaris aderant, de manibus Diaconorum Euchariſtiam acciperent. Temere quoque, & inique Romani Editores pravæ fidei a Novatoribus accuſantur, quaſi vero ea S. Laurentii apud Ambroſium verba meditato perverterint, & pro *conſecratione diſpenſationem* perperam ſubrogarint, tuti etenim ſunt auctoritate codicum, nec non Auguſtini ſer. 304. de S. Laurentio ſcribentis, *Laurentium Romæ Diaconi officium geſſiſſe, ibique ſacrum Chriſti Sanguinem miniſtraſſe*; Illi autem Benedictini Monachi in noviſſima operum S. Ambroſii editione, plures antiquiores, magiſque probatos codices ſecuti pro *diſpenſatione conſecrationem* reſtituerint, inde tamen inferri nequit, licuiſſe Laurentio, aliiſque Diaconis Euchariſtiam ſub vini ſpecie conficere, quum *conſecratio* non ſolum Euchariſtiæ conficiendæ actum, ſed & ejuſdem jam conſecratæ diſtributionem ſignificet; quare Clariſſimus Ruinartius in ſelectis Martyrum actis animadvertit, hunc Ambroſii locum ex omnibus fere codicibus manuſcriptis, nec non ex editionibus Romana antiquioribus reſtitutum quidem fuiſſe, hæc tamen verba *Dominici ſanguinis diſpenſationem* non fuiſſe a Romanis Editoribus primum invecta, quum in vetuſtiſſimo codice Foſſatenſi, qui annos octingentos ſuperare videtur, in actis S. Syxti legantur. Cæterum, pergit ille, *conſecrationis*, *& diſpenſationis* nomina idem deſignant Diaconi miniſterium Pontifici celebranti adſiſtentis, & populo ſacra diſtribuentis, ſicut non ſolum ex recitatis Auguſtini verbis eruitur, ſed etiam ex iis, quæ de S. Laurentio Hiſpani Patres in Miſſali Mozarabum ajunt: *Cui Sixtus cuncta myſteriorum miniſteria tranſigenda commiſerat*.

XIII. Quum vero Ancyrani canonis verba ad Græcæ linguæ rigorem exacta ita reddantur, *ſtatuimus*, *Diaconos*, *qui idolis ſacrificarunt*, *ceſſare ab omni ſacro Miniſterio*, *quod eſt panem & calicem deferre*, quis non intelligit, interdictum fuiſſe Diaconis idololatria pollutis præcipuum eorum munus, ne ſcilicet Sacerdoti ſolemniter celebranti inſervirent, & a minori ad majorem aram munera a Pontifice conſecranda deferrent? Legamus tamen, ut nonnulli legunt, *offerre*, non *deferre*: quid inde? Idem plane utroque verbo ſignificatur, vetitos ſcilicet Diaconos idololatras munera a minori ad majorem aram geſtare, & Pontifici conſecranda exhibere, quum Grammaticis, & Rhetoribus *offerre* & *exhibere* ſynonima ſint, præſertim quum ex Nicænæ Synodi, quæ paullo poſt Ancyranam habita eſt, memorato canone conſtet, perſuaſum tunc univerſæ Eccleſiæ fuiſſe, Diaconos, ſive probi illi ſint, & fideles, ſive improbi, & idololatræ, poteſtate carere offerendi ſacrificii, & conſecrandi. Quid porro, ſi in veteri Martyrologio legitur S. Petronillam *celebratis Dominicæ oblationis myſteriis*, *acceptoque Chriſti Sacramento obiiſſe*? En germanam vitæ Sanctarum Petronillæ, & Felicillæ lectionem a Clariſſimo Henſchenio vulgatam: „ factum eſt autem, ut trium dierum acceptum ſpatium Virgo jejuniis, „ & orationibus occuparet, ... tertio „ itaque die veniens ad eam Nicomedes „ Presbyter celebravit myſteria Chriſti, „ Virgo autem ſanctiſſima, mox ut Chriſti Sacramentum accepit, reclinans ſe „ in lectulum emiſit ſpiritum. “ Ex vita hac quum derivata fuerint, quæ in Martyrologiis ſunt relata, certo intelligimus, non Fœminam etſi Virginem, etſi Sanctiſſimam Dominicæ oblationis myſteria celebraſſe, ſed Nicomedem Presbyterum, de cujus manu Virgo Dominici corporis Sacramentum accepit.

XIV. Mirum poſtremo eſt, Grotium ſummi cæteroqui ingenii, & acerrimi judicii hominem, adverſus hoc Catholicum dogma arma cudere ex Prato ſpirituali, cujus ut incertus eſt Auctor, ita fluxa eſt apud Eruditos auctoritas, quod piis fabellis ſcatere revictum ſit. Fac tamen vera eſſe, quæ ſcribit Auctor de Monacho Laico verba conſecrationis proferente, & conficiendæ Euchariſtiæ miniſterium ſibi ſumente: idne ſtatim credendum eſt, ſancte & rite factum? Cur integram non recitat Sophronii narrationem, qui ſtatim ſubjicit, Deum maximo, & inaudito miracu-

lo Monachi temeritatem compeſcuiſſe, ne id Laici ſibi amplius uſurparent, atque inde *Seniorem*, ſive Abbatem occaſionem ſumpſiſſe edendi decreti, ut nullus addiſceret ſanctæ oblationis verba, niſi qui ad hoc ordinatus eſſet, neque paſſim ea quiſquam diceret quocumque tempore abſque loco conſecrato? Quam etiam eſt incertum miraculum illud, quod Deus edidiſſe dicitur, panem, ſuper quem ruſtici quidam conſecrationis verba protulerant, in veram, vivamque carnem convertens! Nonne Alcuinus, & Honorius Auguſtodunenſis, qui prodigium hoc memorant, ex obſcuro, atque vago vulgi rumore ſe illud accepiſſe ſignificant, narrationi ſuæ verba hæc caute apponentes, *dicitur*, *fertur*? Poſita etiam rei geſtæ veritate nonne Scriptores iidem mirabilem illam tranſmutationem, non virtuti verborum à Paſtoribus prolatorum, ſed divinæ tribuunt omnipotentiæ, quæ miraculo illo homines terrere voluit immanis adeo ſceleris, etſi per ſimplicitatem, reos?

XV. Neque melioris ſucci ſunt, quæ e ratione ducta adverſus veritatem hanc Novatores intorquent: quid enim, ſi fideles omnes membra ſunt Chriſti? quid ſi capiti ſuo fide, aut etiam charitate uniuntur? Omnium ne ergo eſt Euchariſtiæ conſecratio? Quum Laicus fidelis, & juſtus fide, & charitate, ait D. Thomas, non autem Sacramentalis poteſtatis participatione Chriſto capiti uniatur, vi ſpiritualis unionis ſpirituale quidem Sacerdotium habet, ut myſticas illas, & interiores hoſtias offerre poſſit, de quibus dicitur Pſal. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & ad Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam* &c. & 1. Petri cap. 2. *Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias*, ad quas offerendas, ut egregie ait Auctor operis imperfecti inter Chryſoſtomi opera, *omnis Sanctus eſt Sacerdos*. Cœterum non omnes fideles etſi probos & ſanctos Sacramentalis poteſtatis participes eſſe, neque in Euchariſtia conficienda, aliiſque Sacramentis adminiſtrandis perſonam Chriſti gerere poſſe, ipſa, qua Novatores utuntur, corporis ſimilitudo declarat; ſicut enim, etſi humani corporis membra omnia capiti junguntur, non omnium tamen par virtus eſt, nec idem actus, ita in Eccleſia Deus, teſte Apoſtolo, non omnes Paſtores, non omnes Doctores poſuit, etſi fideles omnes ſupremo capiti conjuncti ſint, ejuſque virtute omnes vivificentur; alioqui corpus myſticum non eſſet Eccleſia, ut argumentabatur Apoſtolus, ſi fideles omnes unum membrum eſſent, id eſt pari poteſtate, ac virtute prædıti omnes eodem miniſterio fungerentur.

XVI. Falluntur quoque inſigniter, dum argutantur, poſſe a Laico quolibet Euchariſtiam confici, quod conſecretur illa verbis Evangelicis, quorum æqualem virtutem eſſe ſibi perſuadent, ſive a Presbytero, ſive a Laico proferantur; non enim, ait Angelicus, in ſolis verbis conſecrandi virtus poſita eſt, ſed & in legitima poteſtate, quæ non cuilibet promiſcue, ſed ſolis Presbyteris ſacra ordinatione confertur. Veritatem hanc nos Apoſtolus docuit Timotheum commonens, ne gratiam negligeret ſibi datam *cum impoſitione manuum presbyterii*, & ad Titum ſcribens, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per Civitates Presbyteros, quemadmodum diſpoſui tibi*; quare etſi Laicus verba conſecrationis ſacrilego auſu proferret, nihil tamen efficeret, quod legitima careat poteſtate. Cur denique urgente neceſſitate quilibet Laicus Baptiſmi Miniſter eſſe poſſit, numquam vero Euchariſtiæ, ratio in promptu eſt ex diſpari utriuſque Sacramenti neceſſitate petita; ſine Baptiſmo enim nulli aditus eſt ad ſalutem, actualis vero Euchariſtiæ ſumptio non eſt abſolutæ ad vitam æternam neceſſitatis. Hinc Eccleſia a ſpiritu veritatis edocta Baptiſmi miniſterium in neceſſitatis articulo Laicis quibuſque a Deo tributum eſſe, numquam vero Euchariſtiæ conſecrationem doctrina, atque uſu ſuo ſemper profeſſa eſt, cui doctrinæ, atque uſui, præluxiſſe videtur Synagoga, quæ Eccleſiæ Chriſti figura fuit; vigente etenim Moſaica lege circumcidere quiſque poterat, ſacrificare tamen, & Levitica, vel Sacerdotalia munia obire, ſolius Leviticæ tribus, & Aaronicæ familiæ erat, quod circumciſio, cui Baptiſmus in nova lege ſucceſſit, maximæ tunc neceſſitatis eſſet, non item victimarum oblatio, & cætera, quæ ad altaris miniſterium pertinebant.

PRO-

PROPOSITIO II.

Euchariſtiæ diſpenſandæ ordinarius Miniſter Sacerdos eſt, Diaconus vero extraordinarius.

I. QUum Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 8. doceat, ſemper in Eccleſia Dei morem fuiſſe, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicent, morem autem hunc ex Apoſtolica traditione deſcendentem jure, ac merito retinendum, ſeſſ. vero 23. cap. 1. tradat, Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus traditam a Chriſto fuiſſe poteſtatem conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus & ſanguinem ſuum, ex hac Tridentini doctrina colligere quiſque poteſt, Sacerdotes fuiſſe conſtitutos a Chriſto, ut hujus Sacramenti conficiendi, ita & ordinarios ejuſdem diſpenſandi Miniſtros. Evidentius patebit hæc veritas, ſi momenta expendamus, quibus a D. Thoma 3. p. q. 82. art. 3. firmatur: Primo quidem, nam Sacerdos conſecrat in Perſona Chriſti, ſive in Euchariſtia conſecranda Chriſti Perſonam agit; ſicut ergo Chriſtus & corpus ſuum conſecravit in cæna, & aliis ſumendum dedit, ita Sacerdos ordinarius eſt Dominici corporis diſpenſator, ut ſolus eſt ejuſdem conſecrator: Secundo Sacerdos, teſte Apoſtolo, medius inter Deum, & populum conſtituitur; ſicut ergo ejus eſt, populi dona Deo offerre, ita eadem dona divinitus ſanctificata populo tradere: Tertio ob debitam tanto Sacramento reverentiam lege Eccleſiaſtica ſancitum eſt, ut nulla re niſi conſecrata tangatur, quare & corporale & calix conſecrantur; quum ſolius ergo Sacerdotis manus ſacro cryſmate ungantur, & in ordinatione conſecrentur, ſolus illud ex officio attrectare poteſt, & populo diſtribuere.

II. Demandatam vero fuiſſe Diaconis Euchariſtiæ ſub panis ſpecie extra ordinem in neceſſitatis articulo diſpenſandæ poteſtatem, Epiſcopis & Presbyteris annuentibus vel jubentibus, certo novimus ex 38. Concilii 4. Carthaginenſis can., *Præſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, Diaconus juſſus eroget*, & ex Alcuino Flacco in lib. de divinis officiis ſcribente, *ſi neceſſitas evenerit, Diaconus det ſanctam communionem*. Operæ tamen pretium eſt adnotare, non eandem fuiſſe olim apud Latinos & Græcos diſpenſandæ per Diaconos Euchariſtiæ diſciplinam; apud Græcos enim præſentibus Epiſcopis ac Presbyteris, conſentientibus tamen, vel imperantibus, Diaconos Euchariſtiam ſub ſpecie panis fidelibus miniſtraſſe, indicat canon 18. Nicæni Concilii, eam quoque ad abſentes deportaſſe, tradit S. Juſtinus M. in apologia ſecunda ſcribens, *Abſentibus autem per Diaconos mittitur*. Cæterum apud Latinos, abſente ſolum Epiſcopo, ac Sacerdote, vel ſi alteruter adeſſet, non niſi neceſſitate cogente, id Diaconis licuiſſe, patet tum ex recitato Carthaginenſis quarti canone, tum ex canone quintodecimo Arelatenſis 2., quo ſtatuitur: *Corpus Domini Diaconus præſente Presbytero tradere non præſumat*. Præcipue tamen Dominici ſanguinis diſpenſationem olim Diaconis fuiſſe commiſſam in 4. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 3. animadvertit Angelicus, qui & ſentire videtur, diſpenſationem ejuſmodi ad Diaconos ex officio pertinere, idque eis olim licuiſſe extra neceſſitatis articulum, & abſque ſpeciali Epiſcopi, & Sacerdotis juſſione, cujus antiquiſſimæ conſuetudinis teſtes ſunt Cyprianus in lib. de lapſis, Ambroſius, Auguſtinus, & Leo M. de S. Laurentio Martyre ſermonem habentes.

III. Neque tamen ſolis Diaconis Euchariſtiæ diſpenſatio priſcis Eccleſiæ ſæculis concredita fuit, verum & inferioris Ordinis Clericis, quandoque & Laicis; vetera enim Bedæ, Adonis, & Uſuardi Martyrologia tradunt, Valentiano Imperatore Eccleſiam perſequente, S. Tharſitium Acolythum, dum Euchariſtiam ad fideles deferret, ab Ethnicis captum, Romæ via Appia fuſtibus, lapidibuſque fuiſſe interemptum. Laicis quoque, dum Presbyteri, aliique Clerici in promptu non eſſent, miniſterium hoc, neceſſitate cogente fuiſſe commiſſum, refert Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 44. illud deſcribens, quod S. Dionyſius Alexandrinus memorat, a Presbytero nimirum graviter ægrotante miſſum fuiſſe puerum, ut Serapioni ſeni corpus Dominicum miniſtraret, quod puer aqua prius intinctum ori ſenis infudit. Frequentius tamen Laici Euchariſtiam de Sacerdotum manibus acceptam ipſi ſibi miniſtrabant; non enim tunc in more erat, ut Presbyteri, aut Diaconi ſacrum Chriſti corpus in os fidelium immitterent, ſed viri nuda manu, fœminæ vero ſubjecto linteolo,

teolo, quod *Dominicale* vocabatur, de ſacrorum Miniſtrorum manibus illud ſumerent, & vel ſtatim eo veſcerentur, vel illud domum deferrent opportune ſumendum, qui mos in veterum Patrum Tertulliani, Cypriani, Cyrilli Hieroſolymitani, Baſilii M., Auguſtini, Theodoreti ſcriptis, nec non in Conciliis Antiſſiodorenſi, & Trullano teſtatiſſimus eſt. Mos tamen iſte, qui furentibus perſecutionibus obtinebat, reddita Eccleſiæ pace obſolevit, rebuſque noſtris meliori loco poſitis alia diſciplina inducta eſt, nimium ut Laici, & cujuſque gradus Clerici nonniſi de Presbyterorum manibus Euchariſtiam accipiant, non quidem manibus ſuis ori admovendam, vel alio geſtandam, ſed ori immiſſam, atque illico deglutiendam.

QUÆSTIO III.

De hujus Sacramenti materia.

I. AD quæſtionem deventum eſt, quæ & pluribus veterum Hæreticorum erroribus, & acerrimis Latinorum, Græcorumque diſputationibus celebris eſt, quæque una ex cauſis fuit, ob quam Oriens ab Occidente jam dudum tetro ſchiſmate divulſus eſt. Ab ipſo ferme Eccleſiæ initio catholicam de hoc capite doctrinam variis erroribus Hæretici commacularunt. Pudor ipſe vetat, vel leviter innuere materiam omnium ſpurciſſimam a Gnoſticis ad Euchariſtiam conficiendam adhibitam, & in panario hær. 26. a S. Epiphanio memoratam; mittimus & *Ophitarum* deliramentum, quos S. Epiphanius *Ophitas* dictos eſſe ſcribit, quod ſerpentem, qui græce *Ophis* dicitur, Dei loco haberent, & colerent, *Serpentinos* iccirco a Latinis appellatos, quaſi *Serpentis cultores*, qui, ut in lib. de hæreſibus cap. 17. tradit Auguſtinus, *habebant verum colubrum aſſuetum eorum panes lambere, atque ejus contactu velut Euchariſtiam ſanctificare*, illudque ſolum exſcribimus, quod 3. p. q. 74. art. 1. habet D. Thomas: „ Circa hujus Sacramenti materiam quidam multipliciter erraverunt; aliqui enim, qui *Artotylitæ* dicuntur, ut ait Auguſtinus in lib. de hæreſibus hær. 28., panem & caſeum in hoc Sacramento offerunt dicentes, a primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas: alii vero, Cataphryges ſcilicet, & Pepuziani, de infantis ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam facere perhibentur, miſcentes eum farinæ, & panem inde facientes: quidam etiam de Tatiani Schola, *Encratitæ*, ſeu *Continentes* dicti, aquam ſolam ſub ſobrietatis ſpecie in hoc Sacramento offerunt, *Aquarii* hac de cauſa vulgo appellati. “ Ut hos, alioſque, quos infra indicabimus, errores exagitemus, in plures propoſitiones tribuenda erit quæſtio, quibus omnia enodabimus, quæ ad Catholicæ veritatis intellectum neceſſaria ſunt, aut utilia.

PROPOSITIO I.

Solus panis triticeus, & vinum de vite apta ſunt hujus Sacramenti materies.

I. QUin neceſſe ſit, Patrum omnium, & veterum Conciliorum teſtimonia conferre, unica demonſtratione ex Evangelio cuſa recitati Hæreticorum errores refelluntur, & Catholica veritas ſtabilitur: quum Chriſtus ſit Sacramentorum Auctor, ea ſolum in Sacramentorum uſum aſſumenda materies eſt, qua uſus eſt ipſe, juſſitque aliis ritu perpetuo adhiberi: quid vero ipſe ad Euchariſtiam conficiendam aſſumpſit? quid fieri ab aliis juſſit? Matthæus, Marcus, & Lucas, & Paulus Apoſtolus uno ore teſtantur, commendaſſe illum in pane, & vino Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui, ac præcepiſſe, ut in Eccleſia ſua idem religione perpetua fieret, ſicut ea manifeſte declarant, quibus Chriſtus Apoſtolos, eorumque in Sacerdotio ſucceſſores allocutus eſt ajens, *hoc facite in meam commemorationem*, quæque Apoſtolus 1. ad Cor. cap. 11. habet, *hoc facite quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem*; *quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*; nefas ergo eſt, aliam ad Sacramentum hoc conſecrandum materiam aſſumere, quam panem & vinum. Uſum vero Chriſtum pane triticeo in Euchariſtiæ conſecratione, & ſolius panis ex tritico confecti uſum Eccleſiæ commendaſſe, præter alia multa, quæ ex hujus Sacramenti figuris ac nominibus, quibus in veteri lege præſignabatur, atque ex D. Thoma peti poſſent, argumenta, decreto-

cretorie conficit perpetua Eccleſiæ conſuetudo, qua nullus eſt ſanior divinæ inſtitutionis Interpretes. Conſuetudinis hujus innumera mittimus monumenta, unumque illud arripimus, quod act. 3. Magni Calcedonenſis Concilii legitur, inter plura ſcilicet Dioſcori Patriarchæ Alexandrini ſcelera, hoc quoque ei fuiſſe objectum, & inter damnationis ejus capita poſitum, quod coemptum multo argento triticum vetuerit in Lybiam transferri, ideoque Auctor fuerit, ut ibi incruenti ſacrificii oblatio ceſſarit, quum propter ſoli ariditatem triticum non naſcatur in Lybia.

II. Quoniam autem Theodorus Beza, & Philippus Melancton, etſi vinum in Dominica cæna, *quando haberi poſſunt vulgaria ſymbola*, adhibendum eſſe adverſus Aquarios ſentiant, eſtutiunt tamen poſſe in regionibus, in quibus vini copia non eſt, adhiberi quidquid incolis eſt loco vini, puta cerviſiam, ſiceram, alioſque ejuſmodi liquores, hæc eorum veſania eo argumento perſtringenda eſt, quo S. Martyr Cyprianus in epiſt. ad Cæcilium nonnullos ſui ævi Chriſtianos coarguit, qui licet in ſerotino ſacrificio Chriſti inſtitutionem ſectarentur, in antelucanis tamen cætibus ad Euchariſtiam conſecrandam frivolis de cauſis pane tantum & aqua utebantur: *Si in ſacrificio, quod Chriſtus eſt, ſolus Chriſtus ſequendus eſt, utique & nos abaudire, & facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit ..... Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere, quod aliquis ante nos faciendum putaverit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus fecerit prior; neque enim hominum conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem*; quum ergo Chriſtus in vino Sacramentum hoc inſtituerit, idemque ab aliis præſtari juſſerit, audiendi non ſunt, qui in hujus Sacramenti uſu alium quemlibet liquorem, qui ad potum aptus ſit, vino ſubrogari poſſe blaterant, in quos merito torqueri poteſt, quod hær. 47. de Aquariis S. Epiphanius ajebat: *Illorum myſteria, quæ aqua ſolummodo conſtant, myſteria non ſunt, ſed ficta, atque fallacia, ad imaginem verorum expreſſa, in quo pleniſſime illos Salvatoris ſententia redarguit, non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cælorum vobiſcum*. Accedit optima legum Chriſti Interpres perpetua Eccleſiæ conſuetudo, cujus locupletiſſimus teſtis eſt Auguſtinus in lib. de Hæreſibus ſcribens, Aquarios in Sacramenti hujus conſecratione vino non utentes ab univerſalis Eccleſiæ more deſciſcere.

III. An vero quodlibet vinum Sacramenti hujus materies eſt? Si nos facere oportet, ut Cyprianus ajebat, quod Chriſtus fecit, & faciendum eſſe mandavit, non alio ad Euchariſtiam conficiendam vino uti, poſſumus, quam de uvis expreſſo, quoniam de vino vitis Sacramentum hoc fuiſſe confectum a Chriſto, luculenter evincunt ejus apud Matthæum verba cap. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Idem quoque fuiſſe a Chriſto Eccleſiæ mandatum, conſtans Patrum traditio, ejuſdemque Eccleſiæ perpetua conſuetudo demonſtrat, ad quam oculos intendens Florentina Synodus in Armenorum inſtructione declaravit, tertium inter Evangelica Sacramenta locum obtinere Euchariſtiam, *cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite*. Firmari hæc veritas poteſt Theologica D. Thomæ ratione, cui alii quique ſubſcribunt, eam ſcilicet ad Sacramentorum uſum materiem adhibendam, quæ communius apud homines in talem uſum venit, & proprie talis eſt; ſicut ergo propria hujus Sacramenti materies eſt panis triticeus, quia homines eo communius utuntur, & nonniſi ad ſupplendum hujus defectum alii panes introducti videntur, ita de ſolo vitis vino poteſt hoc Sacramentum confici, quia hoc in hominum uſum communius cedit; non enim homines aliis liquoribus utuntur ad potum, niſi ob vini inopiam, ſolum etiam, quod de uvis exprimitur, proprie vinum eſt, & abſolute dicitur, liquores alii contra, puta mulſum, cerviſia, ſuccus ex malogranatis, aliiſque fructibus expreſſus, latiorem quandam, minuſque propriam vini nomen clationem habent ob aliquam cum vino vitis analogiam.

IV. Quamquam hæc certa ſint, nonnulla tamen ſuadere videntur, panem triticeum, & vinum de vite non uſque adeo fixam eſſe Sacramenti hujus materiem, ut, ſi alterutra deſit, ſubrogari alia non poſſit: Primo, quum Chriſtus Sacramentum ubique terrarum perficiendum inſtituerit, credere par eſt, induſiſſe illum, ut ad Euchariſtiæ conſecrationem ea ſymbola aſſumerentur, quæ incolis eſſent loco panis & vini, alioqui fatendum erit

erit noluiſſe illum, myſterium hoc ubique gentium celebrari, quum in pluribus regionibus aut non naſci triticum, aut vinum non gigni, compertum ſit: Secundo ex quolibet frumenti genere, ſi triticum deſit, puta ſpelta, farre, hordeo, ſiligine, Sacramentum hoc confici poſſe, veteres Scholaſtici docent Auguſtini auctoritate freti, nec non Hebræorum uſu, qui azymos panes Paſchales, quos nemo ignorat, Euchariſtiæ figuram eſſe, ex ſpelta, vel hordeo, ſi triticum in promptu non ſit, conficiunt. Tertio, Acetum vini naturam jam exuiſſe, explorata res eſt, *vinum acidum tamen, quod vocatur acetum conſecrari poſſe*, Innocentius III. declaravit: Quarto, Innocentium VIII. Norvegis permiſiſſe, ut abſque vino Euchariſtiam conficerent, tradit lib. 7. Geographiæ Raphael Volateranus; ad idem aliis concedendum, prono fuiſſe animo Alexandrum VI. Innocentii Succeſſorem ſcribit Bartholomæus Fumus *in ſumma*: Poſtremo, poſſe a Papa concedi, ut iis in locis, in quibus vini copia non eſt, abſque vino Euchariſtia conficiatur, ſenſit Venerabilis quidam Dei Servus, cujus in ſuo de Servorum Dei Beatificatione opere meminit Benedictus XIV., quin Beatificationi ejus impedimento fuerit hæc doctrina, quæ & nonnullis Theologis arridet: Si ergo concedere Pontifex poteſt, ut deficiente vino una tantum ſpecies conſecretur, cur concedere quoque non poterit, ut vini inopia alio quovis liquore ad potum apto ſuppleatur?

V. Dimovere hæc tamen neminem debent a communi Eccleſiæ doctrina; primum enim inane eſt, & adverſus Dei veritatem, id eſt adverſus Chriſti inſtitutionem, ac mandatum perperam objicitur; nam, ut ait D. Thomas, etſi non in omnibus terrarum orbis partibus naſcatur triticum, aut vinum, facile tamen ad omnes terras deferri poteſt, quantum ad hujus Sacramenti uſum ſufficit, quod certiſſima, plurimorum teſtificatione exploratum eſt. Neque nonnullorum Scholæ Magiſtrorum opinio nos movet; etſi enim quidquid emittit ariſtas, puta far, hordeum, ſiligo &c. frumentum dici poſſit, abeſt tamen a communi hominum loquendi uſu, ut triticum appelletur: quare quum ſolum triticeum panem aptam Sacramenti hujus materiem eſſe Florentina Synodus perpetua Eccleſiæ conſuetudine freta pronuntiarit, reliquum eſt, quodvis aliud frumenti genus ineum eſſe, quod in hujus Sacramenti uſum veniat. Quid vero ſi Auguſtinus Euchariſtiæ materiam *frumentaceum panem* appellat? Non quodvis frumenti genus, ſed nobiliorem triticum nempe, eo nomine deſignavit, quod ex pluribus ejus teſtimoniis patet, ex eo præſertim, quod habet enarratione in Pſal. 147. panem, qui de cælo deſcendit, nempe Euchariſtiam, non frumentum utcumque, ſed *frumenti adipem*, puriſſimam nempe frumenti ſpeciem vocans, quæ alia certe non eſt, niſi triticum. Quod vero de Hebræorum uſu jactatur, frivolum eſt, & chimæricum, utpote ductum ex lib. Rambam Halechot fabulis redundante, inter quas Hebræi ipſi numerant, quod de azymis Paſchalibus ex farre, vel hordeo, tritico deficiente, confectis ibidem traditur.

VI. Ideo autem priſcis Scholaſticis viſus eſt panis præſertim ex ſiligine factus idonea Euchariſtiæ materies, quod ſiliginem exiſtimarent ex tritici ſemine generari, ejuſdemque iccirco ſpeciei eſſe; Verum quum hæc eorum, perſuaſio probabilis tantum ſit, neque ob omni dubitatione remota, quum tritici ſemen etiam in avenam & zizania ob ſoli naturam haud raro degeneret, quæ nemo dixerit Euchariſtiæ materiem eſſe poſſe, ideo poſt diſertam Vener. Innoc. II. definitionem, nefas ſcilicet eſſe in conficiendis Sacramentis materia tantum probabili uti, ſiligineum panem a Sacramenti hujus uſu fidenter removemus. Nec quidquam nobis negotii faceſſit Innocentii III. ſententia; ſicut enim, quemadmodum cum D. Thoma docent Theologi omnes, ex pane corrupto nequit hoc Sacramentum perfici, ita neque ex vino, quod in acetum plane tranſierit: cæterum ſi non ea ſit panis corruptio, ut ſpeciem ſolverit, rite quidem, ſeu valide eum Sacerdos conſecrat, graviter tamen peccat id ſcienter agens, ita Sacramentum quidem perficit vinum aceſcens ad conſecrandum aſſumens, etſi lethalis criminis reus ſit, ſi id ante conſecrationem adverterit. Aut ergo de vino, quod non plene in acetum verſum ſit, ſed aceſcere incipiat, locutus eſt Innocentius III. nihilque pronuntiavit a communi Theologorum ſententia diſcordans: aut de vino corrupto, quod jam plene aceti naturam induerit, erravitque

ille

ille in hanc opinionem concedens, quin tamen Romani Pontificis inerranriæ quidpiam detrahatur, inter Eruditos enim omnes convenit, libros de myſterio Miſſæ ab Innocentio editos, non ſupremi Paſtoris, qui univerſalem Eccleſiam e cathedra doceat, ſed privati Doctoris eſſe, qui peculiarem ſuam de argumento, quod verſar, ſententiam profert.

VII. Pudere vero Adverſarios debuiſſet, privilegium illud obtrudere ab Innocentio octavo Norvegis conceſſum, cujus ſuppoſitio & falſitas a Doctiſſimis Viris non uno momento revicta eſt; hujus enim, ut & aliorum ejuſdem furfuris præjudicata res eſt, ſacrilegos artifices & inſtitores fuiſſe Dominicum quemdam Viterbienſem, & Franciſcum Maldentem, qui deprehenſi, atque convicti vitiaſſe literas, quas Innocentii nomine conſcribebant, atque adulterina privilegia vendidiſſe ſuſpendio, & flammis damnati ſunt; nimia ergo credulitate, atque imprudentia peccavit Volateranus narratiunculam in vulgus effuſam nullo adhibito criterio excipiens, & in literas referens, qui & de Geographia ſcribere aggreſſus perexiguam certe regionum notitiam prætulit, conceſſi hujus privilegii cauſam hanc addens, quod nimirum in Norvegia vinum ſervari nequeat, quod falſum eſſe demonſtrat graviſſima plurium fide dignorum teſtificatione in opere ſuperius laudato Benedictus XIV. Neque melioris eſt commatis, quod de Alexandro VI. ſcripſit Bartholomæus Fumus; vulgavit enim incautos Scriptor, quod ex vagis, incertiſque rumoribus hauſerat, quemadmodum in tract. de Euchariſtia Natali Alexandro animadverſum eſt, & abſurdum, quod efferebat, quadantenus emollivit, addens, Alexandrum VI. re maturius perpenſa a præcepta ſententia reſiliviſſe.

VIII. Doctrinam poſtremo Servi Dei nulla fuiſſe cenſura notatam, reſpondet ibidem Sapientiſſimus Pontifex, quod eam bona fide tradiderit, quo tempore commentitium Innocentii VI. ad Norvegos privilegium legitimum habebatur, & ſacrilega Auctorum ejus fraus nondum detecta fuerat. Erſi autem erravit ille innoxie, erravit tamen certiſſime, & cum eo erraruut Gabriel Biel, Joannes Major, & Antoninus Diana docentes, concedi poſſe a Pontifice, ut una tantum ſpecie, ſi altera deſit, Miſſæ ſacrificium peragatur, quum ratum omnibus fixumque ſit, ea quæ naturalis, & divini ſunt juris, Pontificis diſpenſatione ſolvi non poſſe. Annon autem naturæ jus exigit, ut Deo ſacrificium offeratur undequaque perfectum? Annon divino jure, Chriſti ſcilicet inſtitutione, utriuſque ſpeciei conſecratio præcepta eſt? Annon incruentum ſacrificium ad rememorandum atque repræſentandum cruentum Chriſti in cruce ſacrificium inſtitutum eſt? Quomodo vero juxta Chriſti inſtitutionem mortem ejus incruento ſacrificio recolimus, niſi quatenus, ut Tridentinum docet, panem conſecrantes ſeorſum a vino, & ſeorſim utrumque ſumentes violentam ſanguinis Chriſti a corpore ſeparationem commemoramus? Ut ergo naturale atque divinum jus, atque ipſa incruenti ſacrificii natura vetant, illud humana quavis auctoritate mutilari, atque aliqua ſui parte divinitus inſtituta mulctari, ita nulla hominum conceſſione effici poteſt, ut rite & ſancte ad illud perficiendum alia materies adhiberi poſſit, quam quæ divina inſtitutione præſcripta eſt.

PROPOSITIO I.

Inſignis temeritatis rei ſunt, qui negant, inſtitutam a Chriſto in azymo pane Euchariſtiam.

I. PRopoſitionis hujus, quam adverſus Schiſmaticos Græcos conſtituimus, veritas ex iis neceſſario ducitur, quæ de celebrato a Chriſto poſtremo Paſchate, deque legitima celebrati Paſchatis die, quæſtione prima fuſe tradidimus; inde enim decretorium illud argumentum exurgit, quod adverſus Græcos omnium primus intorſit S. Leo IX. Romanus Pontifex in Epiſt. ad Michaelem Cerularium hæc ſcribens: *Qui non venerat ſolvere legem, ſed adimplere, juxta ipſius legis præceptum & azymis & vino vetus Paſcha adimplevit, & protinus ex azymis & vino novum Paſcha, ſicut Lucas memorat, Diſcipulis tradidit; neque enim totis illis diebus octo fermentatum apparebat in omnibus finibus Iſrael, & apud quemcumque inveniebatur peribat anima ejus de populo ſuo: quod ſi in cœna Domini apparuiſſet, aut ipſe ſeu Diſcipuli ejus quoquo modo guſtaſſent, juſte ſicut prævaricatores legis peri-*

perirent, nec ipſe Dominus diceret ſui in-
ſidiatoribus, quis ex vobis arguet me de
peccato? nec opus eſſet falſos teſtes ad
perdendum eum quærere, quum hoc ſolo
perderetur juſte. Hæc S. Pontificis argu-
mentatio tota ſacrarum litterarum teſti-
monis innixa eſt, cujus efficacitas ut ſe
magis exerat, eam in preſſum hunc ſillo-
giſmum ſcholarum more compingimus:
Si tres Evangeliſtas Matthæum, Mar-
cum, & Lucam audimus, dubitare nemo
niſi remere poteſt, quin Chriſtus & pri-
ma azymorum die, id eſt deſinente quar-
tadecima menſis primi luna ad veſperam,
ideoque legitimo tempore Moſaicum Pa-
ſcha peregerit, & poſt legalem cœnam
Euchariſticam inſtituerit; atqui ea die ne-
que ad legalem cœnam perficiendam, ne-
que ad Euchariſticam inſtituendam alio
pane uti potuit, quam azymo, quum
juxta Domini præceptum Exodi 12. ea,
& ſequentibus Paſchalibus diebus, ſublato
penitus e Judæorum domibus fermentato
omni, nonniſi azymis panibus inſtrui poſ-
ſent menſæ; nonniſi ergo in azymo pane
Euchariſtiam potuit inſtituere, ſummæ-
que temeritatis eſt, id vel negare, vel in
dubitationem adducere.

II. Quid ad hæc Græci? Multi, ut
jam prænotatum, quos nonnulli e Lati-
nis ſectati ſunt, Chriſtum non præfinita
die Paſcha Judaicum celebraſſe ſentiunt,
ſed illud vel imminentis mortis cauſa, vel
alio nobis incomperto nomine antevertiſ-
ſe, ideoque in fermento celebraſſe, quod e
Judæorum domibus nondum ſublatum
erat. Quam falſo id ipſi ſtatuant, ſatis,
ſuperque quæſtione prima demonſtratum
eſt. Fac tamen, præveniſſe illum una die
Paſchatis celebrationem, nihil deperit ro-
boris memorato S. Pontificis argumento;
quum enim, ut Tertullianus, Chryſoſto-
mus, aliique Patres adnotant, Chriſtus
eximie fuerit ad mortem uſque de ſervan-
da Moſis lege ſollicitus, licet diem cele-
brationi Paſchatis præſtitutam aliqua de
cauſa antevertiſſet, ſtatim ac tamen Pa-
ſcha celebrare voluiſſet, ea quoque ſer-
vaſſe credendus eſſet, quæ cum agni Pa-
ſchalis immolatione, & eſu ex legis man-
dato conjuncta erant, nimirum uſum
azymorum panum, lactucarum agre-
ſtium, aliorumque, ad quæ paranda Apo-
ſtolos præmiſerat, quæque ab eis fuiſſe
opportune parata memorant Evangeliſtæ.
Sicut ergo in azymis panibus vetus Pa-
ſcha, admiſſa Græcorum hypotheſi *per-*
egiſſet, ita ex iiſdem novum Paſcha con-
feciſſet, quæ Clariſſimi Æſtii animadver-
ſio eſt.

III. Alii locupletiſſimis Evangeliſtarum
teſtimoniis adacti concedunt, celebraſſe
Chriſtum legitima die Moſaicum Paſcha,
non in azymo tamen Evangelicum con-
didiſſe, quod *potuerit ille ſubito undecum-*
que exhibere fermentum, aut certe ipſum
azymum benedicendo fermentare. Verum
quid humanæ temeritati non liceat, ſi ad
eludendam Scripturarum vim talia liceat
comminiſci? Numquid potuerit, an ve-
ro quid Chriſtus egerit, nunc inquiri-
mus? Potuiſſe Chriſtum id præſtare, quis
dubitat? An vero id præſtitit? Nega-
mus conſtanter non Scripturarum auctori-
tate ſolum, ſed etiam naturali ratione
freti, qua docemur, Deum miracula fru-
ſtra non edere, nec poſitum a ſe natura-
lium cauſarum ordinem umquam inverte-
re, niſi id hominum utilitas, aut neceſſi-
tas poſtulet. Quæ porro tunc Apoſtolo-
rum utilitas, quæ neceſſitas, ut Chriſtus
fermentatum aliunde miraculoſe adduce-
ret, aut azymos panes converteret in fer-
mentatos? Qui hactenus ſe exhibuerat re-
ligioſiſſimum legis Moſaicæ cultorem, te-
ſtatus ſe veniſſe ad eam implendam, non
ſolvendam, quis credat, voluiſſe in mor-
tis ſuæ pervigilio fermentatum tam ſeve-
re a Deo interdictum in menſam inſerre?
Prudenteme Chriſtus innocentiæ ſuæ a
Phariſæis & Scribis quaque occaſione im-
petitæ conſuluiſſet, ſublatum jam e do-
mo fermentum adverſus tam ſeveram di-
vinæ legis ſanctionem iterum inducens,
ideoque proditori Judæ ſecum recumbenti
anſam conſulto præbens, ut Magiſtrum
ſuum ad Sacerdotum Principes ceu Mo-
ſaicæ legis violatorem aliiſque violandæ
auctorem deferret? Sed tempore abuti-
mur, qui illud ponimus in nugis iſtis ſe-
rio refellendis.

IV. Michael Cerularius inſenſiſſimus
Latinorum hoſtis ſæculo undecimo verita-
tem hanc his argumentis ſibi viſus eſt
expugnaſſe: Primo, quum Chriſtus ad
inſtituendam Euchariſtiam panem accepiſ-
ſe legatur, non azymum certe, ſed fer-
mentatum accepit, quum azymus neque
ſit, nec vere dicatur, panis, ceu ille, qui
parum diſtat a lapide, & aridum lutum
videtur. Græcum textum appellat; quod
quod enim apud Latinum Interpretem

pa-

panis, in Gręco textu *artos* legitur a verbo *attollo*, idemque ſonat, ac *ſurſum elevatus*, quę elevatio fermenti & ſalis virtute fit. Secundo: Nonne Chriſtus eſt conſtitutus a Patre Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech? Quid porro Melchiſedech Chriſti typus? Oblatione illa, qua Euchariſtiam pręfiguravit, fermentatum non azymum panem obtulit, quum ea oblatio Moſaicam legem pręceſſerit, a qua azymorum uſus primo pręſcriptus eſt. Tertio, Chriſtus Euchariſtiam inſtituit in ſui commemorationem, & ad mortem ſuam annuntiandam, donec veniat, ut ait Paulus: qui ergo potuit Euchariſtiam ex azymo pane conficere, qui neque commemorationem Dominicam habet, nec mortem ejus annuntiat? His addi poſſunt, quę ſęculo ſextodecimo Hieremias Conſtantinopolitanus Antiſtes cap. 10. primi reſponſi ſui ad Lutheranos commentus eſt, *Dominus*, ajens, *nocte qua tradebatur, accipiens panem, & gratias agens fregit & dixit, accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, non hoc, inquiens, eſt azymum .... offerimus porro non in azymis, ſed fermentato, quia hoc revera panis eſt, ſicut interpretantur, atque demonſtrant Orientales Sancti, Chryſoſtomus & reliqui, qui cenſent, non infermentatam hoſtiam, ſed fermentatam ad exemplum Domini eſſe offerendam*.

V. Primam Cerularii cavillationem pleniſſime obtrivit Humbertus Cardinalis Silvę candidę, cujus invictum ad Cerularii objecta reſponſum exhibet Baronius in appendice tomi 2. Annalium, ex quo pauca hęc delibamus: Quid blaterat Cerularius, azymum nec panem eſſe, nec dici poſſe, quum & manna ipſum, quod Deus Hebręis in deſerto annis quadraginta ſuppeditavit, ſępiſſime ſive in veteri ſive in novo Teſtamento, *panis latine*, *artos* Gręce vocetur? quorſum ethimologiam Gręcę vocis obtrudit, ac nonniſi ab elevatione, quę fermenti virtute fiat, peti poſſe contendit, quum manna cujuſque fermenti expers, *artos*, divina auctoritate dicatur? Nonne panes, quos Gen. 18. & 19. Abraam & Loth Angelis, quos hoſpitio ſuſceperant, appoſuiſſe leguntur, ut & panes propoſitionis, qui ſingulis diebus a Sacerdote in tabernaculum inferebantur, abſque fermento erant, qui tamen & latine *panes*, & Gręce *artos*, quoties in ſacris literis eorum occurrit mentio, dicti leguntur? Nonne & ab Athenęo Gręco Scriptore panes ſive fermentati ſive azymi promiſcue *artos* appellantur, & apud S. Athanaſium in vita S. Antonii Magni, Caſſianum in Collationibus, Palladium in vita Pauli ſimplicis, azymi panes, qui ſemel tantum in anno ab antiquis Monachis abſque fermento conficiebantur, *artos* ſeu panes appellantur? Nihil eſt ergo eo Cerularii commento, quod reliqui Gręci Schiſmatici mordicus retinent, falſius & futilius, azymum ſcilicet nec panem eſſe, nec dici poſſe.

VI. Æque inſulſum eſt alterum Cerularii momentum: *In Sacerdote Melchiſedech*, ſcribit ad Cæcilium Cyprianus, *ſacrificium Dominicum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura divina teſtatur, & dicit, & Melchiſedech Rex ſalem protulit panem & vinum, fuit autem Sacerdos Dei Altiſſimi, & benedixit Abraam. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus Sanctus ex perſona Patris ad Filium dicens, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraam benedixit*. Sacerdos itaque ſecundum ordinem Melchiſedech Chriſtus, quatenus in pane & vino, quæ Melchiſedech olim obtulerat, Euchariſtiam inſtituens, & in iis ſymbolis ipſe Patri ſacrificavit, & in iiſdem perpetuo ritu Sacerdotes ſacrificium offerre juſſit. An vero panis a Melchiſedecho oblatus azymus fuerit, an fermentatus, nec Cerularius, nec Græcorum aliquis demonſtrare umquam poterit, quamquam etſi daremus fermentatum panem fuiſſe a Melchiſedecho oblatum, inepte & falſo Cerularius infert, Chriſtum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech non potuiſſe in azymo conſecrare; ita enim ille argumentatur, quia perſuaſum habet, azymum nec panem eſſe nec dici poſſe, quod quam falſum ſit, ex dictis abunde patet, patebitque infra evidentius; quum ergo azymi & fermentati differentia panis ſpeciem non immutet, Melchiſedechi oblatio, etſi in fermentato fuiſſet peracta, Euchariſticum ſacrificium etſi in azymo factum optime præfiguravit, ſicut nec Cerularius abnuere poteſt, Sacerdotium Chriſti fore ſecundum ordinem Melchiſedech, tametſi ille vinum rubrum obtuliſſet, hic ve-

vero albo ad conficiendam Euchariſtiam uſus eſſet. In tertio ejuſdem momento refellendo non eſt, cur verba ponamus; decernit enim ille, azymo pane nec Domini commemorationem fieri, nec Chriſti mortem annuntiari; quod perverſe ſentiat, azymum a veri panis natura atque appellatione abeſſe.

VII. Hieremiæ Conſtantinopolitani argutationem ita refellit Arcudius lib. 3. cap. 3., quod eſt de Euchariſtiæ materia: „ Dominus ait, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum, non hoc, inquiens, eſt azymum: retorqueo argumentum: hoc eſt corpus meum, non hoc, inquiens, eſt fermentatum; ſed uterque noſtrum inſaniret, ſi, quemadmodum ille, ego quoque argumentarer; nam quum neutrum dixerit Dominus, & ex utroque poſſit fieri corpus Chriſti, quippe uterque eſt verus panis; ut Theodoretus in cap. 10. Danielis optime notat, panem ajens dici & azymum, & fermentatum, & inficiæ damnans aliter ſentientes, nihil ſani colligunt, qui ita concludunt. Ubi autem fermentatam hoſtiam ad Domini exemplum offerendam eſſe affirmet Chryſoſtomus, & reliqui Patres, mirum ſilentium; qui enim fieri poſſet, ut eorum teſtimonia Hieremias in medium proferret, quæ nuſquam ſunt? Forte Hieremias loco Michaelis Cerularii, Nicetæ Abbatis, Nicephori Caliſti, Matthæi Blaſtarii, & cæterorum ejuſdem farinæ hominum B. Chryſoſtomum, & reliquos Sanctos Patres atque Doctores nominare non erubuit, niſi forte velit fingere quemdam alium Pſeudo-Chryſoſtomum; ſed producamus nos in medium verum Chryſoſtomum, qui plane ex diametro ſe opponens Recentioribus Græcis, omnia prorſus contraria, atque illi ſentiunt, dictavit, non ſecus ac ſi Propheta Spiritu Sancto afflatus fuiſſet, & Græcorum non ſolum objecta perſpexiſſet, verum etiam mentem ipſam penitus introſpexiſſet. “ Hæc Arcudius, qui pluribus Chryſoſtomi teſtimoniis, confeciſſe Chriſtum ex pane azymo Euchariſtiam, cap. 4. demonſtrat.

PROPOSITIO III.

Fidei caput eſt, Euchariſtiam perinde confici ex fermentato vel azymo.

Veritas hæc in Florentina Synodo, in qua ſublato ſchiſmate Græcam inter ac Latinam Eccleſiam unio conflata eſt, definita fuit his verbis: *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo Chriſti Corpus veraciter confici*, Definitioni huic præiverant ſæculo undecimo Sancti Gregorius VII. & Leo IX. Romani Pontifices, & ſæculo tertiodecimo Lugdunenſe ſecundum Generale Concilium ad revocandos ad Eccleſiæ unitatem Græcos a B. Gregorio X. celebratum; S. enim Gregorius VII. lib. 8. Epiſt. 1. hæc totius Latinæ Eccleſiæ nomine ſcripſit: *Nos azymum noſtrum inexpugnabili ſecundum Dominum ratione defendentes fermentum ipſorum non reprobamus*; S. item Leo IX. Michaelem Cerularium acriter coarguit, quod Latinos Conſtantinopoli degentes in azymo ſecundum Romanæ Eccleſiæ ritum celebrare non ſineret, quum Latini Græcos Romæ commorantes non vetarent in fermentato pro Eccleſiæ ſuæ more conficere; in actis denique memoratæ Synodi Lugdunenſis ſecundæ legimus, a laudato Pontifice, & omnibus Synodi Patribus fuiſſe permiſſum, ut in templo D. Joannis Græci Antiſtites, qui ad Concilium venerant, Latinis adſtantibus ſacrum juxta Eccleſiæ ſuæ diſciplinam in fermentato peragerent: quis porro inde non inferat, Catholicæ Eccleſiæ perſuaſum ſemper fuiſſe, ratam perinde eſſe Euchariſtiæ conſecrationem, ſive in azymo fiat, ſive in fermentato? Sancte ergo in profeſſione fidei a Græcis ad Eccleſiæ unitatem, ejurato ſchiſmate, accedentibus emittenda, quæ Gregorii VII. juſſu Græce ac Latine edita fuit, inter alia fidei capita hoc quoque cenſetur, *in azymo ſive in fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, & Sacerdotes in altero ipſum Domini Corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive occidentalis, ſive orientalis conſuetudinem.*

II. His addi poſſunt, quæ habet D. Thomas 4. p. quæſt. 74. ar. 4., in quo, ut ſummum Theologum decet, apte diſtinguens, quid fidei ſit, quid vero diſciplinæ, quid Sacramento conveniat, quid-

ve

Digitized by Google

ve ſit neceſſarium, ita egregie differit: „ Circa hujus Sacramenti materiam duo „ conſiderari paſſunt, quid ſcilicet ſit ne- „ ceſſarium, & quid conveniens. Neceſ- „ ſarium quidem eſt, ut ſit panis triti- „ ceus, ſine quo non perficitur Sacramen- „ tum: non eſt autem de neceſſitate Sa- „ cramenti, ut ſit azymus, vel fermen- „ tatus, quia in unoquoque confici poteſt. „ Conveniens autem eſt, ut unuſquiſque „ ritum ſervet Eccleſiæ ſuæ in Sacramen- „ ti celebratione. " Ex hac D. Thomæ doctrina demonſtratio Theologica poteſt ſic preſſe inſtrui: fide certum eſt, triticeum panem aptam eſſe hujus Sacramenti materiem: Eadem porro eſt triticei panis ſubſtantia, ſive azymus ſit, ſive fermentatus, quod ipſo naturæ lumine compertum eſt, ſicut idem eſt ſpecie vinum, ſive album ſit ſive rubrum, eadem aquæ elementaris natura ad Baptiſmum idonea, ſive ſalſa ſit, ſive dulcis, ſive frigida, ſi ve calida, quum his accidentibus rerum ſubſtantia non immutetur; legitima ergo & rata eſt Euchariſtiæ conſecratio, ſive in azymo fiat, ſive in fermentato.

III. Quibus vero argumentis recentes Græci Schiſmatici uſum impetunt azymorum, irritam pronuntiantes Euchariſtiæ in azymo conſecrationem, & Latinos per ludibrium *Azymitas* appellitantes? Eadem illa ſunt, quæ ſæculo XI. omnium primus in Latinos intorſit Michael Cerularius, & ex eo mutuati ſunt Petrus Antiochænus in ſuis Epiſtolis ad Dominicum Gradenſem Epiſcopum, Leo Acridanus Bulgarorum Antiſtes, Macarius Ancyranus, Theodorus Balſamon, aliique. Quum fuerint autem illa centies obtrita, & futilitatis revicta a ſtrenuiſſimis Romanæ Eccleſiæ defenſoribus, S. Leone nono, Humberto Cardinale Silvæ candidæ, S. Anſelmo Cantuarienſi, & D. Thoma tum in utraque Summa, tum in Opuſculo I. adverſus errores Græcorum, nec non a Græcorum doctiſſimis Cardinali Beſſarione, Gennadio Scholario, Petro Arcudio, & Leone Allatio, mirum eſt, ab inſcitis Græculis recoqui, & quotidie in nos jactari. Quæ vero illa? Quæ eorum efficacitas, ut tantam inde miſera gens gloriationem arripiat? Ajunt Græci, antiquaſſe Chriſtum omnes Moſaicæ legis ritus, adverſus icciroo Chriſti ſanctionem Latinos agere, qui azymorum uſum jam a Chriſto ſublatum in ſacrificio Euchariſtico inſtaurant, & impietatis, ac ſacrilegii reos haud ſecus eſſe, ac qui circumciſionem ſuſciperet, feſtos Judæorum dies celebraret, vel quodvis aliud jam mortuæ, & mortiferæ Moſaicæ legis caput impleret. Suum hoc argumentum, quo veluti Achille pugnant, undecimo Trullani ſeu quiniſexti Concilii canone fulciunt, qui hæc habet: *Nemo eorum, qui in Sacerdotali ordine numerantur, vel Laicus, Judæorum azyma comedat*, cujus canonis æquitatem, ſanctitatemque magnificant, quod eum nec S. Agatho Papa, nec B. Gregorius Agrigenti in Sicilia Epiſcopus improbarint.

IV. Pluribus paginis opus eſſet, ſi omnia vellemus exſcribere, quæ ad diſſolvendum præcipuum hoc, ac ferme unicum Græcorum argumentum Humbertus Cardinalis in Dialogo, S. Anſelmus Cantuarienſis, Arcudius lib. 3. Concordiæ c. 4., & Allatius in opere de perpetua Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ conſenſione lib. 3. cap. 14. contulerunt. Verum quum plura ii congeſſerint præter rem, & ſuperflua, nonnulla etiam minus apta, uno contenti erimus D. Thomæ reſponſo, brevi quidem, ſed pleno ſucci, & ſolidiſſimo, quo radicitus Græcorum prima argutatio convellitur; ille ergo pro more ſuo brevitatem cum perſpicuitate conjungens, paucis complecti, & explicare ſolitus ea, in quibus alii plerumque ſunt verboſiſſimi, laudato loco ait: „ Conficientes ex azymo non intendunt legis „ Moſaicæ ceremonias ſervare, ſed inſti- „ tutioni Chriſti ſeſe conformare; alioquin „ & celebrantes in fermentato judaiza- „ rent, quia panes primitiarum fermenta- „ tos Judæi offerebant. " Quorſum vero adferunt Græci Trullanum canonem, quum de azymi uſu in ſacrificio Concilium ne verbum quidem habuerit; imo, quum varios Armenorum ritus damnaſſet, hunc, quem tunc ſervabant ii, retinentque etiam hodie, in azymo ſacrificandi ritum nulla cenſura notaverit? Quid ergo vetitum a Trullana Synodo? Innovatus duntaxat ab ea eſt, ſicut ex actis ejus apparet, canon inter vulgo Apoſtolicos ſeptuageſimus, quo vetantur Clerici & Laici, Judæorum ritus & familiaritatem colere, azymos panes ab eis confectos edere, eadem cum eis menſa, & balneis, nec non illorum opera, ac medicaminibus uti ad depellendos morbos. Quomodo autem Trullano Cano-

Digitized by Google

ni obſtare poterant Agatho Papa, & Gregorius Agrigentius, qui jam e vivis exceſſerant, quum explorata res ſit, habitum fuiſſe Trullanum Concilium anno Chriſti 692. ſedente Sergio I. Romano Pontifice, & Juſtiniano II. Imperante, Agathonem vero ante decennium obiiſſe? Apage ergo nugas indignas, quæ fuſius refellantur.

V. Opponunt alii, abjiciendum ab Eccleſiæ Chriſti ſacrificio azymi uſum, quod Chriſtus regnum cælorum, ideſt Eccleſiam non azymo ſed fermento aſſimilarit, quod azymi uſus ex Nazaræorum & Ebionitarum errore proceſſerit, qui legalia cum Evangelio jungenda eſſe docebant, fluxeritque ad Eutychianos unius in Chriſto naturæ adſertores, qui intolerandum errorem ſuum uſu iſto firmabant. Verum hæc prorſus inepta ſunt; primo enim, ſi propter eam Chriſti parabolam removendus ſit a ſacrificio panis azymus, multo magis removendus erit fermentatus, quem videtur inſectari Apoſtolus I. ad Cor. 5. ajens: *Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio; etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*; ut ergo nihil ex hac Pauli allegoria, neque ex iis, quæ habet Chriſtus Lucæ 12. jubens, nos attendere ſive cavere *a fermento Phariſæorum*, adverſus fermentum in ſacrificio apud Græcos uſitatum Latini inferunt, aut recte inferre poſſunt, ita perperam & inique ad tuendum errorem ſuum, vexandoſque Latinos abutuntur Græci ea parabola, cui alium omnino ſenſum, quam qui eſt confictus a Græcis, ſubeſſe, Patres ac Interpretes omnes hactenus docuerunt: non enim parabolis aut allegoriis, ſed literali Scripturæ textu fidei capita tranſigenda ſunt; quare quum Scriptura diſerte tradat, Chriſtum ad Euchariſtiæ inſtitutionem adhibuiſſe panem, dubitare autem nemo poſſit, niſi plane ſit vecors, quin panis, ſive azymus, ſive fermentatus, vere ſit panis, inde conficimus, negari a nemine citra hæreſim poſſe, pane ſeu fermentato ſeu azymo rite perfici hoc Sacramentum.

Illud autem quis non ſtupeſcat, reponebat Michaeli Cerulario S. Leo IX., quod poſt tot Sanctos & Orthodoxos Patres per mille, & viginti annos a paſſione Salvatoris novus calumniator Eccleſiæ Latinorum emerſiſti, publicam perſecutionem excitans, & anatematizans omnes, quicumque ſunt participes Sacramentorum ex azymis? Novus profecto calumniator emerſit Cerularius, primus in Latinis carpere auſus, quod non culpaverat Photius primus Græcorum Schiſmatis auctor, etſi probe noſſet Latinos jam dudum azymis uti ad ſacrificium, quia perſpectum habebat, hanc diſciplinam non a Nazaræorum aut Eurychianorum hæreſi, ſed a Chriſti, Apoſtolorum, atque Apoſtolicorum hominum exemplo ad Latinos derivatam eſſe. Improbandusne vero azymorum uſus, quod eo Nazaræi & Eutychiani ad errorum ſuorum præſidium abuterentur? Explodendum quoque erit a ſacrificio fermentum, quod ejus uſus Ebioni & Cerinto ſavere videatur, qui Chriſtum puri hominis loco habentes illum communi hominum ſatu ex Maria & Joſepho prognatum eſſe eſſutiebant. Quamquam & illud falſum eſt, Monophyſitas, ſeu unius in Chriſto naturæ adſertores errorem ſuum azymi uſu firmare, quum certo certius ſit, Eutychianos omnes, qui Jacobitæ dicuntur, latiſſime per Orientem ſparſos ex fermentato pane ſacrificium celebrare ſolis exceptis Armenis, apud quos azymorum uſus eſt antiquiſſimus, quem tamen Trullana Synodus non improbavit, quod nec ſuſpicaretur quidem, uſum hunc Eutychianæ, qua Armeni infecti erant, hæreſeos ſurculum eſſe.

PROPOSITIO IV.

Etſi in azymo vel fermentato pane Euchariſtiæ confectatio rata ſit, nefas tamen eſt Græcis in azymo, & Latinis in fermentato conficere.

PRopoſitionem hanc Novatorum errori opponimus, quibus conſtitutum eſt, poſſe quemlibet non valide ſolum, ſed etiam ſancte ad hujus Sacramenti celebrationem utrolibet pane uti, quod Chriſtus neutrum determinaverit, ſicut ad conſecrationem calicis nihil refert, album ne vinum, an rubrum ſit, nec non & nonnullis Communionis noſtræ Theologis, qui, licet ſtatuant, nefas eſſe Latino apud ſuos degenti in fermentato, Græco etiam ſuis in regionibus commoranti in azymo ſacrum peragere, ſi tamen Latinus ad Græcorum regiones quavis de cauſa diverterit, aut Græcus apud Latinos peregrinetur, au-

da-

domicilium fixerit, cenſent, utrumlibet pro ritu gentis; ad quam profectus eſt, innoxie poſſe ex azymo vel fermentato conficere, ac Novatorum quidem errorem præclara D. Thomæ doctrina refellimus, qui loco ſæpius memorato ait: „ Conveniens eſt, „ ut unuſquiſque ritum Eccleſiæ ſuæ ſer- „ vet in celebratione Sacramenti . . . . . „ unde ſicut peccat Presbyter in Eccleſia „ Latinorum celebrans de pane fermentato, „ ita peccaret Presbyter Græcus in Eccle- „ ſia Græcorum celebrans de pane azy- „ mo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ri- „ tum, “ ex qua D. Thomæ doctrina hæc demonſtratio conflatur: Chriſtus Eccleſiam ſuam audiendam univerſim dixit, habendumque ſicut Ethnicum & Publicanum, qui eam non audierit; Apoſtolus quoque ſancit, oportere, ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus, quæ a Deo ſunt ordinatæ, ſubdita ſit, nec non obediendum Præpoſitis noſtris, & ſubjacendum eis; privato ergo nefas eſt a recepto Eccleſiæ ſuæ ritu deſciſcere, eumque propria auctoritate pervertere; quare quum Eccleſia pro ea, qua divinitus inſtructa eſt, poteſtate jamdudum ſanxerit, a Latinis & Græcis diſciplinam ritumque Eccleſiæ ſuæ in hujus Sacramenti celebratione retineri, adverſus diſertam hanc, ſæpiuſque iteratam Eccleſiæ ſanctionem, non poteſt quis abſque piaculo a probato Eccleſiæ ſuæ more recedere.

II. Ut autem frivola illa, quam Diana, paucique alii Theologi excogitarunt, diſtinctio Græcos inter in Græcia commorantes, eoſdemque apud Latinos vel peregrinantes vel degentes &c. funditus convellatur, præmittenda ſunt Eccleſiæ decreta. Florentinum Concilium ſtatuit, Sacerdotes in altari ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque juxta Eccleſiæ ſuæ ſive Orientalis, ſive Occidentalis conſuetudinem: S. Pius V. in Conſtitutione, quæ incipit *Providentia Romani Pontificis*, expreſſe vetat, *ne Presbyteri Græci præſertim uxorati Latino more, & Latini Græco ritu Miſſas, & alia divina officia celebrent, vel celebrari facere præſumant*. In ea, quam ſupra memoravimus, Orthodoxæ fidei Confeſſione Gregorii XIII. juſſu edita, id quoque Græcis Romanæ Eccleſiæ unitati redditis profitendum indicitur, quod ex Florentino mox recitavimus, quæ omnia Benedictus XIV. ea, quam an. 1742. emiſit Conſtitutione, cujus initium, *Etſi Paſtoralis &c.* innovavit, confirmavitque. Ex his porro decretis præſta hæc exiſtit demonſtratio: Receptiſſimum eſt juris proloquium, fas non eſſe diſtinguere, ubi jura non diſtinguunt; quum ergo Florentina Synodus, laudatique Romani Pontifices ita vetent, a Latinis Græco, a Græcis Latino ritu ſacrificium celebrari, ut nullam exceptionem adjiciant, nullam Latinorum Græcorumque ſuis, vel in alienis regionibus commorantium diſtinctionem inducant, nimium ſibi tribuunt privati Scriptores, qui a generali illo decreto de retinendo a quolibet, ſervandoque Eccleſiæ ſuæ ritu, Græcos apud Latinos, & Latinos apud Græcos commorantes excipiunt.

III. Quid vero, ſi Chriſtus Euchariſtiam inſtituens neque azymum, neque fermentatum ad ejus uſum determinavit? Quid, ſi azymum inter & fermentatum accidentaria tantum differentia eſt, qualis vinum album inter & rubrum intercedit? Quid ſi Apoſtolos fermentato & azymo pane promiſcue uſos eſſe in ſacrificio, cum clariſſimo Mabillonio ſentiunt Theologi bene multi, ab Apoſtolorum ævo ad decimum uſque ſæculum promiſcuum fuiſſe apud Latinos azymi & fermentati uſum, nec niſi a decimo ſæculo azymi uſum conſtanter invaluiſſe, docet Eruditiſſimus Cardinalis Bona, Græcos vero ab Apoſtolorum ætate ad ſeptimum uſque ſæculum in azymo pane divinam rem feciſſe, & nonniſi labente ſeptimo ſæculo fermentatum ezymo ſubſtituiſſe, cenſet P. Honoratus a S. Maria? Privatone ergo adhuc licet, utrolibet ad arbitium uti? Quum Chriſtus non omnia determinarit, ſed plura ad ritus diſciplinamque ſpectantia Eccleſiæ ſuæ, quam audiri ab omnibus juſſit, determinanda reliquerit, jam dudum Eccleſiæ auctoritate, quæ ipſius Chriſti eſt auctoritas, fixum eſt, quid Græcis Sacerdotibus, quid Latinis agendum, quemadmodum ſuperius memoratæ Florentini Concilii, & Romanorum Pontificum ſanctiones evincunt, nec oppoſitum ſentire poſſunt, niſi qui nullam a Chriſto inſtitutam Eccleſiam, nullam in Eccleſia legitimam poteſtatem agnoſcunt, qua fideles ſibi ſubditos legibus ſuis poſſit obſtringere. Quod ergo neuter panis ad ſacrificium divina ſit auctoritate determinatus, quod azymus & fermentatus ſubſtantia non differant, facit, ut rata ſit, in quocumque peracta fuerit, conſecratio, non autem, ut ſacrilegio vacet Sa-

Sacerdos Latinus, aut Græcus, ſi audeat leges Eccleſiæ violare.

VI. Etſi autem Viri celeberrimi, Sirmondus, Bona, Mabillonius, Lupus, Calmetus, alique rerum Liturgicarum eximii Tractatores de azymi apud Latinos, & fermentati apud Græcos uſu plurimum inter ſeſe diſſideant, & in varias ſententias abeant, quas referre non vacat, fatendum tamen eſt, nihil hactenus certi, compertique haberi, quum pugnantes eorum opiniones nonnullis Veterum teſtimoniis ambiguis, quæ pro ſe quiſque interpretatur, & conjecturis, quas nemo ignorat, lubricas ſuapte natura eſſe, & incertas, totæ nitantur, ſicut adnotat memoratus Honoratus a S. Maria in ea, quam de panis azymi uſu in Eccleſia Latina Tomo 2. *animadverſionum in regulas & uſum Criticæ* inſtituit, diſſertatione. Fac tamen, certa & vera eſſe, quæ Mabillonius, Bona, idemque Honoratus tradunt: nihil inde præſidii ad Novatorum errorem accederet, non enim quæſtio de eo eſt, quod olim fuerit in Eccleſia factitatum, ſed de eo, quod poſt luculentam Eccleſiæ ſanctionem licet, aut nefas eſt. Quum caput hoc, quod excutimus, non fidei morumque ſit, ſed diſciplinæ, quam fatemur omnes, reformabilem eſſe, & Eccleſiæ poteſtati obnoxiam, non eſt cur Veterum uſum Novatores obiiciant; quicumque enim ille fuerit, non eſt cur de eo ſolliciti ſimus, quum Eccleſia a Chriſto poteſtate inſtructa ſit *ea immutandi, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, ſalva illorum ſubſtantia, prout temporum, locorum; rerumque conditio poſtulaverit*, hacque poteſtate uſa ſolemni judicio jam fixerit, quem quiſque ritum in ſacrificii hujus celebratione ſectari debeat.

V. Dianæ tandem, aliiſque illud Catonis urgentibus, *quum fueris Romæ, Romano vivito more*, illud quoque Auguſtini Epiſt. 58. magnificantibus, *faciat ergo unuſquiſque, quod in ea Eccleſia, ad quam venit, invenerit, non enim quidquam eorum fit contra fidem, aut contra mores hinc vel inde meliores*, licet plura reponant Cardinalis Gothi, Berti, aliique, illud brevius ſolidiuſque reponimus, quod alibi idem Auguſtinus ajebat, *Roma reſcripta venerunt, cauſa finita eſt*. Florentina Synodus, & plures Romani Pontifices, promiſcuum azymi & fermentati uſum Græcis Latiniſque rotundis verbis interdixerunt, ſanxeruntque, conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ ab unoquoque religioſe ſervandam: quis ergo id adhuc licere pronuntiet, niſi vel cum Novatoribus nullam in Romanis Pontificibus, & Generalibus Conciliis poteſtatem ferendi leges agnoſcat, vel cum iiſdem perverſe ſentiat, fidelium conſcientias quibuſcumque Eccleſiæ legibus non obſtringi? Neque ſua illa diſtinctio eorum opinionem a falſitatis ac temeritatis nota liberat; quum enim Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione *ſuper Græcorum ritibus diſtrictius inhibeat etiam ſub pœna perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, ne Presbyteri Græci Latino more & Latini Græco ritu Miſſas, & alia divina officia celebrari facere præſumant*, hæc autem conſtitutio, qua ſapientiſſimus Pontifex Florentini Concilii, & Prædeceſſorum ſuorum decreta innovat, & confirmat, Italo Græcos, ideſt Italiam incolentes præſertim afficiat, colligere hinc quiſque poteſt, & hodiernum Catholicæ Eccleſiæ Rectorem, & Florentinum Concilium, & alios Romanos Pontifices, quorum ille ſententiam recitat, & confirmat, universos Latinos & Græcos apud ſuos non degentes comprehendiſſe, atque univerſim, nulla adjecta exceptione, interdixiſſe, ne Latini & Græci, ubicumque fuerint, a recepto Eccleſiæ ſuæ more in Sacrificii Euchariſtici celebratione deſciſcant.

PROPOSITIO V.

In Sacrificio Dominico peragendo aqua vino neceſſario miſcenda eſt, non Sacramenti tamen, ſed præcepti ſolum Eccleſiaſtici neceſſitate.

PRopoſitione hac, quæ pluribus conſtat partibus, plures errores perſtringimus, Armenorum primo, qui quamlibet aquæ mixtionem a vino conſecrando removendam eſſe, contendunt, tum ob præpoſterum cujuſdam D. Jo. Chryſoſtomi ſententiæ, quam infra excutiemus, intellectum, tum præſertim, quemadmodum refert Nicephorus Calixtus lib. 17. hiſt. cap. 53., ne mixtione aquæ cum vino duas in Chriſto naturas ſignificare videantur, quippe qui in Eutychiano luto hærentes non niſi unam in Chriſto naturam adſtruunt. Merito conqueritur Arcudius lib. 3. Concordiæ cap. 1. hunc Armenorum errorem a Magiſtro ſententiarum, Innocentio III.,

Scoto, utroque Durando, & Guidone Carmelita, omnibus Græcis aſcribi, quum omnibus compertum ſit, perpetuam Græcorum doctrinam, atque uſum ab hoc Armenorum errore quam longiſſime abeſſe, imo ſemper redargutos a Græcis Armenos, quod adverſus veterem traditionem, & ſacræ Liturgiæ ſanctionem in ſacrificio aquæ cum vino mixtionem omittant; quare Gabriel Philadelphienſis Antiſtes, ut inſcitam hanc ab Eccleſia Græca calumniam depellat, in opuſculo de Sacramentis provocat ad Liturgiam a Græcis antiquiſſimo more hactenus celebratam, „ quidam ſunt, ajens, qui decepti dicunt, „ Græcos ſancto calici aquam non admiſcere ſecundum Eccleſiæ traditionem, „ quorum experientia, (etenim accedant, „ & intueantur ea, quæ ſunt Liturgiæ) „ perverſam eorum mentem poteſt redarguere. “ Clariſſimus Bellarminus, ut Magiſtrum ſententiarum, alioſque mox memoratos excuſet, ait, eos forte Græcorum nomine Orientales omnes, inter quos & Armeni cenſentur, comprehendiſſe: Verum, ſi Armenos intellexerunt, ſcite ait Arcudius, inuſitata ſane phraſi uſi ſunt, haud ſecus ac ſi aliquis Germanorum nomine Italos exprimat.

II. Caſtiganda ſubinde eſt inſana Lutheri procacitas in primo, quod adverſus Henricum VIII. Angliæ Regem an. 1522. edidit, ſcripto effutientis, melius, & tutius fore, aquam non miſcere vino, quum ſit merum figmentum humanum. 3. refellendi plerique e Novatorum grege, Joannes Gerardus Voſſius imprimis, qui, etſi dent libenter, Chriſtum veriſimiliter ad calicis conſecrationem vino aqua mixto uſum eſſe, huncque ritum a primitiva Eccleſia receptum, & fideliter cuſtoditum, atque a priſcis Patribus myſtice expoſitum, propugnant tamen, neque ullam exemplo Chriſti ſervandi hujus ritus neceſſitatem inductam, neque vetuſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, Patrumque auctoritatem ſatis eſſe, ut in re mere adiaphora, ſive indifferenti præſcribat, libertatemque privatis adimat agendi, quod placet. Poſtremo refutandi veterum Scholæ Magiſtrorum nonnulli, qui licet hanc aquæ cum vino mixtionem præter Sacramenti ſubſtantiam eſſe concedant, quibuſdam tamen Cypriani, & Cartaginenſis III. Concilii verbis minus ſcite intellectis permoti ſunt, ut mixtionem hanc non Eccleſiaſtico ſolum, ſed & divino præcepto ſtatutam eſſe ſentirent. His breviter prænotatis, ad ſingulos errores propoſitioni noſtræ adverſantes refellendos accedimus, non iiſdem tamen ad ſingulos refutandos armis uſuri, quod non iiſdem principiis ſinguli errantes ad propoſitionem noſtram oppugnandam adducti ſint.

III. Quum Armeni traditionem Patrum venerentur, atque ſuſcipiant, moremque Eccleſiæ Græcæ in plurimis diſciplinæ capitibus retineant, ac ſectentur, quin & Græcorum Liturgia in divina re peragenda utantur, locupletiſſima Veterum Patrum traditione, & perpetua Orientalis Eccleſiæ conſuetudine manifeſtæ impietatis, atque irreligionis facile revincuntur, quod in hoc diſciplinæ capite a Patrum doctrina, Eccleſiæque ſuæ ritibus atque uſu reſiliant. Quid vero Patrum traditione luculentius? Juſtinus Martyr apologia ſecunda oblationes enumerans, ex quibus Euchariſtia in fidelium cætibus conficiebatur, ait: *Deinde ei, qui fratribus præeſt*, Epiſcopo ſcilicet vel Presbytero, *offertur panis, & poculum aquæ & vini . . . . Panis offertur, & aqua & vinum.* Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes c. 33. hæc habet: *Accipiens Dominus panem corpus ſuum eſſe confitebatur, & temperamentum calicis ſuum ſanguinem confirmavit*, quæ verba Renatus Maſſuet Benedictinus Monachus Operum Irenæi Editor cum iis conferens, quæ S. Martyr lib. 5. c. 2. habet, *quando ergo*, ajens, *& mixtus calix & factus panis percipit verbum Dei, & fit Euchariſtia*, hanc notam adiicit: „ Temperamentum calicis mixtum calicem vocat, quia ex traditione Apoſtolica, per„ petuoque Eccleſiæ uſu vinum conſecran„ dum aqua miſcetur. “ Omnium locupletiſſime traditioni huic teſtimonium perhibet S. Cyprianus epiſt. 63. ad Cæcilium ſcribens: *Invenimus, calicem mixtum fuiſſe, quem Dominus obtulit . . . . quando autem in calice aqua vino miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, quæ conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini &c.* Eadem ferme habent Ambroſius, ſeu vetuſtiſſimus librorum de Sacramentis Auctor inter Ambroſii opera, Auguſtinus lib. 4. de doctrina Chriſtiana, & alibi, ut ſequioris ævi Patres omittam.

IV. Perpetuam porro Latinæ Eccleſiæ

con-

conſuetudinem Armenis non opponemus, cujus auctoritate Schiſmatici homines non permoventur. Animum advertant ſolum ad invariaram Orientalis Eccleſiæ ab ipſa Apoſtolorum ætate ad hæc uſque tempora diſciplinam, quæ teſtatiſſima eſt in perveteriſto Conſtitutionum vulgo Apoſtolicarum Auctore, & in Liturgiis, ſive quæ D. Jacobo Minori Apoſtolo primo Jeroſolymorum Antiſtiti, & D. Marco primo Alexandriæ Epiſcopo tribuuntur, ſive quæ Sanctorum Baſilii, & Chryſoſtomi nomina præferunt, quæque in Oriente uſitatæ fuerunt hactenus, ſuntque adhuc; ex iis enim apparet manifeſtiſſime, morem hunc aquam vino miſcendi in ſacrificio peragendo in Oriente obtinuiſſe ſemper, atque obtinere. Hæc quum ita ſint, Synodus Quiniſexta exeunte ſæculo ſeptimo Conſtantinopoli habita merito hunc Armenorum errorem hoc canone perculit: *Quoniam in omni Eccleſia, ubi divina lumina refulſerunt, hic ordo divinitus traditus ſervatur, & Sancti Patres, myſtico nobis in ſcriptis tradito ſacrificio, ita perficiendum in ſacra liturgia ex aqua & vino ſacrum calicem ediderunt . . . . Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino non miſcens immaculatum ſic offert ſacrificium, deponatur, ut imperfecte myſterium enuntians, & quæ tradita ſunt, innovans*. Etſi autem hæc Synodus illegitima fuerit, pluresque ejus canones univerſalis Eccleſiæ doctrinæ adverſantes numquam a Romanis Pontificibus probati fuerint, a quibus Synodi confirmationem promiſſis, ac minis fruſtra conati ſunt extorquere Græci Imperatores, hujus tamen, ut & quorumdam aliorum ejus canonum, qui ſunt Eccleſiaſticæ regulæ conſentanei, non ſpernenda auctoritas eſt, quod veritati ſemper & ubique receptæ teſtimonium Synodus perhibuerit, nec quidquam novi ſanxerit, ſed morem ab Eccleſiæ initio ubique vigentem approbarit.

Lutheri autem temeritatem diſertiſſimo D. Cypriani, cui Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſtiana ſubſcribit, teſtimonio retundimus. Ea Proverb. 9. Sapientiæ verba, *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*, in laudata ad Cæcilium epiſtola explicans ait Sanctiſſimus Martyr: *Vinum mixtum declarat, ideſt calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænuntiat . . . . Admonitos autem nos ſcias, ut in calice offerendo Dominica traditio ſervetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur*. Quum ergo celeberrimus hic tertii ſæculi Scriptor doceat, Salomonem eo loci a Spiritu Sancto afflatum ſacrificium Euchariſticum, quod pane & vino aqua mixto peragitur, prænuntiaſſe: Cypriani vero interpretationem non Auguſtinus ſolum, ſed Patres alii, & Interpretes quique ſectentur, an non ſummæ temeritatis reos eſt Lutherus ad pura humana figmenta ritum ablegans, quem Spiritus Sanctus prophetica voce præſignat? Quum Vir omnium teſtimonio commendatiſſimus ritum hunc non aliunde, quam a Domini exemplo, & traditione repetat, quæ Lutheri inſolentia, ut quod Cyprianus a Dominica traditione fluere ſcripſit, quod omnes ante, & poſt Cyprianum Eccleſiaſtici Tractatores ſcripſerunt, ipſe inter humanæ mentis inventa recenſeat, a quibus melius, tutiuſque ſit abſtinere?

V. Ex recitato vero Cypriani, ut & aliorum Patrum, teſtimonio, nec non ex perpetuo Eccleſiæ uſu adverſus Voſſium alioſque Adiaphoriſtas hoc argumentum inſtruimus: Eccleſiam audiendam eſſe, noſtriſque Præpoſitis obediendum, ſacræ litteræ palam edicunt; quum ergo primitiva Eccleſia, cujus fuit, Novatoribus confitentibus, ut fides puriſſima, ita diſciplina ſanctiſſima, ritum iſtum præſcripſerit, & perpetuo ſuo uſu ubique gentium conſecraverit, nec illum umquam obſoleſcere, aut immutari paſſa ſit, damnarit imo ſemper immorigeros illos, qui ab univerſali & conſtanti iſta conſuetudine recedebant, non poteſt ritus iſte inter adiaphoros, ſive in cujuſque libertate poſitos emandari, niſi quis velit, aut nullam inſtituiſſe Chriſtum Eccleſiam, aut eam poteſtate non inſtruxiſſe, qua fideles poſſet obſtringere, ut illud retinerent, quod ſemper retinuit ipſa, & retinendum eſſe mandavit. Neque ſe tueri Novatores poſſunt exemplo plurium rituum, & diſciplinæ capitum, quorum in prioris ævi Eccleſia uſus præſcribendi vim jam non habet, & inducendi præcepti neceſſitatem; Eadem enim illa legitima auctoritate, qua inducta fuerant, & diu obtinuerant, antiquata ſunt, expreſſo ſcilicet vel tacito Eccleſiæ conſenſu, quod id varia temporum, locorum, rerumque conditio poſtularet: Cæterum quum ritum hunc

hnnc a Chriſto & ab Apoſtolis ductum numquam ab Eccleſia fuiſſe immutatum, ant alicnbi in deſnetudinem abire permiſſum, apud Novatores ipſos in confeſſo ſit, gravem Evangelio ipſi, quod auctoritatem Eccleſiæ nobis eximie commendat, injuriam inferunt, qui, ritum hnnc non ſolum poſſe innoxie negligi, ſed *& majoris prudentiæ eſſe*, ſcriptitant, *ab eo abſtinere ad tuendam in rebus ejuſmodi Evangelicam libertatem*.

VI. Etſi nonnulli præpoſtere opinarentur duodecimo ſæculo, eam eſſe mixtionis hujus neceſſitatem, ut ſi vinum aqua temperatum non fuerit, irrita ſit calicis conſecratio, eorum tamen aberrationem D. Bernardus epiſt. *69.* ſcite coarguit: *Nec nego*, ait, *panem & vinum aqua quidem mixtum debere ſimul apponi, quin potius aſſero, haud aliter debere fieri: ſed aliud eſt culpare negligentiam, aliud negare efficaciam. Aliud inquam eſt, quidpiam non bene, quod cauſamur, aliud, quod mentimur, non fieri*. Ad revincendum errorem hunc percipiendamque germanam Eccleſiæ doctrinam haud alio opus eſt, quam authentica ipſius Eccleſiæ declaratione in Rubricis Miſſalis tit. *de defectu vini num. 7.*, Quum enim ibidem Eccleſia rotundis verbis adfirmet, ſi jam peracta calicis conſecratione Sacerdos advertat, ſe calici aquam non miſcuiſſe, non oportere, ut conſecrato calici aquam infundat, quis inde non colligit, non eam ab Eccleſia judicari mixtionis hujns neceſſitatem, ut ea omiſſa Sacrificii ſubſtantia violetur? Nonne etiam omnibus conſtitutum eſt, rata eſſe Sacramenta, ſi idonea materia, & forma conſtent? Qnum ergo inter Chriſtianos omnes conveniat, debitam Sacramenti hujus materiam præter triticeum panem eſſe vinum de vite, hoc autem vere vinum eſſe, etſi fuerit merum, nec aqua temperatum, ipſo naturæ lumine omnibus perſpectum ſit, citra rationis injuriam nemo adfirmarit, irritam eſſe calicis conſecrationem, ſi ille ſit impermixtus. Quid ergo? Quum fidei caput ſit, mixtionem hanc non adiaphoram eſſe, ſed neceſſario faciendam, non autem Sacramenti neceſſitate, reliqnum eſt, ut ſolins præcepti divini vel Eccleſiaſtici neceſſitate ſit illa adhibenda.

VII. Præceptum hoc autem divinum non eſſe, ſed Eccleſiaſticum facile demonſtratur; ſolo enim ſcripto vel tradito Dei verbo divina voluntas quidpiam præcipiens nobis manifeſtatur: divini autem præcepti de aqua vino miſcenda in ſacrificio, quodnam in ſcripto vel tradito Dei verbo veſtigium? Chriſtum qnidem ad calicis conſecrationem vinum aqua temperatum adhibuiſſe, docemus, nec tamen inde inferre licet, juſſiſſe illum, idem ab aliis fieri; alioqui, ſi quidquid in Euchariſtiæ conſecratione ipſe geſſit, a nobis divino jure agendum eſt, peccarent Græci fermentato utentes in ſacrificio, peccaret Romana Eccleſia id eis non permittens ſolum, ſed & præcipiens, quum Chriſtum in azimo conſecraſſe, negari abſque temeritate non poſſi, peccarent, quotquot Euchariſtiam mane conficiunt, atque ad eam ſumendam jejuni accednnt, quum Chriſtus veſpere facto, atque poſt cœnam eam inſtituerit, & Apoſtolis ſecum recumbentibus diſtribuerit; quum ergo non omnia Chriſti exempla præcepti neceſſitatem inducant, altumque ſit divini hujus præcepti in ſcripto, & tradito Dei verbo ſilentium, conſequens eſt, ſolo Eccleſiaſtico præcepto aquam vino conſecrando miſcendam eſſe, quemadmodum ſeſ. 22. c 7. declaravit Tridentina Synodus ajens, præceptnm eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent.

VIII. Quum Tridentinum ibidem tres præcepti hujus ex D. Thoma exſcriptas rationes adiiciat, ajens, præceptum eſſe &c. tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exivit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, & quum aquæ in Apocalypſi populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur, rideat Novatores rationes has ceu ineptas: primam quidem, quod nullibi Scriptura referat, Chriſtum vino temperato uſum eſſe, ut Bellarminus ipſe fatetur: alteram vero, quod non oporteat ſervari, atque repræſentari omnia, quæ in Dominica paſſione geſta ſunt, præſertim quum ſanguine e Chriſti demortui latere manante Euchariſtiam, aqua vero Baptiſma ſignificari, antiqui Patres adfirment, quæ ſane myſtica ſignificatio multo aptior eſſe videtur; tertiam denique, quod ritus aliqui nequeant ſuperextrui myſticæ ſignificationi, cujuſmodi eſt ſignificatio, qua aqua populum denotat, quum inter omnes conveniat, Theologiam ſymbolicam argnmentativam non eſſe. Illud quoque urgent, quod & Armenis fucum fecit, D. Joan.

Chryſoſtomi teſtimonium hom. 83. in Matthæum ſcribentis: *Cujus rei gratia non aquam, ſed vinum? Pernicioſam quamdam hæreſim radicitus evellere voluit eorum, qui aqua in miſteriis utuntur*. Poſtremo quartum Concilii Aurelianenſis quarti canonem opponunt, in quo juxta veteres editiones hæc habentur: *Ut nullus in oblationibus ſacri calicis, niſi quod fructu vineæ ſperatur, & hoc ſine aqua mixtum offerre præſumat*.

IX. Allatæ tamen a Tridentino rationes facile vindicantur; quid enim, ſi nequeat Scripturarum teſtimonio confici, Chriſtum vinum aqua temperaſſe? Ineptine ergo, qui id adfirmant? Quot Chriſti Domini geſta vel dicta in Evangelio, ipſo Joanne Apoſtolo teſte, non memorata, novimus ex traditione? Inter hæc jure cenſemus, Chriſtum ad calicis conſecrationem vino aqua mixto uſum eſſe, quod ab ipſo Apoſtolorum ævo ritum hunc velut a Chriſto acceptum ſemper Eccleſia retinuerit, quemadmodum Irenæi, Cypriani, aliorumque veterum Patrum diſertiſſima teſtimonia, & perveruſtæ quælibet Liturgiæ nos docent. Illud quoque animadverſione dignum eſt, quod præclare ait Angelicus, probabiliter ſcilicet credi, Dominum Sacramentum hoc in vino aqua permixto ſecundum terræ illius morem inſtituiſſe; quum enim, quotquot de Judaicis ritibus agunt, conſtanter ſcribant, Judæis poſitum in more fuiſſe, vinum in Paſchali cœna aqua temperandi, ac, *niſi illud adminiſcuiſſent, crediſſe illos, aliquid omiſſum eſſe in recta hujus ceremoniæ obſervatione*, ad maximam veri ſpeciem accedit, Chriſtum, qui ſemper caverat, ne aliquam Judæis criminationis anſam præberet, morem hunc, etſi lege non præſcriptum, apud Judæos tamen tunc obtinentem religioſe ſectatum eſſe. Scribit quidem Buxtorphius in hiſtoria ſacræ cœnæ, in ea peragenda Judæos aut vino mero, aut temperato pro libito uſos eſſe, quod tamen ex R. Maimonide, aliiſque a Ligtfooto memoratis, & ex Bibliotheca falſum eſſe revincitur. Etſi autem id daremus, quid tum? Par eſt nihilominus credere, Chriſtum non merum ſed temperatum ſive ad legalem, ſive ad Euchariſticam cœnam vinum adhibuiſſe, quia, ut omnium aliarum virtutum, ita & *ſummæ temperantiæ ſe præbuit exemplum*, ſicut ad Armenorum Archiepiſcopum an. 1318. ſcripſit Joannes XXII.

X. Secundam Tridentini rationem inſcite carpunt Novatores, quod Eccleſiæ mentem perperam interpretentur, quaſi vero illa doceat, in Euchariſtico ſacrificio neceſſario omnia ſervanda, atque repræſentanda eſſe, quæ in Dominica paſſione peracta ſunt, quod falſum omnino eſt; quia enim hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad annuntiandam Domini paſſionem, & mortem, quæ corporis a ſanguine violenta ſeparatione conſumata fuit, corpus conſecramus ſeorſim a ſanguine, & utrumque ſeorſim ſumimus, & diſtinctam utriuſque ſpeciei conſecrationem adeo neceſſariam eſſe contendimus, ut ſine altera perfectum non ſit ſacrificium, neque eo mors Domini annuntietur. Cæterum aquæ vino mixtionem neque Sacramenti neceſſitate, neque divino præcepto, ſed Eccleſiaſtico tantum faciendam eſſe, decernimus, quod tum Chriſti exemplo, tum myſticis, iiſque aptiſſimis ſignificationibus ritus iſte fulciatur; quamquam enim Veterum nonnulli, aqua, quæ e Chriſti latere fluxit, Baptiſma denotari ſcripſerint, Auguſtinus tamen, vetuſtiſſimus librorum de Sacramentis Auctor inter Ambroſii opera, Veteres omnes Eccleſiaſticorum rituum Tractatores, nec non univerſi cum D. Thoma Theologi, hanc aquæ cum vino mixtionem ſancte fieri docent, ad recolendum myſterium aquæ, quæ una cum ſanguine de latere Chriſti profluxit; quare & in antiquiſſima Græcorum Liturgia, quæ Chryſoſtomo Auctori tribuitur, quæque apud Orientales in uſu eſt, hæc, interprete Eraſmo, leguntur: *Ad infuſionem vini dicit Sacerdos, & unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & addens aquam dicit, & aqua*.

XI. Tertiam vero Tridentini rationem nunquam exagitaſſet Voſſius, neque inverecunde ſcripſiſſet, Eucherium, Paſchaſium, Rabanum, alioſque ficulnea machera pugnare, qui ritum hunc adſtruunt ad deſignandam populi cum Chriſto unionem, ſi recogitaſſet, ſymbolum hoc a Cypriano in Epiſtola ſæpe laudata ad Cæcilium fuiſſe luculenter expoſitum, & ab Auguſtino non uno ſuorum operum loco mirifice commendatum. Fatemur vero, Theologiam ſymbolicam argumentativam non eſſe, ſeu fidei morumque dog-

ma-

mata non poſſe ex myſtico ſenſu neceſſario concludi, eam tamen ſatis non eſſe, ut ſacri alicujus ritus fundamentum ſit, quotieſcumque id viſum Eccleſiæ fuerit opportunum, ille ſolus negaverit, qui ignoret, ſacros ritus ob myſticam potiſſimum ſignificationem, ſeu ad myſterium aliquod denotandum fuiſſe inſtitutos, quod & ſuperiori anno, quum de Baptiſmi ceremoniis ageremus, oſtendimus, eodemque hoc anno oſtendemus, quum ad Miſſæ ceremonias ventum fuerit. Animadvertere quoque debuerat Voſſius, Eccleſiæ in ritu hoc, de quo agimus, præſcribendo præter myſticam & ſymbolicam, litteralem quoque occurriſſe cauſam, e Chriſti ſcilicet exemplo petitam, & perpetua traditione, omniumque Chriſtiani nominis Societatum, Armenis exceptis, conſenſione atque uſu firmatam.

XII. Armenorum aberrationem coarguit Trullana Synodus, & legitimum Chryſoſtomi intellectum aperuit ajens: *Quoniam ad noſtram cognitionem pervenit, quod Armeni vinum tantum in ſacra menſa offerunt, aquam ipſi non miſcentes, Eccleſiæ Doctorem Joannem Chryſoſtomum adducentes . . . . & ex eo aquæ oblationem in ſacrificio ſubvertere Doctorem exiſtimant, ut in poſterum ignorantia non laborent, Patris ſententiam orthodoxe aperimus; quum enim improba Aquatiorum antiqua eſſet hæreſis, qui pro vino aqua ſola in ſacrificio uſi ſunt, refellens Vir Deifer perverſam hanc doctrinam, dictam ſententiam adſtruxit. Cæterum ſuæ Eccleſiæ, cujus eſt illi paſtoralis adminiſtratio tradita, quando incruentum ſacrificium peragi opus fuiſſet, aquam vino miſcendam tradidit in Liturgia, illam ſanguinis & aquæ contemperationem denotans, quæ in totius mundi vivificationem, & peccatorum remiſſionem ex pretioſo Redemptoris noſtri latere effuſa eſt.* Aurelianenſem denique canonem vitiatum eſſe, atque ita reſtituendum, *& hoc aqua mixtum* &c. non ſolum Romanæ communionis homines incorrupta optimorum codicum fide probarunt, ſed & Voſſius ipſe ingenue fatetur ajens: „ Quando cogito, quam antiqua & uti„ que recepta fuerit hæc conſuetudo mi„ ſcendi vinum, non poſſum in animum „ inducere, ut contrarium ſtatuerint Pa„ tres Aurelianenſes, quum Veterum ne„ mo hujus rei meminerit. “ Sentit idcirco legendum *niſi* pro *ſine*, quia inverſo duarum literularum ordine facile vitium irrepere potuit, & ab incurioſo Amanuenſi ſcribi *ſine* pro *niſi*.

XIII. Hanc aquæ mixtionem ad Sacramenti ſubſtantiam pertinere, confici videtur iis, quæ in laudata ſæpe Epiſtola ſcribit Cyprianus ajens: *Sic calix Domini non eſt aqua ſola, & vinum ſolum, niſi utrumque miſceatur, ſicut nec Corpus Domini nequit eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque fuerit adunatum;* ſicut ergo farinæ & aquæ mixtio, ſine qua panis non fit, ad Sacramenti ſubſtantiam ſpectat, idem de aquæ cum vino mixtione pronuntiandum videtur, præſertim cum Cyprianus ibidem addat, *perfici cæleſte & ſpiritale Sacramentum, quando utrumque miſcetur, nec adunari fideles Chriſto, ſi mixtio hæc omittatur.* Expedita tamen erit difficultatis diſſolutio, ſi advertamus, non unam Euchariſtiæ ineſſe Sacramentalem ſignificationem, neque unum ſignum; ſunt enim ibi panis vinique ſpecies Dominicum corpus & ſanguinem velantes atque ſignificantes, quatenus Chriſtus ex Corpore & Sanguine ſuo ſymbolis his exterioribus circumvelatis ſpirituale nobis convivium, cibo potuque conſtans, inſtruxit: eſt diſtincta utriuſque ſymboli conſecratio, qua crucis ſacrificium violenta ſanguinis a corpore ſeparatione peractum recolitur: eſt denique aquæ cum vino mixtio, qua fidelium cum Chriſto unio ſignificatur; quum ergo, ut egregie docet Angelicus, judicium de ſigno ex re ſignificata ferendum ſit, id eſt ea ſymbola neceſſitate Sacramenti ſint uſurpanda, quæ inſtituta ſunt ad ſignificandas res, in quibus Sacramenti ſubſtantia ſita eſt, ea vero præter Sacramenti eſſentiam ſint, quæ ad aliquid, quod Sacramentum jam perfectum conſequitur, ſignificandum ſunt inſtituta, hinc intelligimus, panis vinique ſymbola ad Euchariſtiæ, ut Sacramentum eſt, diſtinctam utriuſque conſecrationem, ad ejuſdem, ut ſacrificium eſt, eſſentiam attinere, aquæ vero cum vino mixtionem præter eſſentiam eſſe, quum ad ſignificandum effectum, qui ex Euchariſtiæ uſu & ſumptione conſequitur, fuerit inſtituta.

XIV. Hac præmiſſa doctrina legitimum verborum Cypriani intellectum adſequimur; neceſſariam ille ſtatuit & farinæ cum aqua, & aquæ cum vino mixtio-

nem, diſpari tamen ratione; nam quum panis, qui eſt neceſſaria Euchariſtiæ materies, aquæ & farinæ mixtione non fiat, mixtionem hanc Sacramenti neceſſitate faciendam agnoſcimus: cæterum quum altera hujus Sacramenti materies, nempe vinum, reipſa ſit tale, etſi merum fuerit & impermixtum, prætermiſſa aquæ mixtione intacta eſt Sacramenti ſubſtantia; quia etſi ejus omiſſio unionis fidelium cum Chriſto ſignificationem tollat, nihil tamen Sacramenti ſubſtantiæ detrahitur, quod hæc ſignificatio ad ſolum Sacramenti uſum adtineat. Quum vero ſubdit, quando utrumque miſcetur, tunc Sacramentum cæleſte perficit, ſolam innuit accidentariam Sacramenti perfectionem, myſticam nempe unionis fidelium cum Chriſto ſignificationem. Cyprianum ipſum ſui adhibemus interpretem, qui ibidem ait: *Si vinum tantum quis offerat, Sanguinis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Quid diſertius, quid apertius? Cypriano Auctore, ſi quis vinum merum conſecret, ſanguis Chriſti vere efficitur, atque eſt; non ergo ſenſit, mixtionem hanc uſque adeo neceſſariam, ut ſine ea irritum ſit Sacramentum, ſed eam faciendam eſſe, ut Sacramentum undequaque, ideſt omni ſignificatione non eſſentiali ſolum, ſed etiam accidentaria perfectum ſit.

XV. Poſtremo, qui ritus hujus originem a divino præcepto repetunt, opinionis ſuæ fundamentum collocant in iis, quæ ibidem Cyprianus ſcribit, Chriſtum ſcilicet aqua *calicem temperaſſe, ac juſſiſſe, idem ab Apoſtolis fieri*, cui ſubſcribens Concilium Carthaginenſe III. ritum hunc *Dominicam traditionem* vocat, & quidem merito, quum inter Romanos Pontifices nullus occurrat, qui primus ritum iſtum præſcripſerit. Ad legitimum tamen Cypriani, & memorati Concilii intellectum non alio opus eſt, quam ut ſcopum utriuſque ſpectemus. Eos Cyprianus eo loci ex inſtituto redarguit, qui in matutino ſacrificio ſolam offerebant aquam, ne per ſaporem vini redolerent Sanguinem Chriſti, quos merito objurgat, quia Sanguis Chriſti *non aqua eſt utique, ſed vinum, & vini mentio ponitur, ut Domini ſanguis intelligatur.* Poſtquam autem vinum conſecrandum eſſe traditione Dominica demonſtravit, aquæ, quæ vino miſcetur, myſterium explicandum ſumit, fidelium nempe cum Chriſto adunationem. Ait quidem, mixtum fuiſſe calicem, quem Dominus obtulit, & juſſiſſe Chriſtum, idem ab aliis ritu perpetuo fieri, quod ipſe præſtiterat; hoc tamen Chriſti præceptum ſolum vinum reſpicit, quod eſt neceſſaria hujus Sacramenti materies, non autem aquam, quæ nonniſi ad ſignificandum effectum, qui Euchariſtiæ uſum comitatur, eodem Cypriano auctore miſcenda eſt.

XVI. Carthaginenſis quoque Concilii canon in eos latus eſt, qui una cum vino mel & lac conſecrabant, quæ quidem benedicenda eſſe non conſecranda, Synodus definivit, *quum nihil ſit amplius offerendum, quam de frumentis & uvis:* quibus verbis Concilium declaravit, ſolum panem & vinum idoneam Sacramenti hujus materiem eſſe. Dum ergo ſubdit, *nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum & hoc aqua mixtum*, non aliud indicat, quam divino jure, & Dominica traditione panem & vinum offerenda eſſe, vino autem miſcendam aquam, & ob Chriſti exemplum, & ob myſticam ſignificationem. Etſi denique D. Thomas, aliique plures, ritus hujus originem referant ad S. Alexandrum I. Papam & Martyrem, cujus Pontificatus initia an. Chriſti 121. Baronius figit, quum tamen inter eruditos jam conveniat, Romanorum Pontificum Epiſtolas decretales ad Siricium uſque, nonnullis exceptis, apocryphas eſse, & in Iſidori Mercatoris officina ſequiori ævo procuſas, omnium veriſimillime ſcribit Cardinalis Bona, ritum hunc ex Chriſti & Apoſtolorum traditione, non quod illum Chriſtus vere præſcripſerit, ſed quod Apoſtoli Chriſti exemplum ſectati illum retinuerint, & in eorum veſtigiis inſiſtens Eccleſia, illum deinceps ſervandum eſse decreverit.

QUÆSTIO IV.

De hujus Sacramenti forma.

I. QUum Sacramenta omnia, ut Florentinum declaravit, rebus perficiantur & verbis, idem eſt de Auguſtiſſimo hoc Sacramento cenſendum. Ab ejus itaque re ſeu materia, recta gradimur ad verba, quibus perficitur, quæque antiquo Scholarum uſu *forma* dicuntur, manus in hac quæſtione conſerturi

cum

ſum Græcis Schiſmaticis, & Scholaſticorum, atque Liturgicarum rerum Tractatorum nonnullis, qui a communi inter Theologos ſententia receſserunt. Bucerum non moramur negantem, in conficienda Euchariſtia verbis utendum eſse, neque alios Novatores paſſim, qui, licet verborum uſum admittant, eorum tamen efficaciam pernegant, quod ea hiſtorica duntaxat, & *concionalia* eſse cenſeant, quibus unice audientium fides excitatur, non autem *conſecratoria*, ut ajunt, ſeu quæ efficiant, quod ſignificant; non enim eſt loci hujus, errorem hunc Novatoribus omnibus communem explodere, licet Recentium Theologorum aliqui eum ſibi hoc loco exagitandum ſumant. Ut autem veritas dearticulate conciſa clarius eluceſcat, animiſque altius infigatur, quæſtionem hanc in duas propoſitiones tribuimus, quibus receptiſſimam Theologorum doctrinam exponemus, eique oppoſita adverſariorum placita refutabimus.

P R O P O S I T I O I.

Etſi Chriſtus omnipotenti virtute ſua potuerit Euchariſtiam abſque ulla verborum forma conficere, iis tamen verbis uſus eſt, quæ ab Evangeliſtis memorantur.

I. QUum Chriſtus Euchariſtiam inſtituens, hoc, quod ipſe egerat, deinceps in ſui commemorationem faciendum eſse præſcripſerit, merito in quæſtionem venit, an panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum certis adhibitis verbis converterit, quæ proinde ab iis, quos Sacerdotes inſtituit, neceſsario ſint uſurpanda, ut Sacramentum hoc perficiatur; Veteres enim quidam opinati ſunt, Chriſtum pro ſuprema illa, qua præditus erat, poteſtate, Euchariſtiam abſque verbis conſecraſse, mandaſse tamen, certa ab aliis verba adhiberi. „ Quidam dixerunt, ait D. Thomas 3. „ p. q. 78. art. 2. ad 1., quod Chriſtus, „ qui habebat poteſtatem excellentiæ in „ Sacramentis, abſque omni verborum „ forma hoc Sacramentum perfecit, & „ poſtea verba protulit, quibus alii poſtmodum conſecrarent, quod ſonare vi„ dentur Innocentii III. verba lib. 4. de „ myſteriis Miſsæ c. 6. prope finem di„ centis: Sane dici poteſt, quod Chri„ ſtus divina virtute confecit, & poſtea „ formam expreſſit, ſub qua poſteri be„ nedicerent; ipſe namque propria virtu„ te benedixit, nos autem ex illa virtu„ te, quam indidit verbis. “ Obſoletam hanc Innocentii, aliorumque Veterum opinionem a D. Thoma valide refutatam Franciſcus Mayronius e Scoti Schola, & Ambroſius Catharinus, qui quum ex Juriſconſulto repente in Theologum evaſiſſet, ſicut ei Dominicus Soto jure exprobrat, a receptis inter Theologos, Thomiſtas præſertim, ſententiis reſilire in more habuit, inſtaurarunt, adverſus quos commune hoc Scholæ decretum propoſitione noſtra expoſitum pro virili tuemur.

II. In prima propoſitionis parte probanda inutiliter verba poneremus: quis enim omnipotentis Dei arbitrium circumſcribere velit, ut nonniſi certo aliquo modo, quod ipſe velit, efficiat? Tota ergo in ſecundæ partis defenſione opera locanda eſt. Memoratam Innocentii, aliorumque opinionem refellit Angelicus ibidem ajens: „ Sed contra hoc expreſse „ ſunt verba Evangelii, in quo dicitur, „ quod Chriſtus benedixit, quæ quidem „ benedictio aliquibus verbis facta eſt. “ Compendio confecta res eſset, ſi, ut in Evangelio expreſsum eſt, benedixiſse Chriſtum panem & vinum, ita quoque e ſacris litteris perſpectum eſset, quod veluti certum ſumit Angelicus, eam panis vinique benedictionem ipſam fuiſse Dominici corporis & ſanguinis conſecrationem, iiſque peractam verbis, quæ ab Evangeliſtis, & Paulo memorantur; Verum quum Cornelius Janſenius Gandavenſis Epiſcopus, Calmetus, Berti, aliique Recentes innoxie ſentiant, benedictionem & gratiarum actionem in Evangelio memoratas nonniſi ritus fuiſſe apud Judæos uſitatos, conſecrationi a Chriſto præmiſſos, imo doctiſſimus Æſtius cenſeat, improbabiliter ſuo judicio ſentire illos, qui hanc benedictionem putant fuiſſe ipſam corporis Domini conſecrationem, neque D. Thomæ ſententia, etſi cæteris probabilior, perſpicuo aliquo Scripturæ textu, & conſtanti Patrum traditione nitatur, ea interim ſepoſita, quod in hac quæſtione præcipuum eſt, perſequemur, & locupletiſſimis Patrum teſtimoniis, nec non graviſſima Eccleſiæ auctoritate probabimus, negari jam ſine temeritate non

poſſe,

poſſe, confectum a Chriſto hoc Sacramentum eadem verborum forma, qua illud a Sacerdotibus perfici, docet Eccleſia.

III. E Priſcis Patribus quatuor tantum laudabimus, e Latinis duos, totidemque ex Græcis, brevitatis gratia pluribus aliis miſſis. Nihil eo diſertius, & nitidius, quod lib. 4. contra Marcionem c. 40. ait: profundiſſimus Tertullianus: *Acceptum panem & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo*. Vetuſtiſſimus librorum de Sacramentis Auctor inter Ambroſii opera, qui & a pluribus recte Ambroſius ipſe cenſetur, lib. 4. c. 4. inquit: *Tu forte dicis, meus panis eſt uſitatus: ſed panis iſte panis eſt ante verba conſecrationis: ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti: conſecratio igitur, cujus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu*. Gemina ſunt Chryſoſtomi verba hom. 2. in Epiſt. 2. ad Timotheum: *Sacra ipſa oblatio, ſive illam Petrus, ſive illam Paulus, ſive cujuſvis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe Diſcipulis ſuis, quamque nunc Sacerdotes offerunt: nihil habet iſta minus, quam illa: quamobrem? quia non hanc ſanctificant homines, ſed Chriſtus, qui illam ante ſacraverat; ſicut enim verba, quæ locutus eſt Chriſtus, eadem illa ſunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem eſt*: in hom. quoque de proditione Judæ ſcribit: *Hoc verbo, hoc eſt corpus meum, munera propoſita conſecrantur, & ſic ut illa vox, qua dixit, creſcite & multiplicamini, ſemel quidem edita eſt, ſed omni tempore ſentit effectum, ita & vox illa, hoc eſt corpus meum, ſemel quidem a Chriſto dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernum diem, & uſque ad ejus adventum præſtat ſacrificio firmitatem*. Damaſcænus denique lib. 4. de fide orthodoxa c. 13. ait: *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit lucem, ita dicendo, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus, perfecit hoc Sacramentum*: adverſus itaque tam luculenta Patrum dicta quis negare velit, peractam a Chriſto Euchariſtiæ conſecrationem verbis in Evangelio memoratis?

IV. Hanſtam ex antiquis Patribus doctrinam hanc declaravit Eccleſia, in Florentino quidem in decreto unionis his verbis, *forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum; Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*: in Tridentino autem ſeſ. 13. c. 1. de Euchariſtia: *hoc admirabile Sacramentum in ultima cœna Chriſtus inſtituit, quum poſt panis vinique benedictionem ſe corpus ſuum præbere, ac ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt, quæ verba a Sanctis Evangeliſtis commemorata, a D. Paulo poſtea repetita ſunt*. Etſi autem Eccleſia ſe in hac ſententia eſſe, manifeſte ſignificarit, rem tamen ſolemi judicio non finivit; teſtis enim eſt Alphonſus Salmeronius, unus e Tridentini Concilii Theologis, excitata de hoc capite gravi in Concilio quæſtione, multiſque inſtantibus, ut Eccleſiæ judicio definiretur, noluiſſe Patres controverſiam dirimere, tum ob Veterum, qui oppoſitum ſenſerant, auctoritatem, tum quod Concilio propoſitum conſtanter eſſet, ſolos Novatorum errores configere, & Catholica firmare dogmata, nihil vero momenti Scholarum opinionibus addere, vel detrahere; quare poſitio hæc noſtra graviſſimis momentis, & Theologorum omnium ſuffragio freta quidem eſt, nec jam poteſt ſine temeritate refelli, referri tamen inter fidei capita nequit, quod ab ea rato judicio definienda, etſi in illam manifeſte propendeat, Eccleſia hactenus abſtinuerit.

V. Poſitioni huic noſtræ hæc adverſari videntur: Primo Chriſti benedictionem ipſam fuiſſe Euchariſtiæ conſecrationem, D. Thomas, aliique plures exiſtimant; ad benedictionem autem Chriſtum nulla adhibuiſſe verba, diſerte tradit Matthæus ajens: *Accepit Jeſus panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait, hoc eſt &c.*: ſi ergo Euchariſtiæ benedictio ipſa conſecratio fuit, nullis certe verbis perfecta fuit, quum Matthæus non inter benedicendum ſeu conſecrandum, ſed inter diſtribuendum, ea verba Chriſtum uſurpaſſe, aperte ſignificet: Secundo, Chriſtum in caſtello Emauntis cum duobus Diſcipulis recumbentem Euchariſtiam confeciſſe, cum Hieronymo & Auguſtino Interpretes plerique ſentiunt: in ea autem conſecranda illum verbis uſum eſſe, Lucas Evangeliſta penitus ſilet; idem ergo de prima Euchariſtiæ inſtitutione cenſendum: Tertio, quum eadem ſit formæ conſecrationis panis, ac calicis ratio, nulla Chriſtus ad conſecrandum pa-

nem

nem verba uſurpaſſe videtur, quum ea, quibus in calicis conſecratione utimur, verba, protuliſſe illum non ſolum poſt calicis diſtributionem, ſed poſtquam Apoſtoli omnes ex Euchariſtico calice biberant, Marcus rotundis verbis adfirmet: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur:* divina itaque virtute Chriſtus confecit, ut recte ajebat Innocentius III., & poſtea formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent.

VI. Nihil horum tamen communem Theologorum ſententiam infirmat; jam enim animadverſum eſt, fulciri illam diſertis Patrum teſtimoniis, & Eccleſiæ auctoritate, quibus momentis non permoveri, temerarium eſt. Sive ergo benedictio ab Evangeliſtis & Paulo memorata ipſa fuerit Euchariſtiæ conſecratio, ut D. Thomæ aliiſque viſum eſt, ſive ritus quidam ex Hebræorum more a Chriſto Euchariſtiæ conſecrationi præmiſſus, ſicut D. Bonaventura, & Theologorum plerique opinantur, nihil ad rei ſummam refert; unum enim id agimus, ut probemus, eadem illa verborum forma conſecratam a Chriſto Euchariſtiam, quam ex Chriſti inſtitutione hactenus univerſalis Eccleſia retinuit, quod quidem caput luculentis veterum Patrum teſtimoniis, & duorum Generalium Conciliorum auctoritate tranſegimus. Quoniam vero nonnulli Theologi, Æſtius in primis, paulo licentius ſcribunt, improbabiliter ſentire eos, qui benedictionem ab Evangeliſtis commemoratam ipſam putant fuiſſe Dominici corporis conſecrationem, imo contendunt aliqui, D. Thomæ ſententiam cum Tridentino pugnare, quod Euchariſtiæ conſecrationem a benedictione diſtinguit ajens, *inſtitutum hoc Sacramentum a Chriſto, quum poſt panis vinique benedictionem ſe corpus ſuum, & ſanguinem præbere teſtatus eſt diſertiſſimis illis verbis, Hoc eſt corpus meum &c.* Clariſſimus Bernardus de Rubeis ſuis *in diſſertationibus criticis, & apologeticis de geſtis, ſcriptis, & doctrina D. Thomæ* diſſert. 27. c. 3. egregie probat, hanc D. Thomæ ſententiam probabiliſſimam eſſe, quippe quæ Veterum Patrum Juſtini, Irenæi, Ambroſiii, aliorumque auctoritate fulta eſt, qui verba Evangelica, quibus Euchariſtiam confecit Chriſtus, noſque conficimus, promiſcue vocant, *invocationem ſupremi Numinis, elementorum benedictionem, & ſanctificationem, ſive conſecrationem, imo & gratiarum actionem ſuper elementis*, quia nempe quæ a Chriſto celebratæ ſunt Dei laudes, quæ gratiæ actæ, quæ fuſæ preces, quæ ſupremi Numinis factæ invocationes, quæque a Sacerdotibus Chriſtum imitantibus celebrantur laudes, fiuntque gratiarum actiones, preces, & Dei invocationes, omnes verbis iis, *Hoc eſt corpus meum &c.* complentur & perficiuntur; his enim perfecte benedicta & ſanctificata fiunt elementa, vera eorumdem in corpus & ſanguinem Domini tranſmutatione.

VII. „ Pugnantes autem contra Thomam, pergit Clariſſimus Diſſertator, adducere Tridentinos Patres inſania eſt; in ipſa enim benedictione ſi diſtinguas gratias Deo a Chriſto actas, fuſaſque preces ſuper pane tranſmutando, ac demum præcipuam, & ultimam benedictionis partem in verbis conſecrationis poſitam, ſenſus elicitur a Thoma, & ab Eccleſiæ Patribus diſertiſſime traditus, ac Synodo Tridentinæ apprime conveniens, Redemptorem ſcilicet noſtrum, poſtquam Deo gratias egit, ac tranſmutando pani bene precatus eſt, verbis iis, hoc eſt corpus meum, ipſum elementum conſecraſſe, ſicque ejus benedictionem conſumaſſe. “ Quum ſit itaque hæc D. Thomæ ſententia veriſimillima, prima dificultas ex Evangeliſtæ Matthæi verbis enata facillime ejuſdem Angelici reſponſione diſſolvitur. Chriſtus, ait ille in 4. ſent. diſt. 8. q. 2. art. 1., eademque habet 3. p. q. 78. ar. 1., ſuiſque in commentariis in Matthæum, & in Epiſtolas Pauli, „ Chriſtus ſemel tantum ea verba protulit, eiſque prolatis conſecravit, & formam conſecrandi dedit; hoc enim participium, *dicens*, non importat concomitantiam ſolum ad hoc verbum *dedit*, ſed ad hoc cum aliis prædictis, ut ſit ſenſus, *dum benedixit, fregit, & dedit Diſcipulis, hæc verba protulit, accipite &c.* Vel ſecundum quoſdam, Evangeliſta non ſervat ordinem verborum, quo a Domino prolata fuerunt; Ordo enim fuit talis: *accepit panem, & benedixit dicens, accipite & comedite &c.* “

VIII. Neque ſecunda quidquam negotii faceſſit; Lucas etenim compendio utens

Digitized by Google

tens adhibita a Chriſto ad Euchariſtiæ conſecrationem verba repetere cap. 24. abſque neceſſitate noluit, quæ cap. 22. jam diſerte expreſſerat. In tertia vero extricanda præ oculis habenda eſt tutiſſima regula lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum ab Auguſtino tradita, Evangeliſtas nimirum in rebus enarrandis non eundem ſemper, quo illæ geſtæ ſunt, ordinem retinuiſſe, ſed multa vel anticipato narraſſe, vel tranſiluiſſe, atque poſtpoſuiſſe, quod multis ex Evangelio petitis exemplis demonſtrat eo loci Auguſtinus, & Hiſtoricis omnibus ſolemne eſſe, compertum eſt. Agnoſcenda itaque in ea Marci narratione tranſpoſitionis figura, niſi velimus, illum cum Matthæo, Luca & Paulo pugnare, qui conſtanter tradunt, nota verborum formula calicem prius conſecratum a Chriſto, quam ex eo ſibi exhibito Apoſtoli biberent.

PROPOSITIO II.

Euchariſtiæ conſecratio ſolis Domini verbis abſolvitur.

I. Propoſitionem iſtam Græcorum Schiſmaticorum errori opponimus, quos inter Nicolaus Cabaſilas, Simeon Theſſalonicenſis, Marcus Epheſius, & Samonas Gazæ Epiſcopus præfracte contendunt, non ſolis Domini verbis a Sacerdote prolatis, ſed quibuſdam aliis additis, orationibus nempe, quæ in Liturgia conſecrationem vel antecedunt vel ſubſequuntur, perfici Euchariſtiam. Errorem hunc a Græcorum doctiſſimis, Cardinali Beſſarione, Leone Allatio, & Petro Arcudio validiſſime profligatum, nuper exſuſcitarunt Antonius Auguſtinus Toutee Diſſert. 3. operibus S. Cyrilli Hieroſolymitani præmiſſa, & Petrus Le Brun Gallicani Oratorii Presbyter tomo 3. explicationum. Potuiſſet Arcudius, potuiſſent Recentiores Theologi, qui Arcudium exſcripſerunt, labori parcere, quo plurima Græcorum præſertim Patrum teſtimonia congeſſerunt, quibus Græcos erroris revincerent, ſi ad eam confeſſionem animum advertiſſent a Græcis in Florentino Concilio editam, & ex autographo Florentiæ invento a Cl. Mabillonio vulgatam tom. 1. Muſæi Italici: „ Quoniam, ajunt illi, ab omnibus Sanctis „ Doctoribus Eccleſiæ, præſertim ab illo „ Beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, qui „ nobis notiſſimus eſt, audivimus, verba „ Dominica eſſe illa quæ mutant, & tranſubſtantiant panem & vinum in verum „ corpus, & ſanguinem Chriſti, quod verba illa divina Salvatoris virtutem omnem „ tranſubſtantiationis habent, nos ipſum „ Sanctiſſimum Doctorem, & illius ſententiam ſequimur de neceſſitate; " ſi enim omnium Eccleſiæ Doctorum, Chryſoſtomi in primis, auctoritate præjudicatum eſt, ſolis Domini verbis fieri Euchariſtiæ conſecrationem, ſi Chryſoſtomi ſententia *de neceſſitate* ſequenda eſt, errant certe turpiſſime, quotquot e Græcis & Latinis ſecus opinantur, quippe qui cum Patrum omnium doctrina aperte pugnant, neque ad eos refellendos neceſſe eſt, ſingulorum Patrum teſtimonia laudare, quum omnes in noſtra ſententia fuiſſe, Græci Epiſcopi in Œcumenico Concilio palam confeſſi ſint.

II. Veritatem hanc autem Patrum omnium traditione fretam nonnullis confirmamus rationum momentis, quibus lib. 3. concordiæ cap. 31. eam conſtabilivit Arcudius: „ Primo, Adverſariorum opinio manifeſta contradictione laborat, ſeque „ ipſam perimit; quum enim doceant, „ neceſſitate quidem Sacramenti Dominica verba uſurpanda, conſecrationem tamen non perfici, niſi precibus conſequentibus, perinde eſt ac ſi velint, duas „ propoſitiones ſimul veras eſſe, *hoc eſt* „ *corpus meum*, *hoc non eſt corpus meum*; „ ſiquidem Sacerdos, ut conſecret, pronuntiet, oportet, *hoc eſt corpus meum*, „ quod tamen nondum eſſe corpus Chriſti, ipſi ſuſtinent, qua contradictione „ quid manifeſtius? Secundo, Vel perficiendæ conſecrationi Dominica verba „ ſufficiunt, vel non; ſi primum, non „ ſunt ergo ad eam neceſſitate Sacramenti adhibendæ preces: ſi ſecundum, nec „ ergo a Chriſto Euchariſtiam conficiente „ prolata tanto operi perficiendo ſuffecerunt, ideoque mentitus eſt Chriſtus, „ dum ait, *hoc eſt corpus meum*; neque „ vero ab hoc argumento ſe expediunt Cabaſilas, & Samonas, reponentes, ea „ verba abſque precibus ſatisfuiſſe Chriſto, non autem Sacerdotibus: certum „ etenim eſt, quemadmodum docet Eccleſia, traduntque univerſi Patres, ſolum Chriſtum in quotidiano Sacrificio „ principem Sacerdotem eſſe, qui per os „ Sacerdotis conſecrat, &, ut ait Cyprianus, uſque hodie veraciſſimum corpus

„ ſuum

„ ſuum & ſanctificat, & benedicit, & pie
„ ſumentibus dividit; quare ſi nunc Chri-
„ ſto per Sacerdotes conſecranti Evangeli-
„ ca verba non ſufficiunt, nec ei ſatis fue-
„ runt, quum Euchariſtiam confecit. Ter-
„ tio; fidei caput eſt, Sacramentorum
„ verba id efficere, quod ſignificant; ſola
„ ergo Evangelica verba, non autem pre-
„ ces, ſunt hujus Sacramenti forma, quum
„ illa ſola corporis Dominici præſentiam
„ & ſignificent, & efficiant; formæ ete-
„ nim Sacramentorum id efficiendi, quod
„ ſignificant, virtutem non ex natura ſua,
„ ſed ex divina petunt inſtitutione; quare
„ quum ſola Evangelica verba, non au-
„ tem Liturgiæ preces, divinam referant in-
„ ſtitutionem, illa ſolum, non hæ id effi-
„ ciunt, quod deſignant, ideoque in iis
„ ſolum Sacramenti hujus forma locanda
„ eſt."

III. Ut Græcis, ita & Latinis Scriptoribus, hæc ex conſtanti Græcorum Patrum doctrina, & ratione petita momenta refutandis ſatis ſuperque ſunt. Libet tamen, duos illos inconſultos Scriptores Gallos ductis e Latina Eccleſia monumentis preſſius urgere. Qui fieri potuit, ut Catholici, Religioſique homines præpoſtero novitatis amore in falſam Græcorum opinionem ſe abripi paterentur, reclamante Florentino, ac declarante, formam hujus Sacramenti eſſe verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum confecit, reclamantibus quoque univerſis fere Latinæ Eccleſiæ Doctoribus? Duos memoraſſe, ſat fuerit, Ambroſium & Auguſtinum, ut novitios hos Scriptores pudeat, a præcipuis Eccleſiæ noſtræ Patribus diſſentire, eorumque doctrinæ quorumdam Græculorum opinionem anteferre. Nihil iis diſertius, quæ ſcribit Ambroſios in lib. de myſteriis c. 9., *Quodſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi ipſa Domini Salvatoris verba uſurpantur? . . . Ipſe clamat Dominus Jeſus, hoc eſt corpus meum: ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus ſignificatur:* quod Ambroſii teſtimonium Benedictinis Editoribus adeo perſpicuum viſum eſt, ut hanc ei appoſuerint notam:
„ Hic apertiſſime conſecratio Sacramen-
„ ti docetur fieri ipſiſmet Domini ver-
„ bis." Nonne Auctor librorum de Sacramentis, qui eidem Ambroſio a pluribus adſcribuntur, verba, quibus conſecratio perficitur, a precibus diſtinguens ait: *Conſecratio autem cujus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jeſu; nam reliqua omnia, quæ dicuntur in ſuperioribus, a Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio fit pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos, ſed ſermonibus Chriſti?* Idem habet Auguſtinus ſerm. 227. *Panis ille, quem videtis, ſanctificatus per Verbum Dei, corpus eſt Chriſti: calix ille, imo quod habet calix, ſanctificatum per Verbum Dei, ſanguis eſt Chriſti;* ſi ergo verbis cæleſtibus, & ſermonibus Chriſti fit conſecratio, & panis & calix per verbum Dei ſanctificati corpus & ſanguis Chriſti ſunt, perperam ad mirabile hoc opus Liturgiæ preces neceſſaria dicuntur.

III. Plura ſunt Patrum teſtimonia, quæ videntur Adverſariorum poſitioni favere, quæque ſingillatim recenſet, & diſſolvit Arcudius. Una hæc omnibus ab eodem, cæteriſque Theologis adhibetur reſponſio, Patres ſcilicet orationi, quæ a Sacerdote celebrante funditur, non efficacitatem conſecrandi, & ſacra dona in corpus & ſanguinem Chriſti vertendi tribuere, ſed id unum ſibi velle, ſacra myſteria abſque oratione ex pervetuſto Eccleſiæ inſtituto non paragi, ita ut oratio Euchariſtiæ conſecrationem præcedat, comitetur, & ſubſequatur, non vero perficiat. Non aliam Patribus inſediſſe mentem, perſpicuum fit cuilibet eorum teſtimonia animo præjudiciis vacuo perpendenti. Quid enim ſi Juſtinus Martyr. Apol. 2. ait, conſecrari Euchariſtiam *per orationem verbi?* Orationis nomine deſignaſſe illum non preces, ſed *pronuntiatum* ſeu animi ſententiam verbis expreſſam, ideoque ipſa Chriſti verba a Sacerdote prolara, nullo negotio deprehendit, quisquis Juſtinum eundem continenter legerit, qui poſt pauca, orationem, qua Euchariſtiam conſecrari præmiſerat, exponens, non aliam indicat *Verbi orationem*, quam quæ in Evangelio conſcripta eſt, nempe *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, quæ verba non deprecationem, ſed effatum eſſe, ſive animi conceptionem verbis elatam, vecors, oportet, ſit, qui negaverit.

V. Quid etiam ſi Irenæus lib. 4. adverſus hæreſes c. 18. ait: *Panis percipiens invocationem Dei jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia?* Hanc Dei invocatio-

nem qua Euchariſtia perficitur, non divini auxilii poſtulationem ſive implorationem eſſe, ſed ipſa Evangelica verba, quæ efficiendæ conſecrationis virtutem a Chriſto habent, Irenæus ipſe aperte ſignificat ibidem c. 17. ſcribens, Chriſtum creaturam panis in copus ſuum vertiſſe, dum ait, *hoc eſt corpus meum*, & lib. 5. c. 2. dona in altari oblata *percipientia Dei Verbum fieri Euchariſtiam*. Dei ergo invocatio, Irenæo ipſo ſui interprete, non eſt divinæ opis imploratio ac deprecatio, ſed ipſa Chriſti verba a Sacerdote ejus perſonam agente pronuntiata. Cur vero Irenæus, Cyrillus quoque Hieroſolymitanus, & nonnulli Patres, Euchariſtiam, quam verbis Dominicis conſecrari docent, *invocatione Dei & Spiritus ſancti* confici ſcribant, rationem aptiſſimam tradit Arcudius, „ quia „ nimirum Pater & Spiritus ſanctus, im„ mo vero & Filius jam invocati, quan„ do verba Dominica enuntiantur, ex pro„ miſſione & inſtitutione Chriſti adſunt, „ & conſecrant ſacrificium, quum una ſit „ Santiſſimæ Trinitatis indiviſa operatio „ ad extra; etſi autem non invocarentur „ explicite, invocari tamen, dum verba „ Dominica proferuntur, implicite intel„ ligerentur, quum primarius conſecratio„ nis Auctor, ut & aliorum Sacramento„ rum, ſit Deus Trinitas.

VI. Paulo difficilius explicatu videtur, quod ait Origenes, *edere nos* ſcilicet *de pane per verbum Dei & per obſecrationem ſanctificato*, item quod ait Hieronymus, *ad Sacerdotum* videlicet *preces Chriſti corpus & ſanguinem confici*, item quod ſcribit Auguſtinus, *accipere nos Chriſti corpus prece myſtica ſanctificatum*. Nihil inde tamen elicere Adverſarii poſſunt, quo ſuam ſuffulciant opinionem; laudati etenim Patres obſecrationem indigitant, quas adhibemus in ſacrificio, quod majori ex parte conſtat ex precibus, ſine quibus *non rite confici* Euchariſtiam idem Auguſtinus adfirmat, etſi abſque iis rata ſit Euchariſtiæ conſecratio. Recte ergo memorata Patrum teſtimonia Theologi communiter interpretantur, panem ſcilicet *per verbum Dei, & obſecrationem ſanctificari, prece myſtica conſecrari, & ad Sacerdotum preces confici Chriſti corpus & ſanguinem*, quatenus Euchariſtiæ conſecratio in Miſſa perficitur, quæ certis ritibus atque ſupplicationibus ex Apoſtolica traditione manantibus ab Eccleſia celebratur, ita ut preces in Liturgia præſcriptæ concamitanter, aut, ut Scholarum more loquamur, diſpoſitive, non vero efficienter ad conſecrationem Euchariſtiæ concurrant, perinde ac ſi virtute polleant perficiendæ conſecrationis. Addit Arcudius, Doctores ſacros ipſa Chriſti verba, quibus conſecratur Euchariſtia, preces appellare, quod virtute precationem contineant; vult enim atque omnino poſtulat & efflagitat Sacerdos, dum verba Chriſti pronuntiat, fieri, quod profert; & hunc Theologi ſcopum eſſe Sacerdotes intelligunt.

VII. Gravius eſt momentum, quod e Liturgiis repetunt Græci, & fuſo calamo urget P. Le Brun; ut enim videre eſt in Euchologio edito a Goario in Miſſa D. Joannis Chryſoſtomi poſt Chriſti verba, quibus conſecrationem perfici adſerimus, ita Deum Sacerdos orat: *Emitte Spiritum ſanctum tuum in nos, & in propoſita dona . . . . fac quidem panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui &c.* quumque eadem in Jacobi Minoris, Marci, Clementis, & Baſilii liturgiis haberi, Allatius, & Arcudius ipſi teſtentur, nemo inde non colligit, in Liturgiis, quarum, ut eſt maxima antiquitas, ita & ſumma auctoritas, non ſolis Domini verbis, ſed & Sacerdotis precibus conſecrandæ Euchariſtiæ virtutem adſcribi; præſertim quum in Baſilii Liturgia Evangelicorum verborum recitationem excipiat oratio, cujus initium. *Propter hoc &c.* in qua panis & vinum, ſuper quæ jam Sacerdos Dominica verba protulit, dicuntur *antitypa & ſymbola præſignantia ſanctum corpus, & ſanguinem Chriſti*, ideoque nondum conſecrata eſſe videntur. Cæterum mirum eſt, Petrum Le Brun Virum cæteroqui doctum & pium his momentis potiſſimum a communi Theologorum ſententia in abſurdam obſoletamque quorumdam Græcorum perſuaſionem abſtractum fuiſſe, nec ſecum animo reputaſſe, eaſdem has difficultates a Græcorum doctiſſimis, ſuæque Eccleſiæ rituum conſultiſſimis ſæpe expeditas fuiſſe, & feliciter diſſolutas. Etſi vero argumento e Liturgiis ducto a Cardinali Beſſarione, aliiſque varia adhibita ſint reſponſa, communis tamen, ait Arcudius, eaque præcipua, ſolida ac litteralis, & merito cæteris anteponenda eſt reſponſio, quam Patres Græci in Florentino Concilio ſeſs. ultima adhibuerunt.

VIII. Interrogati ab Eugenio IV., cur

eas

eas preces adderent poſt verba Chriſti, perinde ac ſi nondum peracta eſſet conſecratio, reſponderunt: „ fateri nos diximus, per hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, tranſubſtantiari ſacrum panem, „ & fieri corpus Chriſti, ſed poſtea ſicut „ vos dicitis, Jube hæc perferri per ma- „ nus ſancti Angeli tui in ſublime altare „ tuum, ita nos oramus dicentes, ut Spi- „ ritus Sanctus deſcendat ſuper nos, & ef- „ ficiat in nobis panem hunc pretioſum „ corpus Chriſti, & quod in calice eſt, „ pretioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſ- „ mutetque ipſa Spiritu Sancto ſuo, ut „ fiant communicantibus in purgationem „ animæ, in remiſſionem peccatorum, & „ non fiant in judicium & condemnatio- „ nem noſtram. “ „ Non itaque, pergit Ar- „ cudius, Græcorum Presbyteri ſimplici- „ ter & abſolute precantur, ut fiat cor- „ pus Chriſti, ſed ut fiat percipientibus, „ ſicut & ante conſecrationem in Litur- „ gia latina Sacerdos ait: *fiat nobis corpus* „ *& ſanguis*, non vero *fiat* ſimpliciter; „ & poſt conſecrationem olim ante Miſ- „ ſalis correctionem haud diſſimili loquen- „ di modo utebantur Latini dicentes: *fiat* „ *commixtio & conſecratio corporis & ſan-* „ *guinis D. N. J. C. accipientibus nobis* „ *in vitam æternam*. Tollendæ vero am- „ biguitatis cauſa, & ne alicui errandi „ anſa præberetur, quaſi tunc fieret con- „ ſecratio, addita poſtmodum particula „ *hæc*, & tranſpoſito verbo *fiat* nunc ita „ orant: Hæc commixtio, & conſecratio „ corporis & ſanguinis D. N. J. C. fiat „ accipientibus nobis &c. “ Plura e Liturgiis ipſis excerpit Arcardius, quibus hoc quod cæterorum ſolidiſſimum eſt, reſponſum corroborat & illuſtrat; iis tamen miſſis tria ſolum ex ipſis Græcorum Liturgiis momenta delibabimus, quæ Cardinalis Beſſarion, aliique fuſius perſequuntur.

IX. Primo, Marcum Epheſium ita premit Beſſarion: „ Sacerdote verba Chriſti „ alta voce, ut vos Græci ſoletis, pro- „ nuntiante, aſſiſtens populus reſpondet „ *Amen*, quaſi dicat, vere ita eſt, ut tu „ dicis. Amen itaque ad ea verba reſpon- „ dens populus, certe, inquit, corpus & „ ſanguis Chriſti ſunt propoſita munera, „ ita credimus & confitemur; & quomo- „ do turpe non eſſet, eos, qui doctiores „ haberi volunt, ignorare, quæ Laici igna- „ ri reſpondendo *Amen* manifeſte ſe ſcire „ ſignificant? Secundo: Nonne dum Sa- „ cerdos alta voce pronuntiat *hoc eſt cor-* „ *pus meum* &c. Diaconus Sacerdoti aſ- „ ſiſtens propria ſtola duobus digitis ta- „ cta panem & calicem oſtendit, nihil „ aliud certe ſignificans, niſi panem Chri- „ ſti corpus eſſe, & quod in calice eſt, „ ſanguinem ejus, ſicut verbis illis aſſeri- „ tur? Hæc oſtendens Diaconus non men- „ titur, & non mentiens cum iis ſentit, „ qui ajunt, ſola Domini verba hoc ſa- „ crum perficere myſterium; neque enim „ fruſtra tales ab Eccleſia inſtitutæ ſunt ce- „ remoniæ. “ Tertio, Nonne antiquiſſimus & communis apud Latinos & Græcos eſt ritus, Euchariſtiam, mox ut a Sacerdote conſecrationis verba prolata ſunt, adorandi? Hanc Latinæ Eccleſiæ conſuetudinem ſuis quiſque oculis quotidie haurit: Idem apud Græcos in uſu eſſe ex eorum Liturgiis eruitur, præſertim ex celeberrima D. Jo. Chryſoſtomi, quam Goarius in Euchologio deſcripſit; Poſt ritum enim paullo ſuperius a Beſſarione laudatum hæc e veſtigio ſequuntur: „ Diaconus accedit ad „ Sacerdotem vicinius, & ambo ter ad- „ orant ante ſanctam menſam, & orant „ intra ſe dicentes, *Deus propitius eſto mi-* „ *mi peccatori*. “ Huncne vero latriæ cultum ſacris muneribus poſt conſecrationis verba Græca & Latina Eccleſia illico impenderet, niſi perſuaſum haberet Domini verbis jam perfectam fuiſſe Euchariſtiæ conſecrationem?

X. Ad extricandam difficultatem, quæ ex Baſilii verbis in Liturgia exurgit, quamque non Adverſarii ſolum in opinionis ſuæ præſidium, ſed & Hæretici Sacramentarii realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ hoſtes in erroris ſui patrocinium exaggerant, plura reſponſa conferunt Doctiſſimi Cardinales, Beſſarion, Roffenſis Martyr, Peronius, & Bellarminus, aliique Theologi præſtantiſſimi. Arcudius, qui omnia exſcribit, hoc cæterorum exiſtimat ſolidiſſimum, Euchariſtiam nempe *antitypum* dici, ſeu corporis & ſanguinis Chriſti ſignum & ſymbolum, partim ratione ſpecierum, quæ ſub ſenſum cadunt, & corporis & ſanguinis ſub iis vere latentium ſigna ſunt, partim, imo potiori titulo relate ad corpus Chriſti in paſſione, quod viſibile erat atque palpabile; Corpus enim & ſanguis Domini Euchariſticis ſpeciebus circumvelata ejuſdem corporis crucifixi ſigna ſunt, quum Euchariſtia ad repræſentandam Chriſti paſſionem, ejuſque mortem annuntian-

ctoritas, quæ ratam ſemper habuit, habetque calicis conſecrationem, etſi his tantum verbis peractam, *Hic eſt ſanguis meus*, vel *hic eſt calix ſanguinis mei*: explorata etenim facti veritas eſt, de qua ſuis quiſque oculis certior fieri poteſt, in pluribus Liturgiis, quæ vel in Patrum Bibliotheca collectæ ſunt, vel ab Edmundo Martene, aliiſque editæ, ſola hæc, quæ mox recitavimus, verba haberi, aut aliqua deſiderari, quæ a Latinis Sacerdotibus nunc uſurpantur; imo Petrus Arcudius teſtis eſt, non aliam apud Græcos conſecrationis Euchariſtiæ formam eſſe, quam verba hæc: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*. Hæc quum ita ſint, ſi verba omnia, quæ in conſecratione calicis apud Latinos in uſu ſunt, neceſſitate Sacramenti ſint uſurpanda, nonne certo conſequitur, nullum fuiſſe priſcis Eccleſiæ ſæculis, nullamque etiamnum apud Græcos eſſe calicis conſecrationem, quum ſolis prioribus formulæ verbis olim eam fuiſſe peractam, paſſim autem a Græcis hodie peragi, exploratum ſit?

XIV. Ait quidem D. Thomas, omnia & ſingula hujus formæ verba *ſubſtantialia eſſe*, omnia *ad hujus formæ ſubſtantiam* pertinere; nihil tamen certi his D. Thomæ teſtimoniis figi poteſt, quum de germana ejus mente maxima ſit inter Diſcipulos ejus conflictatio; quidam enim Sancti Doctoris verba de ſola formæ integritate, alii vero de eſſentia intelligenda eſſe contendunt; quare, quum D. Thomæ ſententia ea ſit, ut, ſi juſtis ponderibus librentur omnia, de ea diſputari utrinque poſſit, non poteſt auctoritate ejus quæ in hoc capite incerta eſt, momentum e Liturgiis petitum infringi; neque opinioni noſtræ adverſari cenſenda eſt Romana Eccleſia omnium Mater & Magiſtra in Rubricis Miſſæ præcipiens, *ut ſi vel unum ex his vocibus contigerit prætermitti, Sacerdos ex integro formam repetat*. Prudentiſſime quidem id ſanxit Eccleſia, cui ratum eſt, nefas eſſe, quum de Sacramentorum valore agitur, relicta tutiori in minus tutam ſententiam declinare. Quis porro neget, ſententiam oppoſitam tutiorem eſſe, & ab omni errandi periculo remotiorem? Prono utique obſequio excipienda, atque ſectanda Eccleſiæ œconomia, in re omnium graviſſima fideles retinere jubentis, quod magis ratum eſt, & a dubitatione longius abeſt, decreto ejus ſancte ab omnibus obtemperandum, nec tamen cenſendum eſt, memorato decreto controverſiam iſtam ſolemniter diremptam eſſe, majorique, quam nunc apud Theologos obtinet, probabilitate ſententiam noſtram fuiſſe imminutam.

QUÆSTIO V.

De re in Euchariſtia contenta.

I. Argumento huic omnium præſtantiſſimo pro dignitate, neceſſitate, atque utilitate tractando vix plures anni ſufficerent, quod cuique facillime perſuaſum erit, qui longiſſimas lucubrationes a celeberrimo Cardinale Perronio adverſus Philippum Mornæum, & ab Auctoribus operi præclariſſimi, cui titulus, *Perpetua Catholicæ Eccleſiæ fides, atque doctrina de Euchariſtia adverſus Miniſtrum Claudium*, de eo editas legerit. Tempore vetiti, tam late diffluere, id unum habemus reliqui, ut ex immenſis aliorum operibus delibemus, quæ ad firmandum catholicum dogma, refellendoſque Hæreticos plus momenti habent. Priuſquam vero id aggrediamur, operæ pretium eſt, teterrimos errores indicare, quos in quæſtione hac ſuſcipimus exagitandos. Capharnaitas tamen non memorabimus, quos Chriſto Euchariſtiæ inſtitutionem promittenti fidem noluiſſe adjungere, ejuſque verba in præpoſterum ſenſum torſiſſe, legimus Joannis 6., neque Phantaſiaſtas omnes, Simonis nempe Magi, Menandri, ac Marcionis Diſcipulos, nec non Manichæos, qui, quum ſolam Chriſto humani corporis umbram tribuerent, corporis ejus in Euchariſtia virtutem ſuſtulerunt; etſi enim hi Sacramentum iſtud everterint, noſtri tamen inſtituti non eſt, præpoſtera eorum principia ſubvertere, quibus errorem ſuum ſuperſtruxerunt. Cum univerſis Novatoribus nobis conſerendæ ſunt manus, qui in duas claſſes tributi in Eccleſiæ doctrinam irrumpunt; Sacramentarii namque realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam pugnaciſſime pernegant, *Impanatores* vero, vel *Conſubſtantiatores* panis vinique ſubſtantiam cum verô Chriſti corpore & ſanguine in Euchariſtia conjungunt, aliiſque erroribus rectam Eccleſiæ fidem commaculant.

II. Primus Sacramentariorum Parens communiter fertur Joannes Scotus Herigena, cujus obitus ab Hiſtoricis exeunte ſæ-

ſæculo nono conſignatur, qui in eo, quem de Euchariſtia vulgavit, libro docuit, *Sacramentum Altaris verum non eſſe corpus & ſanguinem Domini, ſed nudam ejus memoriam*; quare etſi Doctor Angelicus aliique paſſim primam erroris hujus originem referant ad Berengarium Turonenſem, & Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconum, id tamen de Berengario cenſendum, quod de pluribus Hæreſiarchis, qui, etſi errores ex aliis vetuſtioribus hauſerint, eorum tamen parentes, ac artifices paſſim habentur, quod eoſdem & pertinacius propugnarint, & latiſſime propugnarint. Inter eruditos non convenit, an Berengarius realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam explodens præiverit Sacramentariis, an vero eam adſtruens, & ſolam tranſubſtantiationem oppugnans præluſerit Impanatoribus, aut Conſubſtantiatoribus. Cæterum ſi quis tres fidei formulas, quibus in tribus Romanis Conciliis ſæculo undecimo habitis ſubſcribere coactus fuit, quas etiam probans hæreſim ſuam ejuravit, coævorum quoque Scriptorum teſtimonia perpendat, deprehendet, a Berengario primum corporis Dominici in Euchariſtia veritatem fuiſſe ſublatam, mox ea adſerta, propugnatam impanationem. Si Clarium Monachum Floriacenſem, & Hildebertum Epiſcopum Cænomanenſem audimus, Berengarius poſita demum pertinacia errorem illum abjecit, & Catholicæ Eccleſiæ doctrinam ex animo amplexus in ejus communione diem extremum clauſit.

III. Utinam vero invecta ab eo hæreſis cum Auctore ſuo fuiſſet extincta! Paulo poſt Berengarii obitum nefarium errorem exſuſcitarunt in Galliis Petrus de Bruis, a quo Petrobruſſiani, & Diſcipulus ejus Henricus, a quo Henriciani, a quibus illum ebiberunt Albigenſes, & Tholoſani Hæretici, qui omnes in Auguſtiſſimo hoc Sacramento ſolam Dominici corporis, ſanguiniſque figuram, nudumque ſignum pervicaciſſime conſtituerunt. Deletis denique tum Catholicorum Principum armis, tum Apoſtolicorum Hominum prædicatione peſtilentiſſimis his Hæreticis nequiſſimus, error ad plura ſæcula jacuit, donec haud procul a ſæculi ſextidecimi initio eum ab inferis revocarunt Carloſtadius Witembergenſis Archidiaconus, Luteri primum Diſcipulus, poſtmodum hoc de capite a Magiſtro ſuo diſſentiens, Ulricus Zuinglius, qui biduanam in Tigurino Senatu adverſus Euchariſtiam & Miſſam diſputationem habuit, & pleroſque Helvetiorum in errorem induxit, Æcolampadius, Bucerus, Calvinus, Beza, Socinus, a quibus vix concipi mente poteſt, quam late pervulgatus fuerit peſſimus error iſte, quamque alte defixus fuerit in animis plurimorum. Etſi autem eorum Diſcipuli ad velandum, faciliuſque obtrudendum errorem excogitarint modos, quibus Chriſti in Euchariſtia præſentiam exponerent, & ſimplicibus fucum facerent, omnes tamen Magiſtris ſuis plane conſentiunt in eo, quod omnium caput eſt; omnes etenim præfracte negant, quod perpetuam Eccleſiæ fidem exponens ſeſſ. 13. can. 1. definivit Tridentina Synodus, in Euchariſtia nempe *corpus & ſanguinem Chriſti vere, realiter, ac ſubſtantialiter contineri*.

IV. Adverſus Sacramentarios ſtant conſtantiſſime Lutherani omnes, & Dominici Corporis & Sanguinis in hoc Sacramento veritatem nobiſcum tuentur; etſi autem ab hujus Sacramenti fide nunquam dimoveri potuerint, eam tamen plurium errorum admixtione corrumpunt: Primo ablegata tranſubſtantiatione, panis vinique ſubſtantiam cum Dominici Corporis, & Sanguinis veritate conſociant, in qua quidem conſociatione adſtruenda invicem diſſident; Oſiander namque e Lutheri Schola ineffabilem quamdam, atque hypoſtaticam unionem panis cum Chriſti corpore invexit, haud abſimilem ei, quam naturam humanam inter, & Verbi Divini Perſonam intercedere confitemur, quam unionem quum Oſiander *impanationem* appellarit, hinc factum eſt, ut quotquot monſtruoſum hoc ejus figmentum adoptarunt, vulgo dicantur *Impanatores*. Plerique tamen Lutheranorum impanationem hanc non probantes, ſola conſubſtantiatione, ſive utriuſque ſubſtantiæ ſocietate contenti ſunt; quare *Conſubſtantiatorum* nomen eis adhæſit: 2. Lutherani omnes Euchariſtiam in ſolo uſu ſeu in actuali fidelium ſumptione conſtituunt, negantque, quemadmodum ex quarto Tridentini canone memoratæ ſeſſionis eruitur, *peracta conſecratione in hoc Sacramento eſſe corpus & ſanguinem Domini, ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante vel poſt*, & in hoſtiis

vel

Digitized by Google

vel particulis conſecratis , quæ poſt conſecrationem reſervantur , vel ſuperſunt , remanere verum Domini corpus : 3. In eo omnes errore hærent , quem Tridentina Synodus ibidem can. 6. protrivit : *Si quis dixerit , Chriſtum in hoc Sacramento non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum , atque adeo nec feſtiva peculiari celebritate venerandum , neque in proceſſionibus ſolemniter circumgeſtandum , vel non publice, ut adoretur, populo proponendum , & ejus adoratores eſſe idololatras , anathema ſit*. His breviter indicatis erroribus Catholicæ Eccleſiæ doctrinam in plures propoſitiones diſtributam objicimus.

PROPOSITIO I.

Corpus & Sanguinem Chriſti in Euchariſtia vere , realiter , ac ſubſtantialiter contineri, Scripturarum teſtimoniis evincitur .

I. PRopoſitionem hanc iiſdem Tridentini verbis meditato expreſſimus , ut ſubdolam Calvini nequitiam detegeremus, omneſque erroris ejus fibras præcideremus; ille enim impietate non minus quam fallendi arte inſignis, ut verbis ſpecie tenus orthodoxis a Zuinglio cæteriſque Sacramentariis diſſentire , idemque cum Catholicis credere videretur , in tractatu *de cæna* ſcripſit, Corpus & Sanguinem Chriſti *revera* in cæna diſtribui, nos non ſola mentis apprehenſione, ſed reipſa ei uniri, Euchariſtiam nudam & vacuam non eſſe Corporis Chriſti figuram , ſed virtute , & efficacia plenam; verba tamen legentibus dedit , quum toto hoc fallacium verborum ornatu non aliam ſignificare vellet Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quam allegoricam & figuralem , per fidem ſcilicet, ac virtutem a Chriſto diffuſam; quare Tridentina Synodus, ut doloſiſſimi hominis verſutias germana Catholicæ doctrinæ profeſſione ſubverteret , canonem primum concepit his verbis : *Si quis negaverit , in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, ac ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Chriſtum &c. anathema ſit .* Porro ſi totus Chriſtus ſub Euchariſticis ſpeciebus *vere* eſt, nemo non intelligit , nullum eſſe figuræ locum : ſi *realiter* adeſt, non ergo tantum *objective per ſolam ſumentium fidem* , ut Calvinus ajebat ; denique ſi totum Chriſtum *ſubſtantialiter* præſentem habemus, non ſolius ergo virtutis a Chriſto diffuſæ, ſed & ſubſtantiæ ejus vere efficimur in Euchariſtiæ ſumptione participes.

II. Quum Theologi eximii Suarez , Eſtius, aliique cenſeant, ex ſexto Joannis capite , in quo Chriſtus Sacramenti hujus inſtitutionem promiſiſſe a pleriſque creditur, invictum ac decretorium adverſus Sacramentarios peti non poſſe argumentum ob varias Patrum , Doctorumque expoſitiones, nihil ex eo promemus , quod nobis conſtitutum ſit, ea ſolum adverſus Novatores teſtimonia Scripturarum urgere , quorum auctoritas nulla poſſit idonea exceptione elevari. Sane non Cardinalis Petrus Aliacenſis ſolum , & Joannes de Raguſio in Conſtantienſi Concilio, Gabriel Biel, aliique Viri Doctiſſimi in ea ſententia fuerunt, in laudato Joannis capite nihil de Euchariſtia inſtituenda a Chriſto dictum, ſed & Tridentinum Concilium, ut lib. 17. hiſt. ejuſdem Concilii memorat Cardinalis Pallavicinus , quum Epiſcoporum aliqui contenderent , definiendum eſſe a Concilio, de Sacramentali Corporis Chriſti manducatione eo in capite agi, alii ex adverſo reponerent, definitionem ejuſmodi plurium Sanctorum Patrum, & Catholicorum Doctorum interpretationi adverſari, a definiendo abſtinuit , ac urgente præſertim Granatenſi Epiſcopo, decreto jam parato ſeſ. 21. c. 1. ea verba, *utrumque juxta varias Sanctorum Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur*, quibus videtur ſignificare , nolle ſe litem ſolemni judicio dirimere, neutri interpretationi quidquam momenti addere vel detrahere, ſed utraque retenta neutram explodere . Argumento itaque, quod ex promiſſione Euchariſtiæ a Theologorum pluribus ducitur, miſſo ſola inſtitutionis ejuſdem verba verſabimus.

III. Primo quum Sancti Evangeliſtæ Matthæus , Marcus, & Lucas, nec non Paulus Apoſtolus diſerte ſcribant, Chriſtum in Euchariſtiæ inſtitutione his verbis uſum, *accipite & comedite, hoc eſt corpus meum . . . bibite ex eo omnes, hic eſt enim ſanguis meus* , inde argumentum arripimus, quod e Priſcis Patribus mutuatum D. Thomas egregie verſavit , quo & Lutherus in ſermone *de Sacramen-*

to

Digitized by Google

to Corporis & Sanguinis Domini Witembergæ habito valide Sacramentarios perſtrinxit: Chriſtus eſt prima veritas, ac ſumma veracitas, taliſne vero eſſet, ſi recitatis verbis non corporis & ſanguinis ſui veritatem, ſed nudam figuram, & vacuum ſymbolum deſignaſſet? Recitata verba naturalem hunc & obvium ſenſum præferunt, quod nimirum Chriſtus Apoſtolis edendum porrexit, bibendumque propinavit, corpus ſuum & ſanguinem vere eſſe; non ſolum enim nativa eorumdem poteſtate, omnium Chriſtiani nominis Societatum, quibus nunquam aliud ſonare viſa ſunt, Lutheri omniumque Gregalium ejus, ſed & Zuinglii Recentium Sacramentariorum Parentis confeſſione perſpectum eſt, laudatum ſenſum ex iis verbis *in propria & nativa ſignificatione acceptis oriri*, quo diu multumque tortus, tandem a ſpiritu, quem ignorabat, an albus, an niger eſſet, ait ſe fuiſſe edoctum celebrem illam, quam *felicem margaritam* appellat, figuræ & ſigni explicationem. Si ergo Chriſtus verba adhibens, quorum naturalis ac propria acceptio corporis ejus & ſanguinis veritatem perſpicue ſignificabat, non aliud mente complexus eſt, neque aliud oratione ſua Apoſtolis, univerſæque Eccleſiæ indicare voluit, quam ſe puram corporis ſui figuram, & vacuum ſignum tradere, mentitus eſt ipſe aliud corde retinens, aliud ore enuntians, univerſoſque fideles in errorem induxit, verba de induſtria uſurpans, quæ naturalem atque germanam ideam mentibus fidelium ingererent ab ea plane diverſam, quam & ipſe volvebat animo, & ab aliis volebat percipi: non eſt ergo ſumma veracitas, ac prima veritas.

IV. 2. Si verborum Chriſti ſenſus tropicus & figuralis eſt, falſo commendatur a Paulo eximia Chriſti charitas, qua dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea, ut illam ſanctificaret, & in omnem veritatem induceret; Nonne etenim charitatis Chriſti erga Eccleſiam erat, nitide & abſque ambage docere illam, quid ipſe Euchariſtiam inſtituens Sponſæ ſuæ traderet, eique hæreditaris loco relinqueret, quiſque eſſet verborum ſuorum genuinus intellectus? Plurimi ſane Eccleſiæ intererat, abſolute noſſe, quid in hoc Sacramento, cui æternæ vitæ promiſſionem Chriſtus adjunxerat, haberet illa; ſi enim in eo eſt Dominici corporis & ſanguinis ſola figura, non veritas, craſſa ſuperſtitione atque idololatria peccant, quotquot in eo Corporis & Sanguinis Chriſti veritatem & credunt, & colunt: ſi autem Euchariſtia verum eſt Chriſti Corpus, Judaicæ incredulitatis eſt, myſterio huic fidem abjudicare, & horrendæ impietatis, Domino in Euchariſtia vere præſenti latriæ cultum non deferre; quum ergo in ſacris litteris, quoties de Euchariſtia fit ſermo, Chriſtus, ejuſque Miniſtri Apoſtoli atque Evangeliſtæ expreſſam ſolius corporis pro nobis traditi, & ſanguinis pro nobis fuſi mentionem perpetuo faciant, nuſpiam de figura vel verbum habeant, nullibi nos in figuratæ locutionis ſuſpicionem adducant, alterutrum neceſſario conſequitur, aut Chriſtum ſuæ erga Eccleſiam charitatis oblitum, ſcienter noluiſſe a fidelibus ſuis erroris, ejuſque fundamentalis occaſionem, æternæque perniciei periculum removere, imo illos in hoc periculum ambigua oratione ſua, cujus explicandæ nulla illi cura fuerit, conjeciſſe, quod cogitatu horrendum eſt, aut eum eſſe legitimum verborum Chriſti intellectum, quem hactenus Catholica Eccleſia retinuit.

V. 3. Ipſæ, quæ Euchariſtiæ inſtitutionem comitantur, circumſtantiæ convincunt, verba Chriſti litteraliter eſſe intelligenda; Primo enim qui loquitur, Deus eſt, infinite ſapiens, atque verax, fallere & falli neſcius: 2. Deus eſt Sacramentum omnium auguſtiſſimum inſtituens, quod qui digne ſumit, vitam æternam habet, qui autem ſumit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, reus corporis & ſanguinis Domini: 3. Deus eſt, qui non præſentes ſolum Diſcipulos, ſed & omnes, qui per verbum eorum credituri erant, cujuſque conditionis homines, ſapientes & ſimplices præcipuum religionis ſuæ myſterium docet: Poſtremo Deus, qui novum cum Eccleſia ſua fœdus init, qui legem fert, qui in mortis ſuæ pervigilio teſtamentum condit. Porro habita harum omnium circumſtantiarum ratione, quis negare audeat, debuiſſe Chriſtum ſermone uti apud homines uſitato, claro atque intellectu facili, qui a ſenſu obſcuro, vago, ambiguo, atque fallaci procul abeſſet? alioqui non ſolum locutus non eſſet, ut Deum ſapientiſſimum ac veraciſſimum decet, ſed nec ut ſapientes pru-

prudenteſque homines loqui in ejuſmodi circumſtantiis ſolent; niſi ergo divinæ ſapientiæ ſummam inferre velimus injuriam, fatendum eſt, vere tunc tradidiſſe illum Apoſtolis, & per eos Eccleſiæ ſuæ, quod nativa atque propria verborum ejus ſignificatio præferebat. Sane ſi Chriſtus tunc dixiſſet, *hoc eſt verum*, *proprium*, *ipſummet corpus meum*, quis in ejus verbis figuram & nudum ſignum, niſi deſipiens, excogitaſſet? Etſi ergo ſimpliciter dixerit, *hoc eſt corpus meum*, hæc ejus verba litteralem ſenſum æque reddunt, & figuralem excludunt; Si enim ego tres iſtas propoſitiones efferam, *dubito*, *an hoc ſit Chriſti Corpus*, *adfirmo*, *hoc Chriſti Corpus eſſe*, *adſero*, *hoc eſſe verum*, *proprium & ipſummet Chriſti Corpus*, ſtultus ſit oportet, qui neget, primæ & tertiæ, propoſitionis proprium ac litteralem ſenſum eſſe, quem utraque naturaliter reddit, nec ullum in utraque figuræ ac metaphoræ locum eſſe; quum ergo tres inter has propoſitiones unum hoc intercedat diſcrimen, quod prima de corporis Chriſti reali præſentia dubitationem exprimit, altera hanc removet dubitationem, & diſerte enuntiat, etſi ſimpliciter, & abſque peculiari adfirmatione, hoc Chriſti Corpus eſſe, tertia ad magis amovendam quamlibet dubitationem, preſſius, & efficacius eandem adſtruit veritatem, qui a prima & tertia figuram omnem atque metaphoram removet, idem in ſecunda præſtet, neceſſe eſt, quæ dubitationem in prima contentam excludit, idemque adfirmat, quod tertia, licet non eandem præferat adfirmandi energiam. Denique, ſi liceat, litterali & proprio ſenſu a verbis inſtitutionis excluſo figuralem eis ſubjicere, nonne de totius Scripturæ ſacræ veritate, ejuſque ad firmanda fidei dogmata, & oppoſitos refellendos errores efficacitate actum eſt? Ipſos Sacramentarios appello, qui, ut Novatores reliqui, omnes fidei controverſias ſolis Scripturæ teſtimoniis finiendas eſſe decernunt: Quomodo Socinianos, quos execrantur, ductis e ſacro eloquio momentis erroris revincent, adigentque fateri, Chriſtum verum & naturalem eſſe Patris Magni Dei Filium, Patrique æqualem atque conſubſtantialem? Itane, ſane planiſſimis atque perſpicuis Chriſti verbis, *Ego & Pater unum ſumus*, aliis æque perſpicuis Joannis Apoſtoli ep. 1. c. 5. *Ut ſimus in vero filio ejus J. C.*, *hic eſt verus Deus*? Verum ea eludentibus Socinianis, & priora de voluntatis affectuſque concordia, poſteriora de ſimilitudine non de veritate deitatis interpretantibus, quid ſolidi reponere poſſunt Sacramentarii, qui verba Chriſti Euchariſtiam inſtituentis, etſi maxime obvia, & luculenta a naturali ſenſu ad tropicum detorquent, & ablegata veritate metaphoras, repugnante licet communi ipſo hominum ſenſu, comminiſcuntur? Si id ſibi fas eſſe putant Sacramentarii, quidni idem liceat cujuſque ſectæ Hæreticis, quum nulla ſit adeo aperta Scripturæ locutio, quam non poſſit quilibet per allegoriam eludere, & a proprio atque nativo ſenſu ad omnino alienum, ſuoque errori accommodatum trahere? Mirum eſt, non horrere Sacramentarios teterrimum hoc conſectarium ex eorum poſitione neceſſario fluens, quo univerſa Chriſtiana religio non labefactatur ſolum, ſed ab ipſis fundamentis convellitur.

VI. Argumento e verbis inſtitutionis petito peſſime torti Sacramentarii, ad ejus elidendam vim multa commenti ſunt, quæ ab egregiis Catholicæ doctrinæ defenſoribus ſtrenue refutata ſunt, & millies obtrita. Ea a Calvino & Beza primum intorta, ſubinde ab Albertino, Mornæo, & Claudio inſtaurata, nuper a Benedicto Picteto, & Jacobo Abadie recocta breviter recenſebimus, & ſolide diſſolvemus. Ajunt primo in verbis cœnæ figuram intelligendam eſſe, quod id habeat Sacramentalis locutio, ut ſignum rei ſignatæ nomine denotetur, ſicut Gen. 17. circumciſio *fœdus*, ſeu *pactum* appellatur, etſi eſſet duntaxat fœderis. Deum inter & Abrahæ poſteros initi ſignum, & 12. Exodi agnus Paſchalis *phaſe*, *ſeu tranſitus Domini* dicitur, licet eſſet nudum Domini tranſeuntis indicium: 2. ſingula Dominicæ orationis verba figuram & metaphoram redolent: quis enim hujus propoſitionis, *hoc eſt corpus meum*, germanus ſenſus, niſi hic panis eſt corpus meum? Panem vero nonniſi tropice corpus Chriſti dici poſſe, perſpicuum eſt. Tò autem *eſt* idem ſonare ac ſignificat, ſexcenta veteris & novi inſtrumenti teſtimonia declarant: Corpus vero metaphorice apponi, ſatis indicavit Paulus 1. ad Cor. 11. hæc eadem Chriſti verba ad Græcæ linguæ rigorem exacta referens, *hoc eſt corpus*

meum, quod pro vobis frangitur; quum enim verum Chriſti Corpus neque fractum fuerit, neque jam frangi poſſit, ſed ſolus panis, corpus eo loci figuraliter poſitum fuiſſe conſtat: Nonne etiam conſecratio calicis a Luca memorata, *hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, tota figuralis eſt? Calicem ſive vas plenum vino *teſtamentum* allegorice dici, extra controverſiam eſt; ſive enim calicem pro vino accipias, jam tropus habetur, quo continens pro re contenta uſurpatur, ſive ipſum Chriſti ſanguinem ſub calicis nomine venire velis, nec abeſt a locutione tropus, quum Chriſti ſanguis teſtamentum non ſit, ſed tantum teſtamenti pignus & obſignatio.

VII. Hæc tamen omnia certiſſima & receptiſſima Auguſtini regula faciliſſime refelluntur. Ait ille uno ſuorum operum loco, deſerendum non eſſe litteralem ſenſum, quando perſpicua eſt Scripturæ narratio, non poſſe abſque præſumptione ſuperba ſenſum noſtrum divinæ Scripturæ ſenſui addi, niſi quum ex divinis verbis litteraliter intellectis quidpiam abſurdi ſequitur vel fide, vel probis moribus, vel rectæ rationi repugnans, item in propriis divinorum librorum verbis rariſſime & difficillime ambiguitatem occurrere, quam non aut circumſtantia ipſa ſermonis, aut Interpretum collatio, aut præcedentis linguæ ſolvat inſpectio. In tutiſſimam hanc regulam intenti jure contendimus, nullum in iis Chriſti verbis tropum eſſe, eumque a Sacramentariis divinæ Scripturæ ſenſui ſenſum ſuum addere auſis perverſa præſumptione excogitari, quia perſpicua eſt Scripturæ narratio, quia propria & nativa verborum Chriſti ſignificatio in cujuſque mentem ſponte incurrit, quia ex iis naturaliter intellectis nihil abſurdi ſequitur, nihil quod fidei, bonis moribus, rectæque rationi adverſetur, denique quia nulla in iis eſt ambiguitas, quum, ſive ipſam verborum ſeriem, qualem nobis exhibet Vulgata noſtra, vel ut eam reddunt antiquæ omnes verſiones ſive ſermonis circumſtantias, ſive omnium Græcorum Latinorumque Interpretum collationem ſpectemus, ſolus germanus & litteralis ſenſus in iis clare adeo ſeſe offert, ut Zuinglius ipſe poſt fruſtra poſitam in iis pervertendis ſolido quinquennio operam Spiritus, quem neſcivit bonus ne an malus eſſet, revelatione opus habuerit ad naturalem eorum ſignificationem eliminandam. Hujus quoque regulæ ope hæc Chriſti Domini verba a tot iis Scripturæ locutionibus internoſcimus, quas ad erroris ſui confirmationem inepte conferunt Sacramentarii, & Chriſtum ex. g. *Agnum, Paſtorem, oſtium, viam, petram, leonem, panem &c.* nonniſi per allegoriam appellari concedimus, quia, ſi hæc proprie velimus accipere, in abſurdum incidimus, quod recta ratio non fert, quia in iis etiam Scripturæ locis, in quibus memoratæ Chriſti appellationes occurrunt, ex circumſtantia & contextu ſermonis omnis ambiguitas, & erroris occaſio tollitur, denique quia & unanimis Interpretum omnium collatio, & communis Chriſtianorum omnium intelligentia nos docent, ſubeſſe iis locutionibus allegoriam.

VIII. Hac autem præmiſſa regula haud operoſum erit ſingula Sacramentariorum objecta refellere; ac primo quidem conſtanter negamus, quod Sacramentarii omnes ut certum ſumunt, id habere Sacramentales locutiones, ut ſignum rei ſignatæ nomine denotetur. Quum Clariſſimus Auctor operis de perpetua Eccleſiæ fide &c. ſolide demonſtraſſet, inauditum eſſe, & ſapiente homine prorſus indignum, ut quiſpiam ſignum inſtituens, illud rei ſignificatæ nomine appellet, niſi prius hoc audientibus ſignificarit, dedecuiſſe idcirco ſummam Chriſti ſapientiam, in prima ſigni ſeu Sacramenti omnium excellentiſſimi & ſaluberrimi inſtitutione ita loqui, ut ſoli ſtupidi facerent, panem nempe atque vinum corporis & ſanguinis ſui appellatione donare, quum neque id habeat panis vinique natura, ut corpus & ſanguinem Chriſti ſignificet, nec ipſe Apoſtolus præmonuiſſet, ſe inſtituto tunc primum ſigno ipſum rei ſignificatæ nomen imponere, & fidenter Sacramentarios provocaſſet, ut vel unum exemplum adferrent, ſapientis cordatique hominis ſignum inſtituentis, illudque, non præmonitis Auditoribus, ipſo rei ſignificatæ nomine compellantis, nihil ejuſmodi proferre hactenus potuerunt, quum id a communi hominum ſenſu, & uſitato loquendi modo prorſus abhorreat; quod enim ex Geneſi ac Exodo petunt, non ſolum ad rem non facit, ſed Adverſariis infeſtum eſt; iiſdem enim in locis Scriptura aperte nos monet, metonymiam eſſe, atque ſigno rei ſignificatæ nomen

attri-

attribui; nam quum Gen. 17. dixiſſet Abrahæ Deus, *Hoc eſt pactum meum . . . circumcidetur in vobis &c.* e veſtigio addit, *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*, unde intelligimus, circumciſionem non ipſum fœdus, ſed exterius fœderis ſignum eſſe; Exodi quoque 12. in propoſitione illa, *eſt enim phaſe ſeu tranſitus Domini*, metonymiam latere, Deus ipſe mox declaravit ajens, *Erit autem ſanguis vobis in ſignum . . ., & videbo ſanguinem & tranſibo vos . . . Victima tranſitus Domini eſt*, quibus Deus Iſraelitas admonuit, agni paſchalis mactationem non ipſum phaſe, ſeu tranſitum Domini eſſe, ſed Domini tranſeuntis indicium; quare quum Chriſtus hoc Sacramentum inſtituens nec minimam ſigni ac figuræ mentionem injecerit, ſed verba uſurparit, quæ ſolam veritatis & rei ideam naturaliter ingerunt, niſi velint Sacramentarii, ipſum inſipienter, & captioſe locutum, inique contendunt, in Euchariſtiæ inſtitutione aptaſſe illum ſigno nomen rei ſignificatæ.

IX. Etſi non unus ſit hujus propoſitionis, *hoc eſt corpus meum*, quemadmodum animadvertit Clariſſimus Bellarminus, apud Catholicos Scriptores ſenſus, Cardinalis tamen Perronius in tract. de Euchariſtia, eximius Auctor operis de perpetua Eccleſiæ fide &c. aliique tam ſolide demonſtrarunt, in idem plane recidere ſenſus hos, etſi varios, ut mirum ſit, hodiernos Sacramentarios hanc opinionum colliſionem Catholicis adhuc exprobare, & in ea adverſus realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam veluti triumphare. Non Thomiſtæ ſolum, ſed plerique extra D. Thomæ Scholam Theologi eam expoſitionem probant, quam 3. p. q. 73. ar. 5. Angelicus Doctor iis verbis adhibuit, nimirum pronomine *hoc* ſubſtantiam deſignari abſque propriæ & individuæ naturæ determinatione, ſeu ut in ejuſdem articuli corpore fuſius explicat, ſubſtantiam in communi abſque qualitate & forma determinata, ut ſenſus ſit, hoc, quod ſub his ſpeciebus continetur, eſt corpus meum. Etſi autem plures Theologi pronomen *hoc* ad panem referant, nihil inde tamen præſidii ad Calviniſtarum errorem accedit; ampliandam enim eſſe docent orationem, eamque ſic explicant, hic panis, qui in hoc inſtanti panis eſt, in altero eſt corpus meum, quia Chriſti locutio, quum eſſet efficaciſſima, fecit, quod ſignificabat; ad orationes autem effectrices ſatis eſt, ſi in fine enuntiationis ſuum ſortiantur effectum. Altera hæc orationis Chriſti explicatio germana adeo & naturalis eſt, ut Zuinglius ipſe adverſus Lutherum conceptis verbis adfirmet, ſi ab hac propoſitione, hoc eſt corpus meum, omnis figura abigenda ſit, neceſſario ſequi, panem fieri corpus Jeſu Chriſti, & eſſe corpus ſubito, quod jam panis erat; quare quum ab hac propoſitione omnis figura certiſſime ſit removenda, & ſolus litteralis ejus ſenſus tenendus, quemadmodum jam demonſtratum eſt, oratio Chriſti, ipſo fatente Zuinglio, eſt ampliandâ, ideoque in ea exponenda diſcrepant ſolis verbis Theologi noſtri, non re atque ſenſu.

X. Gravius errant Sacramentarii verbum *eſt* idem valere ſentientes ac *ſignificat*. Etſi enim ſexcenties in Scripturis verbum *eſt* pro *ſignificat* uſurpetur, ſua tamen dialectica eos miſerrime fallit, dum inde inferunt idem de hac Chriſti enunciatione cenſendum. Si ita iis argumentari licet, quidni eis liceat pronuntiare, tropicas eſſe omnes Scripturæ propoſitiones, verbumque *eſt* ubique pro *ſignificat* intelligendum? Si præpoſtera hæc eorum conſecutio valeat, quidni ea quoque Evangelii, *Ego ſum veritas & vita*, *Hic eſt filius meus dilectus*, *Verbum caro factum eſt*, allegorice dicta, pronuntient? Quæ enim potior eſt ratio, cur Chriſtum vere dilectum Dei filium, ipſam veritatem & vitam eſſe, ac naturæ noſtræ vere iniviſſe conſortium credant, pernegent vero realem ejus in Euchariſtia præſentiam, etſi verbis æque nitidis & conceptis adſtructam? Sua ergo dialectica eos cogit, aut memoratas propoſitiones ad allegoriam omnes torquere, aut in iis litteralem propriumque ſenſum agnoſcere. Si memoratam Auguſtini regulam animo complexi eſſent, non eam confectati fuiſſent argumentandi rationem, quæ vel ipſis dialecticæ tyronibus riſum movet; in ea enim regula mente defixi facillime percepiſſent, myſticas & figurales eſſe tot eas enuntiationes, quas ex Geneſi, Exodo, Daniele, Evangelio, Pauli Epiſtolis, & Apocalypſi ſtulto labore collegerunt, quod ex iis proprie acceptis plura ſequantur abſurda cum fide, aut bonis moribus, aut ſana ratione pugnantia, Chri-

Chriſti autem Euchariſtiam inſtituentis verba abeſſe ab omni tropo, & naturalem propriumque ſenſum offerre, quod perſpicua ſit narratio, quod pro nativo atque obvio eorum ſenſu ſtent & ſermonis circumſtantia, & Interpretum collatio, & linguæ præcedentis ſeu originariæ inſpectio, quod nihil denique abſurdi habeant, ſi litteraliter accipiantur?

XI. Etſi Biblia ipſa Genevenſia Chriſti verba a Paulo memorata ita exhibeant, *hoc eſt corpus meum, quod pro nobis datur*, legere volumus, ut Pictetus, & Abadie legendum eſſe contendunt, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*. Quid ergo? Num Chriſti verba, *hoc eſt corpus meum* allegorica ſunt, quia id *frangitur* metaphoricum eſt? Si ex metaphora metaphoram inferre liceat, quum profiteamur e. g. in ſymbolo, Chriſtum ad cælos aſcendiſſe, & ad dexteram Patris ſedere, quoniam hæc ejus ſeſſio figuralis eſt, idem de ejus in cælos aſcenſu cenſendum erit, quum Marci 9. legamus, damnatorum ignem non extingui, & vermem eorum non mori, negandum erit, eos vero igne torqueri, quia vere & proprie a vermibus non roduntur, quum denique Leonis de tribu Juda victoriam, & Agni occiſionem Apocalypſis non ſemel memoret, Chriſtum oportebit, intelligamus nonniſi metaphorice victorem, & cæſum, quoniam metaphorice ſolum *Leo & Agnus* dicitur. Etſi ergo in verbo *frangitur*, tropum ineſſe daremus, conficere Sacramentarii, niſi perverſe, non poſſent, & in ea Chriſti oratione, hoc eſt corpus meum, metaphoram eſſe, præſertim quod ſi ea metaphorica ſit, inſipientem illam eſſe, & a communi cordatorum hominum loquendi more alienam pronuntiare cogimur, quippe quæ ſigno in prima ejus inſtitutione nomen rei ſignificatæ tribuerit, audientium animis ad intellectum hujuſmodi non præparatis. Cæterum neque in verbo *frangitur* figuram admittimus; de corpore enim Chriſti dicitur ratione exterioris ſymboli, quo occultatur, quodve in Euchariſtiæ celebratione frangitur. Ineptiſſima poſtremo eſt Abadie gloriatio, conſecratione ſcilicet calicis a Luca memorata Romanenſium errorem plene revictum eſſe. Quid enim ſi calix aut ſanguis novum fœdus non eſt, ſed novi fœderis conſignatio? Verumne Chriſti ſanguinem in Euchariſtia præſentem negare licet, quum & Lucas ſe ipſum explicet, & a Matthæo & Marco explicetur? Neque enim ille ſolum ait *teſtamentum*, ſed *teſtamentum in meo ſanguine*, Interprete ipſo Grotio ſignificans, idem eſſe *teſtamentum in ſanguine*, ac *ſanguinem teſtamenti*: Quod etiam ipſe in recto poſuit, a Matthæo & Marco poſitum eſt in obliquo, *novi* ſcilicet *teſtamenti*, ut quilibet intelligeret, ſanguinem Chriſti novi fœderis ſignaculum & notam eſſe.

XII. Addunt Pictetus & Abadie Primo: Verborum cœnæ litteralem ſenſum violentum, abſurdum, & contradictionis plenum eſſe, vacare vero omni violentia, contradictione, & abſurdo metaphoricum, quum & alia Sacramenta ſeu ſigna rei ſignificatæ nomine compellentur, ut Baptiſmus a Paulo *regeneratio & ſepultura*. Secundo: circumſtantias inſtitutionis coegiſſe Chriſtum figurate loqui; mox enim agnum legale comederat, qui *paſcha* tropice dicitur, & Euchariſtiæ inſtitutionis verba ad eorum normam exegit, quæ in legali cœna Paterfamilias fragmentum panis azymi tenens pronuntiabat: *Iſte eſt panis afflictionis, quem Patres noſtri in Ægypto comederunt: qui eſurit, veniat, & edat*. Tertio: Apoſtolos in verbis Chriſti figuram intellexiſſe, nec potuiſſe non intelligere; Perſpectum enim habebant, verbum *eſt* apud Hebræos paſſim pro *ſignificat* poni, conſueviſſe Chriſtum in parabolis loqui, neque, etſi tunc conderet teſtamentum, debuiſſe a figuris cavere, quæ & in Jacob & Moſis teſtamentis occurrunt. Chriſtum ipſum audiebant præcipientem, ut id in ſui memoriam facerent, memoria porro rei præſentiam excludit. Ut autem rem & veritatem in verbis Chriſti perciperent, neceſſe erat, ut ſenſuum teſtificationi, & naturali rationi nuntium remitterent, plura abſurda concoquerent, & diverſas de Philoſophia quæſtiones excitarent. Verborum etiam Chriſti literali ſenſu imbuti qui potuiſſent abſque horrore ſumere, quod eis in cibum & potum porrigebatur, & abſque exteriori ullo cultus argumento corpus & ſanguinem Chriſti ſuſcipere recumbentes?

XIII. Quum literalem verborum Chriſti ſenſum a recta ratione abhorrere pronuntient Sacramentarii, quod non alium eſſe puteut, quam hunc, nempe hic panis eſt corpus meum, revocanda huc ſunt, quæ paulo ſuperius diximus, dum varias pro-

propoſitionis hujus explicationes verſatemus; quum vero metaphoricum illum eſſe, non alio momento probent, quam eo, quod jam refutavimus, in Sacramentorum ſcilicet inſtitutione rei ſignificatæ nomen ſigno deferri, non eſt, cur jam dictis quidquam addamus. Exemplum porro Baptiſmi ſtulte ab eis profertur; Neque enim Paulus Baptiſmum inſtituit, neque illum ſimpliciter *regenerationem*, & *ſepulturam* dixit, ſed *lavacrum regenerationis*, quo ſcilicet exterius abluti ſpiritu vere renaſcimur, aitque, *nos Chriſto conſepeliri in Baptiſmo*. Quæ vero conferunt ad probandum, debuiſſe Chriſtum Euchariſtiam inſtituentem tropico ſermone uti, indigna ſunt, quæ ſerio refellantur; quæ enim veſania, quis furor, ut Chriſtus in novo condendo Paſchate figurate loqui debuiſſe dicatur, quia illud condidit, ſeu Euchariſtiam inſtituit poſt agni legalis eſum, qui allegorice paſcha dicitur? Ex tropone per rationem licet tropum inferre? Quid etiam abſurdius, quam verborum Chriſti germanam intelligentiam petere ex more Hebræorum in legalis cœnæ celebratione? Ex ipſa verborum ſerie, ex idea, quam nativa atque propria eorum ſignificatio animo imprimit, ex circumſtantiis ſermonis, quas jam expendimus, ducendus eſt, recta ratione duce, legitimus eorum ſenſus, non ex Rabbinorum commentis, & ex more, de quo Scriptura, & Veteres Hebræorum libri Evangelio coævi aut ſuppares altum ſilent.

XIV. Summam quoque Apoſtolis injuriam irrogant blaterantes, ſolum in Chriſti verbis metaphoricum ſenſum eos agnoviſſe, nec potuiſſe non agnoſcere; fingunt enim Apoſtolos ſui ſimiles, ideſt adeo a ratione deſertos, ut, quia verbum *eſt* ab Hebræis frequenter pro *ſignificat* uſurpabatur, idem & de hac Chriſti oratione cenſerent; & in ea quoque parabolam ſibi proponi crederent, quia Chriſtus parabolis aſſneverat. O lamentabilem hominum ſupinitatem! Non vacat, excutere Moſis & Jacob teſtamenta: unum hoc ad rem facit, neque in iis, neque in alio quopiam exemplum ſigni occurrere, cui tunc primum inſtituto rei ſignificatæ nomen attribuatur, non præparatis ad id percipiendum aliorum animis, quum divinare nemo poſſit, quidpiam a me ad aliud ſignificandum mente deſtinari: niſi interius hoc animi mei propoſitum manifeſtarim. Apoſtolus quoque nimium ſtupidos exhibent, qui idem animo complexi ſint, quod falſo reputant Sacramentarii, memoriam ſcilicet rei præſentiam excludere, quum certo certius ſit, neque veritati neque præſentiæ ſed ſoli oblivioni memoriam opponi; quum enim reminiſcentia eorum omnium ſit, quorum oblivioni capi poſſumus, quoties fit, ut rerum etſi præſentiſſimarum obliviſcamur, quod vel ad eas animum non advertamus, vel quod illæ ſenſus noſtros non percellant? Heu quoties Dei, *in quo vivimus, movemur, & ſumus*, Angelorum, qui nobis adſunt, noſque cuſtodiunt, chriſtianæ vitæ officiorum, etſi ſint illa veriſſima, & ſemper nos urgeant, animæ demum noſtræ, qua nihil nobis eſt intimius & præſentius, obliviſcimur! Memoria ergo præſentium æque ac abſentium, & præteritorum eſſe poteſt, & memoriale rem, cujus eſt, vere continere, præſertim ſi diverſa rei ratio, diverſæque circumſtantiæ ſpectentur. Ex iis itaque Chriſti verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, unum id inferre Apoſtoli poterant, relate ad Chriſtum ſcilicet, cujuspiam rei, quæ ſenſus non afficiebat, reminiſcendum, nimirum realis ejus præſentiæ, quæ ſolius fidei objectum eſt, ſub externis ſymbolis, quæ ſenſibus objiciuntur. Quum etiam Euchariſtia ad repræſentandam Domini paſſionem, ejuſque mortem annuntiandam fuerit inſtituta, intellexerunt Apoſtoli ſibi præceptum a Chriſto, ut diſtincta utriuſque ſpeciei conſecratione, quæ ſanguinis a corpore violenter ſeparati imago eſt, memoria paſſionis ejus jam præteritæ perpetuo in Eccleſia recoleretur.

XV. Denique ſi illud ſuiſſet Apoſtolis, quod Capharnaitis aut Calvinianis, ingenium, dicere ſane, ut Capharnaitæ, potuiſſent, *quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*, eaſque ex ſenſuum teſtificatione, & rationis abuſu difficultates expromere, quas objiciunt Sacramentarii: Verum quum eſſent ii Diſcipuli maxime dociles, de ſumma Magiſtri ſui potentia & veracitate certiſſimi, nativa & propria verborum ejus ſignificatione animo ſtatim arrepta, abfuerunt quam longiſſime ab eo figurali ſenſu, quem Zuinglius ipſe excogitare non potuit, etſi jam pridem realis præſentiæ hoſtis profeſſus eſſet, niſi poſt quinquennale in ejus indagatione poſitum ſtudium, quod nec il-

li

li ſatis fuiſſet, niſi ſpiritus albi vel nigri revelatio acceſſiſſet. Horruiſſent ſane Apoſtoli ſumere, quod eis edendum bibendumque proponebatur, ſi naturalem ipſam externamque carnis & ſanguinis ſpeciem prætuliſſet: verum quum ad hunc abigendum horrorem Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum panis vinique ſymbolis meditato occultaſſet, non erat, cur Apoſtoli a cæleſti illo cibo atque potu præ horrore abſtinerent. Quodſi Euchariſtiam ſumpſerunt recumbentes, quid inde? An Chriſtus externum corporis habitum edixerat, quo ſumenda illa eſſet? An Chriſtus Apoſtolis conſpicuus minus veneratione dignus erat, quam ſub Euchariſticis ſpeciebus latens? Si ergo cum Chriſto convivantes Apoſtoli diſcumbebant, etſi illum vere Deum & Dominum crederent, poterant & recumbentes Euchariſtiam ſumere, licet certiſſime eis perſuaſum eſſet, ſub externis iis ſymbolis Chriſtum ipſum vere adeſſe.

XVI. Reliqua breviter perſequamur, quæ Pictetus & Abadie e Scripturis deprompta adverſus hanc veritatem opponunt. Ut veteres Sacramentarii, quemadmodum adnotat D. Thomas, ita & Recentes errandi anſam arripiunt ex iis Chriſti Joan. 6. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam: verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt*, & ex notiſſima Auguſtini interpretatione, *ſpiritualiter intelligite, quæ locutus ſum, non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, neque bibituri ſanguinem illum, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent: Sacramentum, quod vobis commendavi, vivificabit vos ſpiritualiter intellectum, caro autem non prodeſt quidquam*: quaſi vero Chriſtus, Auguſtino interprete, ſolam commendarit Euchariſtiæ ſpiritualem manducationem per fidem, ſacramentalem autem veræ carnis & ſanguinis exploſerit. Caterum ſi integram orationis Evangelicæ feriem, & germanam Auguſtini ſententiam perpendiſſent, genuinum verborum Chriſti & Auguſtini intellectum faciliime adſecuti eſſent; *caro enim non prodeſt quidquam*, recte ait Chriſtus, *ſed quomodo illi*, Capharnaitæ ſcilicet, explicat Auguſtinus, *intellexerunt, qui carnem ejus ſic manducandam exiſtimarunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur; accedat ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum; nam ſi caro nihil prodeſt, Verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis*. Non carnaliter ergo Capharnaitarum inſtar, ſed ſpiritualiter intellectum hoc Sacramentum vivificabit nos; quum enim in eo vere ſit Chriſtus ſpiritualis ac vivificus animorum cibus, non oculis corporis, ſed ſoli ſpiritui fide pervius, niſi quis fide plenus & pura conſcientia ad illud accedat, procul dubio, ait idem Auguſtinus, *nec manducat ſpiritualiter Chriſti carnem, nec bibit ejus ſanguinem, licet viſibiliter & carnaliter Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti dentibus premat, ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit, quia indignus præſumit ad Chriſti accedere Sacramentum*: ſed de eadem hac difficultate fuſius infra.

XVII. Argutantibus iis, pauperes quidem, ipſo Chriſto adfirmante, ſemper futuros nobiſcum, non autem Chriſtum, aſcendiſſe illum in cælum, nec deſcenſurum, niſi extrema mundi die, abeuntem illum promiſiſſe Diſcipulis alium Paracletum, qui eos de abſentia ſua mærentes conſolaretur, monuiſſe Apoſtolos ne dicentibus, hic aut illic, in deſerto aut in penetralibus ſive in ciboriis eſſe Chriſtum, crederent, juſſiſſe Paulum, cogitationes noſtras affectioneſque in cælum tolli, *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*, breve quidem ſed plenum ſucci reſponſum D. Thomæ opponimus: *Hæc, & omnia ſimilia*, ait ille, *intelligenda ſunt de Chriſto, ſecundum quod videtur in propria ſpecie: inviſibiliter tamen ſub ſpeciebus hujus Sacramenti eſt, ubicumque perficicitur Sacramentum*; etſi enim non ita ille nobis adſit, ut eum corporis oculis cernere, iiſque pietatis officiis proſequi poſſimus, quæ illi propediem morituro Magdalena impendit, neque eum habeamus, ut Auguſtinus exponit, *ſecundum id, quod a Judæis prehenſus, quod confixus in ligno, quod de cruce depoſitus, quod linteis involutus, quod in ſepulcro conditus eſt*, vere tamen nobiſcum adeſt Euchariſticis ſpeciebus obtectus, eumque reipſa præſentem habemus, modo tamen inviſibili atque ſacramentali. Neque hæc inter ſe pugnant, ait Tridentina Synodus, *ut ille ſemper ad dexteram Patris in cælo aſſideat juxta modum exiſtendi naturalem, & nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen*

Deo

Deo eſſe, *cogitatione per fidem illuminata aſſequi poſſumus*, *& certiſſime credere debemus*. Neque etiam Spiritus ſancti miſſio realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam excludit; quum ſit enim hæc ſpiritualis & inviſibilis, Apoſtoli vero viſibili Chriſti præſentiæ & ſenſibilibus colloquiis aſſueti, corpoream ejus abſentiam graviter ferrent, ducendi erant a Spiritu ſancto, mentem & affectum a viſiblibus abſtrahere, atque ad inviſibilia & ſpiritualia transferre, ac beatiores fore, qui in eum crederent, quem non viderent, eumque in ſpiritu & veritate adorarent & ſumerent, vere quidem, inviſibiliter tamen præſentem.

XVIII. Quum autem fateantur Adverſarii ipſi, Matth. 24. de Euchariſtia verba non fieri, qua fronte ea Chriſti verba, *Si quis vobis dixerit*, *ecce hic eſt Chriſtus*, *aut illic &c. nolite credere*, adverſus Catholicam veritatem torquere audent? Nonne cuique legenti patet, moneri eo loci fideles, ut ſibi a Pſeudo-Prophetis caverent, qui ſe Chriſtum eſſe jactarent? Quum non ſit ergo his Pſeudo-Chriſtis auſcultandum, audiendus certe eſt Chriſtus, atque credendus, ibi vere eſſe, ubi ſe eſſe, aperte dixerit; quare quum ille Euchariſtiam inſtituens, corpus ſuum & ſanguinem ſub panis vinique ſymbolis eſſe, nitide pronuntiarit, paris impietatis eſt, nolle Chriſto auſcultare, ac Pſeudo-Chriſtos audire & conſectari. Quæ vero Picteti impudentia, ut *penetralibus*, quæ habet Vulgata noſtra, ipſe *ciboria* ſubſtituat? Quum Græca ipſa vox non *ciborium*, ſed penitiorem, magiſque intimum domus receſſum proprie ſignificet, & ipſa Genevenſia Biblia *cubiculum*, ſeu *penetrabilia* habeant, non *ciborium*, nonne evidens deſperatæ cauſæ argumentum eſt, ad fulciendum utcumque errorem ſuum ipſa Scripturarum verba pervertere? Quid vero ſi Paulus jubet, quærere nos & ſapere, *quæ ſurſum ſunt*, *ubi Chriſtus eſt &c.*? Credimus quidem cum Paulo, Chriſtum in dextera Dei ſedere, nec tamen de reali ejus in Euchariſtia præſentia dubitare poſſumus, quia Paulum ipſum audimus, eum, qui manducat & bibit indigne, reum pronuntiantem non figuræ, ſed ipſius *corporis & ſanguinis Domini*. Dum autem Chriſtum vel in cælis Patri aſſidentem, vel in Euchariſtia præſentem credimus, diligimus, colimus, quod Paulus jubet, implemus, quia unum idemque eſt fidei, amoris, cultuſque noſtri objectum, unus videlicet Chriſtus in cælis & in Euchariſtia exiſtens, licet diverſo modo.

XIX. Quæ denique miſerorum hominum cæcitas, ut ex X. Ep. 1. ad Cor. capite errori ſuo patrocinium arceſſant, in quo illum aperte confodit Paulus ajens, *Calix benedictionis*, *cui benedicimus*, *nonne communicatio ſanguinis Domini eſt*, *& panis*, *quem frangimus*, *nonne participatio corporis Domini eſt*, quibus in verbis abſque ulla figuræ mentione ſola *eſt corporis ſanguiniſque Domini*, ut Chryſoſtomus & Theophilactus exponunt, *unio quædam præſtantiſſima*? Ait quidem ibidem Paulus, Iſraelitas omnes eandem *ſpiritalem eſcam* manducaviſſe, bibiſſe omnes eundem *ſpiritalem potum* de *ſpiritali conſequente eos Petra*, quæ Chriſtus erat; inferre tamen, ut Sacramentarii faciunt, his ſignificatum a Paulo, Euchariſtiam nudam figuram eſſe, noſque ſola fide, ut & priſcos Hebræos, Chriſto ſpiritualiter veſci, hominum eſt non ſolum in meridiana Scripturarum luce cæcutientium, ſed eas etiam ad majorem ſui perniciem miſere detorquentium. Non alio quam oculis opus eſt, ut Pauli ſcopum, & genuinam ejus mentem quiſque percipiat. Præmittit Apoſtolus, Iſraelitas omnes mare ſiccis pedibus tranſmeaſſe, omnes in nube, & in mari baptizatos fuiſſe, omnes ſpiritalem eandem eſcam, manna ſcilicet, comediſſe, omnes eundem ſpiritalem potum, a quam nempe de petra, quæ Chriſti figura erat, elicitam bibiſſe, nec tamen in pluribus eorum beneplacitum fuiſſe Deo, nam plurimi *proſtrati ſunt in deſerto*. Mox converſo ad Corinthios ac fideles omnes ſermone, ait, ea omnia antiquis Patribus *contigiſſe in figura*, *ſcripta* autem *eſſe ad correptionem noſtram*, *ne ſimus concupiſcentes malorum*, *idololatræ*, *tentantes Deum*, *murmuratores*, *ſicut plures ex illis*, *qui perierunt*. Quid hæc ad Euchariſtiam? Ait quidem Paulus, Hebræos omnes eodem ſpiritali cibo paſtos: eodemne vero, quo nos? eodem ſpiritali potu refectos: num illo ipſo, quo nos? Sed vereor, ne ipſi inepti ſimus, qui adeo inepta fuſe refellimus.

PRO-

PROPOSITIO II.

Eadem veritas omnium Patrum auctoritate firmatur.

I. Claudius Miniſter Charentonenſis eo audaciæ proceſſit, ut ſcripſerit, octo prioribus Eccleſiæ ſæculis, quæ vocat ipſe *ſerenos dies*, *dies benedictionis*, *& pacis*, Sacramentariorum opinionem, nitide adeo, explicate, & preſſe fuiſſe ubique traditam, ut difficultates omnes diſpelleret, quæ ex his propoſitionibus, *Panis eſt corpus Chriſti*, *panis in Chriſti corpus convertitur*, & ſimilibus oriri poſſent; Quum enim „ Patribus, pergit ille, maxime cor- „ di eſſet, doctrinam Eccleſiæ perſpicue „ exponere, & adverſus errorem populo- „ rum animos communire, toto illo felici „ tempore Pontificiorum error auſus non „ eſt erumpere. “ Si ergo Claudium audimus, Patres omnes a Sacramentariis ſtant: Verum, præterquam quod mendacii illum revincunt Sacramentariorum plerique, iique doctiſſimi, Zuinglius, Levatherus in vita Æcolompadii, Joſephus Scaliger, Socinus, Marnixius, Erneſtus Grabe, aliique, quorum una vox eſt, in antiquorum Doctorum lectione crebro occurrere *corpus Domini*, *ſanguinem Domini*, *Patres omnes crediddiſſe panem in verum Chriſti corpus converti*, *etſi eorum auctoritati ſit ſtandum*, *Sacramentariis cauſa cadendum eſſe*, cur, etſi a Catholicis ſæpe provocatus, ne unam quidem proferre potuit tot illarum perſpicuarum adeo explicationum, quæ diſpellendis tenebris ſatis ſuperque ſunt? Si Patres omnes ſolam in Euchariſtia figuram Chriſti credebant, quandoque ſaltem loqui debuerant, ut Calviniani, ac populos monere, Neophitos imprimis, etſi Chriſtus Euchariſtiam corpus & ſanguinem ſuum dixerit, ejus tamen verba, non prout ſonant, ſed myſtice ſolum, ac figuraliter intelligenda. Quum Chriſti verba, *hoc eſt corpus meum*, realis præſentiæ ideam animis naturaliter ingerant, nonne neceſſe erat, ut Eccleſiæ Doctores luculenta figuralis ſenſus explicatione ideam hanc ab audientium animis removerent? Quidpiamne vero ejuſmodi Patres? „ Mirum ſane eſt, ait recte Lu- „ therus, Patrum, quorum infinitus eſt „ numerus, neminem unum de Euchari- „ ſtia loquentem vel leviter innuiſſe um- „ quam, in Euchariſtia nonniſi panem „ & vinum eſſe, nec in ea corpus, & „ ſanguinem Chriſti contineri. Certe cre- „ dibile non eſt, imo nec fieri potuit, ut „ toties de Euchariſtia loquentibus hæ ant „ ſimiles locutiones nunquam exciderint, ſi „ idem, ac Sacramentarii, ſentiebant. “

II. Eos contra in laudatis Chriſti verbis naturalem atque obvium ſenſum conſtanter agnoviſſe, atque ad realem ejus in Euchariſtia præſentiam fidelibus perſuadendam verbis omnium clariſſimis & apertiſſimis uſos, in eorum ſcriptis adeo teſtatum eſt, ut qui id negent, ſolem quoqe meridie lucere, negare eis liceat. Quoniam immenſæ futurum eſſet operæ, vel potiora Patrum teſtimonia congerere, ex præſtantiſſimo, & Sacramentariis permoleſto opere *de perpetua Eccleſiæ fide &c.* paucula, ſed validiſſima ſeligemus. Primo Albertinus, & Claudius fatentur, „ intelli- „ genti, Dominum verbis iis, *hoc eſt cor-* „ *pus meum*, panem corpus ſuum vocare, „ quia eſt Sacramentalis imago corporis, „ nullam jam eſſe repugnantiam apparen- „ rem, nullam difficultatem ex ſenſibus, „ aut ratione ortam: “ Quantam porro difficultatem, atque apparentem repugnantiam in re verbis iis ſignificata Patres deprehenderunt? Cyrillus Hieroſolymitanus, Hilarius Pictavienſis, Ambroſius, Gregorius Niſſenus, Ephrem Syrus, Iſidorus Peluſiota, Gaudentius Brixienſis, aliique ad amovendam a fidelium animis difficultatem hanc, diſerte ſcribunt, etſi *viſus*, *guſtus*, *tactus*, *panem & vinum referant poſt conſecrationem*, *etſi ſpeciem corporis & ſanguinis non videamus*, *nullum tamen eſſe ambigendi locum*, *quia declaratio Domini & fides noſtra nos docent*, *quod in ſacra menſa ſumimus*, *vere carnem*, *& vere ſanguinem Chriſti eſſe*, *removendam omnem infidelitatis dubitationem*, *quia*, *qui eſt hujus doni Auctor*, *idem eſt & hujus veritatis teſtis*, *ipſa nempe veritas*, *quæ mentiri non poteſt*, *firmiter denique id credendum*, *quia qui ſola ſua potentia aquam convertit in vinum*, *dignus eſt*, *qui credatur*, *vinum in ſanguinem ſuum tranſmutare*, *& qui ea*, *quæ non erant*, *ex nihilo creare potuit*, *ea quæ ſunt*, *mutare poteſt in ea*, *quæ non ſunt*: eſſent porro locutiones illæ ridiculæ, & ſenſui communi contrariæ, ſi non aliud in Euchariſtia adſtruebant Patres, quam Chriſti figuram; ſola enim Dominici corporis & ſanguinis veritas in hoc Sacramento eas difficultates in-

ingerere poteſt; hanc ergo & animo complexi ſunt, & ſcripto vulgarunt Patres, niſi velimus eos fuiſſe ſtupidos, & communis ſenſus expertes.

III. Tertio: Animadverſum jam nobis eſt, nonniſi ſtultum poſſe in verbis iſtis, *hoc eſt verum, proprium, & ipſummet meum corpus* figuram comminiſci, & veritatem explodere: quoties autem Patres conceptis verbis adfirmant, Euchariſtiam vere & proprie eſſe ipſummet Domini corpus? Quid iis luculentius, quæ Irenæus, Hilarius, Juvencus Poeta, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Iſidorus Peluſiota, Gaudentius Brixienſis, Concilium Nicænum ſecundum &c. frequenter habent, declaraſſe ſcilicet Dominum, *calicem, qui creatura eſt, & panem, qui eſt ex numero creaturarum, proprium ſuum corpus, & ſanguinem eſſe, docuiſſe illum Apoſtolos, iis a ſe tradi proprium corpus ſuum, naturæ Creatorem ex pane proprium ſuum corpus efficere, quia id poteſt, ac promiſit, Euchariſtiæ panem a Spiritu Sancto fieri proprium corpus, quod Verbum caro factum aſſumpſit, Chriſtum proprio nos cruore paſcere, ſeque propria carne ſua noſtris corporibus inſinuare, vere nos Verbum carnem cibo Dominico ſumere, Euchariſtiam veram eſſe Chriſti carnem, ſicut ille verus eſt Dei filius natura, non gratia*, myſterium denique hoc *panem & vinum apparere, ſed ſecundum veritatem corpus, & ſanguinem Domini eſſe*? Fingi ne poteſt, hæc potuiſſe ab hominibus ſcribi, qui ſolius figuræ loco Euchariſtiam haberent? 3. Si nonniſi figuralem ſenſum mente volvebant Patres, quantum a communi hominum ſenſu rectaque ratione aberraſſent! Solo figuræ ſenſu retento abſurdum eſt ſcribere, Chriſtum *in corporibus noſtris ipſa ſua carne præſentem eſſe, quæ a nobis modo quodam editur, quo Deitatem ejus edere non poſſumus, ſpiritu & corpore Chriſto nos per Euchariſtiam uniri, Chriſtum ſolum Paſtorem eſſe, qui oves ſuas ipſis ſuis membris paſcit, eum, qui in excelſis Patri aſſidet, in templis vivifici, & incruenti ſacrificii tempore vere in altari præſentem eſſe, & quibuſdam momentis habitare, quodque in cœlis pretioſiſſimum eſt, idem nobis in terra proponi videndum, attrectandum, atque ſumendum, Magos Domini corpus in cunabulis tantum adoraſſe, nobis autem permitti, ut illud idem ſumamus, occultaſſe denique Chriſtum corpus & ſanguinem ſuum panis vinique ſymbolis, ne ullus eſſet horror cruoris & carnis, eumdemque quum ait, Hoc eſt corpus meum, ſe ipſum manibus ſuis portaſſe, quia ſuummet corpus in manu habebat:* Hæc autem omnia, quum in Patrum ſcriptis occurrere, rectæque rationi adverſari, ſi Euchariſtia ſola ſit figura, non veritas, nemo non videat, iniquum eſt, non unum aut alterum, ſed innumeros Eccleſiæ Doctores, homines alioqui doctiſſimos tantæ ſupinitatis accuſare, ut communem ipſum hominum ſenſum exuerint, quod de iis neceſſario pronuntiandum eſt, ſi in ea fuerunt opinione, quæ eis adſcribitur.

IV. Quoniam vero Pictetus cum Sacramentariorum pleriſque fateri videtur, Patres realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam adſtruxiſſe, eorum tamen auctoritate non permovetur, quia *fides noſtra*, ait, *ex Patrum ſententia non pendet, mihique ſatis eſt Dei Verbum*, breviter demonſtrandum eſt, tam inique nolle illum Patribus auſcultare, quam falſo jactitat, Verbum Dei errori ſuo ſuffragari. Primo. Non poteſt abſque ſcelere parvipendi Patrum auctoritas, niſi certo conſtet, eos ſcripto Dei verbo adverſari: hactenus univerſus Sacramentariorum grex ne probabili quidem argumento ſuadere potuit, Patres realis præſentiæ adſertores cum Dei verbo pugnare, quia nihil hactenus vel probabile adferre potuit, quo ſuaderet ſaltem, verborum inſtitutionis, quibus tota Patrum doctrina innititur, non alium ſenſum eſſe, quam figuralem: ſummæ ergo temeritatis eſt, ab univerſorum Patrum nondum convictorum erroris ſententia recedere. Secundo: Si Patribus univerſis in litterali verborum Chriſti ſenſu hærentibus auſcultandum non eſt, audiendus ergo Zvinglius figuralis ſenſus inventor; quum autem ille ſenſus hujus inventionem Spiritui revelanti acceptam referat, ſcribat tamen, neſcire ſe, albuſne, an niger fuerit, Pictetus eligat, atque figat, qualis ille fuerit: ſi niger idest malus, intelligit ille, quid a Patre mendacii, quem Chriſtus ait, *mendacem eſſe ab initio, & in veritate non ſtetiſſe*, potuerit proficiſci: ſi albus ſeu bonus, felicior ergo Zvinglius, etſi non alio magis quam impietate notus, univerſis Patribus, quibus etſi a Spiritu Sancto Eccleſiæ regimini & fidelium inſtructioni præpoſitis, vitæ ſanctimonia, & doctrinæ laude ſpectatiſſimis, arcani hujus ad ſalutem cæteroqui perneceſſarii cognitio ſubtracta fuit, quod

eſſet Zninglio reſervata. 3. Componant Pictetius capitalem hunc Patrum errorem cum ſplendidis iis Chriſti promiſſis de mittendo veritatis Spiritu, qui cum Apoſtolis, eorumqne in Eccleſiæ regimine Succeſſoribus in æternum maneret, inferorum portis nunquam adverſus Eccleſiam prævalituris, item cum iis, quæ nniverſa Novatorum Schola de illibata primitivæ Eccleſiæ fide tradit, eritque nobis Magnus Apollo.

V. Ut autem innumera, quæ ex Patribus Sacramentarii corradunt, facilius diluamus, nonnulla præmittere operæ pretium eſt, quibus opportune adhibitis pleraque objecta ſolvuntur. Primo, quum Patres realem Chriſti præſentiam, & realem corporis ejus manducationem diſertiſſime adſtruxerint, ſi quidquam interdum huic veritati oppoſitum videntur offerre, niſi velimus eos ſui oblitos eſſe, ſecumque pugnare, non niſi ad modum, quo Chriſtus in Euchariſtia adeſt, quoque a nobis ſumitur, verba eorum referenda ſunt; Etſi enim Chriſtus vere adſit, atque ore a fidelibus vere ſumatur, ſicut Patres ipſi perpetuo confeſſi ſunt, non adeſt tamen, nec ſumitur naturali, atque carnali modo, ſed modo prorſus mirabili, atque ab omni naturæ lege ſoluto. Nonne Chriſtus ipſe hunc loquendi modum uſurpaſſe legitur Lucæ 44. poſt reſurrectionem ſuam ita Apoſtolos adloquens, *hæc ſunt verba, quæ locutus ſum vobis, quum adhuc eſſem vobiſcum?* Annon Chriſtus, dum hæc loqueretur, vere aderat, & cum Apoſtolis erat? Sicut ergo hæc Chriſti oratio non realem Chriſti præſentiam excludit, ſed unum id ſignificat, Chriſtum nempe redivivum etſi Apoſtolis vere præſentem, cum iis tamen non amplius eſſe in eo infirmitatis & mortualitatis ſtatu, in quo ante paſſionem ſuam cum iis converſabatur, ita, quæ apud Patres occurrunt, locutiones, Chriſtum e. g. ſecundum carnem a terra abeſſe, corporalem ſuam præſentiam nobis ſubtraxiſſe, in terris non permanſiſſe &c. homines præſertim impios, carnem Chriſti non edere, nec ſanguinem ejus bibere, non realem ejus præſentiam, quam explicatiſſime tradunt, ſed naturalem tantum ac viſibilem hujus præſentiæ modum explodunt, neque oralem Dominici corporis manducationem, quam rotundis verbis frequenter commendant, ſed craſſum illum cruentumque a Capharnaitis excogitatum manducationis modum, denotantque, impios corpus & ſanguinem Domini abſque fructu percipere, quia ore ſolo, non etiam ſpiritu, Chriſto uniuntur.

VI. 2. Quum Scriptura ſacra litteraliter aut myſtice exponi poſſit, etſi ea Chriſti verba, *qui manducat meam carnem &c.*, de doctrina ejus fide percepta, vel de ſpirituali carnis ejus manducatione Patres quandoque interpretentur, credendi tamen non ſunt, ea interpretatione realem præſentiam, aut oralem eſum expungere, quum allegoricam interpretationem litterali plerumque ſubiiciant, & in eodem orationis contextu utramque conjungant, ut Origenes, dum ait, *dicimur ſanguinem Chriſti bibere, & per Sacramentorum ritum, & quum doctrinam ejus excipimus*, ſicut & Auguſtinus, dum ſcribit, *ſumimus ore, & corde fideli Chriſtum Jeſum Dei & hominum Mediatorem, qui nobis dat carnem ſuam in cibum, & ſanguinem ſuum in potum*. Non alio ergo ſpectarunt Patres, quam ut ſtultam illam & craſſam, quam Capharnaitæ animo conceperant, carnis in fruſta conciſæ & dentibus laniandæ ideam, & carnales cæcæ rationis dubitationes abigerent, atque germana manducationis, realis quidem & veræ, ſpiritualis tamen ſimul & myſticæ idea animos fidelium imbuerent. Ea ſane realis eſt, quia abſque ænigmate, & parabola, ait Chryſoſtomus, qua fit, ut corpus Chriſti vere in nobis ſit, ſpiritualis tamen eo ſenſu, quo Paulus ait, *ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale*, quove Hilarius conceptionem Chriſti *ſpiritualem* appellat; Eſt enim *divinæ omnipotentiæ opus mirabile*, cujus objectum eſt inviſibile, quum corpus Chriſti, quod editur, ſenſus non afficiat. Realis eſt, quia *carnem Chriſti ſecundum veritatem ſumimus*, inquit Chryſoſtomus, *tanquam nobis neceſſariam ad ſanctam animarum vitam, & glorioſam corporum reſurrectionem*, myſtica tamen eſt, ſeu ſecreta, *a ſenſibus & ratione remota*, quo nomine unionem duarum naturarum in Chriſto etſi veriſſimam & ſubſtantialem Cyrillus Alexandrinus *myſticam* vocat.

VII. 3. Etſi Euchariſtia verbis Domini conſecrata panis reipſa non ſit, recte tamen ut in Scripturis, ita a Patribus *panis* non una de cauſa vocari potuit, quin appellatio hæc Catholicæ veritati quidquam incommodet: 1. ratione materiæ, quæ in corpus Domini converſa eſt, ſicut Exodi 7. etſi virga Moſis in colubrum, & a-

qua

Digitized by Google

qua fluminis in ſanguinem tranſmutatæ jam fuiſſent, Scriptura tamen colubro & ſanguini priora earum rerum nomina tribuit, quæ in colubrum & ſanguinem converſæ fuerant: 2., ratione externæ formæ, Eucharistia enim panis accidentia retinet, eodemque modo ſenſus immutat, ac ſi panis eſſet. Ut ergo Angelos, qui in adſumpto corpore hominibus ſe præbuere ſpectabiles, modo Angelos, modo homines Scriptura vocat, quod & Angeli vere eſſent, & humanam effigiem exhiberent, ita Euchariſtia, & *corpus Domini*, & *panis* rectiſſime a Patribus dicitur, quod ſpectata rei contentæ veritate, quæ fidei objectum eſt, corpus Domini proprie ſit, externam tamen panis formam retineat, ac ſenſibus offerat: 3. ob effectus analogiam, quatenus Euchariſtia ſpiritualiter hominem nutrit, confirmat, recreatque panis inſtar, qui præcipuum eſt corporalis vitæ alimentum. Eodem ſenſu calicem conſecratum & *genimen vitis* in Evangelio, & *vinum* a Patribus appellatum eſſe intelligimus, vel ob effectus ſimilitudinem, quatenus Dominici calicis proprium eſt, ſpiritualis gaudii dulcedine animam inebriare, ut vini eſt, cor hominis lætificare, vel propter exteriorem vini formam, quam retinet, & immittit in ſenſus, vel Scripturarum more, quæ res etſi in aliam ſubſtantiam jam converſas priori nomine appellant. Non aliud ſibi voluiſſe Patres, tribus animadverſionibus invicte conficitur: 1. quia Euchariſtia ab iiſdem iis Patribus panis & vinum dicitur, qui luculentiſſime docent, poſt conſecrationem, etſi panis & vinum appareant, credendum tamen firmiter eſſe, nec dubitandum, quin corpus & ſanguis Domini vere ſint: ita præ cæteris Cyrillus Hieroſolymitanus, Ambroſius, & Chryſoſtomus: 2. quia iiſdem iis in locis, in quibus hæc panis vinique appellatio Euchariſtiæ a Patribus tributa legitur, tranſubſtantiationis dogma ab iis perſpicue traditur, ut præter mox laudatos, ab Origene & Gaudentio Brixienſi: 3. quia eadem hac panis vinique appellatione Euchariſtiam donaſſe legimus Eccleſiaſticos Scriptores Latinos & Græcos, Berengario coævos aut poſteriores, quos veritatem Dominici corporis acerrime tutatos eſſe, Sacramentarii ipſi fatentur.

VIII. Quarto: Quum Patrum nemo unquam docuiſſe legatur, Euchariſtiam non aliud eſſe, quam ſymbolum, figuram & Sacramentum Dominici corporis, quorſum Claudius Miniſter præcipuum erroris ſui fundamentum in tot iis, Patrum locutionibus collocavit, quibus Euchariſtiam *ſignum*, *ſymbolum*, *typum*, *figuram*, *memoriale*, *imaginem*, *ſimilitudinem*, *pignus*, *expreſſionem*, *materiale velum*, *ænigma Dominici corporis & ſanguinis* vocant? Non eſt ex his vocibus de Patrum fide judicandum, ſed potius ex eorum fide de legitimo harum dictionum ſenſu ferendum judicium. Si probaſſet ille, a realis præſentiæ fide Patres abhorruiſſe, jure potuiſſet has Patrum voces ad Calvinianorum ſenſum inflectere: cœterum quum Sacramentariorum nemo id probare, nec tot illa momenta, quibus Catholici rectam Patrum fidem evincunt, labefactare potuerit, a ſinceritate & recto ſenſu alienum eſt, jactitare non crediaiſſe Patres in Euchariſtia Dominici corporis veritatem, quod eam ſæpe *figuræ*, *ſigni*, aliiſque hujus generis nominibus ſignificarint. Nonne etenim Eccleſiaſticos quoſque Scriptores Latinos & Græcos ab annis amplius mille iiſdem his vocibus uſos legimus, quos tamen pro dogmate iſto conſtanter ſtetiſſe, apud Sacramentarios omnes in confeſſo eſt? Quum itaque exploratum ſit, hos ſigni ac figuræ nomine non quidpiam inane atque vacuum a veritate disjunctum denotaſſe, ſed ſignum ac ſymbolum rei præſentis, figuram ac imaginem plenam re ipſa, quam repræſentat, cur non idem ſibi voluiſſe Patres dicamus, quum eadem certiſſime fuerit veterum Patrum, ac poſteriorum Scriptorum fides, quum hi eaſdem loquendi formulas a Patribus mutuati ſint, quum & Patrum præcipui eundem hunc ſenſum verbis ſuis ſubeſſe declarent, quemadmodum prolatis eorum teſtimoniis Clariſſimus Arnaldus fuſe demonſtrat? Ut autem pateat, quo ſenſu Euchariſtiam, in qua Chriſtum vere præſentem eſſe Patres omnes teſtati ſunt, figuram, ſymbolum &c. appellare potuerint, revocanda huc ſunt, quæ propoſ. 2. quæſtionis ſuperioris, dum antitypi vocem explicaremus, ex Arcudio deprompſimus.

IX. Quamquam hactenus dicta diluendis pleriſque Novatorum objectis ſufficiant, nonnulla tamen ſpeciatim diſſolvemus, non quod plus habeant difficultatis, ſed quod ab iis ferocius urgeantur. Non moramur, quod ex Tertulliano, & Hieronymo obiiciunt,

ciunt, quorum prior de Chriſto loquens ait, *ipſum ſuum corpus repræſentat*, alter vero, *Ipſe veritatem ſui corporis repræſentavit*; quotquot enim latine ſciunt, norunt profecto, etſi non una ſit verbi hujus acceptio, apud optimos tamen Latinæ linguæ Magiſtros *repræſentare* paſſim idem eſſe ac præſens quidpiam exhibere, ad id quoque ſignificandum a Tertulliano & Hieronymo uſurpari, integer verborum utriuſque contextus ſatis oſtendit, quemadmodum Cardinales Perronius & Bellarminus, & Arnaldus utriuſque Scriptoris verbis evincunt. Illud potius, in quo mirifice geſtiunt Sacramentarii, explicandum arripimus, quod idem Tertullianus habet lib. 4. contra Marcionem c. 40. *Acceptum panem & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum fecit dicendo, hoc eſt corpus meum, ideſt figura corporis mei*. Quiſquis novit, Tertullianum catholicum dogma perſpicue tradidiſſe in lib. de reſurrectione carnis ajentem, *Caro corpore & ſanguine Domini veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur*, in lib. de idololatria pejores Judæis pronuntiantem eos, qui impuris manibus corpus Chriſti contrectant; *illi enim non niſi ſemel in Chriſtum manus injecerunt, hi autem quotidie ſanctum corpus violant*, in lib. denique de oratione ſcribentem, *corpus Chriſti in panem cenſeri ſeu credi, noſque id profiteri, dum ſuper ſanctum dicimus, Amen*, fateri cogitur, non de figura vacua, quæ rei veritatem excludat, loqui illnm, ſed de figura plena, qnæ rem ipſam figuratam præſentem ſiſtit, aut idem corpus ſub Euchariſticis ſymbolis inviſibile, & impaſſibile fignram dicere ejuſdem corporis viſibilis, paſſioni obnoxii, & in ara crucis oblati.

X. His addi poteſt cum Cardinali Perronio, & Arnaldo, ſi Tertulliani ſcopus ſpectetur, hanc veram eſſe recitatæ ſententiæ ſyntaxin: *Deus acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum fecit dicendo, hoc ideſt figura corporis mei eſt corpus meum*; ibi enim adverſus Marcionem agit duo ſtatuentem ſumma principia, duoſque Deos, malum alterum veteris Teſtamenti auctorem, alterum bonum novæ legis latorem & Jeſu Chriſti Patrem. Ad profligandum teterrimum errorem hunc plurima confert Tertullianus, hocque præſertim urget, Chriſtum videlicet, quem Marcion blaterabat, a Patre miſſum, ut Dei mali opera deſtrueret, & vetus Teſtamentum damnaret, legales figuras ſæpe & declaraſſe & impleviſſe, quod non damnantis, ſed approbantis eſt, exemplumque ducit ab Euchariſtiæ inſtitutione; quum enim panis in veteri Teſtamento corporis Chriſti figura eſſet, juxta illud Jeremiæ XI. *mittamus lignum in panem ejus*, id eſt Chriſtum neci demus, eandem hanc ſubſtantiam, quæ corpus ſuum præfigurabat, Chriſtus elegit, eamque corpus ſuum fecit, numquam ſane id præſtiturus, ſi panis Dei mali opus eſſet, & vetus Teſtamentum Diabolum referret auctorem. Si ergo velimus propoſitum Tertulliani tenere, agnoſcenda eſt in verbis ejus hyperbaton ſeu tranſpoſitio, quam ille familiarem habet, & verba ejus ſic exponenda: *Accepit Jeſus panem, ideſt figuram corporis ſui, eumque corpus ſuum fecit dicendo* &c. Alioqui quam ineptus ille fuiſſet, quantum aberraſſet a ſcopo! Hancne veteris inſtrumenti figuram ſcite probaſſet ille impletam a Chriſto, Deum ajens panem corporis ſui figuram conſecratione feciſſe, quem jam in veteri lege corporis Chriſti figuram geſſiſſe ſupponit? Ne ergo hominem acutiſſimum ſtupiditatis damnemus, qui immaniter a propoſito deviarit, memorata verborum ejus expoſitio cenſenda eſt, menti ejus & inſtituto apprime congruere, quum non aliter intelligi poſſit, impleviſſe Chriſtum figuram a Jeremia notatam, quam ſi panem vere corpus ſuum effecerit.

XI. A Tertulliano tranſilimus ad Auguſtinum, quem præcipue ſuum eſſe Sacramentarii gloriantur. Illud primo Claudius exaggerat, quod ait Auguſtinus ſerm. 15. in Jo.: *ut quid paras dentes & ventrem? crede, & manducaſti*; inſcite tamen & pueriliter, quum Auguſtinum eo loci non Chriſtianos adloqui ad Euchariſtiam accedentes, ſed Judæos, quos Joannes adnotat, corporalis alimoniæ gratia Chriſtum ſectatos eſſe, tam ſit explotatum, ut Albertinus ipſe hæc Auguſtini verba adverſus realem Corporis Chriſti in Euchariſtia manducationem a Gregalibus ſuis perperam torqueri, confeſſus ſit. Neque minus futiliter idem Claudius, aliique paſſim ea opponunt, quæ Auguſtinus habet in lib. contra Adimantum Manichæum, *non dubitavit*, ajens, *dicere*, *hoc eſt corpus meum*, *quum ſignum daret corporis ſui*, & enarratione in Pſalmum tertium Euchariſtiam *convivium* vocans, *in quo*

quo Dominus Diſcipulis corporis & ſanguinis ſui figuram commendavit, & tradidit; quum enim recta ratio nos doceat, non ex ambiguis vocibus fidem Patrum, ſed ex eorum fide perſpicuis verbis expreſſa dictiones eorum flexiloquas dijudicandas, ac exponendas, Auguſtinum autem centies, & diſertiſſime dogma Catholicum tradidiſſe, certum adeo ſit, ut plura ejus teſtimonia in hanc rem a Polemicis tractatoribus collata nulla hactenus tergiverſatione potuerint ab Adverſariis eludi, ex certiſſima Auguſtini fide de *ſigni* & *figuræ* nominibus, quæ ille Euchariſtiæ tribuit, rectiſſime judicamus, ac reſpondemus, ſigni & figuræ nomine non deſignaſſe illum quidpiam vacuum & rei ſignificatæ veritate carens, ſed rei præſentis ſignum, & figuram veritate plenam, & cum veritate conjunctam: ideo autem illum, ut & alios Patres, his nominibus uſum, quod corpus Chriſti, etſi vere præſens, nobis tamen in Euchariſtia non nude & aperte, ſed ſub exteriori panis vinique velamine exhibeatur. Ejuſmodi ſignorum ac figurarum exempla nobis ſuppetunt in Scripturis: Nonne columba, quæ ſuper Chriſtum baptizatum deſcendit, linguæ igneæ Apoſtolis die Pentecoſtes conſpicuæ Spiritus Sancti præſentis ſigna erant, & exterior humana forma, quam Angeli ſæpe hominum oculis objeciſſe leguntur, eorum vere præſentium figura? Sed & Auguſtinus in eodem contra Adimantum libro ſigni rei præſentis, & figuræ plenæ veritate exemplum nobis ſuppeditat ajens, in Deuteronomio *beſtiarum animam in ſanguine poſitam dici*, *quum tamen ſanguis ſit ſignum animæ*, quod certe ſignum non inane eſt, & ab anima ſeparatum, ſed plenum, remque præſentiſſimam, atque intime ſibi unitam continens.

XII. Nullum tamen eſt, ait Arnaldus, Auguſtini teſtimonium, in quo magis Veteres & Recentes Sacramentarii triumphant, quam quod extat lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 16. *Si præceptiva Scripturæ locutio flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, ac beneficentiam vetare, figurata eſt, puta quod Chriſtus ait, niſi manducaveritis &c. præcipere videtur turpe quidpiam & flagitioſum. Eſt ergo figura, quæ jubet, participare paſſioni Chriſti, & memoria tenere, carnem ejus pro nobis crucifixam.* Verum quid inde? Etſi ibi Auguſtinus ea Chriſti verba de ſpirituali manducatione interpretetur, inferre ne audebunt Sacramentarii, exploſiſſe illum realem Chriſti præſentiam, & oralem manducationem? Idem pronuntient neceſſe eſt de pluribus ſequioris ævi Scriptoribus etſi acerrimis dogmatis hujus propugnatoribus; de Bernardo præſertim, quem veritatis hujus fidem & ſcriptis & miraculis confirmaſſe compertum eſt; omnes enim eandem iis Chriſti verbis interpretationem adhibuiſſe leguntur. Quid etiam ſi Auguſtinus litteralem quemdam ſenſum rejicit, eique ſubſtituit figuralem? Non Catholicorum certe ſenſum explodit, in quo nec umbram eſſe facinoris ac flagitii, Sacramentarii ipſi concedunt, ſed falſum illum, qui ex nudo verborum cortice erumpens carnales Judæorum animos occupavit, qui ſenſus præpoſtere a Capharnaitis arreptus quum videatur jubere flagitium, merito ad figuram ab Auguſtino deducitur, qua paſſioni Domini communicandum eſſe, ſignificatur. Eam itaque Chriſti locutionem, ut a Judæis prave intellectam, Auguſtinus recte ait figuratam eſſe, quatenus vero nec flagitium vere jubet, neque perverſum illum a Capharnaitis excogitatum ſenſum admittit, ſed corporis Chriſti Sacramentalem manducationem præcipit, non tropicam ſed litteralem eſſe, Auguſtinus ipſe teſtatur tum alibi ſæpe, tum præſertim in lib. 2. contra Adverſarium legis, & Prophetarum c. 9. in quo quum probaſſet, plura Scripturæ verba, etſi durius quid ſonare videantur, ſimpliciter tamen, & proprie ſumenda eſſe, exemplum ab Euchariſtia petens ait: *Sicut Jeſum carnem ſuam manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde atque ore ſuſcipimus, licet horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere*. Superſunt quædam Chryſoſtomi, Theodoreti, & Gelaſii Papæ teſtimonia explicatu difficilia, quæ, quum tranſubſtantiationem ſpecialiter impetant, opportunius propoſitione quarta exponentur.

PRO-

PROPOSITIO III.

Idem dogma præſcriptione fulcitur.

I. QUum Albertinus, Claudius, & Pictetus effutiant, nonniſi prope exitum noni ſæculi dogma hoc, quod tuemur, erupiſſe, a Paſcaſio Benedictino Monacho primum invectum, quum præcedentibus ſæculis ſola figuralis præſentiæ, & ſpiritualis manducationis fides in univerſa Eccleſia conſtanter obtinuiſſet, etſi turpiſſimum hoc eorum mendacium & plurium ex ipſo Proteſtantium grege Scriptorum teſtificatione, & præſertim graviſſima Veterum Patrum auctoritate jam fuerit redargutum, ad illud magis revincendum hoc, quod præſcriptionis dicitur, argumentum adjicimus. Primo, quid in Catholica Eccleſia ſex prioribus ſæculis ea locutione communius ac vulgatius, *hoc eſt vere Corpus Chriſti*, quæ in formula, qua Sacerdotes Euchariſtiam adminiſtrantes utebantur, perſpicue continetur? Etſi enim Sacerdos communionem populo porrigens diceret *Corpus Chriſti*, ſumentes autem reſponderent, *Amen*, Alberrinus tamen expreſſe fatetur, ex iis verbis hanc propoſitionem exiſtere: *hoc eſt Corpus Jeſu Chriſti: ita credimus*. Huic porro tam nitide profeſſioni ſua ætate ab Eccleſiæ editæ nonne teſtimonium perhibent locupletiſſimum Tertullianus, Ambroſius, Auguſtinus, Pelagius, Leo Magnus, & Auctor librorum de Sacramentis? Neque hæc peculiaris cujuſpiam, ſed univerſalis Eccleſiæ profeſſio erat apud Græcos ac apud Latinos obtinens, ſicut ex iis conſtat, quæ cathecheſi quinta habet Cyrillus Hieroſolymitanus ſuſcipiendæ communionis ritum tunc in Oriente vigentem deſcribens: *Quando ad Euchariſtiam acceditis, non brachia extenſa, nec digitos disjunctos habetis, ſed læva manu thronum dexteræ componentes, ceu illi, quæ Regem ſuſceptura eſt, ſumitis Corpus Jeſu Chriſti dicentes, Amen*. Hinc apparet, ait Arnaldus, profeſſiones fidei magis expreſſas, quæ jam dudum apud Orientales in uſu ſunt, nonniſi veteris illius profeſſionis ſemper ab Eccleſia emiſſæ explicationes eſſe, puta Sacerdotes Moſchi Euchariſtiam diſtribuentes ajunt, *hoc eſt verum corpus, & verus ſanguis Jeſu Chriſti*, Æthiopes, *hoc vere eſt corpus, & vere ſanguis Emanuelis noſtri Dei*, Ægyptii, *Hoc eſt corpus ſanctum, & ſanguis pretioſus, purus, & verus Jeſu Chriſti, vere corpus & ſanguis Emanuelis noſtri Dei*, Armeni, *hic eſt verus ſanguis Domini Noſtri J. C.*, quibus loquendi formulis idem plane ſignificari, quod ea locutione in veteri Eccleſia uſitata, nempe *Corpus Chriſti*, *Amen*, omnes intelligunt; Si ergo a primis Eccleſiæ ſæculis tam aperta veritatis Dominici corporis & ſanguinis profeſſio ubique gentium emiſſa fuit, mentiuntur putidiſſime, quotquot ad ſæculi noni exitum prima doctrinæ hujus initia referunt.

II. 2. Quum Liturgiæ nomine apud Chriſtianos veniat ordo ſeu forma precum ac ceremoniarum, quæ in ſancto Miſſæ ſacrificio adhibentur; qui realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam probat auctoritate Liturgiarum, demonſtrat plane perpetuam myſterii hujus apud omnes Chriſtiani orbis Eccleſias vigentem fidem, atque invicte conficit, Paſcaſium non eſſe doctrinæ hujus Auctorem, quum eſſent Liturgiæ publica & maxime authentica monumenta, quibus fidem ſuam teſtatam faciebat Eccleſia. Non alio autem, quam oculis opus eſt, ut quilibet hanc veritatem ex Liturgiis omnium Chriſtiani nominis ſocietatum antiquiſſimo uſu conſecratis eliciat, quas ex certiſſimæ fidei documentis expreſſas fideliter exhibent Martene, Arnaldus, Renaudotius, aliique; Mira etenim conſenſio in eo, quod ad incruenti ſacrificii ſubſtantiam pertinet, nitide adeo deprehenditur, ut nullus ſit ambigendi locus, quin Latini, Græci, Syri, Neſtoriani, Eutichiani, Ægyptii, Æthiopes, Armeni, atque Ruſſi convenerint ſemper, conveniantque in tranſubſtantiationis, & realis *præſentiæ* fide, nec non in ſacræ victimæ ſuper altari a Miniſtris ſacris oblatæ cultu. Quum etiam harum Liturgiarum ſubſtantiam ex Apoſtolica, & arcana traditione manaſſe, teſtentur Cyrillus Hieroſolymitanus, Baſilius Magnus, Ambroſius, & Hieronymus, etſi Sacramentariis demus, non eorum Auctorum, quorum nomina præferunt, puta Petri, Jacobi Minoris, Marci Evangeliſtæ, & Clementis Romani eas vere fætum eſſe, negari tamen non poteſt, antiquiſſimas illas eſſe, & in ipſa primitiva Eccleſia ex Apoſtolorum traditione uſu receptas, quod huic facti veri-

tati

tati laudati Patres, quibus addendus eſt Auguſtinus in Epiſtola ad Januarium, locuples teſtimonium perhibeant. Annon ergo evidens eſt, Chriſtianas omnes Eccleſias veritatem hanc perpetuo crediditſe, hanc iccirco ab Apoſtolis ad nos uſque fuiſſe totius Eccleſiæ fidem, ad Paschaſium dogmatis hujus initia ſtulte referri, ideoque, qui illud negant, vere Hæreticos eſſe, nam juxta notiſſimum Tertulliani effatum, *quod apud omnes unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum?*

3. Quæ ineunte undecimo ſæculo communis eſſet totius Eccleſiæ fides non aliunde magis certiuſque dignoſcitur, quam ex Berengarii Sacramentariorum Parentis hiſtoria. Vix enim innotuit, dogmati huic ab eo bellum indici, ut Romani Pontifices, Epiſcopique indictis in Italia, in Subalpinis, & in Galliis Conciliis pluribus hunc ejus errorem ſolemniter proſcripſerunt, celeberrimi ejus ævi Scriptores illum ſcriptis exagitarunt, & Berengarii amici illum acriter redarguerunt ceu Novatorem. In litteris ad eum datis ſcribit Adelmannus ejus Condiſcipulus & Amicus, vulgatum ubique eſſe, *receſſiſſe illum ab Eccleſiæ unitate, & de corpore & ſanguine Domini quotidie ubique terrarum immolatis adoptaſſe illum opinionem fidei Catholicæ contrariam*. Lanfrancus Cantuarienſis Antiſtes illum exploratiſſimo omnium Chriſtianæ profeſſionis Eccleſiarum conſenſu urget, & damnat: Hugo Lingonienſis Epiſcopus Berengario exprobrat, quod toti Eccleſiæ ſcandalo eſſet. Qum Paſcaſium inter & Berengarium vix ſæculum intercesſiſſet, ſi doctrinam hanc Paſcaſius omnium primus in Eccleſiam induxerat, quam facile poterat Berengarius inultam ſibi Novatoris notam amoliri, Adverſarios ſuos pudore ſuffundere, reponendo, ab opinione ſua primitivæ Eccleſiæ fidem & profeſſionem ſtare, quam quum Paſcaſius haud ita pridem conatus eſſet expungere, & novam ei ſubſtituere, ipſæ avitæ religionis zelo veluti poſtliminii jure revocabat! Quidpiamne vero ejuſmodi Berengarius ejuſque Gregales, licet repetitis fulminibus ab Eccleſia protriti, licet ab innumeris Scriptoribus undequaque vexati, & turpi hæreſeos nota compuncti? Unum id repoſuiſſe leguntur, quod Hæreticis omnibus familiare ſemper fuit, eſtque adhuc; totam ſcilicet Eccleſiam erraſſe, ideoque periiſſe; Si ergo, quo tempore multo recentior erat Paſcaſii memoria, & ſi qua ab eo inducta fuiſſet fidei mutatio, multo exploratior eſſe debuerat, nihil ejuſmodi commenti ſunt Berengariani, quo Novatorum ignominiam a ſe depellerent, ſed taciti conſeſſi, perpetuam eam fuiſſe Eccleſiæ fidem omnium Chriſtiani inſtituti ſocietatum conſenſu fultam, ſolemni Hæreticis impudentia fidem illam probe cognitam erroris accuſare auſi ſunt, annon deliraſſe credendi, qui proximi elapſo ſæculo immane hoc paradoxum vulgarunt, nonniſi labente nono ſæculo realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam in Occidente credi cœptam, novam hanc doctrinam obtrudente Paſcaſio?

III. Quum nonnullorum e Calvinianis eo proceſſiſſet ſuperiori ſæculo audacia, ut dogma illud ab Orientalibus credi negarent, atrocem adeo calumniam a ſe validiſſime depulerunt Græci, Syri, Cophti, Armeni, Æthiopes, anathema Calvinianis, quos *maledictos, & ſciſſos* vocant, dicentes, & fidei, quæ ſemper in Oriente viguerat, teſtimonium locupletiſſimum perhibentes. *Mirum ſane eſt*, ſcribebat elapſo ſæculo ad Galliarum Regis Legatum apud Turcarum Imperatorem Panajotta Nicuſius, *cur non pudeat Calvinianos, poſt tot Eccleſiæ Orientalis contra eos factas declarationes, poſt tot actus Synodales typis vulgatos, poſt Cyrilli Lucaris damnationem, poſt denique Orientalis Eccleſiæ fidei ſuæ confeſſionem omnium fere Antiſtitum ſuorum unanimi conſenſu, & confirmatione nuperrime publicatam, tam impudenter & pertinaciter hanc Eccleſiam in pernicioſarum hæreſum conſortium advocare: ſi enim quærunt, quid de vera & ſubſtantiali Jeſu Chriſti in divino Euchariſtiæ myſterio præſentia Græci credant, inſpiciant paulisper libros officiorum Sacerdotalium, & perlegant orationes, quas quilibet Sacerdos ante & poſt Sacramentorum aſſumptionem tenetur abſolvere* &c. Quare Miniſtellos nonnullos non moramur, hanc facti veritatem, Latinis ſcilicet Orientales in hujus myſterii fide conſenſiſſe ſemper & conſentire, vel negantes, vel in dubitationem vocantes, neque etiam inſulſam Claudii argutationem, qui hoc præſcriptionis argumentum infringendum ſuſcepit Veterum ſilentio, qui Chriſtianæ Religionis vindicias adverſus Ethnicos adornantes nullam myſterii hujus men-

Digitized by Google

mentionem habuerunt. Primo enim ſtultus oportet ſit, qui argumento hoc inficiali tot ea diſertiſſima aliorum Patrum, qui vel coævi, vel ſuppares ſunt, teſtimonia elidere aggreditur: 2. quia Claudius ſumit ut certum, quod falſum eſt quam quod maxime, Ethnicos ſcilicet Chriſtianorum de Euchariſtia ſententiam habuiſſe perſpectam, quum Patres permulti nos doceant, arcanum hoc ſumma religione fuiſſe ab Eccleſia cuſtoditum, & nec ipſis Catecumenis indicatum: 3. quia ſi quidpiam hoc ſilentio adverſus Euchariſtiam efficiatur, idem effici neceſſe eſt adverſus Trinitatis myſterium, & alia plura Religionis noſtræ capita, quorum perpetuam fuiſſe in Eccleſia fidem Claudius ipſe fatetur, quum de iis veteres Chriſtianæ Religionis Vindices ne verbum quidem habuerint.

IV. Hærendum duntaxat eſt in refellendo argumento, quo idem Claudius præſcriptionem hanc ſibi viſus eſt disjeciſſe; Veteres enim, ait ille, quædam Philoſophiæ principia conſtituunt miraculis contraria, quæ Realiſtæ in Euchariſtia confingunt, puta corporis naturæ eſſe, videri, tangi &c. aliud ab eodem loco corpus excludere, non ſolum loco contineri, ſed ita limitata ſuperficie circumſcribi, ut in alio loco ſimul eſſe non poſſit, localiter, & ſucceſſive moveri, integrum ſimul & diviſum eſſe non poſſe, quæ ſane cum Romanenſium doctrina componi nequeunt, qui ajunt, vere adeſſe in Euchariſtia corpus Chriſti, nec tamen viſibile atque palpabile, eodem in loco eſſe, in quo panis utrique dimenſiones ſunt, neque ita iis dimenſionibus circumſcribi, ut pluribus aliis in locis ſimul non adſit, quibus non locali & ſucceſſivo motu, ſed mirabili quodam, ut ajunt, modo, & in inſtanti fit præſens, neque etiam loco commenſurari, quum corpus Chriſti ſub pane collocent, cujus multo minor eſt quantitas quantitate corporis Chriſti, ſub panis ſymbolo corpus, ſub vini ſpecie ſanguinem eſſe, ideoque corpus diviſum a ſanguine, integrum tamen totumque Chriſtum ſub alterutro ſymbolorum. Mirum eſt tamen, audere Claudium hæc proferre; etſi enim Patres has, quæ ex naturæ legibus & Philoſophiæ principiis exurgunt, difficultates & agnoverint, & indicarint, num in hujus myſterii fide nutarunt, aut nutare alios permiſerunt? Annon conſtanter docent, quemadmodum propoſitione ſecunda oſtenſum eſt, propter has aliaſque difficultates e ſenſibus & ratione ortas non eſſe abſtrahendum ab hujus myſterii fide animum, ſed potius confirmandum, propter ſummam Chriſti veracitatem atque omnipotentiam, quæ naturæ legibus & Philoſophiæ principiis non alligatur? Quid iis diſertius, quæ præ cæteris habent Ambroſius & Chryſoſtomus, ille quidem in lib. *de iis, qui myſteriis initiantur*, ajens, *liquet, quod præter naturæ ordinem Virgo genuit, & hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine eſt: quid ergo quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, quum præter naturæ ordinem ſit ipſe Jeſus partus ex Virgine?* hic vero ea Chriſti explicans Jo. 6. *Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt, id eſt ſpiritualia, nihil habentia carnale, neque conſequentiam naturalem, ſed eruta ſunt ab omni tali neceſſitate, quæ in terra, & a legibus, quæ hic poſitæ ſunt?*

V. Priuſquam vero ſingula e ratione ducta refutemus, operæ pretium eſt adnotare, myſterium hoc quidem ſupra ſenſus atque rationem eſſe, neque ſenſibus tamen, neque rectæ rationi, ſi proprie loqui volumus, adverſari, non ſenſibus, quorum objectum eſt, quod exterius patet, quique a deceptione immunes ſunt, ait D. Thomas, dum candorem, rotunditatem, & exteriores alias panis adfectiones percipientes de accidentibus judidant ſibi notis: non rationi rectæ, quæ firmiſſimam habens divinæ omnipotentiæ perſuaſionem, fatetur quidem, impervium ſibi eſſe hujus myſterii modum, cavet tamen, ne id a Deo fieri non poſſe pronuntiet, quum rectam Dei ideam tenens probe norit, Deum non eſſe, ſi efficere non plus poſſit, quam quod adſequi poteſt humana ratio; quare hujus myſterii fide ſola Calvinianorum ratio percellitur, quæ de re temere judicat, quæ ſolius fidei objectum eſt, & in Euchariſtia nonniſi panem eſſe concludit, quia exteriorem in ea panis ſpeciem percipit. Hoc prænotato facile eſt demonſtrare, nihil in hoc myſterio eſſe, quod cum recta ratione pugnet; ac primo quidem, etſi ſolum corpus viſibile ſit ac palpabile, recteque judicetur corpus eſſe, quod oculis cernitur, ac manibus contrectatur, a recta tamen ratione alienum eſt decernere, cor-

pus

pus non eſſe, quod ſub oculorum manuumque ſenſum non cadit; alioquin pronuntiare fas erit, Chriſtum vero corpore caruiſſe, quum illud aliorum aſpectui non ſemel ſubtraxiſſe in Evangelio legatur. Palpari ergo ac videri poteſt corpus omne, quod naturali modo exiſtit, ac externam ſui ſpeciem naturaliter ſenſibus imprimit, corpus tamen eſſe non deſinit, ſi præter conſuetas naturæ leges exiſtens ſenſuum aciem fugiat; quare quum modum, quo Chriſti corpus in Euchariſtia adeſt, præter naturæ ordinem eſſe, atque eorum, ſeu ſolutum *ab omni terrena neceſſitate, & a legibus, quæ hic ſunt poſitæ*, Patres docuerint, quid mirum, ſi ſub Eucharisticis ſpeciebus illud vere eſſe crediderint, etſi neque palpabile, neque viſibile?

VI. Habet id quidem natura corporis ſecundum naturæ leges extenſi, ut aliud ab eodem loco corpus excludat, ut loco circumſcribatur, atque commenſuretur, ut majus minori contineri nequeat, ut nonniſi locali ac ſucceſſivo motu locum acquirat. Verum quid hæc ad Chriſti corpus, quod in Euchariſtia vere eſt præter naturæ ordinem, modo non qui corporum proprius eſt, ſed mirabili, atque Sacramentali, non ut locatum loco commenſuratum, neque ut ſecundum corporis leges extenſum, ſed, quemadmodum cum D. Thoma omnes ferme Theologi ſcribunt, *per modum ſubſtantiæ?* Quare quum ſubſtantiæ natura non habeat, ut locum requirat, & occupet, niſi quatenus extenſa eſt, & dimenſionibus quantitatis adſecta, neceſſario conſequitur, Chriſti corpus hoc Sacramento contentum neque locum exigere, nec occupare, nec loco commenſurari, atque ſub modicis, quibus velatur, panis dimenſionibus eſſe poſſe. Mira quidem hæc ſunt, & ſupra humanum captum; num vero rationi contraria, atque incredibilia? Annon Deus omnipotenti virtute ſua multo plus efficere poteſt, quam humana quævis, aut Angelica mens apprehendere? Si velimus divina humano ſenſu metiri, annon ut de hujus myſterii, ita & Trinitatis & Incarnationis, & aliorum plurium dogmatum fide actum erit, quum & prædicta myſteria conciliari non poſſe cum ratione videantur, ſi teſtimonia ſenſuum, & humanæ intelligentiæ regulas conſulamus? Reponere ergo poſſumus Calvinianis quod lib. 4. Inſtit. c. 17. objicientibus ſibi, ab humana fide abhorrere, carnem Chriſti in tanta locorum diſtantia poſitam ad nos penetrare, & nobis in cibum eſſe, reſpondet Calvinus, „ arcanam Spiritus ſancti virtutem „ ſenſu noſtro multo majorem eſſe, deſi- „ pere, qui velit ejus immenſitatem meti- „ ri, oportere, ut concipiat fides, quod „ mens non comprehendit, Spiritum ſem- „ pe vere unire, quæ locis disjuncta „ ſunt. “

VII. Quid ergo ſi mens non comprehendit, quomodo ſub exigua panis ſuperficie integer Chriſtus exiſtat? fides probe concipit, fieri a Deo poſſe, ut corpus ſuapte natura extenſum extenſionem ſuam actu non exerat, quum divina virtute effectum fuerit, ut idem Chriſti corpus naturaliter viſibile humano aſpectui ſe ſubduxerit, naturaliter grave ſuper aquas ſiccis pedibus ambularit, clauſo prodiverit Virginis utero, & ad Diſcipulos januis clauſis intraverit, licet hoc naturæ legibus adverſetur; nec fide concipimus quidquam rectæ rationi contrarium, ac contradictionem involvens; non enim Philoſophorum omnium judicio ratum eſt, ſubſtantiæ corporeæ naturam in extenſione, ac trina dimenſione eſſe poſitam, & ipſi, qui in hac ſententia ſunt, Cartheſiani realem corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam cum opinione ſua componunt, demonſtrantque myſterium hoc philoſophiæ ſuæ principiis non violari. Etſi autem proprium corporis ſecundum naturæ ordinem ſit locali & ſucceſſivo motu locum acquirere, quum tamen verum Chriſti corpus non ſecundum naturæ ordinem, & corporum leges in Euchariſtia eſſe, Patres doceant, ineptum eſt, realem ejus præſentiam locali & ſucceſſivo motui ſecundum naturalem aliorum corporum conditionem alligare. Quomodo ergo in altari eſſe incipit, quum ibi ante non eſſet? Sola, reſpondent Patres omnes, univerſæque Chriſtiani nominis Societates, ſola conſecratione, qua fit ſubſtantiæ panis in ipſum vera converſio, quæ quidem, ait D. Thomas, *nulli naturalium converſionum eſt ſimilis, ſed omnino ſupernaturalis, & ſola divina virtute perficitur*. At quomodo in altari eſſe incipere poteſt corpus, quod jam a pluribus ſæculis præexiſtit? Repugnat quidem, incipere recenter eſſe, quod jamdudum eſt, eodem prorſus modo, quo erat: verum quum Chriſti corpus, quod in Euchariſtia ado-

adoramus, idem ſubſtantia ſit, ac corpus conceptum ex Virgine, exiſtendi tamen modo ab eo differret, quum eſſet illud extenſum, viſibile, paſſioni obnoxium, cæteriſque corporis adjectionibus ſecundum ordinem naturæ polleret, ſit vero hoc impaſſibile, inextenſum, inſpectabile, & a quavis terrena corporum lege ſolutum, mirum non eſt, idem corpus ab octodecim ferme ſæculis ſecundum naturæ leges exiſtens, incipere in altari modo prorſus a priori diverſo virtute conſecrationis adeſſe.

VIII. Licet etiam ſpectato naturæ ordine nequeat idem corpus pluribus in locis ſimul adeſſe, idne divinæ ipſi omnipotentiæ, quæ nullis naturæ legibus ſubeſt, ſubtrahendum eſt? Ipſi Calviniani Angli, Forbeſius inprimis, temeritatis accuſant, quotquot id effici divinitus poſſe negant, quum Sacramentariorum præcipui Æcolompadius, Zuinglius, & Hoſpinianus inficiari non audeant, id fieri a Deo poſſe, etſi factum fuiſſe negant. Omnes Scoti Aſſeclæ docent, fieri divina virtute poſſe, ut idem corpus circumſcriptive, ut ajunt, plura ſimul loca occupet, ſicut divinitus non ſemel effectum eſt, ut duo corpora, quæ ſeſe mutuo ab eodem loco juxta naturæ legem expellunt, ejuſdem loci ambitu concluderentur. Thomiſtæ vero, aliique plures, qui eis concinunt, conſtanter quidem pernegant, fieri a Deo poſſe, ut idem corpus pluribus ſimul locis circumſcribatur, quod id eis videatur contradictione ſcatere, eorum tamen nemo unus eſt, qui non fateatur ex animo, fieri a Deo poſſe, immo & quotidie præſtari, ut idem Chriſti corpus circumſcriptive ac localiter in cælo poſitum, pluribus aliis in locis adſit ſacramentaliter, quod ſacramentalis hujus exiſtendi modi tota & vera ratio ſit panis in corpus Chriſti converſio, quæ quum pluribus in locis quotidie fiat, ibidem quoque veram Chriſti præſentiam ſacramentalem inducit. Quodcumque horum placitorum elegerint Sacramentarii, deprehendere nullo negotio poſſunt, ſe divinæ omnipotentiæ injuriam inferre, cui virtutem adimunt faciendi, quod fieri ab ea poſſe, quælibet Philoſophorum ſchola conſentit.

IX. Quam temere vero nobis inſultant, quaſi vero doctrina Eccleſiæ aperta ſcateat contradictione! Etſi diſtincta utriuſque ſymboli conſecratione ſub diverſis ſpeciebus Dominici corporis & ſanguinis veritatem confiteamur, numquid iccirco Chriſtum dividimus, nec totum ac integrum ſub utraque ſpecie collocamus? *Semper hæc fides*, ait Tridentinum ſeſs. 13. c. 3., *in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationis verba verum Domini corpus & ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie una cum anima & ejus Divinitate exiſtere, corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum, corpus autem ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti, qui jam a mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur, divinitatem vero propter admirabilem ejus cum anima, & corpore hypoſtaticam unionem.* Hujus porro doctrinæ, quæ ſemper in Eccleſia obtinuit, ſolidiſſimam hanc rationem adfert Angelicus ajens: „Ex naturali „concomitantia eſt in hoc Sacramento, „quidquid eſt realiter conjunctum cum „eo, ad quod converſio terminatur; ſi „enim aliqua duo realiter ſint conjuncta, „ubicumque unum eſt realiter, oportet & „aliud eſſe, quum ſola operatione animæ „diſcernantur, quæ realiter idem ſunt.“ Quum ergo Chriſti ſanguinem cum glorioſo ejus corpore vere conjunctum eſſe, ac ad ejus ſubſtantiam pertinere, Novatorum nemo diſſentiat, quorſum blaterant, ſeparari a nobis Chriſtum atque in plura diſcerpi? Hæc ſane procacitas eſt hominum iniquorum, qui fraudulenter ſimulant, ſe doctrinam Eccleſiæ ignorare, ut eam poſſint maledictis inceſſere.

X. Reliquum eſt argumentum, quod ex accidentibus vel ſpeciebus panis & vini, quas peracta conſecratione remanere docet Eccleſia, ducunt Sacramentarii, in quo quidem diſſolvendo, Veterum Recentiumque Philoſophorum diverſa placita non excutiemus, nec inquiremus, an ſpecies illæ ſolida & abſoluta accidentia ſint, & reales entitatulæ a ſubſtantia diſtinctæ, an meræ apparentiæ, ſive objectivæ actiones Dei eaſdem in noſtris ſenſibus, peracta conſecratione, impreſſiones efficientis, quas ante conſecrationem panis ipſe efficiebat, efficeretque adhuc, ſi naturæ ſuæ redderetur. Quorſum enim tempus operamque in hac quæſtione ponamus, quæ neque inſtituti noſtri eſt, neque a Philoſophis, etſi magno animorum æſtu hinc inde agitata, definiri ſolide hactenus potuit? Refellendo Novatorum argumento inde pe-

tio

Digitized by Google

tito ſatis ſuperque eſt inconcuſſum D. Thomæ principium ipſo naturæ lumine notum, quod ſtatuit ille 1. p. q. 105. ar. 2. *Erroneum eſt dicere, Deum non poſſe per ſe ipſum facere omnes determinatos effectus qui fiunt per quamcumque cauſam creatam*, quo conſtituto principio, ſive ſpecies illæ reales entitates ſint, ut opinantur Peripatetici, quibus recentes multi Theologi, iique eximii ſubſcribunt, ſive objectivæ Dei actiones, ut Maignano, Sagueus, & recentioribus pleriſque placet, in tuto res eſt; Peripateticorum enim opinione admiſſa, reſpondet Angelicus, accidentia ſine ſubjecto in hoc Sacramento manere, quod fieri divina virtute poteſt; Quum enim effectus a prima cauſa magis, quam a ſecunda pendeat, Deus, qui eſt ſubſtantiæ & accidentium prima cauſa, ſua virtute conſervare poteſt accidens ſine ſubjecto, ſubtracta ſubſtantia, per quam prius velut per propriam cauſam conſervabatur, ſicut & alios naturalium cauſarum effectus producere poteſt ſine naturalibus cauſis, ſicut humanum corpus ipſe formavit in utero Virginis ſine virili conſortio.

X. Hinc quoque intelligitur, quomodo ſpecies illæ ſuperſtites externos ſenſus immutare poſſint, eoſdemque præſtare effectus, quos ante conſecrationem edebant; „ quia enim, ait Angelicus, ſpeciebus „ ſacramentalibus datum eſt divina virtu„ te, ut remaneant in ſuo eſſe, quod ha„ bebant ſubſtantia panis & vini exiſten„ te, conſequens eſt, ut remaneant in ſuo „ agere, & ideo quidquid prius agere pot„ erant, poſſunt etiam agere, tranſeunte „ in Chriſti corpus & ſanguinem panis, „ & vini ſubſtantia, puta immutare exte„ riora corpora, nutrire, inebriare, inci„ nerari, corrumpi, frangi &c. quia etſi „ accidentia ſint, habent tamen actum, „ & vim ſubſtantiæ, non quidem novo „ miraculo, ſed virtute miraculi prius fa„ cti: “ Hæc D. Thomas. Si quis vero malit in recentiorum Philoſophorum ſententiam concedere, habet ex eodem D. Thomæ principio, quo Sacramentariorum ſophiſmata extricet; quum enim certo certius ſit, poſſe Deum ſe ipſo determinatos omnes effectus edere, qui a creata cauſa procedunt, annon evidens eſt, pane & vino in Chriſti corpus & ſanguinem tranſmutatis, poſſe illum eoſdem effectus ſe ſolo perficere, quos operaretur panis vinique ſubſtantia, ſi adeſſet?

PROPOSITIO IV.

Peracta conſecratione panis vinique ſubſtantia non remanet, ſed vere in corpus & ſanguinem Chriſti convertitur.

I. Sicut verbis inſtitutionis, Patrum auctoritate, & præſcriptionis argumento realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam adverſus Sacramentarios adſtruximus, ita iiſdem iis momentis tranſubſtantiationem, quæ realis præſentiæ conſectarium eſt, adverſus Lutheranos facile eſt, demonſtrare; atque a verbis inſtitutionis exorſi, quæ Lutherus, ejuſque Aſſeclæ litteraliter intelligenda eſſe, conſtantiſſime docent, illud primo argumentum inſtituimus, quo Sacramentariorum Coriphæi Zuinglius, Calvinus, Hoſpinianus, Urſinus, Salmaſius, aliique plurimi Lutheranos invicte perſtringunt: „ ſi ad litte„ ram, ajunt, accipiantur verba Chriſti, „ ut debere accipi contendunt Lutherani „ Theologi, longe magis doctrinæ Ponti„ ficiorum favent, quam Lutheranæ: di„ xit Chriſtus, hoc eſt corpus meum, „ quum panem traderet, ergo non am„ plius panis eſt, ſed corpus Chriſti, ut „ ille, qui veritas eſt, affirmavit. “ Sane, ſi peracta conſecratione panis ſubſtantia ſuperſit, falſo dixiſſe Chriſtum, ſingularem illam ſubſtantiam, quam manu tenebat & pronomine *hoc* demonſtrabat, corpus ſuum eſſe, ſtupidum oportet eſſe, qui non intelligat, ſive Oſiandri impanatio, ſive cæterorum Lutheri gregalium conſubſtantiatio ponatur; poſita enim impanatione, de ea philoſophandum, ut de naturis humana ac divina in ejuſdem Perſonæ unitate conjunctis: etſi autem in Chriſto ſit hypoſtatica duarum naturarum unio, annon utriuſque naturæ non diſtinctio ſolum, ſed & infinita diverſitas, ac diſtantia vetat, humanitatem de Deitate enuntiari, & quæ unius naturæ ſunt propria, alteri tribui? Sicut ergo falſæ omnino ſunt propoſitiones hæ, Deitas eſt humanitas, Deitas paſſa eſt, humanitas eſt æterna, propter utriuſque naturæ diſcrimen, quod hypoſtatica unione non tollitur, ita etiam impanatione adſerta, falſa eſſet hæc Chriſti enuntiatio, *hoc eſt corpus meum*, quia etſi panis ſubſtantia Verbo hypoſtatice unita fingatur, inter panis tamen, & corporis Chriſti ſubſtantiam ſumma diverſitas re-

maneret, quæ unum de altero vere enuntiari vetaret.

II. Quoniam autem Impanatorum figmentum jam eſt obſoletum, & apud Lutheranos paſſim obtinet conſubſtantiatio, haud difficilioris operæ futurum eſt, demonſtrare, etiam poſitione hac ſummam Chriſti veracitatem everti; ſi enim ſubſtantia panis in corpus Chriſti vere non convertitur, ſed vel *in pane*, vel *cum pane*, vel *ſub pane*, vel *circa panem*, ut ajunt illi, corpus Dominicum eſt, Chriſtus, ut locutioni ſuæ, quam omni tropo & figura vacare Lutherani concedunt, conſtaret veritas, dicere debuerat, *ſub*, *in*, *cum hoc pane eſt corpus meum*, vel *circa hunc panem eſt*; falſo itaque dixit, *hoc eſt corpus meum*; neque alio, ut id luculenter evincamus, opus eſt, quam exemplis iis, quæ ad declarandum errorem ſuum conferunt Lutherani. Corpus Chriſti ajunt, teſte Willermo Lindano, *in*, *cum*, & *ſub pane* eſſe, ut farinam in paſtillo, pilulas in ovo, & infantem in cunabulis, qua de cauſa *Paſtillatii*, & *Pilulatii* vulgo dicuntur; quum ſint ergo propoſitiones hæ evidentiſſime falſæ, & communi hominum ſenſui aperte contrariæ, farina eſt paſtillus, pilulæ ſunt ovum, infans eſt cunabulum, quis ſanæ mentis neget, aut dubitet, falſam fore hanc Chriſti locutionem, *hoc eſt corpus meum*, ſi corpus ejus in pane eſt, haud ſecus ac farina in paſtillo &c.? Recte ergo Sacramentariorum præcipui animadvertunt, & probant, conſubſtantiationem a verbis Chriſti alienam eſſe, ſive litteram quis teneat, ſive ſenſum, & Lutheranorum poſitionem doctrina Pontificiorum multo abſurdiorem eſſe, captuque difficiliorem; certe enim, ait Calvinus, ſimplex & naturalis verborum Chriſti ſignificatio teneri non poteſt, quin fateamur, panem vere fieri corpus Chriſti.

III. Etſi Veteres Patres non minus locuples veritati huic, quam reali Chriſti præſentiæ teſtimonium perhibuerint, eorum tamen verba ad hujus dogmatis probationem non conferimus, quod ſint illa futura nobis magis opportuna, quum Lutheri argumenta ſolvemus. Ad eam porro præſcriptione firmandam, quorſum multa congeramus, quum eadem illa certiſſima & luculentiſſima documenta, quæ perpetuam realis præſentiæ fidem apud omnes Chriſtiani inſtituti nationes teſtatam faciunt, & veluti ſub oculis ponunt, de perpetua quoque tranſubſtantiationis fide omnem abigant dubitationem? Jam declaratum eſt, quæ ſit Liturgiarum vetuſtas & auctoritas; quum autem omnes orationem habeant, qua Sacerdos Deum precatur, ut ſacra dona in altari propoſita in verum corpus & ſanguinem Filii ſui virtute Spiritus Sancti convertat, annon evidens eſt, perpetuam hanc fuiſſe Eccleſiæ fidem, quæ maxime ex publicis ejus orationibus, teſte Auguſtino, dignoſcitur? Annon etiam ipſa Berengarii hiſtoria certum nobis præſcriptionis hujus argumentum ſuppeditat, quum fuerit ille ceu Novator a pluribus ejus ævi Scriptoribus refutatus, & ab Eccleſia proſcriptus, quod non realem Chriſti præſentiam ſolam, ſed ea poſtmodum adſerta tranſubſtantiationem ſuſtulerit? Denique quum nulla ſit facti veritas tam explorata, quam quæ a Clariſſimo Arnaldo monumentis probatiſſimis ad liquidum deducta eſt, Latinæ nimirum Eccleſiæ conſenſiſſe ſemper & conſentire in hujus dogmatis fide cujuſque nationis Eccleſias, fieri etiam non poſſit, quemadmodum in lib. de præſcriptione egregie diſſerit Tertullianus, ut *in unam fidem omnes Eccleſiæ erraverint, nam exitus variare debuerat error omnium Eccleſiarum*, reliquum eſt, doctrinam hanc apud omnes Eccleſias *unam* non ex errore, ſed ex divina traditione fluxiſſe.

IV. Lutherus in reſponſione ad Henricum VIII. Angliæ Regem ſcribit, tranſubſtantiationem impietatem ac blaſphemiam eſſe, quippe cujus nulla in Evangelio, & apud antiquos Patres mentio occurrit, nec niſi tertiodecimo ſæculo ineunte ab Innocentio III. in Lateranenſi IV. Concilio conficta. Verum ut nomen cum re nomine ſignificata perverſe confudit ille, ita & nomen & rem *impietatem* & *blaſphemiam* ſacrilega temeritate vocavit; etſi enim nominis epocham tertiodecimo ſæculo figendam eſſe daremus, num non niſi eo ſæculo, eoque Auctore dogma nomine illo denotatum erupit? Jam præſcriptionis argumento demonſtratum eſt, myſterii hujus fidem ab Apoſtolis ad nos uſque ubique gentium in Eccleſia viguiſſe, neque argumentum hoc ulla poterit tergiverſatione ab Adverſariis eludi. Quid ergo, ſi tranſubſtantiationis vocabulum in Evangelio non legitur? Annon res eo deſignata ex verbis inſtitutionis a Chri-

Chriſto uſurpatis neceſſaria conſecutione deducitur? Quum ergo dogma hoc ex earum rerum genere ſit, quæ, ut adnotat S. Gregorius Nyſſenus, licet in Scripturis non exprimantur, ex iis tamen, quæ Scriptura tradit, facile intelliguntur, ut Deum Patrem ingenitum & innatum eſſe &c. ſicut veritatem hanc perpetuo Eccleſia credidit ceu e Scripturis ſponte fluentem, ita potuit ad clariorem fidei ſuæ teſtificationem tranſubſtantiationis vocabulum, quippe quod erat exprimendo myſterio huic in ſacris litteris involuto aptiſſimum, conſecrare, & in uſum adſumere eodem ſummo illo jure, quo in Nicæno primo Concilio invariatam & Apoſtolicam de vera Filii Deitate, & perfecta Patri coæqualitate doctrinam *Omouſion* ſive *conſubſtantialis* vocabulo ad evertendas omnes Arianorum fraudes expreſſit, quodque ſemper de intemerata Virgine creditum fuerat, adverſus Neſtorium in Epheſino Concilio diſertius expoſuit, eandem puriſſimam Virginem *Theotecon* ſeu *Deiparam* appellandam eſſe decernens.

V. Vitilitiganti quoque Luthero, nuſpiam in Patrum ſcriptis hoc nomen legi, reponimus, quod Arianis Hilarius, *quid attinet litigare de vocibus, quando res ipſa in tuto eſt?* Nonne idem conſtanter tradiderunt Patres, quod nos eo nomine ſignificamus? Quid ſibi ſvoluit Tertullianus, dum ait, *Deus acceptum panem corpus ſuum fecit dicendo: hoc eſt corpus meum?* Quid Cyrillus Hieroſolymitanus inquiens, *aquam Chriſtus aliquando mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem ſuum transmutavit?* Poterat ne dogma illud luculentius tradi ab Ambroſio in lib. *de Myſteriis* ſcribente, *ſi tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? Qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, mutare in id, quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare, quam mutare naturas.* Nonne Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Joannes Damaſcænus, aliique plures conceptis verbis adfirmant, *ſacra dona verbis Domini, & Spiritus Sancti virtute corpus & ſanguinem Domini fieri ſecundum veritatem, in corpus & ſanguinem Chriſti converti, tranſmutari, tranſelementari?* Tranſubſtantiationis autem nomine quid aliud Latina deſignat Eccleſia? Si ergo, etſi Patres eodem ac nos vocabulo uſi non ſint, eandem tamen rem hoc nomine ſignificatam aperriſſime docuerunt, ebrius certe erat more ſuo Lutherus, dum ſcriberet, myſterium hoc antiquis Patribus fuiſſe ignotum.

VI. Lutheri Diſcipuli plura regerunt, ut argumentum e verbis inſtitutionis petitum infringant. Ajunt primo, non confici verbis Chriſti, panis ſubſtantiam peracta conſecratione non ſupereſſe, quum Euchariſtia in Evangelicis & Apoſtolicis litteris, nec non a pluribus Patribus dicta legatur *panis* & *vinum*, quæ appellatio falſa eſſet, niſi & poſt conſecrationem panis ſubſtantia maneret: 2. Etſi Chriſtus Jo. 6. ſe panem eſſe enuntiaverit ajens: *Ego ſum panis*, nemo tamen vel animo finxerit, Chriſtum ſe in panem tranſmutaſſe; cenſendus ergo non eſt, panem in corpus ſuum vertiſſe, etſi dixerit, panem corpus ſuum eſſe: 3. Quamquam Io. 1. legamus, *Verbum caro factum eſt*, quis niſi Eutychianus dixerit, aut Verbum in carnem, aut carnem in Verbum fuiſſe converſam? Sicut ergo Catholicorum omnium confeſſio eſt, ita in Incarnationis æconomia divinam & humanam naturam coaluiſſe, ut tamen utraque inconfuſa, & impermixta permanſerit, quidni dicamus, eam fieri in hoc Sacramento conſubſtantiationem, ſeu panis, & corporis Chriſti conſociationem, ut panis, & corporis Dominici ſubſtantiæ abſque ulla tranſmutatione ſub iiſdem dimenſionibus coexiſtant? Denique nulla veracitati Chriſti infertur injuria, neque oratio ejus a communi apud homines loquendi modo ad alienum & inuſitatum transfertur; nonne enim, quamquam ferrum ignitum e. g. in ignis ſubſtantiam non tranſierit, ſed immutatam ſervet naturam ſuam, nonne recte dicimus, *hic eſt ignis?* Loculum quoque auro plenum digito commonſtrantes nonne ſcite dicimus, *hoc eſt aurum*, etſi loculi ſubſtantia in naturam auri tranſmutata non fuerit? Abſque ullo errore itaque & intelligere, & enuntiare poſſumus, Corpus Chriſti in, vel cum, vel ſub pane eſſe, etſi Chriſtus panem, quem Apoſtolis diſtribuebat, indigitans dixerit, corpus ſuum eſſe.

VII. Ad primum argumenti caput diluendum revocanda hic ſunt, quæ propoſitione ſecunda jam diximus, dum eandem

dem hanc difficultatem a Sacramentariis objectam expediremus. Ad ſecundi vero diſſolutionem non alio opus eſt, quam ipſa Lutheranorum omnium confeſſione; quum enim Chriſtus Jo. 6. ajens, Ego ſum panis, ſe non abſolute panem, ſed *panem vivum, qui de cælo deſcendit*, appellet, ſeque ibidem opponat manna, quo in deſerto diu paſti fuerant Iſraelitæ, unde etiam metaphoræ aliud evidens ſignum colligit Salomon Glaſſius Lutheranus, nullo negotio intelligimus, figuratam eſſe locutionem illam, non de naturali & proprio pane, ſed myſtico ibi ſermonem eſſe, nec aliud voluiſſe Chriſtum ſignificare, quam ſe eſſe vivificum & ſuperſubſtantialem cibum, qui animas ſpiritualiter nutrit, ſicut materiali pane corpora nutriuntur. Quum ergo apud Lutheranos in confeſſo ſit, hanc Chriſti locutionem eſſe allegoricam, Chriſtum per metaphoram panem dici, quia panis inſtar animas nutrit, quid neceſſe erat, ut ſe in hujuſmodi myſticum panem, ſive ſpiritualem cibum converteret, quum id habeat, qua Deus eſt, ut gratia ac doctrina ſua animas nutriat in vitam æternam? Verum quum Lutheranorum omnium confeſſione in ea Chriſti oratione, hoc eſt corpus meum, nulla figura ſit, nullus tropus, ſed omnia & ſingula ejus verba non aliter ſint accipienda, quam ſonant, qui fieri poteſt, ut verus panis vere ſit ipſummet Chriſti corpus, quum tanta ſit veri panis inter, & veri corporis Chriſti naturam diverſitas ac diſtantia? Si Chriſti verbis non alius ſenſus ſubeſt, quam quem illi Lutherani ſubjiciunt, *ſub, vel cum, vel in pane eſt corpus meum*, quis a falſiloquio liberare jam poſſit Chriſtum dicentem, *hoc eſt corpus meum?* Ut enim vera & recta eſſet oratio, debuerat ille dicere, *hic eſt corpus meum*, tò *hic* adverbii loco ponens, ſicut communis hominum loquendi mos, & ipſa grammaticæ rudimenta nos docent. Si litteralis ergo eſt, Lutheranis fatentibus, hæc locutio, tranſubſtantiatio neceſſario ſtatuenda eſt, quum vera eſſe non poſſit abſque panis in corpus Chriſti converſione.

VIII. Exemplum porro ab œconomia Dei hominis facti quam eſt Lutheranorum poſitioni incommodum, imo exitiale! Hoc enim myſterium fuiſſe peractum, non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, id eſt naturam humanam atque divinam in unitate Perſonæ hypoſtatico nexu ita conſociatam, ut tamen utraque in naturalibus ſuis attributis inconfuſa & impermixta perſtiterit, tum aliis bene multis, tum hoc præſertim momento conficimus, quod nimirum, etſi ob Perſonæ unitatem in Chriſto, & ſubſtantialem duarum naturarum in ejuſdem Perſonæ unitate copulationem, veriſſimæ ſint & Catholicæ propoſitiones hæ: Deus eſt homo, homo eſt Deus, Deus natus eſt, paſſus, mortuus, & ſepultus, ob realem tamen utriuſque naturæ diſtinctionem in Chriſto, ſummamque diverſitatem, una nequit de altera vere prædicari, neque unius proprietates alteri attribui; quare nullus eſt vel inter Novatores ipſos, qui falſitatis & hæreſeos non damnet ejuſmodi propoſitiones, Humanitas eſt Deitas, Deitas paſſa eſt &c. quia nimirum neque Deitas in carnem, neque caro in Deitatem converſa. Quum vero locutionem Chriſti de eo, quod manu tenebat, dividebatque Apoſtolis, enuntiantis, hoc eſt corpus meum, naturalem, obviam, ac veriſſimam eſſe, Lutherani quique confentiant, ipſa hac confeſſione ſua coguntur adſtruere, factam fuiſſe virtute & verbis Chriſti veram panis in corpus tranſmutationem ſeu converſionem; Si enim panis ſubſtantia perſtitit immutata, falſo Chriſtus dixit, hoc eſt corpus meum, ſicut falſo quis diceret, humanam naturam in Chriſto ipſam Deitatem eſſe, quia nulla facta eſt unius in alteram naturæ converſio.

IX. Poſtremam Lutheranorum cavillationem hominis apud Lutheranos ipſos præcipui, & grammaticarum obſervationum ſtudioſiſſimi, Salomonis nempe Glaſſii doctrina retundimus. Agens ille de ſynecdoche partis ſcite adnotat, quidpiam de alio vere enuntiari poſſe, aut partem pro toto uſurpari conſueto apud homines loquendi modo, communique inſtituto, vel quando pars ad rei eſſentiam pertinet, quo ſenſu animam pro toto homine ponimus, vel quando pars integralis eſt, recteque carnem pro corpore ſumimus, vel quando rei proprietas eſt, aut communi hominum uſu ad continendum deſtinatur, ideoque lucem pro ſole uſurpamus, & civitatis ac domus nomine populum ac familiam denotamus. Ad horum modorum tertium pertinet vulgaris ille communiſque, quo ferrum candens, cujus partes omnes ignis undequaque

p:r-

pervadit, ignem appellare ſolemus, quod etſi ferri ſubſtantia in ignem tranſmutata non ſit, ignis tamen proprietates tam alte imbibit, ut abſque ullo fraudis erroriſque periculo ignis vocari poſſit. Quum ex recepto quoque apud homines uſu dolium & loculus ad continendum vinum & pecuniam deſtinentur, ſi quis demonſtrato dolio dicat, hoc eſt vinum, quilibet ſtatim percipit, obvium & naturalem propoſitionis ſenſum eſſe, hoc, quod dolio continetur, eſt vinum, idemque de crumena dicendum. Verum qua hominum inſtitutione, quo apud eos recepto loquendi uſu inductum eſt, ut audientes, *hoc eſt corpus meum*, ſynecdochen ſtatim animo repuient, intelligantque nativum atque obvium propoſitionis hujus ſenſum eſſe, ſub, vel cum, vel in hoc pane eſt corpus meum? An corpus Chriſti pars eſt eſſentialis, aut integralis, vel proprietas panis? Communi ne hominum uſu panis continendo corpori Chriſti addictus eſt, ut ſtatim verbis iis auditis debeamus cogitare ſynecdochen, atque intelligere, continens pro contento poni, aut e converſo? Rurſus quum Lutherani ab oratione Chriſti tropum omnem procul abeſſe, contendant, nonne inepti ſunt, propoſitiones in exemplum advocantes, quas figuratas eſſe, communi ipſo hominum ſenſu percipitur?

X. Explicanda denique ſunt Chryſoſtomi, Theodoreti, & Gelaſiii Papæ teſtimonia, quibus ad propoſitionis ſecundæ calcem adnotavimus & Sacramentarios, & Lutheranos Conſubſtantiatores abuti. Circumfertur quædam Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum epiſtola, in qua Appollinarii blaſphemantis, factam in Chriſto eſſe admirandam commixtionem, qua Deus & homo una eademque natura effecti ſunt, inſaniam ex inſtituto refellens, inter alia argumenta, quibus probare nititur, in uno D. N. J. C. plures naturas non conſubſtantiales exiſtere, quarum unaquæque proprietatem ſuam incommixtam retinet, hoc quoque ab Euchariſtia repetens ait: *Sicut antequam ſanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus eſt Dominici corporis appellatione, etiamſi natura panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum corpus Filii Dei prædicatur, ita & hic divina inundante corpori natura, unum Filium, unam Perſonam utraque hæc fecerunt*. Gemina ſunt, quæ in Dialogo 2., cui titulus *Inconfuſus*, habet Theodoretus: *neque enim*, ait, *ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura; manent enim in priori ſubſtantia & figura, & forma, & videri, tangique poſſunt, ſicut & prius*. His omnino conſona ſunt, quæ in lib. de duabus in Chriſto naturis adverſus Eutychem ſcribit S. Gelaſius Papa: *Certe Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Domini, divina res ſunt, propter quod & per eadem divinæ naturæ conſortes efficimur, & tamen non dimiſit eſſe ſubſtantia vel natura panis*.

Facillime difficultatem e teſtimoniis his exurgentem expedire poſſemus reponentes, falſo memoratam Chryſoſtomi ad Cæſarium epiſtolam ut genuinum opus jactari, mentiri Pictetum ſcribentem, epiſtolam hanc a Joanne Damaſcæno ut germanum Chryſoſtomi fœtum laudari, quum in optimis utriuſque Patris operum editionibus nullum extet epiſtolæ hujus veſtigium, falſo quoque opuſculum, ſeu potius opuſculi adverſus Neſtorii & Eutychetis hæreſes fragmentum, quod Baſilæenſes Miniſtri edendum curarunt, Gelaſio Papæ adſcribi, quum illud imperfectiſſimum eſſe, & erroribus refertiſſimum Albertinus ipſe fateatur, inſcite denique Theodoreti verba fuiſſe latine reddita, quum ea ſic fuiſſe reddenda, *manent in prioris ſubſtantiæ figura & forma*, doctiſſimus Cardinalis Perronius, aliique Græcæ linguæ poteſtate, & veterum codicum fide demonſtrent: Ne videamur tamen difficultatem potius declinare, quam ſolvere, ipſa Adverſariorum confeſſione ad illam extricandam feliciſſime utemur. Fatentur primo Albertinus & Claudius, *naturæ* ac *ſubſtantiæ* nomen utpote æquivocum & pluribus interpretationibus obnoxium non ſignificare conſtanter, quod Philoſophi in ſcholis ſubſtantiæ nomine intelligunt, rem videlicet ſubſiſtentem, ſed perſæpe denotare qualitatem & conditionem, recteque dici, quidpiam in alterius naturam converſum eſſe, quod ejus qualitates induerit. Pluribus Veterum Patrum teſtimoniis rem uterque declarat, potuiſſentque ambo, ut egregie animadvertit Arnaldus, non ex Antiquis Patribus ſolum, ſed etiam a Scripturis, immo ex prophanis Auctoribus, Cicerone, Quintilliano, Virgilio, & Horatio plurima exempla decerpere,

pere, quibus perſpicuum ſit, horum nominum non unam ſignificationem eſſe, ſed quandoque ad rem ſubſiſtentem, quandoque ad ipſam rei eſſentiam, quandoque ad ſolam qualitatem ac indolem, quandoque ad proprietatum affectionumque naturalium complexionem ſignificandam, hæc nomina aſſumi: 2. Pictetus principii loco ponit, quod rationi ac æquitati maxime conſentaneum eſt, quum Auctor alibi ſeſe diſerte explicat, hærendum non eſſe in locutionibus ambiguis & ſubobſcuris, quas alicubi uſurpat, neque ex his ſed ex perſpicuis judicium de mente ejus ferendum eſſe.

XI. Hac, quam veritas ab Adverſariis extorſit, confeſſione freti jure contendimus, nihil eſſe in recitatis Patrum teſtimoniis, quod vel reali Chriſti præſentiæ, vel tranſubſtantiationi adverſetur; ac primo, quum Chryſoſtomus converſionem panis in corpus Chriſti alibi non ſemel nitidiſſime aſtruxerit, hom. præſertim 83. in Matthæum ſcribens, *ſacra dona a Chriſto ſanctificari*, & *tranſmutari*, nonne *naturæ* nomen, teſtibus Albertino & Claudio, anceps atque flexiloquum, non ad panis eſſentiam, proprieque dictam ſubſtantiam, ſed ad ſolas exteriores panis ſpecies, priorumque accidentium complexionem ſignificandam fuiſſe a Chryſoſtomo adhibitum, Judice Picteto, cenſendum eſt? Quum ſint enim obſcura & flexiloqua perſpicuis & certis exponenda, obſcurum autem ſit & flexiloquum *naturæ* nomen, certa vero & perſpicua, quam Chryſoſtomus adſerit, ſacrorum donorum tranſmutatio, non exteriori quidem panis vinique ſpecie, ſed ſubſtantia, reliquum eſt, ut *naturam panis remanere* pronuntians non ipſam panis eſſentiam ſive ſubſtantiam, quam alibi aperte docuit *tranſmutari*, ſeu non manere, ſed accidentium panis complexionem, quæ frequentiſſime nomine *naturæ* venit, ſignificaſſe credatur. Sunt etiam in ipſo, quod nobis opponitur, teſtimonio plura hujus rei argumenta. Primo ait, panem divina gratia ſanctificatum a panis appellatione liberari, ſeu panem amplius non vocari, ſed jam corpus Dominicum dici: At ſi naturæ nomine, quam Chryſoſtomus manere ſcribit, ipſa panis ſubſtantia ſive eſſentia veniat, quid vetat, illum peracta etiam conſecratione panem appellari, qui adhuc vere eſt? Quomodo poteſt vere proprieque corpus Dominicum dici, ſi priorem adhuc ſubſtantiam retinet a ſubſtantia Dominici corporis diverſiſſimam? 2. Si panis eſſentiam ſive ſubſtantiam etiam poſt ſanctificationem manere Chryſoſtomus vere ſenſit, annon inepte & falſo ſcripſiſſet, *jam non duo corpora, ſed unum corpus Filii Dei prædicari?* Quum ſit enim ſubſtantia panis vere corporea, ſi hæc, Auctore Chryſoſtomo, cum Chriſti corpore ſimul eſt, nemo non intelligit, æque falſum eſſe, duo corpora prædicari non poſſe, quum duo vere ſint, ac prædicari unum corpus Filii Dei, inter quod, & panis corpus latiſſimum eſt diſcrimen.

XII. Quum familiare fuerit, quemadmodum animadvertit Arnaldus, Auctoribus, qui eodem tempore de eodem argumento ſcribebant, iiſdem comparationibus uti, etſi illæ minus exactæ eſſent, atque ad inſtitutum minus aptæ, mirum non eſt, Theodoretum atque Gelaſium Papam adverſus Eutychianos ex Appollinaris propagine natos ſcribentes, eandem ex Euchariſtia petitam comparationem adhibuiſſe, quæ refutandæ quidem ſtultiſſimæ eorum Hæreticorum poſitioni, Verbum ſcilicet non ipſam humanæ noſtræ ſubſtantiam aſſumpſiſſe, quum eam ab æterno jam habuiſſet ſibi coexiſtentem, immaterialem, incircumſcriptam, & a Deitate indiſtinctam, ſed tantum humanæ naturæ exteriorem formam, affectiones, atque proprietates, quas, poſtquam vitæ mortalis tempore in terra geſtaſſet, in cœlum rediens exuerat, ac depoſuerat, refutandæ inquam huic poſitioni apta erat, non tamen omni ex parte quadrabat. Cæterum, ut imperfecta eſt, minuſque idonea a Chryſoſtomo, Theodoreto, & Gelaſio inſtituta Euchariſtiam inter & humanitatem Chriſti comparatio, ita exploratum quoque eſt, Theodoretum, ac Gelaſium haud ſecus ac Chryſoſtomum, *naturæ* nomine, quam poſt conſecrationem *non deſinere*, ſed manere ſcripſerunt, non ipſam panis ſubſtantiam, ſed priorum accidentium complexionem deſignaſſe; de ſacris enim ſymbolis ibidem Theodoretus hæc habet: *alia quidem ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur, & alia fiunt.* Hæc ipſis Magdeburgenſibus Centuriatoribus Lutheranis tam perſpicua viſa ſunt, ut fateantur ingenue, tranſubſtantiationem eodem hoc in loco a Theodoreto firmari; quum enim poſt conſecrationem ſenſibilia panis accidentia non mutentur, nec alia fiant, conſequens eſt, ſacra dona invocatione mutari,

ri, & alia fieri, quod eorum ſubſtantia in corpus & ſanguinem Chriſti vertatur, ideoque Theodoretum, dum ibi ait, *manere illa in priori ſubſtantia & figura, & forma*, ne ibidem deliraſſe, & ſecum pugnaſſe dicatur, *ſubſtantiæ*, ſeu *naturæ* nomine ſolam naturalium panis, vinique proprietatum, quæ vere poſt invocationem remanent, complexionem indigitaſſe. Gelaſius quoque ſui ipſius Interpres eſt; Præmittens enim, *panem & vinum in divinam tranſire Sancto Spiritu perficiente ſubſtantiam*, ſatis aperuit, quid ſibi velint ea, quæ ſubiicit, *permanente tamen in ſua proprietate natura*, videlicet naturæ nomine non ipſam panis vinique ſubſtantiam ſive eſſentiam venire, quam in ſubſtantiam divinam, ſeu in corpus & ſanguinem Domini tranſire docuerat, ſed exteriores panis vinique ſpecies atque proprietates.

PROPOSITIO V.

Corpus Chriſti in Euchariſtia vere adeſt, non ſolum dum a fidelibus actu ſumitur, ſed quandiu ſpecies Euchariſtiæ perdurant, eique impendendus eſt latriæ cultus.

I. Recte ait Hoſpinianus Tigurinus Miniſter, Euchariſtiæ elevationem, adorationem, circumgeſtationem in publicis ſupplicationibus, ejuſdem ad infirmos delationem, & ciborio aſſervationem neceſſario conſequi, & inſeparabiliter comitari panis tranſubſtantiationem in reale & ſubſtantiale Jeſu Chriſti corpus, ſibi iccirco non conſtare Lutheranos, qui, quum realem & ſubſtantialem Chriſti in Euchariſtia præſentiam acerrime propugnent, legitima hæc dogmatis hujus conſectaria pernegant. Sane quid a veritate magis alienum, quam quod effutiunt Lutherani, Chriſtum videlicet in ſolo Euchariſtiæ uſu vere præſentem eſſe? Nonne, ut recte argumentatur Tridentinum ſeſ. 13. c. 3., *antequam Chriſtus Euchariſtiam Apoſtolis diſtribueret, antequam illam Apoſtoli actu ſumerent, Chriſtus, qui veritas eſt, enuntiavit, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus?* Porro ſi quum Chriſtus hæc dixit, corpus & ſanguis ejus ſub panis vinique ſymbolis nondum aderant, ſed incæptura erant ſolum adeſſe, quum Apoſtoli porrectum ſibi Sacramentum actu ſumerent, nonne evidens eſt, mentitum fuiſſe Chriſtum, qui in oratione non prophetica, ſed hiſtorica, ſive, ut ajunt Lutherani ipſi, *concionali*, atque *recitativa*, verbo præſentis temporis utens, id jam eſſe nitide, & abſque figura enuntiarit, quod nondum erat, ſed tantum futurum erat, quum ab Apoſtolis actu ſumeretur?

II. Quomodo etiam poſſunt Lutherani Euchariſtiam in templis aſſervandi morem vituperare, niſi primitivam Eccleſiam erroris accuſent, in qua compertiſſimum eſt, morem hunc univerſim obtinuiſſe, & ad noſtra uſque tempora apud omnes Chriſtiani nominis Societates religioſiſſime viguiſſe? *Conſuetudo*, ait idem Tridentinum, *aſſervandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut etiam ſæculum Nicæni Concilii eam agnoverit: Deferri autem ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc uſum diligenter in Eccleſia conſervari, præterquam quod cum ſumma æquitate & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum; quare hæc Sancta Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc, & neceſſarium morem ſtatuit.* Hæc ne vero abſque idoneis documentis e veneranda antiquitate petitis extulit Tridentinum? Euchariſtiam prioribus Eccleſiæ ſæculis fuiſſe religioſe aſſervatam, ad abſentes per Diaconos miſſam, domum a fidelibus delatam opportuno tempore, maxime quum perſecutiones ſæviebant, ſumendam, ac infirmis diſtributam, ſplendidiſſima aurei illius ævi Scriptorum, Juſtini, Irenæi, Tertulliani, Cypriani, aliorumque teſtificatione tam eſt exploratum, ut morem hunc vetuſtiſſimum agnoverint, atque confeſſi ſint Calvinus, & Beza, prior quidem lib. 4. inſtit. c. 17. ajens, *Qui ſic faciunt, habent Veteris Eccleſiæ exemplum*, alter vero, poſtquam illum eximie commendavit, adiiciens, *quem morem velim magnopere reſtitutum*. Tanta ne vero religione Euchariſtiam in ſacrario primitiva ſervaſſet Eccleſia, ſervarique juſſiſſet, niſi fuiſſet illi certiſſime perſuaſum, Sacramentum hoc non in ſolo uſu, ſed in re permanente conſiſtere, ſeu corpus Dominicum non ſolum dum a fidelibus actu ſumitur, ſed tandiu ſub ſacris ſymbolis vere adeſſe, quamdiu illa permanent?

III. Multo tamen intolerabilior eſt alter Lutheranorum omnium error, quo Unigenitum Dei filium, quem in hoc Sacramento vere præſentem eſſe fatentur, ex-

externo latriæ cultu adorandum non eſſe contendunt, audentque idololatriæ accuſare eos, qui hunc illi exhibent cultum. Execrabilem errorem hunc non Catholici omnes ſolum, ſed & Sacramentariorum Principes validiſſimis argumentis exagitant. Calvinus in opuſculo adverſus Heshuſium, *ſemper*, inquit, *argumentati ſumus*, *ſi Chriſtus in pane eſt*, *illum ibi adorandum eſſe*, *nam ubicumque ille eſt*, *certe honore*, *& obſequio ſuo fraudari non poteſt*. *Quid magis abſurdum*, *quam Chriſtum in pane ponere*, *eumque ibi non adorare?* *Cur non peccant*, inquit Zvinglius, *qui Chriſtum in Euchariſtia non adorant?* *Nullibi eſt Chriſtus*, *quin adoratione ſit dignus*; *ubicumque enim Deus eſt*, *ibi eſt adorandus*. *Si crederem*, ait Beza, *Chriſtum in cæna præſentem eſſe*, *non exiſtimarem ſolum*, *adorationem illi exhibitam tolerabilem eſſe*, *& religioſam*, *ſed eam crederem neceſſariam*. Gemina habent Hoſpinianus, Albertinus, Dallæus, aliique Calviniani Miniſtri; quoniam tamen Urſinus celebris Calvinianus & in Academia Hildebergenſi Theologiæ Profeſſor Scripturæ auctoritate, ratione, & exemplis, ſolidiſſime probat, ſi Chriſtus in Euchariſtia vere adeſt, adorandum illum a nobis eſſe, etſi Deum adorare non jubeamur, ubicumque ille adeſt, momenta ejus placet adferre, tum quod nullo nomine debeat ille Adverſariis ſuſpectus eſſe, tum quod ea valeant plurimum ad retundendam Picteti Genevenſis Miniſtri ac Profeſſoris impudentiam, qui a Calvini Magiſtri ſui, & celebriorum ſectæ ſuæ Scriptorum doctrina deſciſcens, peſſimæ hujus Lutheranorum cauſæ patrocinium aperte ſuſcipit, cultumque Euchariſtiæ a nobis impenſum ab idololatria purgari non poſſe blaterat, etiamſi Chriſtum in ea vere adeſſe credamus.

IV. „ Debemus, ait Urſinus *in confirmatione doctrinæ de Sacramentis*, abſque „ ulla exceptione implere, quidquid Deus „ generali & indefinito præcepto jubet, „ nec peculiari juſſione opus eſt, quoniam „ Deus ipſe exceptionem appoſuiſſet, ſi „ generali præcepto ſuo aliquam voluiſſet „ exceptionem ſubeſſe. Quum Deus ge„ neratim jubeat e. g., nos proximo be„ neſacere, & Magiſtratus colere, ſi quiſ„ piam proximum perire ſineret, negaret„ que Magiſtratibus obſequium, quum il„ los in itinere aut in templo obvios ha„ ber, hanc prætexens cauſam, quod Deus „ hæc illi officia hic vel alibi, vel in cer„ tis circumſtantiis non præſcripſerit, non„ ne cordatus quilibet illum a ratione ab„ errare cenſeret? Quum ergo Deus gene„ ratim edixerit, ut Filium ſuum colamus, „ *Dominum Deum tuum adorabis*, *Adorent* „ *eum omnes Angeli Dei*, Chriſtus autem „ præcepto huic nullam appoſuerit exce„ ptionem, adorare illum jubemur, ubi„ cumque illum vere adeſſe ſcimus, nec „ peculiaris juſſio expectanda eſt. Rurſus, „ ubicumque ſit creatura aliqua, in qua „ præcepit Deus, ut eum colamus, eo di„ rigenda eſt adoratio noſtra, & interior „ ac exterior noſtra ſervitus . . . Si Deus „ in humana potius Jeſu Chriſti natura „ adorari vult, quam in veteri lege ante „ arcam, æquum eſt maxime, adoratio„ nem cultumque illi a nobis ibi exhibe„ ri, ubi humanitatem Chriſti ſcimus, „ præſentem eſſe.“

V. „ Thomas Apoſtolus, num pecu„ liari juſſione opus habuit, ut Chriſtum „ adoraret? Mox ut eum cognovit, ex„ clamavit, *Dominus meus & Deus meus*. „ Omnes quoque pii, ac fideles abſque „ hæſitatione Dominum ſuum adorant, „ horrentque in quæſtionem adducere, „ an adorandus ibi ille ſit, ubi ſe vere „ eſſe teſtatur, & ubi illum eſſe, certio„ res ſumus, quam ſi illum, ſicut Tho„ mas Apoſtolus, corporeis oculis videre„ mus, ac manibus contrectaremus. Ni„ hil refert, an poſt conſecrationem pa„ nis ſubſtantia permaneat, an eſſe deſi„ nat, adſtricta reali ſive ſub pane, ſive „ ſub ejus ſpeciebus Chriſti *præſentia*. *Si* „ Lutherani, qui hanc Chriſti adoratio„ nem rejiciunt, apertos habuiſſent ocu„ los, vim certe hujus conſecutionis de„ prehendiſſent: Chriſtus Jeſus realiter „ ſub pane adeſt; ibi ergo ille adorandus „ eſt, abſque ſpeciali alia juſſione, quo„ niam ſive panis ſubſtantia perſtet, ſive „ fuerit tranſmutata, non minor illi vere „ præſenti honor ac reverentia debetur.“ Hactenus Urſinus, & quidem rectiſſime; ſi enim Paulus pronuntiat, in nomine Jeſu omne genu flectendum *cæleſtium*, *terreſtrium*, *& infernorum*, multo potiori titulo ipſemet adorandus eſt in Euchariſtia, non quod hæc ſecundum exteriorem ſui ſpeciem, quam ſenſibus offert, divinæ præſentiæ ſymbolum ſit, ut Pictetus comminiſcitur, ſed quia Jeſus Chriſtus verus Deus & verus homo ſub ſacris ſymbolis ve-

vere adeſt, dignuſque eſt, qui, ubicumque fuerit, adoretur.

VI. Hæc quum ita ſint, qua fronte Pictetus audet, nobis idololatriæ calumniam inferre, & Euchariſtiæ adorationem inter Papiſmi ſuperſtitiones numerare? Putidiſſimam hanc calumniam Romanæ Eccleſiæ a Lutheranis vel in ipſo ſchiſmatis exordio importatam inſtauranti Pi&eto reponimus, quod in Epiſtola ad fratres inferioris Germaniæ ſcribebat Eraſmus: *quum doceant, ſummam impietatem ac idololatriam eſſe, adorare Euchariſtiam, quod factum eſt ante ætatem Auguſtini, ac Cypriani, &, ut eſt credendum, ab ipſis traditum Apoſtolis, nonne damnant totam Eccleſiam?* Sane religioſiſſimum morem hunc ab ipſo Eccleſiæ exordio apud fideles obtinuiſſe, teſtes ſunt omni exceptione majores Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Theodoretus, aliique plurimi: idem ſemper non in Occidente ſolum, ſed & in Oriente factitatum, Orientales omnes Liturgiæ a Renaudotio productæ teſtatiſſimum faciunt; ex iis enim apparet, Græcos, Neſtorianos, Jacobitas, Syros, Ægyptios, Armenos, Æthiopes, alioſque cujuſque ſectæ in Oriente Chriſtianos ſupremum latriæ cultum Chriſto in Euchariſtia vere & ſubſtantialiter præſenti impendiſſe ſemper, & conſtanter impendere, uno hoc Orientalem inter & Occidentalem Eccleſiam intercedente diſcrimine, quod non ſicut in Latina Eccleſia, ſtatim a conſecratione fit in Oriente hoſtiæ elevatio, ſed paulo ante communionem clamante Diacono *Sancta ſanctis*; tunc enim adſtantes omnes humi procumbunt, & ad Chriſtum ceu præſentem ſuas dirigunt preces; qua facti certiſſima veritate conſtituta, intelligere Pictetus debet, non poſſe ſe Romanæ Eccleſiæ crimen idololatriæ & impietatis inferre, quin idem primitivæ Eccleſiæ, & omnibus Chriſtianæ profeſſionis Societatibus, imo & Apoſtolis ipſis, a quibus hoc dogma acceptum eſt, inferat.

VII. Regerenti Picteto, cumulum impietatis eſſe, Chriſtum in Euchariſtia adorare, etiamſi præſens eſſe credatur, quia in ea non ſe manifeſtat, adorandus autem ille non eſt, niſi ubi ſe aperit, Reſpondemus primo, nihil hac ejus blaſphemia magis impium eſſe, quum dignus ſit adoratione noſtra Chriſtus, ubicumque ille adſit, quemadmodum Calvinus, & omnes ferme Gregales ejus conſentiunt: 2. Si non eſt adorandus Chriſtus, niſi ubi ſe manifeſtat, idololatra ergo eſt Pictetus Chriſtum in cælis adorans, ubi non hominibus in terra degentibus ſe manifeſtat, ſed ſolis Angelis, atque Sanctis, qui & in Euchariſtia, teſte Chryſoſtomo, illum adorant. Eidem urgenti, idololatras eſſe Pontificios, primo quia adorant, quod corpus Chriſti non eſt, 2. quia panis vinique ſpeciebus latriæ cultum exhibent, Reſpondemus, mentiri illum, adorari a nobis, quod corpus Chriſti non eſt. Nonne unum ſemper eſt ſupremi cultus noſtri objectum, Chriſtus Jeſus? Etſi fieri quandoque poſſit, ut ſub Euchariſticis ſpeciebus vere non adſit, puta vel cum materies inepta aſſumitur, vel formæ ſubſtantia violatur, eum tamen adorantes ab idololatria procul abſumus; non enim quod videmus, ſed quod credimus, non quod ſenſibus ſeſe offert, ſed Chriſtum ipſum cultu digniſſimum adoramus. Eſſet quidem tunc error loci, quia Chriſtum ibi coleremus ceu præſentem, ubi vere non adeſt, nullus tamen eſſet error objecti, quia cultus noſter ad Chriſtum fide & intentione dirigitur, cui ſuprema adoratio debetur. Hæc certa adeo & obvia ſunt, ut duo celebres Lutherani Chriſtophorus Scheiblerus, & Chemnitius, nec non complures alii Proteſtantes Picteto æquiores omnem a nobis idololatriæ labem abſtergant, ſicut legere eſt in Bibliotheca univerſali an. 1687. edita.

VIII. Quæ vero eſt Picteti ſinceritas ſubjicientis, Idololatras omnes poſſe ſeſe hoc nomine purgare, ac reponere, nonniſi ad verum Deum cultum ſuum referri, ſi autem verus Deus forte non ſit, quem adorant, errorem hunc non objecti eſſe ſed loci? Solo ne labitur errore loci, qui colit, quod cultu indignum eſt? Nonne Ethnici Jovem, Bacchum, Venerem &c. in idolis ſuis colentes res cultu quovis indignas adoratione proſequebantur? Non erat ergo error hic loci tantum, ſed & objecti. Quum naturalis ratio dictet, nonniſi unum verum Deum eſſe, certo autem certius ſit, Ethnicos pluribus falſis Numinibus, quæ veros Deos eſſe credebant, adorationem impendiſſe, ſtupidus aut extreme impius ſit, oportet, qui eos ab idololatria purgari poſſe contendat. Quantum vero diſſimilis

eſt Catholicorum cauſa! Nonniſi Chriſtum in Euchariſtia, quem vere adeſſe credimus, adoramus; quod ſi hoſtia forte conſecrata non eſt, rectiſſimus tamen eſt cultus noſter, qui non ad panem ſenſibus obvium, ſed ad Chriſtum fidei & adorationis noſtræ objectum refertur. Neque minus impius eſt Pictetus, qui, ut Euchariſtiæ cultores idololatriæ damnet, ab hoc ſcelere purgare nititur Iſraelitas, qui vitulum aureum in deſerto, duoſque aureos vitulos in Dan atque Bethel a Jeroboamo locatos coluerunt. Quid enim a Scripturæ veritate magis alienum, quam Iſraelitas ſolum verum Deum in iis vitulis coluiſſe? Nonne Exodi 31., 3. Regum 12. & 14. & ſexcentis aliis in locis hi vitulorum cultores a Domino redarguuntur, quod verum Deum abjecerint, & *Deos Ægypti*, *Deos alienos*, *opera manuum ſuarum* coluerint? Hiccine ab homine, qui ſe Scripturis unice inhærere profitetur, pronuntiari poteſt error non objecti ſed loci? Fuit etiam ſolius loci error, quo capti Manichæi Chriſtum ceu præſentem in ſole adorabant? Legat Pictetus Auguſtinum, quo nemo certe Manichæorum doctrinam magis perſpectam habuit, diſcatque, quodnam eſſet adorationis Manichæorum objectum. *Manichæi*, ait ille tract. 24. in Jo., *ſolem iſtum oculis carnis viſibilem Chriſtum Dominum eſſe putaverunt, ſed Catholicæ Eccleſiæ recta fides improbat tale commentum, & diabolicam doctrinam eſſe cognoſcit . . . . . Non eſt ergo Dominus Chriſtus ſol factus, ſed per quem ſol factus eſt*.

IX. Peſſima quoque fide opponit Pictetus, coli a nobis panis accidentia, albedinem, rotunditatem, & totum quoddam, cujus Chriſtus eſt pars; quid enim reſponderet Incredulo Apoſtolos idololatriæ accuſanti, quod Chriſtum ſuis veſtimentis indutum adorarint, & blateranti, adoraſſe eos quoddam totum, cujus Chriſtus erat pars? *Omnes*, ait Epiphanius, *Regem purpura indutum adorant: Purpuram ne an Regem adorant? Profecto Regem: hunc tamen adorantes, purpuram cum eo adorant; ſed poſtquam ille purpuram exuit, & depoſuit, nemo eſt, qui eam adoret*. En retuſam Picteti calumniam, adorari a nobis ſcilicet Sacramentum, ideſt exterius ſignum, & ſolas panis vinique ſpecies; non enim in iis ſiſtit adoratio noſtra, ſed ad Chriſtum ſub iis vere præſentem, iiſque circumvelatum fertur. Quomodo etiam non eum pudet objicere, nuſpiam legi adoratum ab Apoſtolis Sacramentum? Sacramentum certe, ideſt nudum ſignum non adorarunt, rem tamen Sacramento contentam ſeu Chriſtum adorarunt certiſſime, quum in eum crederent, in eo ſperarent, eumque diligerent, in quibus actibus veræ adorationis eſſentia poſita eſt. Quid vero, ſi Orientalium more diſcumbentes Euchariſtiam ſumpſerunt? Quocumque corporis habitu edi poteſt perfectæ adorationis actus, nam & Jacob Patriarcha in lectulo recumbens Deum adoraſſe legitur, & in primitiva Eccleſia die Dominica conſuevıſſe fideles Deum adorare atque precari ſtantes, graviſſimus teſtis eſt Tertullianus. Quid etiam, ſi Scriptura diſerte non præcipit, ut Chriſtum in Euchariſtia adoremus? Quum adoratio hæc realis ejus in Euchariſtiæ præſentiæ conſectarium ſit, annon ſatis eſt, hanc a Scriptura luculenter eſſe intelligamus? Sicut etſi Scriptura Spiritus Sancti adorationem ſpecialiter non præcipiat, ſupremum tamen ei cultum deberi, inde certo colligimus, quod illum verum eſſe Deum Scriptura nos doceat.

X. Fatemur denique, ſi Chriſtus in Euchariſtia ſubſtantialiter non adeſſet, adorandum illum a nobis ibi non eſſe, etſi illum ibi, qua Deus eſt, titulo ſcilicet immenſitatis, vere adeſſe ſciremus, quia etſi omni tempore, omnique in loco interius adorationis, & ſervitutis obſequium Deo præſtare poſſimus, non jubemur tamen a Deo, illum latriæ exteriori cultu excipere omnibus in locis, omnibuſque in rebus, puta lignis, lapidibus, aqua &c. quibus ſua immenſitate ille adeſt. Annon vero expreſſe ille præcipit, ut eum in humana Chriſti natura publico & religioſo cultu certis in locis certoque tempore adoremus? Hunc Veteres Patres illud *ſcabellum pedum Domini* interpretantur, quod Pſal. 98. adorare jubemur, *quoniam ſanctum eſt*, *hanc etiam hodie in ſanctis myſteriis adoramus*, ait Ambroſius, *ſicut eam Apoſtoli adoraverunt, hanc nemo manducet, niſi prius adoraverit*, inquit Auguſtinus, ſicque *ſcabellum pedum Domini adoramus, quod non ſolum non delinquimus adorantes, ſed peccaremus*

non

non adorantes. Poſtremo quum ſuis quiſque oculis certior fieri poſſit, loqui Theodoretum de animalibus, quorum eſum Deus permiſit hominibus, ut eos ab idololatria abſtraheret, prævidens fore, ut multi animalia ceu Deos colerent, quo pudore Pictetus hæc Theodoreti verba, *ſtultum eſt adorare, quod manducatur*, adverſus Euchariſtiæ adorationem intorquet, quum argumentum, quod ibi verſat Theodoretus, toto cælo diſtet ab eo, quod hactenus perſecuti ſumus, quodque Theodoretus ipſe alibi apertiſſime confirmat?

QUÆSTIO VI.

De Euchariſtiæ neceſſitate.

I. IN hac de Euchariſtia, ut Sacramentum eſt, poſtrema quæſtione graviſſimæ difficultates extricandæ occurrunt, neque unus Novatorum error refellendus; Chriſti enim verbis perperam intellectis abuſi eam primo ajunt eſſe Euchariſtiæ neceſſitatem, ut ſine ea re ſuſcepta nulli aditus pateat ad ſalutem; imo Albertinus, Dallæus, aliique Calviniani Scriptores idem omnibus ferme antiquis Patribus, Auguſtino præſertim, perſuaſum fuiſſe contendunt, nec aliunde fluxiſſe morem, qui diu in Eccleſia obtinuit, Euchariſtiam videlicet infantibus miniſtrandi, quam ex communi & firmiſſima neceſſitatis hujus perſuaſione. Valde mirari ſubit, Claudium Sanctesium Pariſienſem Doctorem, & Tridentini Concilii Theologum eandem hanc falſam perſuaſionem Auguſtino aliiſque Veteribus adſcripſiſſe, Maldonatum quoque eximium ſacrorum Bibliorum Interpretem exiſtimaſſe, hanc de abſoluta Euchariſtiæ actu ſumendæ neceſſitate ſententiam ad ſexcentos annos in Eccleſia viguiſſe, quod quam falſo uterque ſcripſerit, colligere quiſque poteſt ex Tridentini Concilii declaratione ſeſ. 21. c. 4. teſtantis, *Etſi Veteres Patres infantibus Euchariſtiam miniſtrare conſueverint, ſine controverſia tamen credendum eſſe, id eos nulla ſalutis neceſſitate feciſſe*, & can. 4. dicentis anathema iis, qui *parvulis, antequam ad uſum rationis veniant, communionem neceſſariam eſſe pronuntiarint*; cui enim prudenti in mentem veniat, Tridentinum Concilium, quod definitiones & canones ad Scripturæ ſacræ & traditionis regulam perpetuo exegit, ſanxiſſe doctrinam, quam noſſet Veterum Patrum pleriſque adverſari, eamque opinionem voluiſſe proſcribere, quæ ſexcentorum annorum ſpatio in Eccleſia univerſim invaluiſſet? Neque Patribus ergo, neque Eccleſiæ umquam hæc inſedit opinio, quod præter memoratam Tridentini teſtificationem perſpicue demonſtrabimus, genuinam teſtimoniorum intelligentiam proferentes, quæ ex Patribus in erroris ſui præſidium Novatores arceſſunt.

II. Acerrimam ſubinde nobis litem inferunt de utriuſque ſymbolis Euchariſtici perceptione, quam divino præcepto omnibus neceſſariam eſſe decernunt, & Romanam Eccleſiam impietatis ac tyrannidis damnant, quod, divina juſſione contempta, Laicis uſu calicis interdixerit. Erit itaque a nobis in hac quæſtione vindicanda tum Eccleſiæ fides, tum diſciplina, quod tribus propoſitionibus exequemus; atque initium ab Euchariſtiæ neceſſitate capturi, duo primum cum Theologis neceſſitatis genera diſtinguimus, *medii* ſcilicet, & *præcepti*: ac quidquam primo modo dicimus neceſſarium, ſine quo obtineri nequit finis, illud vero ſecundo modo neceſſarium appellamus, quod eatenus tale eſt, quatenus eſt præceptum, neque alicujus ad obtinendum finem neceſſitatis eſſet, niſi caderet ſub præcepto, quod duplex eſſe, divinum nempe & Eccleſiaſticum, quodve ſit utriuſque diſcrimen, omnes norunt. Duo quoque in hoc Sacramento cum Angelico Doctore ſpectamus, ipſum videlicet *Sacramentum*, & *Sacramenti rem*, ſeu myſtici corporis unitatem, & cum eodem expendimus, Euchariſtiam percipi poſſe vel *actu*, & reipſa, vel *voto*, ſeu voluntatis propoſito proprio, vel alieno, *explicito*, ut ajunt, vel *implicito*, quæ omnia fuerant neceſſario prænotanda, quod hæc quæſtio vel ad ſolos adultos rationis uſu præditos coarctari poſſit, vel ad infantes ejuſdem uſu carentes extendi. His prælibatis, facile erit, Catholicæ Eccleſiæ doctrinam in pleno lumine collocare, & effuſas ei a Novatoribus tenebras diſpellere.

PRO-

PROPOSITIO I.

Actu Euchariſtiam ſumere neceſſitatis eſt, non medii, ſed præcepti divini, & Eccleſiaſtici, quod ſolos Adultos rationis uſu pollentes obſtringit.

I. Prima propoſitionis pars a Tridentino ſeſſ. 21. can. 4. definita, eo momento firmatur, quod nobis ibidem ſuppeditat Tridentinum declarans, baptizatis pueris neceſſariam non eſſe ad ſalutem Euchariſtiæ ſumptionem, quia *per baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam ætate illa amittere non poſſunt*, quam Tridentini rationem ita verſat Arcudius: „ Infantes ſolo baptiſmo ſanctificante gratia & vera juſtitia donari, qua vere filii, & hæredes Dei fiunt, & cohæredes „ Chriſti, veritas eſt in ſacris litteris, & „ Patrum ſcriptis teſtatiſſima; quum ergo a gratia Deique amicitia, nec non a „ jure ad cæleſtem hæreditatem ſola lethali „ culpa quis excidat, infantes mortiferæ „ culpæ pro ea ætate admittendæ incapaces gratiam nec amittunt, nec certe admittere poſſunt; ſi ergo, ut perſæpe „ contingit, ante rationis uſum e vivis excedant, gloriam æternam certiſſime conſequuntur, quæ gratiam ad finem uſque „ poſſeſſam neceſſario conſequitur, dicente Chriſto, *qui perſeveraverit uſque in „ finem, hic ſalvus erit*; non ergo alio „ opus habent Sacramento ad ſalutem. “ Quod de infantibus pronuntiat Tridentinum, adnotat Arcudius idem, in tot eos adultos quoque quadrare, qui mortem obeunt, priuſquam innocentiæ baptiſmo acquiſitæ jacturam faciant, quod in iis præſertim eſt apertiſſimum, qui recentes a baptiſmo in phreneſim aut amentiam perpetuam incidunt, aut qui expreſſo prius, dum mente valerent, baptiſmi voto, in amentia baptizantur; quum enim hi poſt baptiſmum neque peccarint, nec peccare potuerint, & gratiam amittere, morte tunc prærepti, certiſſime, Chriſto ipſo Judice, ſalvi ſunt, quum in finem uſque perſeverarint; non eſt ergo abſoluta Euchariſtiæ neceſſitas ad ſalutem, quum ſine ea, re, aut expreſſo voto ſuſcepta, baptizati æternæ vitæ compotes eſſe poſſint.

II. Eſſe vero Euchariſtiæ ſumptionem divino præcepto adultis fidelibus neceſſariam, probant Patrum plerique ea Chriſti ſententia Jo. 6. *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* qua Sacramentalis communionis præceptum contineri docent, quod omnes obſtringat, qui cæleſti hoc alimento egent, ut vitam habeant, ſive conſervent. Ex iiſdem Domini verbis hanc præcepti neceſſitatem repetit D. Thomas 3. p. q. 80. ar. 11., in quo recitata prius eadem hac Chriſti ſententia probat, non licere a communione omnino abſtinere, atque concludit, manifeſtum eſſe, debere hominem hoc Sacramentum ſumere, non ſolum ex Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Eccleſiaſtico demum præcepto, quo implendi divini hujus mandati tempus determinatum eſt, realem Euchariſtiæ ſumptionem adultis omnibus ratione vigentibus neceſſariam eſſe, patet luculentiſſime ex celeberrimo Concilii Lateranenſis quarti decreto: *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti . . . ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum . . . . alioqui & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura*. Præceptum hoc confirmavit Tridentina Synodus, Novatores, qui illud contemnebant, anathemate perſtringens ſeſ. 13. can. 9. *Si quis negaverit, omnes, & ſingulos fideles, quum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum juxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit*. Etſi autem ſæculo proxime elapſo laxiores quidam Theologi docerent, impleri hoc Eccleſiæ præceptum & ab iis, qui cum mortiferæ culpæ conſcientia Euchariſtiam in Paſchate ſumerent, jam tamen nefas eſt, id ſentire, quum Venerabilis Innocentius XI. ſolemni decreto an. 1677. edito hanc proſcripſerit adſertionem, *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*.

III. Plura Novatores intorquent adverſus primam propoſitionis partem, illudque præſertim ferociter urgent, quod Chriſtus Jo. 6. ait, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Inde ſibi videntur abſolutam Euchariſtiæ neceſſitatem conficere, quod hæc Chriſti ſententia gemina illi ſit, quam Chriſtus Jo. 3. habet,

Niſi

Digitized by Google

Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. , ex qua abſolutam baptiſmi neceſſitatem univerſi Pontificii concludunt . Verum abuti illos iis Chriſti Domini verbis , perſpicue demonſtratur, quum non una ſit apud Patres eorum interpretatio . Nonnulli, quos inter Sancti Auguſtinus , & Thomas , de hujus Sacramenti re , ſeu de corporis myſtici unitate ea interpretantur , quo ſenſu abſolutam medii neceſſitatem, qua omnes ſive adulti ſive infantes comprehendantur, iiſdem denotari, ultro concedimus , quum nulli , ait egregie D. Thomas , pateat ſalutis aditus, *extra Eccleſiam , ſicut nec in diluvio extra arcam Noe , quæ ſignificabat Eccleſiam , ut habetur* 1. *Petri c.* 2. Quando autem non plerique Patrum ſolum , ſed & iidem Auguſtinus & Thomas de Sacramentali Euchariſtiæ ſumptione eadem hæc verba exponunt, ſolam iis præcepti neceſſitatem ſubjiciunt, quod nonniſi in adultos cadere poteſt , qui certe ſtatuto tempore implere illud debent, vel re, ſi opportunitas adſit, aut voto , ſi legitimo detineantur impedimento . Nihil itaque laudatis Chriſti verbis adverſus Catholicam veritatem efficitur ; ſi enim in iis ſpiritualem manducationem , ſive myſticam cum Chriſto capite, ejuſque corpore Eccleſia conjunctionem intelligas , ea certe omnes cujuſque ætatis homines comprehendunt, atque omnibus medii neceſſitatem imponunt : ſi autem ad Sacramentalem Euchariſtiæ ſumptionem eadem flectas , ſolam denotant præcepti neceſſitatem, cui nonniſi adulti ſubeſſe poſſunt .

IV. Neque eadem ratio eſt , & geminus ſenſus eorum , quæ Chriſtus Jo. 3. de Baptiſmo, & Jo. 6. de Euchariſtia habet. Non illud perſequemur diſcrimen inter utramque ſententiam , quod ex utriuſque ſyntaxi , & ex ſermonis circumſtantiis petunt recentiores Theologi , quod ſit illud forte ſubtiliter magis, quam ſolide excogitatum, & idoneis exceptionibus elidi poſſit, ſed aliud multo ſolidius proferemus ex antiquiſſima Eccleſiæ doctrina atque conſuetudine ductum, qua nullum eſſe legum Chriſti ſaniorem Interpretem, ſæpe adnotavimus. Quæ enim ſemper fuerit de abſoluta baptiſmi neceſſitate Eccleſiæ perſuaſio, quæ eorum Chriſti verborum : *Niſi quis renatus fuerit &c.* conſtans atque communis intelligentia , ex publica Eccleſiæ profeſſione, & pervetuſto atque univerſali ejus more colligimus, ideoque in tractatu de baptiſmo abſolutam ejus neceſſitatem his potiſſimum momentis adverſus Calvinianos adſtruximus, quod *unum baptiſma in remiſſionem peccatorum* ſemper Eccleſia profeſſa fuerit , quod ubique teſte Auguſtino , *properaretur & curreretur , ad illud extreme laborantibus miniſtrandum* , quodque illud habitum ſemper fuerit ratum *a quolibet urgente neceſſitate datum* . Numquid vero Eccleſia probavit umquam , poſſe Euchariſtiam a quolibet confici , ut eam Adultis vel Infantibus jamjam morituris adminiſtret ? Numquid ejus a Miniſtro legitimo jam conſecratæ diſpenſationem in neceſſitatis articulo cuilibet concreditam eſſe ſenſit, aut a quolibet uſurpari, invariato more , permiſit ? Annon fideles graviorum criminum reos, & canonicæ pœnitentiæ ſubjectos , etſi ob inſtantem obitum reconciliationis beneficio donatos , aut Dominici corporis communione privavit Eccleſia , aut *eis communionem in morte propter humanitatem , ſeu pro miſericordia dari* permiſit ? Itane vero ſe geſſiſſet Eccleſia , quo tempore , etiam ipſis Novatoribus annuentibus , erat ejus & fides illibata , & diſciplina ſanctiſſima, ſi credidiſſet Sacramenti hujus uſum abſolutæ neceſſitatis eſſe ad ſalutem ? Diverſa hæc itaque conſuetudo , quam ab ipſo Apoſtolorum ævo in utriuſque Sacramenti adminiſtratione Eccleſia ſectata eſt , aperte declarat , fuiſſe illam a Spiritu veritatis edoctam , non eundem eſſe earum Chriſti ſententiarum intellectum , nec eandem utriuſque Sacramenti neceſſitatem.

V. Paulo difficiliora explicatu ſunt, quæ Auguſtinus hæc Chriſti verba interpretans habet lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 20. ajens : *Dominum audiamus dicentem de Sacramento menſæ ſuæ, quo nemo rite niſi baptizatus accedit , Niſi manducaveritis &c. . . . . An quiſquam dicere audebit, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat ? Ibidem addit* ; *Caro , quam ego dedero , caro mea eſt pro ſæculi vita , ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſæculi vita , & ſi non manducaverint carnem filii hominis , nec ipſi habebunt vitam* . Eadem ad Millevitavi Concilii Patres ſcribit S. Innocentius I. *Quod Pelagianos aſſerit veſtra fraternitas prædicare, parvulos æternæ vitæ premiis etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari , perfatuum eſt , niſi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint ejus ſanguinem , non habebunt vitam in ſemetipſis* .

Ge-

Gemina ſcripſit ad Epiſcopos Picænæ Provinciæ S. Gelaſius I. His teſtimoniis adducti ſunt non ſolum Calvinianorum plures, ſed & nonnulli Catholicorum, ut antiquis Patribus, Auguſtino præſertim, cui non erant admodum benevoli, errorem hunc a Tridentino expreſſe damnatum adſcriberent, a quo tamen illum, alioſque Patres egregie purgarunt Clariſſimi Cardinales, Perronius in reſponſo ad Jacobum I. Magnæ Britanniæ Regem, Pallavicinus lib. 17. hiſtoriæ Tridentini Concilii, Bona lib. 2. rerum Liturgicarum, & Noriſius in vindiciis Auguſtinianis, nec nec non Theologi plures, iique doctrina ſpectatiſſimi, quorum in veſtigiis inſiſtentes genuinam Auguſtini, aliorumque mentem aperiemus, & ab eis quamlibet erroris ſuſpicionem amoliemur.

VI. Quotquot in Auguſtini operum lectione verſati ſunt, norunt, Pelagianos inter Regnum Dei, & vitam æternam commentitio quodam excogitato diſcrimine blateraſſe, parvulos abſque baptiſmo obeuntes excluſum quidem iri a regno Dei propter eam Chriſti ſententiam: *Niſi quis renatus &c.*, non tamen ab æterna vita, a qua nulla eos culpa removebat, quem eorum inſanum errorem Auguſtinus in libris adverſus eos editis, tum aliis validiſſimis, tum hoc argumento refellit, atque demonſtrat, non ſolum a Dei Regno, ſed etiam ab æterna vita exulare parvulos ſalutari lavacro non tinctos, quod Chriſtus ipſe pronuntiarit, vitam non habituros eos, qui carnem filii hominis non manducarint, nec ejus ſanguinem biberint, quem cibum & potum, quum Chriſtus, Auguſtino ipſo Interprete, *ſocietatem* velit intelligi *corporis, & membrorum ſuorum, quæ eſt in prædeſtinatis, & vocatis, & juſtificatis Sanctis, & fidelibus ejus*, ab hac autem Sanctorum & fidelium ſocietate alieni ſint parvuli non baptizati, recte concludit Auguſtinus, non ſolum removendos illos a regno, ſed etiam a vita, quam habere non poſſunt, niſi qui rem Euchariſtiæ perceperint, ſeu qui ad Eccleſiæ pertineant unitatem. Audiendus Auguſtinus ipſe ſuam de iis, qui abſque reali Euchariſtiæ ſumptione decedunt, mentem in Epiſtola ad Bonifacium exponens: *Nulli eſt aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis, ſanguiniſque Domini participem fieri, quando in baptiſmate membrum corporis Chriſti efficitur, nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio, etiamſi, ante quam illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.* Rem itaque Sacramenti a Sacramento diſtinguens Auguſtinus, illam omnibus omnino ad æternam vitam neceſſariam eſſe pronuntiat, neque de æterna illius ſalute dubitandum eſſe, qui rem Sacramenti habens abſque ipſo deceſſerit Sacramento.

VII. Magiſtri ſui mentem probe aſſecutus S. Fulgentius Epiſcopus Ferrando Diacono de quodam Æthiope, qui recens a baptiſmo abſque Euchariſtiæ perceptione obierat, hæc reſcripſit: *Nullus debet moveri fidelium in illis, qui etſi legitime ſana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare, & ſanguinem ejus bibere non ſinuntur, propter illam videlicet Domini ſententiam, Niſi manducaveritis &c. Quod quiſquis . . . . in ipſo lavacro ſanctæ regenerationis fieri pervidebit; Quid enim agitur Sacramento ſancti baptiſmatis, niſi ut credentes membra fiant Domini noſtri J. C., & ad compagem corporis ejus Euchariſtica unitate pertineant? Quocirca quoniam unus panis unum corpus multi ſumus, tunc incipit unuſquiſque particeps eſſe unius illius panis, quando cœperit membrum eſſe illius unius corporis.* Eadem interpretatio Sanctorum Innocentii & Gelaſii teſtimoniis adhibenda eſt; eundem enim Pelagianorum errorem eodem Auguſtini argumento refellentes, quidni idem ſibi voluiſſe dicantur, non realis ſcilicet & ſacramentalis, ſed myſticæ atque ſpiritualis communionis neceſſitatem docuiſſe, nec quemquam poſſe vitam æternam habere, niſi ad compagem corporis Chriſti Eccleſiaſtica unitate pertineat, cujus quum parvuli per baptiſmum membra fiant, cenſendi non ſunt ab æterna vita alieni, etiamſi, antequam Sacramentum hoc actu ſuſceperint, ex hac vita in unitate corporis Chriſti myſtici conſtituti migraverint?

VIII. Quamquam vero pronuntiari Chriſtus, *carnem ſuam vere cibum, & ſanguinem ſuum vere potum eſſe*, non eadem tamen ſuperſubſtantialis hujus, ac cæleſtis cibi, & corporalis alimenti neceſſitas cenſenda eſt; „ alimentum enim corporale „ ait præclare Angelicus, convertitur in „ ſubſtantiam ejus, qui nutritur, ideoque „ non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem, niſi realiter ſumatur; ſed „ ali-

„ alimentum ſpirituale convertit hominem „ in ſeipſum, ſicut Auguſtinus dicit lib. „ 3. confeſſ. c. x. quod quaſi audivit vo- „ cem Chriſti dicentis ſibi: Creſce & „ manducabis me, nec tu me mutabis in „ te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mu- „ taberis in me: poteſt autem aliquis „ mutari in Chriſtum, & ei incorporari „ voto mentis etiam ſine hujus Sacramen- „ ti perceptione, ideoque non eſt ſimi- „ le. “ Licet etiam Clariſſimus Renaudo-tius documentis locupletiſſimis probet, olim ad decimum uſque ſæculum in univerſa Eccleſia conſtantem fuiſſe morem, Euchariſtiam parvulis miniſtrandi, eundemque hunc morem apud Græcos, aliaſque in Oriente Chriſtiani inſtituti ſectas etiamnum obtinere, demonſtrat tamen, nec antiquam illam & invariatam Eccleſiæ conſuetudinem, neque hodiernam Orientalium diſciplinam, huic, quem refellimus, Novatorum errori favere; Sicut enim Tridentina Synodus de priſca illa conſuetudine ſermonem habens declaravit, *etſi Sanctiſſimi illi Patres probabilem facti ſui cauſam pro illius temporis ratione habuerint, ſine controverſia tamen credendum eſſe, nulla ſalutis neceſſitate id ab eis factum*, ita Renaudotius certiſſimis momentis probat, neque Græcos (quod jam probarat Arcudius) neque alios Orientales, qui miniſtrandæ parvulis Euchariſtiæ morem a majoribus acceptum mordicus retineant, in adſerenda ejus abſoluta neceſſitate Novatoribus conſentire, & mentiri Ludolphum Calvinianum Scriptorem, qui Ægyptiis, atque Æthiopibus hunc errorem affingit.

PROPOSITIO II.

Laicis, & Clericis non conficientibus communio ſub utraque ſpecie neceſſaria divino jure non eſt.

I. Priuſquam veritatem hanc in Conſtantienſi Concilio primum ſeſ. 10. adverſus Boemos, poſtmodum in Tridentino ſeſ. 21. can. 1. adverſus Novatores ab Eccleſia Catholica definitam conſtabiliamus, operæ pretium eſt, prima erroris ab utroque Concilio damnati initia retegere. Ineunte quintodecimo ſæculo, ſcribit Æneas Sylvius, qui poſtea Pius II. fuit, coævus Auctor in hiſt. Boemiæ c. 35., „ Petrus quidam ludi Magiſter Jacobello „ celebri Concionatori ſuggerere cœpit, „ peſtilentem errorem jampridem in Eccle- „ ſia regnare, in qua ſub una tantum ſpe- „ cie corpus Dominicum populo miniſtra- „ batur, quum Jo. 6. Chriſtus illud ſub „ duplici panis vinique ſpecie ſumi jubeat, „ ajens; Niſi manducaveritis &c. Permo- „ tus his Jacobellus in templo majori S. „ Martini Pragæ commonere populum pu- „ blice cœpit, ne deinceps, communionem „ calicis, ſine qua ſalvari nemo poſſet, „ quoquo pacto negligeret. Jacobello o- „ mnes Hæretici conſenſerunt, haud mo- „ dica geſtientes lætitia, quod articulum „ inveniſſent in Evangelica lege fundatum, „ per quem Romanæ Sedis vel ignorantia, vel „ nequitia argui poſſet. “ Præ cæteris hunc errorem avidiſſime arripuerunt Joannes Hus, ejuſque Diſcipulus Hieronymus de Praga, eumque in popularium ſuorum animis tam alte infixerunt, ut in eo poſtea retinendo pertinaciſſimi fuerint, *Calixtini* idcirco dicti, quod in parietibus, in templis, in vexillis, ac in aliis quibuſque conſpicuis locis calicem ceu præcipuam ſectæ ſuæ teſſeram pingerent.

II. A Boemis derivatus eſt error iſte ad pſeudo-Evangelicæ reformationis Auctores Lutherum & Calvinum, quorum prior communionem ſub una ſpecie, ceu Chriſti inſtitutioni contrariam damnare, & Eccleſiam, quæ Laicis uſu calicis interdixerat, erroris accuſare auſus eſt, alter vero lib. 4. Inſtit. c. 17. hæc adverſus Dei Eccleſiam impudenter effudit: „ Ex eadem „ Diaboli officina prodiit & altera conſti- „ tutio, quæ dimidiam cœnæ partem me- „ liori Populi Dei parti furata eſt, vel e- „ ripuit, nempe ſymbolum ſanguinis, quæ „ paucis raſis, & unctis in peculium ceſ- „ ſit. Edictum æterni Dei eſt, ut omnes „ bibant, quod homo nova & contraria „ lege abrogare audet, edicens, ne omnes „ bibant. “ Magiſtris ſuis omnes ferme Diſcipuli concinunt, &, quemadmodum Clariſſimo Renaudotio animadverſum eſt, communio ſub utraque ſpecie eorum locorum unus eſt, de quo declamare ſolent adverſus Romanam Eccleſiam coram rudi Populo vehementiſſime, quaſi vero in uno hoc capite totius Chriſtianæ Religionis ſumma ſit poſita, hocque miniſtrandi Laicis calicis interdictum, & legitima cauſa ſit ſacrilegæ ſuæ ab Eccleſia ſeceſſionis, atque, ne cum ea rurſus communionem ineant, impedimentum invictum. Licet au-

Digitized by Google

tem in aliis fidei, & diſciplinæ capitibus traditionem, & Orientalium præſertim Eccleſiarum conſenſionem inverecunde contemnant, in hoc tamen antiquitatis auctoritatem, & Græcorum aliorumque Orientalium diſciplinam ferociter adverſus Romanam Eccleſiam urgent, perperam tamen & infeliciter, quemadmodum demonſtratum eſt a Theologis eximiis, Jacobo præſertim Benigno Boſſuet in ſuo de communione ſub utraque ſpecie tract., Renaudotio jam laudato lib. 8. de eodem hoc argumento, aliiſque, ex quibus potiora delibabimus, quæ refellendo errori huic, & Catholicæ veritati firmandæ ſint ſatis.

III. Quoniam autem nullus eſt Theologorum, qui non argumentum illud omnium præcipuum & validiſſimum verſet, quo utitur Tridentinum, ejuſdem Concilii verba primo exſcribemus, dein ex iis conflabimus demonſtrationem: *Ex ſermone illo Domini Jo. 6. non recte colligitur, utriuſque ſpeciei communionem a Domino præceptam eſſe; nam qui dixit, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dixit quoque, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, denique qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus, qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, ex quibus Tridentini verbis hoc argumentum exiſtit: Chriſtus ipſe Jo. 6. explicate teſtatur, victurum in æternum, qui panem hunc manducarit, id eſt, qui Sacramentum hoc ſumpſerit ſub panis ſpecie, quia ſub ea vere eſt ejus caro ad ſpiritualem æternamque mundi, ſeu hominum eam digne ſumentium vitam; non eſt ergo utriuſque ſymboli perceptio ab eo præcepta, atque ad ſalutem neceſſaria. Præclare hoc argumentum lib. 3. concordiæ c. 51. & ſequentibus perſequitur Arcudius, quod ab eo fuſo calamo pertractatum in hanc formam breviter contrahemus.

IV. Quatuor in Euchariſtia quum ſint, externa nimirum ſymbola, res contenta, ipſe ſcilicet Chriſtus, Sacramenti effectus ſeu gratia, & myſtica ſignificatio, ſymbola ipſa ſuapte natura neceſſaria eſſe ad ſalutem, nemo niſi fatuus dixerit; relinquitur ergo, utriuſque ſumptionem neceſſariam eſſe vel titulo rei contentæ, vel ſpiritualis effectus, vel ſignificationis. Num vero neceſſe eſt ad ſalutem utroque ſymbolo veſci titulo ſignificationis? Etſi cruentum Chriſti ſacrificium violenta ſanguinis a corpore ſeparatione peractum commemorare atque repræſentare jubeamur a Chriſto, hæc tamen repræſentatio Euchariſtiæ eſt, quatenus ut ſacrificium conficitur & offertur, non quatenus ſumitur, ut Sacramentum. Significat illa quidem, ut Sacramentum eſt, fidelium inter ſe, & eum Chriſto capite conjunctionem, nec non ſpiritualem animarum refectionem, quum a Chriſto cæleſtis inſtar convivii fuerit inſtituta; verum utramque hanc ſignificationem optime præfert alterutra ſpecies, nec ad eam utriuſque uſus eſt neceſſarius; ſive enim panis, qui ex multis granis conficitur, ſive vinum, quod ex multis acinis in unum confluit, teſtibus Paulo, & Auguſtino, myſticam æque denotant & fidelium inter ſe, & eum Chriſto conjunctionem; neque convivii ſignificatio jure ſuo utramque requirit ſpeciem; quum enim in ſpiritualibus, ait idem Auguſtinus, non ſit aliud fames, quam ſitis, neque aliis bonis ſeu gratiis depellatur, alterutrius ſpeciei ſumptione plene reficimur, ſimulque paſcimur & potamur; ſi quo ergo titulo neceſſe eſt ad ſalutem, utramque ſpeciem ſumere, non alio certe, quam vel effectus, vel rei contentæ. Verum quis poſſit alterutri horum nominum abſolutam utriuſque ſpeciei ſumendæ neceſſitatem alligare, niſi certiſſima fidei principia convellat? Nonne gratiam reficientem Euchariſtia in nobis efficit, quia ſub ea latet, & vere adeſt primus ipſe totius gratiæ fons & auctor Chriſtus verus Deus, & verus homo? Quum ergo ille totus & integer perinde ſit ſub alterutro ſymbolorum, & ſub qualibet eorum parte, ſtultum eſt, neceſſitatem utriuſque ſymboli ſumendi fingere, vel ut quis toti Chriſto jungatur, vel ut effectus Sacramenti hujus plen ſit particeps.

V. Quoniam vero Novatores, & Græcorum nonnulli divinam præſertim inſtitutionem, & Chriſti præceptum jactitant, quamquam iis Chriſti ſententiis, quas e Tridentino mox recitavimus, craſſa eorum aberratio ſatis revicta fuerit, alio tamen momento æque invicto ac perſpicuo, quod præclare verſarunt Georgius Caſſander Novatoribus nullo nomine certe ſuſpectus,

Bol-

Digitized by Google

Boſſuet, Arcudius, & Renaudotius, os eorum obſtruimus. Quamquam negare nemo poſſit, communionem ſub utraque ſpecie priori Eccleſiæ ævo uſitatam fuiſſe, & frequentiſſimam, facti tamen veritas eſt, in Patrum libris, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis teſtatiſſima, conſuetudinem illam non uſque adeo fuiſſe conſtantem, & ratam, ut aurea etiam ætate illa mos non obtinuerit, alterutram tantum ſpeciem fidelibus non conficientibus miniſtrandi. Memorati eximii viri luculentiſſimis Juſtini M. in apologia 2., Irenæi in epiſt. ad Victorem Papam, Tertulliani in lib. 2. ad Uxorem, Cornelii Papæ in epiſt. ad Fabium Antiochænum, Dyoniſii Alexandrini in epiſt. ad eundem Fabium, Cypriani in lib. de lapſis, Ambroſii in lib. de obitu Satyri fratris ſui, Paulini Diaconi in vita ejuſdem Ambroſii, Baſilii M. in epiſt. ad Cæſariam Patriciam, aliorumque teſtimoniis evincunt, Euchariſtiam ad abſentes, infirmos præſertim, tranſmiſſam, domi ſervatam, in longis itineribus, aut navigationibus a fidelibus ſecum delatam ſub ſola panis ſpecie opportune ſumendam, Anachoretas vaſtæ eremi incolas communionem domi ſervantes (ut Baſilius loco mox laudato loquitur) ſub panis ſacrati particulis, quas vel ex Eccleſia, ad quam recurrentibus ſolemnitatibus conveniebant, ſecum retulerant, vel ad eos tranſmittebant, aut ferebant Sacerdotes, *per ſe ipſos, quum volebant, communicaſſe*, ſolum denique Euchariſticum panem in publicis ipſis fidelium cœtibus quandoque Adultis miniſtratum, infantibus vero ſolum Dominicum calicem frequentiſſime diſtributum.

VI. Ex certiſſima hac facti veritate hæ demonſtrationes exurgunt: Primo, quidquid divinam inſtitutionem certo refert, illud omnino immotum eſt atque ratum, neque humana qualibet auctoritate mutari, aut convelli poteſt; ſi ergo communionis ſub utraque ſpecie uſus priori etiam Eccleſiæ ævo non adeo conſtans fuit, & fixus, quin primitiva etiam Eccleſia pro locorum, temporum, rerumque conditione illum immutarit, & alterutrum Euchariſtiæ ſymbolum fidelibus miniſtrarit, evidens eſt, utriuſque ſymboli adminiſtrationem nec divinæ inſtitutionis eſſe, neque a Chriſto præceptam: 2. aut prioris ævi Eccleſia certo novit, quod ſub quintidecimi ſæculi initium Petrus Dreſdenſis Magiſtellus omnium primus vulgare cœpit, & Boemorum pleriſque perſuaſit, quodque ſextodecimo ſæculo Novatorum Coriphæi latius pervulgarunt, Chriſti ſcilicet inſtitutione ac mandato Euchariſtiam ab omnibus ſub utroque ſymbolo ſumendam eſſe, aut ignoravit, neque legitimum eorum Chriſti verborum, niſi manducaveritis &c. ſenſum aſſecuta eſt; ſi poſterius, Deus itaque, qui verbum ſuum non ſolum Eccleſiæ credidit, ſed Iſajæ 59., promiſit fore, ut verbi ſui intelligentia *de ore Eccleſiæ non deficeret amodo & uſque in ſempiternum*, promiſſo ſuo non ſtetit, Spiritus quoque Paraclitus, qui ex Chriſti promiſſione debebat ei omnia ſuggerere, quæcumque ille mandaverat, tandiu neglexit officium ſuum, eoque ineunte ſolum quintidecimo ſæculo defungi cœpit: ſi prius, primitiva ergo Eccleſia præceptum Chriſti probe cognitum aperte violavit, inſtitutionem ejus ſacrilege refixit, Sacramentum hoc dividens, & commemorationem mortis Chriſti evacuans: qui poterat ergo vera Chriſti Eccleſia eſſe, cujuſque erroris & labis expers, ſicut omnes paſſim Novatores affirmant?

VII. Etſi erroris ſui arcem Boemi primum, ſubinde Novatores locarint in iis Chriſti verbis: Niſi manducaveritis &c. in eorumdem tamen germano intellectu miſere illos cæcutiviſſe, ea demonſtrant, quæ, ut inter probandum expendimus, Tridentinum ex eodem Joannis capite deprompſit, quibus Chriſtus ipſe verborum ſuorum Interpres, alterius ſpeciei ſumptionem ad æternam vitam ſatis eſſe declarat, ut eundem prorſus effectum, æternæ ſcilicet vitæ conſecutionem, quem utriuſque ſpeciei ſumptioni tribuit, alterutrius quoque ſumptioni ibidem haud ſemel adſcribit; quare ſententia illa: Niſi manducaveritis &c. ſenſum habet non copulativum, ut Theologi de ſchola loquuntur, ſed diſjunctivum, & particula & idem ſonat ac *vel*, quod conſueto Scripturarum loquendi mori congruere, pluribus exemplis oſtendi poſſet. Hæreticorum tamen aberratio validius coarguitur ipſamet Domini ſententia, quam detorquent; quum enim Chriſtus alienum a vita pronuntiet eum, qui carnem ejus non ederit, nec ſanguinem biberit, vitam æternam certe, eodem ipſo Judice, habiturus eſt, qui carnem ejus edit, & ſanguinem bibit: Verum nonne quotquot alterutram duntaxat ſpeciem ſumunt, Chri-

 ſti

Digitized by Google

ſti carnem vere edunt, & ſanguinem bibunt, quum totus & integer Chriſtus ſub alterutra vere ſit, &, Grotio ipſo interprete, *caro & ſanguis hoc loco pro ipſo Chriſto ponantur, ſicut partes ſeparatim poſitæ totum ſæpe deſignant, ut cælum & terra totam mundi compagem*, 2. *Petri c.* 3.? Rem plane conficit, quod 1. ad Cor. XI. Paulus ait: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini, indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, quam Pauli locutionem disjunctivam eſſe, non ex Vulgata ſolum, ſed & ex Græco primigenio textu, & ex Cypriano in lib. de lapſis, & epiſt. 14. & 15., qui non aliter legit, aperte patet; quum enim Euchariſtiam ſub panis aut vini ſpecie indigne ſumens, Dominici corporis ſimul & ſanguinis, Paulo teſte, abſolute ſit reus, annon evidens eſt, quemadmodum alterutrius ſpeciei indigna ſumptione Dominici corporis & ſanguinis reus, & condemnationi obnoxius quiſpiam efficitur, ita digna ſub una aut altera ſpecie communione totius Chriſti, æternæque vitæ fideles vere participes fieri?

VIII. Cavillanti porro Picteto, dixiſſe Chriſtum, *niſi biberitis* &c. ideoque præcepto ejus non parere illos, qui ſanguinem Chriſti ſub panis ſymbolo ſumunt, comedunt enim, non bibunt, reponimus cum Clariſſimo Bellarmino, in ea Chriſti ſententia non ſumendi modum, ſed rem ipſam ſpectandam eſſe; neque enim ad hunc vel illum ſumendi modum, ſed ad rem ipſam ſumendam ſupremus Legislator obſtringere fideles voluit, quum perceptionis hujus fructus ex re ipſa percepta ſit, non ex modo, ſicut pharmacum prodeſt, non quia editur vel potatur, ſed quia ſanandi virtute pollet; quare Chriſtus ipſe, qui dixerat: Niſi *manducaveritis*, & *biberitis*, eſum & potum illum ſubinde explicans ait, *Qui manducat me, vivet propter me, qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Totum ergo Chriſtum edendo ſumimus, & vivimus. Eidem Pictero ea Chriſti in ſuprema cæna ad Apoſtolos verba: *Manducate ex hoc omnes, bibite ex hoc omnes*, imperite ad erroris ſui patrocinium torquenti, reſpondemus cum Arcudio, Chriſtum quandoque Apoſtolos allocutum ut privatas perſonas, interdum ut Epiſcoporum ac Sacerdotum Perſonam gerebant, quandoque vero ut totam Eccleſiam repræſentabant, in noviſſima vero cæna inſtituiſſe illum Euchariſtiam ut Sacrificium ſimul & Sacramentum, ſive convivium in ſalutarem totius Eccleſiæ uſum, ideoque, ut quod ille fecit, faciendumque juſſit, reipſa præſtetur, ſatis eſſe, ſi in Eccleſia ſint, qui ſacrificent, qui diſtribuant, qui ſumant, qui comedant, atque bibant; Corpus enim Chriſti myſticum hæc omnia implet, licet non per ſingulos fideles omnia, quoniam, ut ait Apoſtolus, *omnia ejuſdem corporis membra non eumdem actum habent*. Ne vero contentionis ſunem cum Picteto ducamus de Perſona, quam Apoſtoli iis a Chriſto verbis ad manducandum, bibendumque excitati gerebant, liberaliter damus, eos tunc fidelium omnium Perſonam ſuſtinuiſſe: quid tum? Unum id ſequitur, recte ait Arcudius, utriuſque ſymboli uſum omnibus fuiſſe conceſſum; neque enim jure divino quiſpiam ab eo arcetur, ſed neque eodem jure quiſpiam ad eum cogitur, quum ea verba: *comedite*, *bibite*, invitantis ſint, & porrigentis, ut fieri in quovis convivio ſolet, non imperantis, iiſque gemina ſint, quæ Prov. 9. de hoc Sacramento prophetice dicta legimus: *Sapientia ... locuta eſt, venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*.

IX. Nec quidquam commodi referre Novatores poſſunt ex iis, quæ 1. ad Cor. 11. cœnæ Dominicæ inſtitutionem narrans habet Apoſtolus a Chriſto dicta, *Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorem*; epiſt. enim 130. adverſus Boemum quendam ſcribebat Æneas Sylvius, „ quoniam Evangeliſtarum nemo ea, quæ „ Paulus refert, Chriſti verba commemo„ rat, locutionem Pauli adcurate expen„ dendam, qui ait, *hoc facite*, *quotieſcum*„ *que biberitis &c.* ideſt, quum neceſſe „ fuerit calicem bibere, quando nimirum „ conficietis, & ſacrificium offeretis, *hoc* „ *facite in meam commemorationem*, quod „ ſolis Sacerdotibus convenit. “ Cæterum eo non ad ſolos Sacerdotes, ſed ad fideles omnes ea Pauli verba ſpectarent, ſtipes ſit, oportet, qui non intelligat, non jubere illum, ut omnes bibant, ſed ut, quotieſcumque biberint, ad Dominicæ paſſionis memoriam id referant. At regerunt Novatores, nequit hæc Dominicæ paſſionis commemoratio fieri, niſi utriuſque ſymboli uſu, quia utroque ſanguinis Chriſti a corpore violenta ſeparatio repræſentatur. Verum Boemis hoc idem olim objicientibus ſolide reſpondebat idem Æneas

Syl-

Sylvius, errare illos, quod in Euchariſtia Sacrificii & Sacramenti rationem non internoſcerent. Ad ſacrificium utriuſque ſymboli conſecratio neceſſaria eſt, quia cruenti illius, quod Chriſtus in cruce obtulit, quodque violenta ſanguinis a corpore ſeparatione peractum fuit, commemoratio atque repræſentatio eſt. In hujus tamen Sacramenti uſu, in quo ſub viſibili ſymbolo inviſibilis gratia nobis traditur, ſufficit repræſentatio Chriſti paſſi, quam panis ſpecies abunde refert, quia & Dominus grano tritici ſe comparavit, qui mortuus eſt, ut multum fructum afferret. Probant hoc Ænææ reſponſum Theologi omnes ceu ſolidiſſimum; nam ſicut diſtincta utriuſque ſpeciei conſecratione, qua Euchariſticum ſacrificium vere perficitur, cruentum Chriſti ſacrificium repræſentatur, ita dum alteram ſine altera ſpeciem ſumimus, & quidquid ad Sacramenti ſubſtantiam adtinet, vere percipimus, & Chriſti pro nobis paſſi ac immolati memoriam recolimus, quum panis ſpecies etſi ſola, corporis Chriſti ſit ſenſibile ſignum, & ſumpta ſine calice Chriſti corpus nobis repræſentet ut paſſum, & in ara crucis a ſanguine ſeparatum.

X. Fatemur vero, expreſſam magis, magiſque diſtinctam Dominicæ paſſionis commemorationem utroque ſymbolo fieri, quæ licet ad ſacrificii rationem neceſſaria ſit, non tamen ad Sacramenti perfectionem; Ut enim 3. p. q. 80. art. 14. præclare ait Angelicus, „ Repræſentatio Dominicæ paſ„ſionis agitur in hujus Sacramenti conſe„cratione, in qua non debet corpus ſine „ſanguine conſecrari; poteſt tamen cor„pus ſine ſanguine ſumi a populo, nec „exinde ſequitur aliquod detrimentum, „quia Sacerdos in Perſona omnium of„fert & ſumit, & ſub alterutra ſpecie „totus Chriſtus continetur. “ Etſi autem utraque ſpecies perfectiorem ſignificationem habeat, quam una tantum, ait Cardinalis Cajetanus, major hæc tamen ſignificationis perfectio neque ullam in re ſignificata diverſitatem inducit, neque ad Sacramenti ſubſtantiam adtinet, ſicut etſi trina merſio, quæ olim in Baptiſmo fiebat, tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas in quarum nomine baptizamur, diſtincte magis ſignificaret, & perfectius repræſentaret, baptizatum, ut ad Rom. 6. ſcribit Apoſtolus, conſepeliri Chriſto, & cum eo in novitate vitæ reſurgere, nobis tamen conſentiunt Novatores, nihil Baptiſmi veritati ac perfectioni detrahi, etſi ſola infuſione aut aſperſione adminiſtretur, quod perfectior illa, magiſque expreſſa ſignificatio, quæ immerſioni, eique trinæ ineſt, extra baptiſmi ſubſtantiam ſit. Quum Dominus Vernetus hoc e Baptiſmo petitum exemplum Picteto oppoſuiſſet, Genevenſis Miniſter infelix hoc effugium eſſe reſpondit, primo quia Chriſtus ſalutem noſtram Baptiſmo non alligavit: 2. quia magnum inter varios baptizandi modos, & ambas Euchariſtiæ ſpecies diſcrimen intereſt; Chriſtus enim tantum ait, *baptizate*, de Euchariſtia vero loquens ait, *Comedite*, *bibite omnes*. Hinc tamen apparet, quam ſit exemplum hoc efficax, & Pictеto moleſtum, quoniam eludere illud abſque intolerando errore non potuit. Nonne etenim totam Eccleſiam damnat, ut ajebat Auguſtinus, baptiſma negans neceſſarium ad ſalutem? Nonne, ſi velit ſuis principiis ſtare, quum Calvini omniumque Gregalium ejus ſententia ſit, ſalutem noſtram Sacramentis non eſſe alligatam, idem de Euchariſtia pronuntiet, neceſſe eſt? Illud denique Pictetus recogitare debuerat, *baptizare* idem proprie eſſe, ac *mergere*, Chriſtum merſione baptizatum, nec aliter a Philippo baptizatum Eunuchum, neque ullibi Scripturam docere, infuſionis aut aſperſionis modum ab Apoſtolis baptizantibus uſurpatum. Numquam nodum illum Pictetus expediet, niſi legitimum legum Chriſti interpretem adeat, primitivæ ſcilicet Eccleſiæ conſuetudinem, ex qua Catholici certiſſime inferunt, neque certum adminiſtrandi Baptiſmi modum, neque utriuſque ſymboli uſum non conficientibus a Chriſto fuiſſe præſcriptum.

XI. Quam eſt vero idem Pictetus ineptus, communionem ſub una dumtaxat ſpecie a Sanctis Leone Magno, & Gelaſio I. damnatam eſſe contendens, ductumque ex eorum teſtimoniis argumentum, quaſi ſit illud invictum, tribus ſuis in operibus repetens! Quid enim habent Sancti ii Pontifices, quod Pictеto vel leviſſime ſuffragetur? Loqui Gelaſium de Sacerdotibus, ſentit D. Thomas ejus teſtimonium exponens, qui ſicut totum Sacramentum conſecrant, ita toti communicare debent; *quale enim erit*, ut legitur in Toletano Concilio, *ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?*

Hoc

Digitized by Google

Hoc D. Thomæ reſponſum priſcis quibuſque Scholaſticis, & Recentioribus multis probatur, quod ſit illud non ſolum planum, facile, & expeditum; ſed & a juris Pontificii Magiſtris] hauſtum, quum illud adhibeat Gloſſa Decreti, & Caput *Comperimus*, in quo Gelaſii verba recitantur, apud Gratianum titulum hunc præfixum habeat: *Corpus Chriſti non* debet Sacerdos *ſine ſanguine accipere*. Quamquam ſi velimus ad utriuſque Pontificis ſcopum propius accedere, reſpondere poſſumus cum Recentiorum pleriſque, notatos iis verbis ab utroque Pontifice Manichæos, quorum multi tunc Romæ erant, atque ad ſacra myſteria cum Catholicis accedentes, ore indigno, ut ait S. Leo, *corpus Chriſti ſumentes ſanguinem redemptionis noſtræ haurire omnino declinabant*, quod vinum ceu *fel principis tenebrarum*, & Diaboli opus averſarentur. Ita porro *Euchariſtiam dividere, & a calice ſacri cruoris abſtinere* hac de cauſa, quis *grande ſacrilegium eſſe*, cum Gelaſio non pronuntiet? Procul tamen a ſacrilegio hoc abſunt Catholici, qui neque Sacramentum dividunt, ſub cujus alterutra ſpecie totum ac integrum Chriſtum vere adeſſe, atque ſumi, conſtanter credunt, neque ab uſu calicis ceu malo abſtinent, ſed ut Eccleſiæ pareant, quæ illum juſtis de cauſis jam pridem ſuſtulit.

XII. Ad obſtruendum poſtremo Calvini os declamantis, ab Apoſtolis ad mille uſque annos ſine ulla exceptione fideles omnes utriuſque ſymboli fuiſſe participes, extare Eccleſiaſticas hiſtorias, & Veterum libros, qui aperta hujus rei teſtimonia ſuggerunt, non alio opus eſt, quam monumentis iis, quæ ex Patrum ſcriptis, & Eccleſiaſtica hiſtoria a Viris Eruditiſſimis prolata breviter jam indicavimus, quibus addere poſſumus *præſanctificatorum Miſſam* antiquiſſimi in Eccleſia uſus, cujus in Laodicæno Concilio, quod ſolido decennio Magni Nicæni celebrationem præceſſit, occurrit mentio; in ea etenim ſolam panis ſpeciem vel pridie, ut apud Latinos feria ſexta paraſceve, aut Dominica die conſecratam, ut apud Græcos & reliquos Orientales infra quadrageſimæ tempus, Sacerdotes ſumunt, cujus moris in Occidentali, & Orientali Eccleſia univerſim obtinentis deprehendi prima initia non poſſunt; adeo veteſtus ille eſt, & primitivæ Eccleſiæ coævus. Damus Calvino, veterem Eccleſiam non ignoraſſe, quos Convivas ad menſam ſuam Chriſtus admiſerit; verum quum certo certius ſit, numquam permiſiſſe illam, ut Sacerdotes celebrantes alteram ſine altera ſpeciem ſumerent, Laicos vero modo unius, modo utriuſque ſymboli feciſſe participes, argumento eſt, edoctam illam a Chriſto fuiſſe, ſolos Sacerdotes conficientes utriuſque ſpeciei ſumendæ præcepto obſtringi, non vero Laicos aut Clericos non conficientes. Extant Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, extant veterum libri, qui, quum aperta veritatis hujus teſtimonia ſuggerant, Calvinum talia ſcriptitantem, aut ignorantiæ, aut malitiæ revincunt.

PROPOSITIO III.

Potuit Eccleſia ſummo jure calicis uſu Laicis interdicere, neque in eo interdicendo erravit.

I. Mirum certe eſt, & monſtro ſimile, Novatores tantas adverſus Romanam Eccleſiam tragædias excitare ob ſublatum Laicis calicem, quod caput non fidei, nec divinæ inſtitutionis, ſed meræ diſciplinæ eſſe, ab ipſo Apoſtolorum ævo ad noſtram ætatem uſque univerſæ Eccleſiæ perſuaſum fuit, quemadmodum invicte demonſtratum eſt a præclariſſimis Theologis, Cardinali præſertim Perronio in ſuo ad Jacobum I. Angliæ Regem reſponſo, Boſſueto in ſpeciali de hoc argumento tractatu adverſus Georgium Calixtum Lutheranum, & Renaudotio adverſus Voſſium, Fehlavium, alioſque Miniſtros, qui Calixtum exſcripſerunt, & ex iis, quæ mox a nobis prolata ſunt, abunde patet, eos vero, quibus certitudine fidei, ut ipſi ajunt, perſuaſum eſt, utriuſque ſpeciei uſum divinæ inſtitutionis eſſe, ac ſummæ ad ſalutem neceſſitatis, nec alteram ſine altera ſpeciem tradi poſſe abſque Sacramenti diviſione, & Chriſti injuria, in ſuis Pſeudo-Synodis, Pictavienſi an. 1560., & Charentonica an. 1631. celebratis, nec non in Diſciplina Eccleſiaſtica c. 13. art. 7. decreviſſe, *panem cœnæ tantum iis adminiſtrandum eſſe, qui vinum bibere nequeunt, proteſtantes tamen, ſe id non facere in deſpectum*, & art. 10. *poſſe non*

dari

dari calicem iis, quibus grave eſt, poſt alios eum ſumere. Quid hoc eorum judicio temerarium magis, magiſque iniquum? Jure ipſi ſibi videntur agere, ſi a ſumendo calice certas perſonas eximant, cujus neceſſitatem tamen omnibus a Chriſto impoſitam eſſe contendunt, nec ſuam abſque eo conſtare Sacramento integritatem, contra vero inexpiabilis ſceleris ream agunt Romanam Eccleſiam, quod Laicis ejus uſu interdixerit, etſi ignorare non poſſint, calicis uſum non alio, quam diſciplinæ capitis loco ab Eccleſia haberi, neque alio loco haberi poſſe, a Romanæ Eccleſiæ Theologis omni argumentorum genere confirmari. Quo vero magis hæc eorum temeritas & iniquitas coarguatur, momenta addemus, quibus utraque propoſitionis pars ad liquidum perducetur.

II. Primo Chriſtianis omnibus ratum eſt, quod lib. de velandis Virginibus veriſſime Tertullianus ajebat: *Regula fidei una omnino eſt, ſola immutabilis, & irreformabilis: hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet, & proficiente uſque in finem gratia Dei*; ſi ergo calicis uſus non eſt omnibus a Chriſto præceptus, ſi eo ſublato *lex fidei manet*, totus enim & integer Chriſtus ſub alterutro ſymbolo vere eſt, vere ſub alterutro caro ejus, & ſanguis ſumitur, reliquum eſt, uſum calicis ad meræ diſciplinæ capita pertinere; quum ergo hæc *novitatem correctionis admittant*, & Eccleſiæ poteſtati obnoxia ſint, potuit illa ſummo jure Laicis calicis uſu interdicere, operante ſcilicet & proficiente uſque in finem gratia Dei, ideſt, ut idem Tertullianus adjicit e veſtigio, *operante Vicario Domini Spiritu Sancto, ut paulatim dirigeretur, ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina*. 2. Auguſtinus in celebri ad Januarium Epiſtola docet, etſi Chriſtus hoc Sacramentum Apoſtolis poſt cibos dedit, non propterea fideles cænatos aut pranſos debere ad Sacramentum hoc accipiendum convenire, aut menſis ſuis miſcere, aut Eccleſiam Catholicam calumniari, quod ubique nonniſi a jejunis ſumatur, quia Chriſtus non præcepit, quod deinceps tali ordine ſumeretur, ut Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc modum, Apoſtoli autem mutationem hanc iis Pauli verbis comprehenderunt, *Cætera, quum venero, diſponam*; *ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicus corpus intraret, quam exteri cibi, nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur*; quum ergo eadem illa poteſtas, qua Apoſtoli cætera ad Sacramentorum venerationem, & fidelium utilitatem pertinentia diſponere potuerunt, ad eorum in Eccleſiæ regimine ſucceſſores derivata ſit, ſicut primitiva Eccleſia ſumptionem Euchariſtiæ poſt cibum, Chriſti licet & Apoſtolorum exemplo fultam, & myſteriorum plenam legitime commutare potuit, & contrarium morem inducere, ita ſequioris ævi Eccleſia eadem poteſtate pollens communionem ſub utroque ſymbolo, etſi *ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequentem*, neque tamen præceptam a Chriſto, neque ad Sacramenti ſubſtantiam neceſſariam tollere, & *conſuetudinem ſub altera tantum ſpecie communicandi* ſancire.

III. Multas quidem tum Cardinalis Perronius laudato loco, tum Recentiores Theologi cauſas afferunt, quibus ad auferendum communem calicis uſum Eccleſia permota fuit, eas vero juſtas ac rationabiles fuiſſe, dubitare nefas eſt, poſt ſecundum Tridentini canonem ſeſ. 21. latum: *Si quis dixerit, Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis, ac rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, & Clericos non conficientes ſub panis tantum ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit*. Cæteris tamen miſſis unam illam, eamque præcipuam perſequemur, quam 3. p. q. 80. ar. 12. verſat Angelicus, quamque adverſus Boemos urget ſeſ. 13. Conſtantienſe Concilium: „ Ex „ parte ſumentium, ait Angelicus, requi„ritur ſumma reverentia, & cautela, „ ne aliquid accidat, quod vergat ad in„juriam tanti myſterii, quod præcipue „ poſſet accidere in ſumptione ſanguinis, „ qui quidem ſi incaute ſumeretur, de „ facili poſſet effundi; & quia crevit „ multitudo populi Chriſtiani, in qua „ continentur ſenes, & juvenes, & parvu„li, quorum quidam non ſunt tantæ di„ſcretionis, ut cautelam debitam circa „ uſum hujus Sacramenti adhibeant, ideo „ provide in quibuſdam Eccleſiis obſerva„tur, ut populo ſanguis ſumendus non „ detur, ſed ſolum a Sacerdote ſuma-

„ tur,

„ tur. “ Rationem hanc omnium optimam eſſe, & auferendo promiſcuo calicis uſui, quamquam ſola foret, plene ſufficere, egregie demonſtrarunt Clariſſimi Boſſuetus & Renaudotius memoratis in locis, qui & cum Doctiſſimo Arnaldo in præclaro opere *De perpetua Eccleſiæ fide* &c. animadvertunt, argumentum hinc quoque exurgere plane invictum, quo demonſtratur, realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam firmiſſime ſemper atque univerſim Eccleſiæ fuiſſe perſuaſam, quoniam cavit illa ſemper diligentiſſime, ne quidpiam admitteretur, quod in minorem tanti Sacramenti venerationem cederet.

IV. Quum argumento huic a Clariſſimo quoque Martene in lib. 2. *de antiquis Monachorum ritibus* c. 7. præclate verſato, nihil haberent ſolidi, quod regererent, Novatores, reſponderunt, ritus a Martene laudatos priſcis Patribus ignotos fuiſſe, nec ſæculo tertiodecimo, aut duodecimo eſſe antiquiores. Verum Doctiſſimus Scriptor in altero eximio opere *de antiquis Eccleſiæ ritibus* demonſtravit, ſummæ illius erga Euchariſtiam reverentiæ argumenta ex Apoſtolica traditione, & univerſali primitivæ Eccleſiæ conſuetudine manaſſe, prolatis in hunc finem trium Veterum Patrum teſtimoniis, aliiſque pluribus, quæ laudare potuiſſet, omiſſis. Teſtem primo advocat Tertullianum, in lib. de Corona Militis c. 8. ſcribentem: *Calicis & panis noſtri aliquid in terram decuti anxie patimur*: 2. Origenem hom. 13. in Exodum: *Noſtis, qui divinis myſteriis intereſſe conſuevistis, quomodo quum ſuſcipitis Corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione ſervatis, & ne ex eo parum quid decidat, & ne aliquid conſecrati muneris dilabatur; reos enim vos eſſe creditis, & recte creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat*; Cyrillum poſtremo Hieroſolymitanum Catecheſi 5. Myſtagogica, *Cave autem, ne quid inde tibi excidat; quod enim amittes, hoc tamquam ex proprio membro amiſeris*: Si ergo tanta ſemper fuit Eccleſiæ ſolicitudo ad avertendam omnem Sacramenti hujus injuriam, ne vel mica ſacri panis excideret, vel Dominici calicis gutta effunderetur, an non æquum erat maxime, & debitæ tanto Sacramento venerationi maxime conſentaneum, ad occurrendum effuſionis periculo, quod ſpectata ingenti fidelium cujuſque ſexus ætatis, & conditionis ad ſacram ſynaxin accedentium multitudine, quemadmodum ſapienter adnotat D. Thomas, & experimento compertum eſt, vitari vix poteſt, calicis Dominici uſum Laicis eripere?

V. Quod ex Calvinianorum Synodis, & *diſciplina Eccleſiaſtica* duximus, argumentum elevare Pictetus nititur reponens, Deum ipſum, non Paſtores Eccleſiæ lege ſumendi calicis abſtemium ſolvere; Paſtores etenim quum geminam ei ſpeciem exhibeant, nihil ex Chriſti detrahunt inſtitutione, abſtemius vero una Sacramenti parte contentus eſt, quod alteram ſumere nequeat; quare actio ejus Deo grata eſſe non deſinet, quum totum præſtiterit ipſe, quod potuit. Difficultatem tamen Pictetus diſſimulat, & eludit, non expedit; Si enim, ut Novatores conſtanter docent, utriuſque ſymboli ſumptio fidei caput eſt, humana quavis auctoritate reformari non poteſt, nec niſi ſacrilega impietate permitti poteſt, quod Chriſti inſtitutionem, & Sacramenti ſubſtantiam violat. Etſi autem Deus a potu vini abſtemium, ut cæcum a Scripturæ lectione, eximat, non tamen abſtemium a calicis uſu, ſi eſt ille vere omnibus præceptus a Chriſto, & ad Sacramenti eſſentiam pertinet; abſtinendum enim illi potius eſt a communione, quam uno tantum percepto ſymbolo inſtitutionem Chriſti refigere, & Sacramenti ſubſtantiam violare, præſertim quum juxta Calvinianorum principia Deus gratiam ſuam Sacramentis non alligarit; quare ut infantes abſque Baptiſmo, ſi publicorum cætuum tempus nondum illuxerit, ita & adultos ægrotantes abſque Dominica cæna obire ſinunt. Rurſus, ſi Pictetum, ejuſque Gregales audimus, tantum a Sacramenti veritate abeſt ſolus panis abſque calice, quantum Baptiſma, cui vel aqua deſit, vel Evangelica verba. Dixerit ne vero Pictetus, poſſe mutum, quod verba pronuntiare non poſſit, ſolius aquæ perfuſione infantulum baptizare? Si ergo æquo jure ad Euchariſtiæ integritatem ſpectat utriuſque ſpeciei uſus, ut ad Baptiſmi veritatem aqua ſimul & verba, ſicut, qui verba enuntiare nequit, inſtitutioni Chriſti, & Sacramento irrogaret injuriam, Baptiſma ſola aqua adminiſtrans, ita & qui propter vini horrorem ſolum panem in

Du-

Digitized by Google

Dominica cæna perciperet, ſicut etiam die cænæ ſi panis & vinum in prompru non eſſent, nemo Calvinianorum Dominicam cænam priſcibus e. 9. & ſicera celebrare auderet, ſed potius ea die a celebranda cæna abſtineret, ne inſtitutionem Chriſti perverteret, ita & abſtemio abſtinendum eſſet a ſumendo Euchariſtico pane, ſi vere Chriſtus vetuit, panis uſum a calice in ſumenda Euchariſtia disjungi.

VI. Quum Piſtetus in hoc ſuo reſponſo adeo ſibi plaudat, ut Domino Verneto inſultet ajens, *hic reſponde, & eris major Apollo*, reſpondet prædictus Scriptor, primo, non fungi munere ſuo Calvinianos Paſtores abſtemio utrumque ſymbolum exhibentes, ſed eorum etiam eſſe impedire, ne dividatur Sacramentum, & Chriſti inſtitutioni, ac mandato injuria fiat; quare quum Calviniani Miniſtri non ſolum id non prohibeant, ſed Sacramenti diviſioni, & Chriſti injuriæ conſentiant, & Synodorum ſuarum legibus eam probent, & ratam habeant, rei ſunt diviſi Sacramenti, & contemptæ divinæ inſtitutionis: 2. abſtemium abſtinentem a calice, & ſolo pane contentum vere non præſtare, quod poteſt; præterquam quod enim non paſſim in abſtemiis is eſt vini horror, ut, ſi conentur, aliquas ſaltem calicis guttas, etſi difficulter, deglutire non poſſint, dividi certe a nullo poteſt, quod Chriſtus integrum eſſe juſſit, nec Sacramento detrahi, quod ejus eſſentiam perficit; quomodo ergo grata Deo eſſe poteſt abſtemii communio, ſi utriuſque ſpeciei ſumptio divino mandato, & Chriſti inſtitutione præſcripta eſt? Neque enim facit ille, quod poteſt, neque quod debet; poteſt enim & debet a ſolo pane percipiendo abſtinere, ſicut qui pane & vino careret, cænam profecto Dominicam carne & jure celebrare non poſſet, ſed deberet potius Dominicæ cænæ celebrationem omittere, ſi æque divini juris eſt, & materiei determinatio, & utriuſque ſpeciei uſus. Hæc Vernetus, & quidem ſolide, qui Adverſarium merito provocans ſubdit: *Hic reſponde, & eris Maximus Apollo.*

VII. Argutantibus aliis, Chriſtum optime fuiſſe præſcium futuri nec raro effuſionis in calicis uſu periculi, nec tamen ab eo inſtituendo, Apoſtolis propinando, ejuſque uſu omnibus proponendo abſtinuiſſe, imo quum præſciret calicis potius quam panis uſum Laicis ademptum iri, illum præ iſto diſertius commendaſſe iis verbis: *Bibite ex eo omnes*, quæ, dum panem Apoſtolis traderet, dixiſſe non legitur, reſpondet memorato loco Cardinalis Perronius, prænoviſſe quoque illum, quantum ab hominibus in Euchariſtiæ uſu poſt cibum peccandum eſſet, & quæ ex Baptiſmo per immerſionem ſequutura eſſent mala valetudini corporis, ac etiam pudori infeſta, inſtituiſſe illum tamen Euchariſtiam poſt cænam, poſt quam illam quoque celebraſſe leguntur Apoſtoli, voluiſſe illum merſione baptizari, adminiſtrandi Baptiſmi legem eo verbo tuliſſe, quod merſionem proprie, ſpectata cujuſque linguæ poteſtate, ſignificat, nec Apoſtolos aliter Baptiſmum dediſſe, quam immerſione: Verum ſicut Euchariſtiæ celebrandæ tempus, & adminiſtrandi Baptiſmi modus jam dudum in morem alium commigrarunt, quod poteſtatem fecerit Chriſtus Eccleſiæ eas Sacramentorum circumſtantias immutandi, quando ille prudentiæ ſpiritus, quo animatur, & regitur, eas immutandas eſſe, ſuggereret, ita communis calicis uſus, etſi Chriſti & Apoſtolorum exemplo fultus legitime ſublatus eſt eodem illo, qui ſemper Eccleſiæ adeſt, prudentiæ ſpiritu opportune ſuggerente, jam non expedire, ut Laici Dominici calicis participes fierent. Quid vero ſi Chriſtus Euchariſtiam diſtribuens ait, *Bibite ex eo omnes*, non autem, *Manducate ex hoc omnes*? Puerilis hæc cavillatio eſt; quorſum enim Chriſtus diceret, *Manducate ex hoc omnes*, quum Euchariſticum panem fregiſſe, & omnibus ac ſingulis Apoſtolis ſumendum tradidiſſe legatur? Ideo autem ait, *Bibite ex eo omnes*, quia calicem non ſingulis diviſim, ſed uni tantum tradidit, ut omnes ex eo alter poſt alterum biberent, quod aperte ſignificant ea apud Lucam Chriſti verba, *Accipite, & dividite inter vos.*

VIII. Ajunt alii, Orientalem Eccleſiam hactenus communionem ſub utraque ſpecie retinuiſſe: cur ergo ſola Romana Eccleſia id ſibi ſumpſit, ut eam aboleret? Facile tamen eſt, duas has quæſtiones evolvere, quarum altera facti, altera juris eſt. Ab Orientalis Eccleſiæ more exorſi animadvertimus cum Renaudotio, Græcos, cæteroſque Orientales calicem ſa-

crum nonniſi Presbyteris, & Diaconis, qui Liturgiæ interſunt, jam dudum diſtribuere, Laicis vero adultis a quatuordecim ferme ſæculis Euchariſtici panis particulas conſecrato vino imbutas cochleari porrigere, infantulis autem vel cochleare ipſum Dominico ſanguine madidum in os immittere, vel madefactum eo digitum linguæ eorum lambendum admovere, cæterum graviter ægrotantibus ſolam Euchariſtici panis ſpeciem miniſtraſſe hactenus & miniſtrare. Hoc ſolum Græcos inter, & reliquos Orientales diſcrimen intereſt, quod Græci, quemadmodum referunt Jacobus Goar, Allatius, Arcudius, aliique plurimi, præſanctificatum ægrotorum panem, quem nonnisi feria quinta in cæna Domini conſecrant, quatuor Dominici ſanguinis guttis in crucis formam reſpergunt, mox ſacro diſco, cui panis ſanguine tincti particulæ impoſitæ ſunt, ſubjecto igne humorem omnem exprimunt, ſicque panem diligentiſſime exſiccatum per annum integrum in uſum infirmorum aſſervant, quumque ægro miniſtrandum eſt viaticum, aſſervati panis particulam vino communi mollitam porriguat, cæteri vero Orientales Euchariſticum panem in eundem finem aſſervatum nunquam Dominico ſanguine reſpergere conſueverunt, quod argumento eſt, ait Clariſſimus Renaudotius, hunc Græcorum morem cæterorum Orientalium ſchiſmate recentiorem eſſe.

IX. Ex his, quæ ſunt in antheenticis Orientalium omnium monumentis teſtatiſſima, inferre quiſque legitime poteſt, primo, Orientales omnes in eo, quod fidei caput eſt, Occidentalibus mirifice conſentire, in aſſerenda ſcilicet reali Chriſti præſentia, quum cochlearis uſum in Euchariſtiæ adminiſtratione apud illos non alia de cauſa inductum eſſe, quam ad vitandum Dominici ſanguinis effundendi periculum, exploratum omnibus ſit, in proteſſione quoque realis illius *concomitantiæ* a Tridentino declaratæ, ſeu totius & integri Chriſti præſentiæ ſub alterutra ſpecie, in rejicienda demum ea, quam Novatores commenti ſunt, utriuſque ſpeciei divino jure ſumendæ neceſſitate, quum infantium, Monachorum, atque infirmorum ſub una tantum ſpecie communio apud Orientales omnes perantiqua, atque uſitatiſſima his fidei capitibus teſtimonium perhibeat locupletiſſimum: 2. Etſi apud Orientales in uſu ſit Laicorum communio, quæ *intincta* dicitur, quamque in nonnullis Occidentis quoque Provinciis ſeptimo ſæculo obtinuiſſe ſcimus, nihil inde tamen præſidii ad Novatorum errorem accedere; probe enim ipſi intelligunt, hunc Orientalium morem neque Chriſti exemplo, neque inſtitutioni reſpondere, neque, ſi Chriſtus, ut contendunt ipſi, calicem Apoſtolis tradens, ajenſque: *bibite ex eo omnes*, ſumendi calicis neceſſitate omnes, Laicos etiam obſtrinxit, parere præcepto huic Orientales, quum ſoli Presbyteri, & Diaconi Liturgiæ præſentes calicem in Oriente bibant, qui vero communionis *intinctæ* participes fiunt, ſanguinem Domini bibere dici non poſſint; quis enim bibere eum dixerit, qui panis particulam liquore aliquo profuſam comedit? Quid inde? Novatores ipſi intelligant, oportet, calicis uſum non alio loco umquam apud Orientales fuiſſe, quam diſciplinæ reformationi ac mutationi obnoxiæ; quare ſi Orientis Eccleſiæ uſum hunc in communionem *intinctam* permutare legitime potuerunt, quin Romana Eccleſia de mutatione hac litem Orientalibus umquam intenderit, neque Laici Orientales de ſubtracto ſibi a Paſtoribus calice umquam conqueſti eſſe legantur, potuit & Romana Eccleſia jure ſuo uti, & a calice Domini Laicos arcere, quin ullus ſit juſtæ querelæ locus.

X. Opponentibus denique, Romanam Eccleſiam Laicos Dominico calice inique fraudare, quod Romanenſium Theologorum plures doceant, ſumentem utrumque ſymbolum ampliori gratia donari, Reſpondemus, Tridentinum a finienda hac inter Theologos noſtros controverſia ſibi prudentiſſime temperaſſe, atque veriſſime definiviſſe, fatendum eſſe, ſub altera tantum ſpecie totum ac integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi, ac propterea, quoad fructum adtinet, nulla gratia ad ſalutem neceſſaria fraudari illos, qui unam tantum ſpeciem accipiunt. Quis porro id negare poſſit, quum, ut ait egregie Cardinalis Cajetanus „ ſpiritualis „ fructus Euchariſtiam digne ſumenti collatus totus ſit a re contenta, Chriſto ſcilicet perfecto Deo, perfectoque Homine, „ totius gratiæ fonte ac largitore, quem „ totum ac integrum ſub qualibet ſpecie „ contineri, fidei articulus eſt, qui & „ ſpi-

„ ſpiritualem fructum digne ſumentibus „ confert ſeipſo, non medio aliquo ſenſibili inſtrumento, quum ipſe ſub qualibet ſpecie vere adſit, & animam ſpiritualiter ſe ipſo reficiat, atque in ſe convertat? Etſi ergo utramque ſpeciem ſumens, plura percipiat ſacramentalia ſigna, quia tamen una eſt ſub utroque ſymbolo res contenta, atque ſignificata, quæ ſola per ſeipſam gratiam confert, inde fit, ſumenti utramque ſpeciem ampliorem gratiam non conferri, quam unam tantum percipienti, ex opere operato, ſeu ipſa Sacramenti virtute, ac ſuppoſita æquali animi diſpoſitione, quum homo unam aut duas ſpecies ſumit. Si tamen aucta ſit diſpoſitio, & major ſupponatur charitatis fervor, quum alteram ſpeciem ſumit, recipit ſane gratiæ gradum charitatis augmento reſpondentem, ac perinde ſe habet quoad interiorem fructum, ac ſi poſt unam hoſtiam aliam ſumeret, quare uberior illa gratia ex opere operantis eſt. His ſi addas, populum communiter tantæ devotionis non eſſe, ut ad hæc incrementa ſe præparet, videbis conſequenter, utilius populo non eſſe, ſub utraque, quam ſub una tantum ſpecie communicare, in cujus ſignum non apparent meliores homines ubi ſub utraque ſpecie communicant, hominibus vel ibi vel alibi ſub una tantum ſpecie communicantibus. Ex hoc fervoris & devotionis defectu deſiit conſuetudo communionem ſub utraque ſpecie ſumendi, quia, ut hæc fructuoſior ſit, duplicata eſſe debent incrementa ſpiritus, quæ, quum defecerint, provide Paſtor Eccleſiæ a communione ſub utraque ſpecie cenſuit abſtinendum. “ Hæc Cajetanus.

DISSERTATIO II.

De Euchariſtia, ut ſacrificium eſt.

I. MIſſis tot iis, quæ de varia ſacrificii acceptione, de legis naturæ atque ſcriptæ ſacrificiis, de multiplici ſacrificiorum apud Hebræos genere, deque eorumdem diverſis cauſis ac ritibus tradi a Theologis ſolent, legitimam ſolum veri ſacrificii notionem promemus, atque ea ſolum ſacrificii genera indicabimus, quæ dicendis lucem ſunt allatura. Verum ſacrificium definiri a Theologis ſolet, *externa rei ſenſibilis, & permanentis oblatio a legitimo Miniſtro ſoli Deo facta in ejus cultum, ac ſupremi dominii argumentum, qua res oblata ritu myſtico conſecratur, & immutatur*. „ Triplex autem erat, ait „ Angelicus 1. 2. q. 102. ar. 3., in veteri „ lege ſacrificiorum genus: quoddam erat, quod totum comburebatur, & dicebatur holocauſtum, quaſi *totum incenſum*, Deoque ſpecialiter offerebatur in reverentiam Majeſtatis ipſius, & amorem bonitatis ejus, quo etiam ſignificabatur, totum hominem, & omnia, quæ ejus ſunt, Dei dominio eſſe ſubjecta, eique offerenda: Aliud erat ſacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex neceſſitate remiſſionis peccati, cujus una pars comburebatur, altera cedebat in uſum Sacerdotum, ad ſignificandum, quod expiatio peccatorum a Deo fit miniſterio Sacerdotum: Tertium vocabatur hoſtia pacifica; quæ Deo offerebatur vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute & proſperitate offerentium, quæ in tres partes dividebatur, quarum una in Dei honorem incendebatur, alia in uſum Sacerdotum cedebat, alia in uſum offerentium, ad ſignificandum, quod ſalus hominis a Deo procedit dirigentibus Miniſtris Dei, & cooperantibus hominibus, qui ſalvantur. “ His de ſacrificii notione ac partitione delibatis, præcipua de Euchariſtico ſacrificio doctrinæ capita a Tridentino definita verſabimus, ac ſecundam hanc diſſertationem quatuor propoſitionibus abſolvemus.

PROPOSITIO I.

Euchariſtia eſt veri nominis ſacrificium.

I. AD veritatem hanc confirmandam iis potiſſimum momentis utemur, quæ nobis ſeſſ. 22. c. 1. ſuppeditat Tridentinum ajens: *Hæc*, ſcilicet Euchariſtia, *illa oblatio munda eſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum erat in gentibus, in omni loco offerendam eſſe prædixit, & quam non obſcure Paulus innuit Corinthiis ſcribens, non poſſe eos, qui participatione menſæ Dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes eſſe, per menſam altare utrobique intelligens*, ex quibus Tridentini verbis hæc argumenta procudimus: Primo, *Non eſt*

N 2 mihi.

mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: ita Deum loquentem exhibet Malachias Prophetarum noviſſimus c. 1.: hæc autem munda oblatio divino nomini ubique gentium offerenda quæ eſt, niſi Euchariſtia? Hebraicum enim verbum *Minchà*, quod Propheta uſurpat, oblationem ſimilæ, & molitæ farinæ ſignificat, Interprete quoque Druſio Hebraice ſcientiſſimo *munus, quod offertur ex farina mundiſſima*; hoc autem Prophetæ vaticinium Veteres Rabbini omnes apud Raimundum Martini de incruento quodam ſacrificio ubique terrarum Meſſiæ temporibus offerendo interpretantur, Sebaſtianus denique Munſterus Lutheranus homo hebraice doctiſſimus apud Mathæum Polum teſtatur ingenue, Vetuſtiſſimos Eccleſiæ Patres magno conſenſu ſtatuere, hanc clariſſimam eſſe prophetiam de Chriſtiano ſacrificio, quod *Minchà purum* dicitur reſpectu puri illius & perfecti ſacrificii, Chriſti ſcilicet Agni Dei, quem ſignificat, & repræſentat; quum ergo & vetus Synagoga, & primitiva Eccleſia conſentiant, deſignari eo loci a Propheta ſacrificium Deo ubique offerendum ex *farina mundiſſima*, neque aliud hoc eſſe poſſit quam Euchariſtia, eam verum eſſe novæ legis ſacrificium, neceſſario conſequitur.

II. Secundo: Paulus I. ad Cor. x. ait, *Videte Iſrael ſecundum carnem, nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? ſed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem, fieri vos ſocios dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*; niſi autem Euchariſtiam Paulus verum ſacrificium cenſuiſſet, inepta ſane fuiſſet ejus argumentatio, quam eo loci urgebat, ut ab idolorum cultu Corinthios abſtraheret; Niſi enim poſuiſſet ut ratum, a fidelibus calicem Domini bibentibus rem aliquam ſumi vero ſacrificio immolatam, quorſum Iſraelitas appellaſſet, qui altaris participes ſunt, victimas in altari jam immolatas edentes? Quorſum ab Ethnicis duxiſſet exemplum, qui victimas dæmonibus mactatas edentes, Sacerdotum ſuorum ſacrificiis communicabant? Conſtitutum ergo erat Apoſtolo, a fidelibus in menſa Euchariſtica ſumi ſacra munera jam immolata, ideoque Euchariſtiam ſacrificium eſſe prius oblatum deinde ſumptum; alioqui menſam Domini cum menſa dæmoniorum, & Iſraelitarum altari, calicem Domini cum dæmoniorum calice, & Iſraelitarum hoſtiis ſutiliter comparaſſet. Tertio, Chriſtum in cœna noviſſima Sacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech egiſſe, ut ait Tridentinum, & corpus & ſanguinem ſuum ſub panis vinique ſpeciebus Deo Patri obtuliſſe, fidei caput eſt, quod abſque Scripturarum injuria negari nequit; quum enim Melchiſedechi ſacerdotium, & oblatio, Sacerdotii Chriſti & Euchariſtiæ typus, Patrum omnium conſenſu, fuerit, niſi Chriſtus Euchariſtiam inſtituens vere ſacrificaſſet, numquam Sacerdotem egiſſe ſecundum ordinem Melchiſedechi dicendus erit, ideoque jusjurandum Patris intercidit, a quo conſtitutus fuerat Sacerdos ſecundum Melchiſedechi ordinem; quum ergo, quod tunc egit ipſe, ab Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus ritu perpetuo fieri juſſerit, ſi verum tunc ipſe ſacrificium obtulit, ab iis quoque, quos ſui Vicarios inſtituit, etiam nunc offerri, certum eſt.

III. Poſtremo, Lex & religio nulla eſt, ut egregie diſſerit Melchior Cano, ſine Sacerdotii functione, quum hæc tria ita ſibi ſemper conjuncta fuerint, ut, ſi unum tollas, reliqua neceſſe ſit, eſſe ſublata, & Paulus ipſe ſcribat, *Translato Sacerdotio neceſſe eſſe, ut & legis translatio fiat*; ſi ergo Chriſtiani legem & religionem habent, profecto & ſacerdotium: at Sacerdos omnis ad hoc conſtituitur, ut ſacrificium offerat; Chriſtiani ergo etiamnum ſacrificium tenemus, ſine quo nec legem nec religionem tueri poſſemus. Ajunt Lutherani, omnes ſacerdotes eſſe, hoſtiaſque ſpirituales offerre; ſed quum hæ non proprie ſint hoſtiæ, ſed translatæ, ſacerdotium quoque non proprium, ſed translatitium, & improprium erit: ita nimirum Lutherani, qui nobis ſacrificium eripiunt, & veram Chriſti religionem conantur eripere, & falſam Antichriſti inducere, qui juge ab Eccleſia auferet ſacrificium. Momentis iſtis addi poteſt Patrum omnium Latinorum Græcorumque auctoritas, & perpetua omnium Chriſtiani inſtituti ſocietatum conſenſio, quum Luthe-

rus

rus ipſe det perlibenter, Patres omnes, & univerſalis Eccleſiæ conſenſionem a nobis ſtare. Quoniam autem ille in lib. de Babylonica captiv. ſcribit „ Quid ergo dicemus „ ad auctoritates Patrum? Reſpondeo, ſi „ nihil habeatur, quod dicatur, melius „ eſſe omnia negare, quam concedere, Miſſam ſacrificium eſſe; & in lib adverſus Angliæ Regem, „ Dico, Thomiſticos „ aſinos nihil habere, quod producant niſi „ multitudinem hominum, & uſum antiquum: Ego vero adverſus dicta Patrum, hominum, Angelorum, Dæmonum, pono non uſum antiquum, non „ multitudinem hominum, ſed Majeſtatis „ æternæ verbum evangelicum, “ huc revocanda ſunt, & opportune torquenda, quæ frequenter cum profundiſſimo Tertulliano verſavimus, & ad firmanda Chriſtianæ fidei capita, quibus ſuffragari Patrum auctoritatem, & primitivæ Eccleſiæ conſuetudinem Novatores negare non poterant, identidem adhibuimus.

IV. Refellendæ primum exceptiones, quas momentis noſtris Pictetus opponit, deinde Calvini, aliorumque Novatorum argumenta ſolvenda. A Malachiæ oraculo ſe expedire Pictetus nititur ajens, vocem *Minchà* frequenter in ſacris literis pro *munere* & *dono*, non pro vero externoque ſacrificio poni, deſignare eo loci Prophetam vel cruentum Chriſti ſacrificium, vel ſpirituales hoſtias Meſſiæ temporibus Deo offerendas. Verum ad eluendam Hebraicæ vocis poteſtatem perperam ille multa Scripturæ teſtimonia congeſſit: ibi enim de muneribus ſermo eſt, quæ hominibus exhibentur, Malachias autem de munere agit oblato Deo, cui ſoli verum debetur ſacrificium, vocemque *Minchà* abſolute, & abſque addito uſurpat; quare quum ea vox abſque addito adhibita, & ad Deum relata verum ſacrificium perpetuo Scripturarum more ſignificet, dubitari non poteſt, quin & a Propheta pro vero ſacrificio ponatur. Etſi autem Chriſti in cruce immolatio perfectiſſimum fuerit ſacrificium, non illud tamen a Malachia prædictum; illud enim ſemel Hieroſolymis peractum eſt, hoc autem *a ſolis ortu ad occaſum in omni loco* offerendum. Qui poteſt etiam Pictetus efferre, *oblationis mundæ* a Propheta prædictæ nomine venire ſpirituales fidelium hoſtias, eleemoſynas, preces, & laudes? Haſne appellarit ille *oblationem mundam*, quum Novatorum omnium inſana poſitio ſit, quaſcumque juſtitias noſtras vera peccata eſſe, & phariſaica ſuperbia laborare, qui exhibere ſe putet Deo bona ſua opera ceu oblationem mundam & ſacrificium? Quum etiam apertiſſimum ſit, prænuntiari ibi a Propheta hoſtiarum legalium abrogationem, novique multo excellentioris ſacrificii inſtitutionem, ſacrificii nempe Meſſiæ, ut Priſci Rabbini interpretantur, quod legis a Meſſia ferendæ proprium futurum erat, annon Prophetæ oraculo manifeſtam vim infert, qui illud ad ſpiritualia ſacrificia detorquet, quæ non ſunt legis Evangelicæ propria, ſed fuerunt legi naturæ & ſcriptæ communia?

V. Pauli teſtimonium eludere ſatagit Pictetus ajens, Apoſtolum atque Patres altaris nomine non locum, *in quo victima ſacra immolatur*, ſed menſam Euchariſtici convivii deſignare; hæc tamen ejus inepta commentatio Apoſtolo contumelioſa eſt, quem præpoſteræ comparationis reum agit noſtrum inter altare, & Iſraelitarum ac Ethnicorum altare, ciboſque ſacros, quos inde ſumimus, & quos Deo vel dæmonibus immolatos ſumebant Iſraelitæ vel Ethnici, ſicut inter probandum expenſum eſt. Ejuſdem eſt furfuris, quod adverſus tertium momentum opponit ajens, „ Melchiſedechum non Deo ſacri„ ficaſſe, ſed panem & vinum Abrahæ „ ejuſque copiis ad refectionem protuliſ„ ſe, etſi Patribus perſuaſum fuerit, eam „ Melchiſedechi oblationem Euchariſtiæ „ typum fuiſſe, id tamen a ſe non credi, „ quod Patres Hebraice neſcientes lege„ rint: *Erat enim Sacerdos &c.* qui juxta „ hebraici textus veritatem legere debue„ rant, *& erat Sacerdos &c.*, “ non inficiamur enim, Melchiſedechum panem & vinum Abrahæ ad reficiendum exercitum protuliſſe, ſed quum Scriptura ſtatim adjiciat, *Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*, niſi cauſa inepta eſt, intelligere oportet, eaſdem res obtuliſſe ſolitum Deo, quas tunc proferebat Abrahamo, ſed huic in cibum, illi in ſacrificium, ſicut Patres communiter interpretantur. Fatemur juxta hebraici textus veritatem legendum *&* non *enim*; verum præterquam quod pluribus Scripturæ teſtimoniis oſtendi poteſt particulam *&* non conjunctionem ſignificare, ſed cauſam, naturalis ipſe atque obvius ſenſus certiſſime perſuadet, eo Geneſeos loco particulam *&* non conjungendi vim ha-

habere, ſed cauſam denotare, ideoque Vulgatum Interpretem, quem Pictetus negare non poteſt, hebraice fuiſſe doctiſſimum, recte vertiſſe *enim*; alioqui tota periodus a Scriptore ſacro inepte contexta fuiſſe dicenda erit.

VI. Calvinus Pauli ad Hebræos epiſtolam opponit, atque ex ea adverſus ſacrificium Evangelicum hæc argumenta depromit: Primo, Paulus cap. 7. veteris teſtamenti Sacerdotium ab Evangelico diſtinguit, quod in eo plures eſſent Sacerdotes ſucceſſoribus indigentes, quia mortales erant; in novo autem fœdere unicus ſit Sacerdos, nempe Chriſtus, cui utpote immortali non oportet ſuccedentes Vicarios ſubrogare: 2. infirmitatem veteris Sacerdotii probat ibidem Apoſtolus, quod legales Sacerdotes infirmi eſſent ac peccatores; eſt ergo apud Romanenſes Sacerdotium legale non Evangelicum, quum & ipſi peccatis inquinati ſint: 3. Apoſtolus ibidem ait, Sacerdotem a Deo vocandum eſſe, ut Aaron vocatus eſt: veri ergo non ſunt Papiſtici Sacerdotes, quum vocatione careant, quæ eorum faveat Sacerdotio: 4. Paulus ibidem cap. 9. hoc inter legalem Pontificem & Chriſtum diſcrimen ſtatuit, quod ille ſingulis annis alienum ſanguinem oblaturus Sanctuarium ingrederetur, Chriſtus autem ſemel per hoſtiam ſuam apparuit, non alienum ſed proprium ſanguinem offerens; qui ergo ſingulis diebus alienum ſanguinem, nempe Chriſti, oblaturi intrant in ſancta, ii legales ſunt, non Evangelici Sacerdotes, qui etiam, dum ſingulis miſſis Chriſtum in ſacrificium offerri prædicant, Pauli argumentum evacuant ajentis, *alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*; ſi enim Chriſtus vere in ſacrificium offertur, vere patitur: Denique Paulus cap. x. probat, legales oblationes omnes infirmas debileſque fuiſſe, quia ſæpius iterabantur, Chriſti vero oblationem perfectiſſimam, quia una oblatione conſumavit in ſempiternum ſanctificatos: qui ergo novas quotidie oblationes adjiciunt, oblationi Chriſti injuriam inferunt, quam imperfectam fuiſſe declarant.

VII. Hæc tamen a Calvino multum exaggerata ſolide refutantur. Immortalis utique eſt Chriſtus, qui pro nobis coram Deo ſemper aſſiſtens ſanguinem in cruce fuſum, cujus una oblatione confecit, quod veteres Sacerdotes nec plurimis hoſtiis valuerunt, nec non Eccleſiæ ſuæ oblationes & preces Deo Patri repræſentat. Noſtri tamen Sacerdotes in hoc a legalibus differunt, quod ii, quum ſuo non alterius Sacerdotis nomine offerrent, vices ſuas, non alienas implebant, plures quoque Sacerdotes erant, quia plures eaſque differentes hoſtias exhibebant. Noſtri vero non niſi in Chriſti nomine ac Perſona ad altare accedentes, eandem ibi a Chriſto ſemel oblatam offerunt hoſtiam; quare unum quodammodo eſt omnium Sacerdotium, Chriſti quidem principaliter, & excellenter, noſtrum vero miniſterialiter, quum ſimus, teſte Apoſtolo, Diſpenſatores myſteriorum Dei, ſanguinem a Chriſto fuſum populo applicantes, atque una cum eo offerentes. Quid vero, ſi infirmitate circumdati ſumus, & peccatis obnoxii, ut olim legales Sacerdotes? Plurimum ab iis differimus; quoniam illi hoſtias offerentes, quæ ex ſe Deo placere non poterant, ſi peccatores erant, nihil ſuis ſacrificiis conſequebantur; nos vero, etſi infirmi, nihil Eccleſiæ ſacrificio incommodamus, quod non a nobis vim habet, ſed a ſummo Sacerdote Chriſto, in quo Patri bene complacuit, quique ſimul eſt principalis Sacerdos, & victima. Nec legitima vocatione caremus; Quum enim Chriſtus poſt inſtitutam Euchariſtiam Apoſtolos facere juſſerit, quod ipſe fecit, ipſe autem verum tunc ſacrificium obtulerit, Apoſtolos certe Sacerdotes inſtituit; quum vero Sacrificium, ad quod offerendum eos Sacerdotes ordinavit, voluerit in Eccleſia ſua perpetuum eſſe, neceſſe eſt, ut poteſtate eos inſtruxerit, alios poſt ſe Sacerdotes inſtituendi, a quibus in alios hæc ſacrificandi poteſtas non interrupta ſibi ſuccedentium ſæculorum ſerie transfunderetur: Vocati ergo a Deo ſunt, quotquot ab Apoſtolis, eorumque legitimis Succeſſoribus rite ordinati ſunt, quum poteſtas Apoſtolis primo collata, ut ab eis in alios derivaretur, ab ipſo Deo ſit.

VIII. Quum vero principalis offerens in Miſſæ ſacrificio ſit ipſe Chriſtus, qui per hoſtiam ſuam in conſpectu Patris apparet, ſuumque illi ſanguinem offert, noſtri autem Sacerdotes oblationis hujus Miniſtri ſint, atque in Chriſti nomine ac Perſona offerant, ſanguinem offerunt non quidem alienum, quoniam Chriſti ſanguis, licet ex divino munere, noſter eſt tamen, ejuſque virtutis applicatio, quæ in Miſſa fit,

fit, Sacerdotibus ceu myſteriorum Dei diſpenſatoribus commiſſa eſt. Stat etiam ſua firmitas argumento Pauli, Chriſtum ſcilicet per hoſtiam ſuam in ara crucis oblatam ſemel apparuiſſe, *alioquin oportebat eum frequenter pati &c.* Quid enim ſi Miſſæ ſacrificium a nobis quotidie iteratur? Quum ſit hoc incruentum, myſtica quoque & incruenta eſt victimæ immutatio, atque mors, quatenus ipſa verborum vi, & diſtincta utriuſque ſymboli conſecratione corpus offerimus ut mactatum, & ſanguinem ut effuſum, ita paſſionem Chriſti, ut ab eo juſti fuimus, commemorantes, ejuſque fructum applicantes. Hoc ſenſu immolari a nobis quotidie, & offerri Chriſtum, Græci Latinique Patres ſcripſerunt, ut Kemnitius ipſe fatetur, appellaruntque ſacrificium hoc *incruentum*, & *immolationem exanguem*, quia quoad effectum ita nobis Chriſtus Sacerdotum miniſterio immolatur, ac ſi nunc ipſe moreretur, ac de vulneribus ejus ſanguis erumperet.

IX. Efficaciſſime tandem Apoſtolus probat legalium quarumlibet hoſtiarum infirmitatem, quod ſæpius iterarentur, abſolutiſſimam vero oblationis Chriſti virtutem, ac perfectionem, quod unica fuerit, & humanæ redemptionis pretium non ſufficiens ſolum, ſed & redundans. Et ſi vero unica illa oblatio idonea, & perfectiſſima reparationis & ſanctificationis noſtræ ſit cauſa, generalis tamen cauſa quum fuerit, particulares oblationes non excludit, immo exigit, quibus univerſalis ſua virtus ad effecta quædam ſingularia contrahatur. Nonne etenim compertum eſt, generales cauſas, etſi illæ ſint perfectiſſimæ, ſine proximis nihil efficere? Medicamen e. g. utut ſalutare atque præſens opem ne feret ac ſalutem ægroto, niſi illi adhibeatur? Repetitis ergo oblationibus neque ſacrificium Chriſti evacuamus, neque infirmum fuiſſe teſtamur, ſed cauſam principalem, & perfectam fuiſſe fatemur, quæ etſi ſola in ſe conſumata ſit, & abunde ſufficiens, ſine cauſarum tamen proximarum applicatione nihil efficit, ſine Sacerdotum videlicet miniſterio, quos ipſe juſſit, in ſui commemoratione n uſque ad ſæculi finem facere, quod ipſe fecerat. Veritatem hanc a Paulo ipſo docemur, qui, etſi ſcribat, conſumaſſe Chriſtum una oblatione in æternum ſanctificatos, nos commonet tamen, ut emundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Quorſum hæc, niſi ut intelligamus, emundatos nos quidem & ſanctificatos a Chriſto ut principali atque univerſaliſſima cauſa, cooperatione tamen noſtra opus eſt, ut emundationis ac ſanctificationis hujus participes ſimus? Hæc porro cooperatio noſtra & in Sacramentorum uſu, & in oblatione incruenta poſita potiſſimum eſt, quibus mediis ab illa una cruenta Chriſti oblatione vim omnem habentibus ejuſdem virtus & fructus ad fideles rite diſpoſitos derivatur.

X. Faciliori negotio reliqua diſpelluntur, quæ tum Calvinus ipſe, tum alii Novatores obiiciunt, non poſſe ſcilicet calicem Dominici ſanguinis, qui a Luca, & Paulo *novum teſtamentum* dicitur, in ſacrificium offerri, quum teſtamentum non hæredis, ſed teſtatoris opus ſit, ſacrificium autem opus ſit noſtrum, Euchariſtiam, quæ donum ſignificat cum gratiarum actione ſumendum, non poſſe in ſacrificium offerri, ſacrificium enim eſt pretium, quod Deus in ſatisfactionem accipit, tantum iccirco Sacramentum a ſacrificio diſtare, quantum intereſt inter dare, & accipere, quare alia Sacramenta ſacrificia non ſunt, Veteres Patres ab Euchariſtia removiſſe veri ſacrificii notionem, quum ſcripſerunt, ſacrificium noſtrum ſacrificii cruenti Chriſti exemplar eſſe, ejus a nobis imaginem celebrari, ſacrificium denique noſtrum ſpirituale eſſe. Jam adnotatum eſt, ſanguinem Chriſti metaphorice teſtamentum dici, vel quia novi teſtamenti confirmatio eſt, vel quia res potiſſima fuit, a Chriſto nobis hæreditatis loco relicta. Sive autem teſtamentum dicatur ſanguis Chriſti, quia novi teſtamenti pignus eſt, & ſigillum, ſive quia res eſt, quæ nobis ex teſtamento obvenit, noſter certe, divino beneficio, factus eſt, ideoque eandem hanc rem, quam liberalitate Chriſti Teſtatoris habemus, eidem exhibere, & in ſacrificium offere poſſumus, ad commemorandam ejus mortem, debitum ei rededum honorem, meritas referendas gratias, & percipiendum ejuſdem hujus ſanguinis fructum. Quum etiam alia ratione Euchariſtia Sacramentum ſit, alia Sacrificium, ut ſæpe adnotavimus, nihil vetat, quin excellentiſſimum hoc Sacramentum, quod omnium donorum Dei præſtantiſſimum eſſe fatemur, Deo, a quo illud accepimus, in ſacrifi-

crificium offeramus; nonne enim & Veteres Patriarchæ iis, quæ a Deo acceperant, donis & Deo gratias referebant, & ſacrificia parabant, quare David 1. Paralip. cap. 29. Deum alloquens ajebat, *tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi?* Cur vero Euchariſtiæ peculiare ſit, ut Sacramentum ſimul, & ſacrificium ſit, ratio in promptu eſt a Melchiore Cano tradita, quia nimirum ſola in re permanente conſiſtit, atque in ea vere manent Domini corpus, & ſanguis, non vero in aliis Sacramentis: in ea ergo tam pretioſa munera habentes offerre Deo poſſumus, & debemus. Hæc omnia ex Melchiore Cano pene exſcribere voluimus, quod nemo nobis viſus ſit, luculentius, ſolidius, & preſſius Novatores refelliſſe.

XI. Patres vero, qui ſacrificium altaris ſacrificii cruenti *exemplari imaginem*, ac *commemorationem* perſæpe vocant, non illud negant, vere & proprie ſacrificium eſſe, ſed finem duntaxat indicant, cujus gratia ſuit inſtitutum a Chriſto; nonne ſiquidem veteris legis ſacrificia vera erant, etſi ad præfiguranda Chriſti myſteria fuiſſent a Deo inſtituta? Nonne Chriſtus vere mortuus eſt, & reſurrexit, etſi mortem ejus & reſurrectionem quandoque imaginem atque ſimilitudinem Paulus appellet? Cæcum denique oportet eſſe, qui non videat, ſacrificium Chriſtianorum a Tertulliano *ſpirituale* vocari, non quod pure interius ſit, atque metaphoricum, ſed quod carnale non ſit, & cruentum, ut vetera Judæorum ſacrificia, quibus ſacrificium noſtrum Tertullianus opponit. Annon externa, & veri nominis ſacrificia erant, quæ Abel Deo obtuliſſe legitur, quæ tamen ab eodem Tertulliano *ſpiritualia* dicuntur, quod nimirum ſpectata offerentis devotione atque animo plurimum a ſacrificiis Cain differrent? Nonne ſpiritualibus, & tropicis ſacrificiis offerendis, puta precibus, laudibus, eleemoſinis, ipſæ Chriſtianæ mulieres, eodem Tertulliano judice, aptæ ſunt, quibus tamen ipſe in lib. de velandis Virginibus nefas eſſe decernit docere, tingere, offerre, aut ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officii ſortem ſibi vindicare? Diſtinguit ergo apertiſſime Tertullianus interiora minuſque propria ſacrificia Chriſtianis omnibus communia ab exteriori, atque vero Eccleſiæ ſacrificio, ad quod offerendum ſoli Sacerdotes ab Eccleſia initiantur.

PROPOSITIO II.

Incruentum Miſſæ ſacrificium vere propitiatorium eſt, ac pro vivis ac defunctis ſancte offertur.

I. Propoſitionem hanc a Tridentino ſeſ. 22. can. 3. definitam errori ſpeciatim opponimus Lutheranorum, atque Anglorum Epiſcopalium, qui etſi, Miſſam ſacrificium eſſe, negare non audeant, contendunt tamen, illam Euchariſticum tantum ſacrificium eſſe, ideſt gratiarum actionis & laudis, non autem propitiatorium, ac perfectiſſimo Chriſti ſacrificio, quo uno cuncta delicta remiſſa ſunt, contumelioſos illos eſſe, qui in Eccleſia hoſtias pro peccatis admittunt. Ad primam autem ejus partem firmandam tria hæc duntaxat momenta conferimus: Primo Novatorum nemo, Socinianis exceptis, quos cæteri hoc quoque nomine execrantur, cruento Chriſti ſacrificio vim propitiationis abjudicat; quum ergo in Euchariſtico ſacrificio idem ille, qui cruente ſemel in cruce ſe obtulit, vere contineatur, eademque illa victima vere immoletur, ſola offerendi ratione diverſa, ſicut demonſtratum eſt, ſi hoſtia illa ſemel in ara crucis oblata ad expianda hominum peccata efficaciſſime operata eſt, quidni idem præſtare valeat, quotieſcumque in altari, incruente licet, vere tamen offertur? Jo: Pictetus ipſe conſentit, non in bibliis Genevenſibus ſolum, ſed & in Græcis omnibus exemplaribus legi, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis funditur in remiſſionem peccatorum*; Chriſtus ergo corpus & ſanguinem ſuum actu pro hominibus dari, actu in peccatorum remiſſionem effundi modo ſæpius explicato declarans, ſacrificium Deo Patri obtulit vere propitiatorium; quum itaque, quod ipſe tunc fecit, Apoſtolos, eorumque in ſacerdotio ſucceſſores ritu perpetuo præſtare juſſerit, Euchariſtiæ oblatio, quam Chriſti exemplum & mandatum tenens celebrat Eccleſia, ſacrificium eſt non ſolius gratiarum actionis, & laudis, ſed etiam propitiationis: 3. ad Hebr. 5. docet Apoſtolus, *omnem Pontificem* ſeu ſacerdotem *ex hominibus aſſumptum, pro hominibus conſtitui in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*: aut ergo vero ſacerdotio, ideoque & vera religione caremus, aut ſacrificium vere propitiatorium habemus.

II. Al-

II. Alteram propoſitionis partem perpetua Patrum traditione, & conſtanti Eccleſiarum omnium conſenſione in omnium Chriſtiani nominis ſocietatum Liturgiis teſtatiſſima demonſtrare facillimum eſſet; quia tamen id longioris operæ foret, uno contenti erimus D. Auguſtini teſtimonio, in lib. *de cura pro mortuis agenda* c. 1. *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium; ſed etſi numquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva eſt Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum habet commendatio mortuorum*. Hæc Auguſtini verba duo nobis argumenta ſuppeditant: Moſaica lege multo perfectior eſt Evangelica; ſi ergo in veteri lege pro defunctis ſancte & ſalubriter offerebantur ſacrificia, ut a peccatis ſolverentur, ſicut Macab. 2. c. 12. legimus, multo ſanctius ac ſalubrius id in Evangelica lege peragitur, in qua eadem illa offertur hoſtia, quam omnia Levitica Sacrificia præſignabant, & qua ſemel cruente oblata totius humani generis delicta expiata ſunt: Secundo, Etſi nullibi ſacræ literæ conceptis verbis affirment, Miſſæ ſacrificium pro defunctis offerri poſſe, id tamen ſaluberrime, ac ſanctiſſime fieri, ſola perſuadere debet Eccleſiæ univerſalis auctoritas, *cui contradicere*, teſte Auguſtino, *inſolentiſſimæ dementiæ eſt*; quum enim offerendi pro defunctis incruenti ſacrificii morem in prioris ævi Eccleſia fuiſſe receptiſſimum, Calvinus ipſe concedat, nemo non videt, quæ inde validiſſima adverſus Novatores argumenta fluant, qui morem hunc Romanæ Eccleſiæ vitio dant, a quibus argumentis urgendis abſtinemus, quod eadem illa ſint, quæ frequenter, data opportunitate, verſavimus.

III. Novatores iterum auctoritate ſe protegunt Apoſtoli ad Heb. X. de Chriſto ſcribentis, *hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei... ubi autem horum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato*. Verum ab Apoſtoli mente toto cœlo aberrant, ex ejus verbis perperam inferentes, nullum jam eſſe propitiationis ſacrificium, ex quo Chriſtus ſemel ſe ipſum immolans ſcelera noſtra expiavit. Probat Apoſtolus, omnes legales victimas fuiſſe infirmas, novum idcirco oportuiſſe ſacerdotium induci, cujus unica hoſtia ſemel oblata omnium delicta auferret, Chriſtum novi Teſtamenti Sacerdotem una oblatione conſumaſſe in ſempiternum ſanctificatos, perſolviſſe illum integrum humanæ redemptionis pretium, eluendis quibuſcumque hominum ſordibus paraſſe balneum, ideoque aliam jam non eſſe pro peccato oblationem, ideſt nec alia hoſtia expiationis, ut olim in lege, nec cruenta alia ejuſdem hoſtiæ oblatione opus eſſe; alioqui cruenta illa Chriſti oblatio, haud ſecus ac legales hoſtiæ, imperfecta fuiſſet, ſi eam frequenter iterari oporteret. Cæterum, ſicut ibidem ſubdit Apoſtolus, non poſſe nos, fructus unicæ illius hoſtiæ ſemel oblatæ participes eſſe, niſi illi *fidei plenitudine, ſpe firma, charitatis & bonorum operum provocatione* adhæſerimus, ita nullum poſſumus fructum ex ea percipere, niſi Chriſti ſanguinem certis ab eo conſtitutis inſtrumentis, & quibuſdam quaſi canalibus ad nos derivemus. Inter hæc inſtrumenta non infimum locum obtinet Miſſæ ſacrificium, in quo eandem illam hoſtiam cruente ſemel oblatam incruente immolantes, Patrem miſericordiarum oramus, ut ejus contemplatione nobis propitius eſſe, & ſanguinis a Chriſto in pleniſſimam peccatorum remiſſionem ſemel effuſi virtutem nobis applicare velit.

IV. Ideo autem hoc aliiſque Pauli teſtimoniis abutuntur, quod perverſam, atque falſiſſimam de Chriſti paſſionis efficientia, de ejus ſatisfactione, noſtraque redemptione ſententiam animo imbiberint, quare non Miſſæ ſacrificium ſolum, ſed & bonorum operum, & cujuſlibet ſatisfactionis noſtræ neceſſitatem explodunt. Illud intelligant, oportet, quod veriſſime ſcripſit Angelicus, tradiditque ſemper Catholica Eccleſia, *Chriſtum nos a peccatis liberaſſe cauſaliter*, quatenus cauſam noſtræ liberationis inſtituit, qua poſſent quælibet peccata quandocumque remitti, ut ſi Medicus pharmacum paret, quo poſſit quodcumque morborum genus perfecte ſanari; quia vero ejus paſſio ut univerſalis quædam remiſſionis peccatorum cauſa præceſſit, neceſſe eſt, ut ad ſingulorum delenda crimina ſingulis adhibeatur, quæ applicatio baptiſmo, pœnitentia, aliiſque Sacramentis ex paſſione Chriſti virtutem habentibus fit, ut & quotidiana incruenti ſacrificii oblatione, qua non ſolum crucis ſacrificium commemoratur, ſed & ejus fructus ac efficacitas ad illos, pro quibus offertur, deducitur. Hæc quum ita ſint,

an non delitabat Calvinus, dum ſcriberet, „ ſi nova Miſſæ ſacrificio redemptio „ fit, non ſumus ergo Chriſti morte redempti, ſi nova quotidiano ſacrificio obtinetur remiſſio, non fuerunt ergo peccata noſtra ſanguine Chriſti deleta “ ? Quis enim novam ab altaris ſacrificio redemptionem expectat, novamque in eo quærit ſcelerum remiſſionem? Illud idem corpus ſemel pro expiandis peccatis noſtris in cruce immolatum, eundem illum ſanguinem ejuſdem finis gratia olim effuſum, in Euchariſtia vere adeſſe, eundemque illum ſummum Sacerdotem eſſe credentes, qui victimam ipſam, quam in cruce ſemel obtulerat, Sacerdotum miniſterio nunc Deo Patri exhibet in altari, eandem illam ſemel in cruce peractam redemptionem, partamque ibi peccatorum remiſſionem, nobis incruento ſacrificio applicari tantum, credimus, & profitemur.

V. Neque ſanior mente erat, dum blateraret, Primo, Romanenſes jactantes ſe habere hoſtiam, quam offerant pro peccatis, cum Paulo pugnare ad Heb. X. ſcribente, *voluntarie peccantibus nobis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*: 2. obſcurare illos ſuis Miſſis ſacrificium crucis, & plurimum de ejus merito, & dignitate detrahere, dum honorem ſacrificii Chriſti in opus Sacerdotum ſuorum transferunt: 3. nihil eſſe hac eorum de ſacrificio propitiatorio doctrina deteſtabilius, qua prædones & ſceleſtiſſimi quique uno Miſſæ ſacrificio ceu perſoluto pretio, abſque ulla vitæ emendatione, Deo perfecte reconciliari, ſatiſque ei plene facere, perhibentur: 4. tolli ab eis Sacramenti pœnitentiæ neceſſitatem, quum Sacrificiis ſuis doceant, expiari peccata: Poſtremo ſtolide ab eis pro eodem plures celebrari Miſſas; ſi enim in Miſſa Chriſti ſanguinem offerri credunt, unica ergo Miſſa omnes peccatorum pœnas aboleri credant, oportet, quum res oblata valoris ſit infiniti. Calumniæ tamen hæ ſunt putidiſſimæ ex affectata Catholicæ doctrinæ ignoratione profectæ. Primo ſiquidem laudatum Pauli teſtimonium ad rem non facit; quum Apoſtolum eo loci exaggerata oratione oſtendiſſe, qua pœna dignus ſit, qui poſt notitiam veritatis acceptam voluntarie peccat, nimirum ut ei Chriſti mors ad peccati remiſſionem amplius non applicetur, ideoque pronuntiaſſe, ſi Dei juſtitia ſpectetur, nullam iis, qui ex malitia delinquunt, relinqui pro peccatis hoſtiam, Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinianum exponat. Si de divina tamen miſericordia agatur, non iis ſolum, qui ex ignorantia, aut infirmitate peccant, ſe det ſcienter, ſupereſſe aliquam expiationis hoſtiam, nec aliam eſſe Appoſtoli mentem, ipſa capitis ejuſdem ſeries oſtendit. Rurſus Veterum Patrum pleroſque *hoſtiæ* nomine baptiſmum intellexiſſe, ac poſt baptiſma ſuſceptum nullam ſupereſſe *hoſtiam* interpretatos eſſe, quod baptiſma iterari nequeat, in eorum libris obvium eſt.

VI. Quid vero ſecunda calumnia futilius, ac iniquius? Quis Catholicorum umquam honorem, atque efficacitatem ſacrificii Chriſti in opus tranſtulit Sacerdotis? Quotquot rectam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam tenemus, Miſſæ ſacrificio vim propitiationis adſcribimus, non quatenus Sacerdotis, ſed quatenus ipſius Chriſti ſe ipſum per Sacerdotes immolantis eſt opus, cui ceu ſummo Sacerdoti nudum miniſterium a Sacerdotibus noſtris exhiberi profitemur. Tertiam vero calumniam germana Eccleſiæ doctrina a Tridentino ſeſ. 22. c. 2. nitidiſſime declarata diſpellit: *Per ipſum*, *Miſſæ nempe ſacrificium*, *fit*, *ut*, *ſi cum vero corde*, *& recta fide*, *cum metu*, *& reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus*, *miſericordiam conſequamur*, *& auxilium inveniamus in tempore opportuno; hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens crimina & peccata etiam ingentia dimittit*; *una enim eademque eſt hoſtia &c.* Quid ergo ea criminatione falſius, ſacrificium hoc propitiatorium eſſe abſque bono utentis vel Sacerdotis vel populi motu? Valere illud quidem ad expianda peccata ex opere operato, ait egregie Cardinalis Hoſius, docent cum D. Thoma Theologi, quatenus non Sacerdotis merito aut actione, ſed rei immolatæ virtute, fit ut cum Deo reconciliemur, peccatorum remiſſionem, & alia, quæ a Deo petimus, conſequamur; abſque bono tamen utentium, ideſt eorum, pro quibus offertur, motu valere, non modo docuit in Eccleſia nemo, verum uno ore id omnes adfirmant, niſi quis fide animique devotione fructum ejus in ſe transferre conetur, ſacrificium illi potius futurum exitio, quam utilitatis quidpiam allaturum.

VII. Etſi autem valere illud ad expianda peccata docuerint Patres, & credat

dat Eccleſia, num iccirco Sacramenti pœnitentiæ neceſſitas tollitur? Nonnulli quidem Scholaſtici a Melchiore Cano memorati, ante Tridentinum Concilium ſenſiſſe feruntur, lethales culpas Miſſæ oblatione remitti, atque juſtificantem gratiam conferri; hanc tamen eorum opinionem idem Cano, aliique Theologi communiter improbant, hacque potiſſimum ratione refellunt, quod ea poſita pœnitentiæ Sacramentum neceſſarium eſſe definer et. Quam ergo ad peccatorum remiſſionem Miſſæ ſacrificium virtutem habet? Maximam quidem ex opere operato, id eſt ex ſumma rei oblatæ præſtantia, ſed remotam tantum, atque, ut ajunt, mediatam, quatenus hac oblatione placatus Dominus gratiam & pœnitentiæ donum concedit, ſicut Tridentinum expoſuit, ideſt peccatoris cor præveniente ſua gratia emollit, & tangit, eique efficax & ſincerum pœnitentiæ atque emendationis propoſitum tribuens, hominem movet, ut in Pœnitentiæ Sacramento reconciliationis beneficium, & ſanguinis Chriſti applicationem quærat, quo univerſa ejus crimina deleantur.

VIII. Cur denique plura pro eiſdem ſacrificia offerantur, etſi dignitatem victimæ oblatæ infinitam eſſe credamus, rationem adfert egregiam idem Melchior Cano, quia nimirum Miſſæ valor infinitus eſt ad ſufficientiam non ad efficientiam; ſicut enim infinita Dei potentia infinito edendo operi extra ſe plene ſufficiens eſt, finitum tamen ſemper edit, quia infinitum capere res creata non poteſt, ita etſi Chriſti ſanguis ſive in cruce fuſus, ſive in altari oblatus ob infinitam ſummi Sacerdotis ſe ipſum offerentis dignitatem infinitæ virtutis ſit, ejus tamen effectus ſemper finitus eſt, quod infinita ejus virtus cauſa univerſalis ſit, quæ a cauſis adjuvantibus determinari ſolet ad finitos effectus vel majores vel minores, quo proximarum cauſarum cooperatio major vel minor fuerit; quare pro ſua quiſque devotione incruentæ illius hoſtiæ fructum percipit, quumque nulli ſit aut eſſe poſſit infinita devotio, quid mirum, ſi nullus infiniti fructus eſt particeps, ſi pro abolendis eorumdem culparum pœnis ſacrificia iterantur? Doctrina hæc inter Theologos receptiſſima ex Angelico depromta eſt 3. p. q. 79. ar. 5. ſcribente: „ Quamvis hæc oblatio „ ex ſui quantitate, ſeu excellentia ſufficiat „ ad ſatisfaciendum pro omni pœna, fit „ tamen ſatisfactoria pro illis, pro quibus „ offertur, vel offerentibus, ſecundum „ quantitatem ſuæ devotionis. “

PROPOSITIO III.

Sacrilege Novatores privatarum Miſſarum uſum damnant.

I. Etſi apud Eccleſiaſticos Tractatores varia occurrant Miſſarum genera, quæ appellationem habent vel a tempore, ut Miſſa *Dominicalis*, *ferialis*, *matutina*, vel a ritu, ut *Latina*, *Ambroſiana*, *Illirica*, *Mozarabica*, vel ab Auctore, ut Miſſa Jacobi, Baſilii, Chriſoſtomi, Gregorii, vel ab officio, ut *de tempore*, *de Sanctis*, *Votiva*, vel a diverſis audientium gradibus, ut *Miſſa Catechumenorum*, *Miſſa Fidelium*, res tamen cum Novatoribus de iis tantum nobis eſt, quæ a diverſa celebrandi ratione dicuntur *ſolemnes* & *publicæ*, vel *privatæ*. Nulla certe, ſi proprie loqui volumus, Miſſa privata eſt; uſus tamen obtinuit, ut *privatæ* dicantur, *peculiares* & *ſolitariæ* Miſſæ illæ, quæ abſque populi frequentia, vel abſque ſacrorum Miniſtrorum comitatu a Presbytero celebrantur, & in quibus ad Euchariſticam menſam adſtantium nullus accedit. Ad privatas Miſſas abolendas ſe a Diabolo ipſo excitatum ac inflammatum fuiſſe ſcribit ingenue in lib: *de abroganda Miſſa privata* Lutherus, cui junxerunt dextras Calvinus lib. 4. inſtit. Kemnitius in examine Tridentini Concilii, Calviniani denique omnes, & Lutherani Confeſſioniſtæ, quos mirum non eſt, Miſſas omnes execrari, præter unam *communem* & *pubblicam*, porrigendi Sacramenti gratia peractam, eaſque averſari ceu Chriſti inſtitutioni contrarias, & cauſa ſolius quæſtus inductas, quum negent, Miſſam veri nominis ſacrificium eſſe, neque ad alium finem ejus inſtitutionem referant, quam ad miniſtrandam petentibus communionem.

II. Hunc Novatorum errorem ſeſ. 22. can. 8. a Tridentino confixum eo primum momento convellimus, quod ſexto ejuſdem Seſſionis capite idem Concilium verſat: *Miſſas illas, in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat, non propterea Sancta Synodus ut privatas & illicitas damnat, ſed probat, atque commendat; ſiquidem illæ quoque Miſſæ vere communes cen-*

ſeri debent, *partim quod in eis Populus ſpiritualiter communicet*, *partim quod a publico Eccleſiæ Miniſtro non pro ſe tantum*, *ſed pro omnibus fidelibus qui ad Corpus Chriſti pertinent*, *celebrentur*; ſi ergo nullæ privatæ ſunt Miſſæ, ſed omnes vere communes ſunt atque publicæ, ineptiunt Novatores privatas Miſſas comminiſcentes, ut debacchari in eas poſſint. Quoniam vero Kemnitius hanc Tridentini doctrinam ceu futilem rider, quod æque publicus ſit Miniſter, qui baptizat, & qui Verbum Dei annuntiat, ac Presbyter celebrans, nec tamen baptizare ille, nec prædicare iſte poſſit, ſi nullus adſit baptiſmum petens, aut Dei Verbum excipiens, vindicanda eſt Concilii doctrina, & ineptiſſima Kemnitii cavillatio elidenda. Verum in Miſſa Sacramentum confici, & verum Deo ſacrificium offerri, fidei capita ſunt ſuperius demonſtrata; quum ergo Euchariſtia, ut Sacramentum eſt, id habeat peculiare, ut in conſecratione materiei, non in fidelium uſu ſit poſita, germana autem Sacrificii notio in oblatione ſoli Deo facta, non in adſtantium participatione conſiſtat, ſicut holocauſti veterum ſacrificiorem perfectiſſimi, quod in Dei honorem totum incendebatur, natura declarat, perperam & falſo Kemnitius effutit, non in alium finem inſtitutam eſſe Miſſam, quam ad miniſtrandam fidelibus communionem. Quantum autem inter baptiſmi & divini Verbi Miniſtrum, ac Sacerdotem celebrantem diſcriminis interſit, nemo non videt; ſi enim ſola Euchariſtia materiei conſecratione, alia vero Sacramenta materiei ſubjectæ ſanctificando applicatione perficiuntur, prædicatio autem non niſi ad audientium dirigitur utilitatem, Miſſæ celebratio abſque fidelium communione optime ſtat, non autem abſque baptiſmo tingendis, aut Dei Verbum audientibus baptizantis aut prædicantis miniſterium.

III. Plura e ſacris litteris, Patrum traditione, Veteris Eccleſiæ conſuetudine, nec non ex Eccleſiaſticis canonibus, ac Liturgiis contradunt Novatores adverſus privatas Miſſas. Primo, Chriſti Domini Euchariſticum panem in noviſſima cœna frangentis, atque Apoſtolis diſtribuentis exemplum urgent, inſeruntque, non eſſe Chriſtianam Miſſam, nec inſtitutionem Chriſti referre, ſi multis Euchariſtiam Presbyter non diſtribuat: 2. Paulum opponunt 1. ad Cor. XI. ſcribentem, eos, qui privatim cœnam celebrant, non participantibus aliis jam non dominicam ſed ſuam cœnam manducare: 3. Euchariſtiam ajunt a Veteribus *Synaxim* ſeu *communionem* iccirco dictam, quod ſecundum Chriſti inſtitutionem non ſolus Presbyter, ſed & reliqui fratres participes eſſe debeant Sacramenti: 4. privatas Miſſas puriori Eccleſiæ ignotas fuiſſe contendunt, quæ in Dominicæ cœnæ celebratione ſemper diſpenſationem Sacramenti in uſu habuit, quod in vetuſtiſſimis quibuſque Liturgiis teſtatiſſimum eſt. Poſtremo Eccleſiaſticos canones proferunt, decimum ſcilicet inter vulgo Apoſtolicos, ſecundum Anthiocheni Concilii, alterum, qui Anacleto Papæ falſo tribuitur, & a Gratiano cap. *Peracta* de conſecratione diſt. 2. refertur, quibus ſancitum legitur, omnes Miſſæ adſtantes communionem percipere, & ab Eccleſiaſticis liminibus arceantur, qui non paruerint.

IV. Non multæ tamen futurum eſt operæ, ſingula breviter refutare; ac primo quidem in Chriſti inſtituto, mandato, ac exemplo ſecernenda adcurate ſunt, quæ ad rei geſtæ ſubſtantiam, ab iis, quæ ad circumſtantias pertinent. Hoſtiæ conſecrationem, oblationem atque ſumptionem ad ipſam rei ſubſtantiam pertinere, Catholica Eccleſia uſu ſuo interpretata eſt, quare ſemper hæc omnia a Sacerdotibus privatas etiam Miſſas celebrantibus ubique terrarum peracta ſunt, & etiamnum peraguntur; Populi vero frequentiam, & communionem, ut & celebrandi ſacrificii locum, tempus, & apparatum circumſtantias eſſe nullo Chriſti præcepto determinatas, ſed Eccleſiæ Paſtorum arbitrio relictas, optima illa legum Chriſti interpres, perpetua ſcilicet Eccleſiæ conſuetudo declarat. Diſtinctionem hanc Novatores ratam habeant, neceſſe eſt, niſi velint ipſi violati dominici præcepti maniſeſte revinci; Si enim omnia, quæ Chriſtus Euchariſtiam inſtituens egit, ejus exemplo fulta divini præcepti neceſſitatem inducunt, non niſi ergo poſt cœnam, in cœnaculo grandi ſtrato, a diſcumbentibus numero tantum duodecim, mulieribus, puerisque ſecluſis, ſub utraque ſpecie Euchariſtia omnibus miniſtranda erit; hæc ne vero a Novatoribus religioſe ſervantur, etſi hæc omnia Chriſtus ſuo nobis exemplo commendarit? Qui Dominicam cœnam mane, in locis, quæ non multum differunt a taberna, promiſcue viris, fœminis, pueriſque diſtribuunt, qui abſte-

ſtemios, eoſque, quibus grave eſt poſt alios bibere, a calicis ſumptione eximunt, qui fractionem panis præter Sacramenti ſubſtantiam eſſe, declararunt, qua fronte ſcriptitare audent, Pontificias Miſſas impiam eſſe ſacræ cœnæ prophanationem, quod in eis ad fidelium communionem fractio panis non fiat?

V. Quantum vero a germano Pauli ſenſu aberrent, ſuis quiſque oculis haurire poteſt; agit enim eo loci Apoſtolus de communi fidelium convivio, quod tunc a pauperibus & divitibus ſolemni more in Eccleſia celebrari ſolebat, tum ad noviſſimæ cenæ a Chriſto cum Diſcipulis factæ & Euchariſtiæ inſtitutioni præmiſſæ rememorationem, tum ad ſovendam mutuam charitatem, quare *Agape*, ſeu charitatis epulum dicebatur, & ab Apoſtolo *Dominica cœna* vocatur, quod ad commemorandam ſupremam Chriſti cum Apoſtolis cœnam inſtitutum eſſet. Quoniam vero quorumdam divitum edacitas, temeritas, ac ſuperbia in convivii hujus celebrationem nonnullos abuſus apud Corinthios invexerat, hos graviſſimis verbis carpit Apoſtolus, & corrigere ſatagit. Cæterum, ait Kemnitius, ſi de vulgari convivio agebat Apoſtolus, quorſum inſtitutæ a Chriſto, & Apoſtolis diſtributæ Euchariſtiæ narrationem continenter attexuit ajens, *Ego enim accepi a Domino* &c.? Idem hoc argumentum ſibi Chryſoſtomus proponit, illudque ſic diluit: *Deinde volens eos aliunde majori pudore afficere, ex iis quæ ſunt præcipua, contexit orationem dicens, Ego enim* &c. *Cur hic meminit Sacramentorum? Quia ad præſens argumentum hæc oratio erat ei valde neceſſaria; tuus enim, inquit, Dominus omnes eadem menſa dignatus eſt, licet ea eſſet valde reverenda, & longe ſuperaret omnium dignitatem, tu autem pauperes hac tua vili & parva indignos exiſtimas, & quum illi in ſpiritualibus pluſquam tu nihil habeant, tu eos ſpolias ſenſibilibus bonis, neque enim hæc tua ſunt*. Rurſus, quum convivium illud Euchariſtiæ ſumptionem vel ſequeretur, ut Chryſoſtomus idem, & Græcorum plerique putant, vel ea ſaltem die, qua noviſſimæ Chriſti cœnæ annua memoria recurrebat, præmitteretur, ut Sanctis Auguſtino & Thomæ, aliiſque viſum eſt, Apoſtolus opportune injecta inſtitutionis Euchariſtiæ mentione, Corinthios crapula, ebrietate, & pauperum contemptu tantam ſacris myſteriis, quorum vel jam participes fuerant ante convivium, vel mox futuri erant, injuriam inferentes, dure increpuit, & propoſita Sacramenti excellentia, quo tam indigne utebantur, emendare conatus eſt.

VI. Quid vero ſi Euchariſtia non ſacrificium tantum, ſed etiam Sacramentum eſt, *ſynaxis*, *communio*, *ac ſpirituale convivium? Optaret quidem Sacroſancta Synodus*, ajebat Tridentinum, *ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſpirituali ſolum affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos ſacrificii hujus fructus uberior proveniret*; at ſi ea eſt hominum ſocordia, & rerum divinarum nauſea, ut ſanctiſſimum hoc Eccleſiæ deſiderium perpauci implere velint, plures immo vix in anno ſemel Eccleſiaſtico præcepto, & cenſurarum metu ad cæleſtem menſam adduci poſſint, ceſſandum ne iccirco a quotidiani ſacrificii oblatione, ſubtrahendus ne Deo Latriæ ſupremus cultus, fraudanda ne Eccleſia maxima illa utilitate, quæ in eam ex divinæ illius hoſtiæ immolatione profluit? Annon eſt Euchariſtia & veri nominis Sacrificium Deo gratiſſimum, & Sacramentum omnium præcipuum abſque fidelium uſu? Eſt quidem illa a Chriſto etiam inſtituta ut ſpirituale convivium, ad quod tamen nos quotidie invitari, non cogi, extra litem eſt, quum determinationem temporis, quo divinum ejus ab adultis ſacramentaliter ſumendæ præceptum implendum eſt, Eccleſiæ poteſtati fuiſſe a Chriſto permiſſam, probatiſſima potioris antiquitatis monumenta demonſtrent. Nec deſinit illa *Synaxis* atque *communio* eſſe, etiam quum a ſolo Sacerdote celebrante ſumitur, quum & Miſſæ illæ, *in quibus ſolus Sacerdos ſacramentaliter communicat*, vere communes ſint, tum quod in eis populus quoque ſpiritualiter communicet, tum quod publicus ille Eccleſiæ Miniſter pro toto corpore celebret, ideoque, ait Angelicus, *ſicut pro omnibus offert, ita ex Perſona omnium ſumit*, paratuſque eſt, ad cæleſtem cibum pro communi ſalute inſtitutum omnibus legitime petentibus miniſtrandum, nec ei in culpa poni poteſt, ſi adſtantium nemo vivificum panem eſurit, atque petit. Eadem ferme Cardinalis Perronius Jacobo I. Anglorum Regi repoſuit.

VII. Si Veterum Patrum Tertulliani, Cypriani, & Dyoniſii Alexandrini ſcribentium,

tium, ſæviente in Chriſtianos perſecutione, celebratas fuiſſe Miſſas *in privatis domibus, in carceribus, in agris, in navi, in ſolitudine* &c. teſtimonia proferemus, regerere Novatores poſſent, privatas fuiſſe illas, quod ſolemnes non eſſent, non autem, quod nullus adſtantium præter Sacerdotem cæleſti pane viſceretur. Ab iis ne vero ſe expedient locupletiſſimis teſtimoniis, quæ earumdem celebrationem abſque populi communione ſignificant? Nonne S. Gregorius Nazianzenus in funebri Patris ſui oratione refert, eum in lectulo ſacris operatum fuiſſe, Uranius in vita S. Paulini Epiſcopi ſcribit, propediem moriturum illum juſſiſſe, parari ſibi altare ante lectulum, in quo ſacrificium offerens ſolus ſe cæleſti viatico refecit? Quum Ambroſius populum ſuum hortetur, ut nullo impedimento diſtentus quotidiano interſit ſacrificio, & quadrageſimali tempore, Dominicis ſaltem diebus, ad Euchariſtiam accedat, Auguſtinus, etſi ſæpe teſtetur, quotidie ſacrificium offerri, fideles tamen moneat, ut Dominicis ſaltem diebus communicent, Chryſoſtomus conqueratur, quotidie ſacrificium offerri, quotidie ſe altari immolantem adſtare, neminem tamen eſſe, qui participaret, annon mendacii revincuntur, qui effutiunt, privatas has Miſſas puriori Eccleſiæ fuiſſe ignotas, nec umquam abſque participatione adſtantium celebratas? Chryſoſtomi præcipue verba decretoria ſunt; quum enim palam coram Populo conquereretur, *fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, fruſtra adſtamus altari, nemo eſt, qui participet*, quis credat, Virum ſanctiſſimum voluiſſe quotidie agere, quod illegitimum, & divinæ inſtitutioni contrarium, & Novatores blaterant, cenſuiſſet, ſacra nimirum quotidie facere, quum populus nonniſi bis, aut ſemel in anno ad divinam ſynaxim accederet? Eſt quidem, ut Clariſſimis Cardinalibus Perronio, & Bellarmino, aliiſque eximiis Theologis animadverſum eſt, in eo, quo Chryſoſtomus ſemel iterumque utitur, adverbio *fruſtra* Rethorica quædam exaggeratio, ac hyperbole, qua Paſtor æque Sanctiſſimus atque elegantiſſimus gregis ſui perraro cæleſti pabulo ſe reficientis, ſeque icirco uberrimo fructu privantis, qui ex digna Sacramenti hujus communione percipitur, etſi ipſe quotidie adſtaret altaribus, & ad miniſtrandum petentibus ſacrum panem quotidie præſto eſſet, ſocordiam nitebatur excutere; ipſe etenim hom. 21. in Apoſtolorum acta diſerte docet, Euchariſtico ſacrificio ſupremum Deo cultum exhiberi, honorari Martyres, quorum memoria recolitur, ſolvi peccatorum vincula, juvari defunctorum animas; quare oratoria auxeſi uſus eſt, dum ait, *fruſtra eſt quotidianum ſacrificium, quia nemo eſt, qui participet*.

VIII. Mirum certe eſt, advocari in profligatæ cauſæ ſuæ præſidium a Novatoribus veteres Liturgias, quibus nihil eſt locupletius atque efficacius ad confirmanda, quæ ipſi perverſe negant, dogmata, vere ſcilicet ſub panis vinique ſymbolis adeſſe Chriſtum, Miſſam veri nominis ſacrificium, non ſolius latriæ & gratiarum actionis, ſed & propitiationis atque impetrationis eſſe. Etſi autem in iis ſive orationes, quæ in canone recitantur, ſive collectæ plurali numero, & multitudinis nomine a Sacerdote dirigantur ad Deum, argumento tamen non eſt, numquam olim celebratas fuiſſe Miſſas abſque populi communione; nam quum Miſſæ omnes communes ſint atque publicæ, pronuntiantur & Liturgiæ multitudinis nomine; Miſſa enim, ſive privatim ſive ſolemniter celebretur, totius Eccleſiæ opus eſt, non ſolius Sacerdotis, qui non ſuo tantum, ſed omnium fidelium nomine offert, & orat, cujus oratio & oblatio omnes illos Eccleſiæ Filios reſpicit, qui ubicumque ſacrificium iſtud offertur, ejus vel re, vel voto participes ſunt. Quin denique neceſſe ſit, memoratos canones ad Græcæ linguæ rigorem exactos ex probatiſſimis Dyoniſii Exigui, Cotelerii, Juſtelli, & Beveregii editionibus recitare, & prolatis canonum verbis Novatores imperitiæ, aut malitiæ revincere, breviter cum Joanne Gerardo Voſſio reponimus, ſententiam canonum non eſſe, ut quiſque, quoties adeſt, communicet, ſed ne nondum peracta communione diſcedat.

PROPOSITIO ULTIMA.

Nihil eſt in Miſſæ ceremoniis non maxime pium & ſanctum.

I. NOvatoribus univerſis ceremonias Miſſæ procaciſſime inſectantibus ceu *irritamenta impietatis magis, quam officia pietatis*, graviſſima opponimus Tridentini verba ſeſ. 22. cap. 5. *Ceremonias adhibuit pia Mater Eccleſia, ut myſticas bene-*

benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina, & traditione, quo & Majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur. Ne vero hæc Tridentini verba pro more flocci faciant, & derideant, tria, quæ his continentur, momenta evolvamus, atque verſemus. Inſtitutas ac adhibitas ait Tridentinum, has ceremonias ad commendandam magis tanti ſacrificii majeſtatem; quam vero ſancte, quam pie! In Miſſa enim verum ſacrificium offerri quovis legali ſacrificio ſanctius & excellentius, fidei caput eſt; ſi ergo legalibus victimis offerendis Deus ipſe præſcripſit certum locum, ejuſque ornatum, altare, & altaris formam, Miniſtros, ac peculiares eorum veſtes, purificationes, conſecrationes, ſpeciales immolandarum hoſtiarum ritus, lumina eorumque numerum, thimiama, aliaque id genus plurima, quorum omnium non alia erat, ut probat Angelicus, litteralis ratio, quam Dei honor & cultus, ad cujus reverentiam lex homines volebat inducere, quo magis decuit, ad commendandam Sacrificii Euchariſtici majeſtatem, augendamque ejus venerationem, certas aliquas ceremonias ab Eccleſia præſcribi, ut majori, qua poſſet, exteriori ſolemnitate, & religionis ſignificatione perageretur? Non poteſt ergo harum ceremoniarum uſus Eccleſiæ in culpa poni, niſi Deus ipſe culpetur legalium inſtitutor.

II. Num vero inaniter Tridentinum enuntiat, ceremonias has ex Apoſtolica diſciplina & traditione adhiberi? Quid eo diſertius, quod in lib. de corona militis poſt recenſitas plures Baptiſmi, & Euchariſtiæ ceremonias ſua ætate in Eccleſia uſitatas, alioſque Chriſtianorum ritus ubique vigentes Tertullianus habet: *Harum, & aliarum ejuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur Auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix?* Quid iis locupletius, quæ Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi inter myſtagogicas quinta, & Ambroſius in lib. *de iis, qui myſteriis initiantur*, tradunt, ſingulas Liturgiæ ſacræ ceremonias deſcribentes, eaſque non ut recentis inſtitutionis, ſed ut pervetuſti in Eccleſia uſus? Nonne Baſilius Magnus in lib. de Spiritu Sancto, cui concinunt Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos, & Auguſtinus in epiſt. ad Januarium, ſcribit, *quum conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, Eccleſiam non iis contentam eſſe, quæ commemorat Apoſtolus, aut Evangelium, ſed multa ante & poſt dicere, tamquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepit?* Quum ergo diſertiſſima tantorum Virorum teſtificatione exploratum ſit, ceremonias has ex Apoſtolica diſciplina & traditione deſcendere, & primitivæ Eccleſiæ uſu conſecratas, ſicut & vetuſtiſſimæ quæque Liturgiæ comprobant, annon Chriſtiano nomine indigni ſunt, qui eas ut ludicrum theatri apparatum rident, damnantque ſuperſtitionis? præſertim quum, niſi id longiorem deſideraret operam, demonſtrari facillime poſſit (quod ab egregio Scriptore Anonymo nuper præſtitum eſt!,) nihil ferme in Miſſæ celebratione ab Eccleſia uſurpari, cui e ſcripto Dei verbo nequeat auctoritas conciliari, pleraque e veteri aut novo inſtrumento petita eſſe, alia vero recitari, aut peragi, prout in Scripturis quidpiam ſimile geſtum legitur, aut fieri jubetur.

III. Quid tandem pium magis & ſanctum altero fine illo, cujus gratia ceremonias has adhiberi idem Tridentinum ait, ut per viſibilia hæc nimirum pietatis & religionis ſigna, ad myſteriorum in hoc ſacrificio latentium contemplationem homines ſuſtollantur? Exteriora enim adminicula, quibus hominum juvatur infirmitas, & ad divinorum amorem & cognitionem erigitur, quis vituperare audeat, niſi communem ipſum hominum ſenſum exuerit, quum & Deus ipſe, qui cuique providet, prout ejus natura poſtulat, imbecillitati noſtræ indulgens nobis in Scriptura ſacra res altiſſimas proponat ſenſibilibus ſymbolis circumvelatas? Nonne Deus in veteri Teſtamento novæ legis myſteria non ſolum metaphoricis locutionibus tradidit, ſed, quia ſenſibilia animum magis movent, ait D. Thomas, dum oculis ſubiiciuntur, ſimilitudines rerum viſui ſubjectarum, nempe ceremonias inſtituit, ex quibus futurorum umbram habentibus Chriſtum ejuſque myſteria Hebræi facilius intelligerent? Qui ergo ſacras Miſſæ ceremonias, quibus ad inviſibilia cognoſcenda & amanda veluti manuducimur, inſectantur, ii pietatem omnem & religionem abnegarunt; quæcumque enim, ait Angelicus, *in hujus myſte-*

rii

rii celebratione fiunt, vel Chriſti paſſionem in mentem revocant, vel corporis myſtici diſpoſitionem allegorice denotant, vel devotionem, & reverentiam, qua hoc Sacramento utendum eſt, tropologice ſignificant.

IV. Nulla ferme eſt inter Miſſæ ceremonias a Novatorum, Kemnitii, & Picteti præſertim, maledictis intacta, in quibus retundendis opera a nobis locanda eſt. Sciſcitantur primo, quandonam ceremoniæ noſtræ fuerint ab Apoſtolis inſtitutæ? Non omnia ab Apoſtolis conſtituta in litteras relata fuiſſe reponimus; Paulus enim 1. ad Cor. 11. ordinatis nonnullis circa Euchariſtiæ celebrationem & uſum, ut recte adnotat Tridentinum, *cætera*, inquit, *quum venero*, *diſponam*; quibus verbis inſinuatum a Paulo, totum illum agendi ordinem, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo fuiſſe ordinatum, docet Auguſtinus in laudata ad Januarium epiſtola. Ubinam vero Paulus ſcripto mandavit, quæ a ſe Corinthum profecto circa Liturgiæ celebrationem diſponenda promiſerat? Etſi nullibi in Apoſtolorum ſcriptis hæc ceremoniarum inſtitutio legatur, annon Apoſtolicæ earumdem origini demonſtrandæ ſatis ſuperque eſt primitivæ Eccleſiæ uſus in vetuſtiſſimis quibuſque Liturgiis, & Patrum ſcriptis teſtatiſſimus? Cæterum qui procaci hac interrogatione nos vexant, proferant ipſi, quandonam ceremonias Genevæ, & alibi uſitatas, quarum ordo a Calvino præſcriptus eſt, Apoſtolorum aliquis inſtituerit? Ubinam legere eſt, ab Apoſtolis conſtitutum, ut a ſtantibus, vel ſedentibus, vel procumbentibus in genua Euchariſtia ſumatur? Quum ergo Genevæ ſtantes, alibi menſæ aſſidentes, alibi flexis genibus cœnam, quam Euchariſtiam falſo dicunt, ſoleant Calviniani ſuſcipere, mentiuntur plane, dum ajunt, ceremoniis a Chriſto & ab Apoſtolis inſtitutis ſeſe contentos eſſe. Quid etiam iniquius, ut privato homini legitima quavis auctoritate deſtituto fas fuiſſe credant, omnia ferme abolere, quæ in primitiva Eccleſia uſu recepta fuiſſe, probe ſciunt, aliumque precum, & ceremoniarum ordinem gregalibus ſuis edicere, hanc vero poteſtatem Eccleſiæ adimant, quod harum ceremoniarum nulla in Evangelio, aut in Apoſtolorum ſcriptis mentio occurrat? Sed de hoc argumento jam alibi non ſemel egimus.

V. In ſingulas ſubinde ceremonias calamum acuunt Novatores: Primo in templa, altaria, & vaſa ſacra, eorumque conſecrationem; Chriſtus enim in communi quodam cænaculo, Apoſtoli vero in privatis fidelium domibus Euchariſtiam peregerunt, nec niſi ſtulte conſecrari poſſunt templa, & altaria, quæ, quum quidpiam inanime ſint, gratiam aut ſpiritualem virtutem ſuſcipere non poſſunt. Quum etiam vaſis ſacris ad ſacrificium ſuum Romanenſes utantur, vel ad ſepulcrum Dominicum, vel ad noviſſimæ Chriſti cænæ calicem ſignificandum, ea non aurea, argentea, vel ex alio metallo conflata, ſed lapidea ſint, oportet; in ſepulcro enim exciſo in petra jacuit Chriſti corpus, calicem vero ſupremæ cænæ ex pretioſo lapide fuiſſe elaboratum, permulti tradunt: Secundo, in canonem, cujus audito nomine, ut ſcribit Lutherus in lib. de abominatione canonis, deberent homines ſe cruce ſignare, ac fugere, ac ſi diabolus illis occurreret; intolerandis enim erroribus ſcatet; nam præterquam quod magnam habet verborum aggeriem ſola humana præſumptione iis adjectorum Chriſti verbis, quibus Euchariſtia conficitur, quis Evangeliſtarum memorat, elevaſſe Chriſtum in cœlum oculos, dum Euchariſtiam inſtitueret, quod ipſi tamen in ſuum canonem fidentiſſime intulerunt? Quis ea non horreat portenta verborum, quæ aiebat Lutherus, nec a ſe intelligi, nec a ſtolido illo, qui ſcripſit, *hanc* ſcilicet *oblationem benedictam*, *adſcriptam*, *ratam*, *rationalem*, *acceptabilemque facere digneris*, *ut corpus & ſanguis fiat &c.*? Quid iis deteſtabilius, quibus Deum orant, ut dignetur ſacrificium Miſſæ *propitio ac ſereno vultu reſpicere*, *ſicut munera juſti Abel &c.* jubeatque ſacra dona *perferri per manus ſancti Angeli ſui &c.* quaſi vero corpus Chriſti in Cœlo eſſe deſierit, debeatque illuc Angeli manu referri? Poſtremo in reliquas ceremonias, quarum alias Judaiſmum, ut manuum ablutionem, atque thurificationem, alias Ethniciſmum olere contendunt, ut pleno die cereos accendendi morem, alias ſuperſtitionem, ut tot illas cruceſignationes, etiam poſt conſecrationem, a ſacrificulis iteratas, alias ludicrum theatri apparatum, quum hiſtrionem in ſcæna ludentem referat Pontificius Presbyter tam varie geſticulans, nunc extenſis brachiis, nunc junctis manibus, nunc complicatis digitis, nunc curvato corpore, ſe ad ſalutandum populum ſæpe convertens, quodque magis feſtivum eſt, etſi non raro

ſolus

ſolus puerulus miniſtrans adſit, plurali numero ei ſalutem dicens. Hæc ſine panoplia verborum, concludit Kemnitius, ornamentorum, veſtium, rituum, geſtuum, actuum, qui ſunt nervi, & ipſa ſubſtantia Pontificiæ Miſſæ, non fuit tempore Apoſtolorum.

VI. Singula, quo ordine propoſita ſunt, perſequemur, & enodabimus. Quod Chriſtus in communi cænaculo, Apoſtoli in privatis domibus, Sancti Pontifices, Martyres, & Confeſſores, furentibus in Eccleſiam perſecutionibus, in ſubterraneis cryptis, in carceribus, in navi, in agro, in ſolitudine, ſicut Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium ſcribit, ſacrificium hoc celebrarint, argumento eſt, divino præcepto nulli certo loco alligatam eſſe incruenti ſacrificii celebrationem, ſed ſola Eccleſiæ ſanctione. Hanc ne vero accuſabunt Novatores, quam ex Apoſtolica traditione & diſciplina manaſſe, compertum eſt? Nonne altaris celebrando ſacrificio apud Chriſtianos addicti diſerte meminit Paulus I. ad Cor. 10. & ad Hebr. 13.? Nonne iis, quæ 1. ad Cor. 11. idem Apoſtolus habet ſcribens: *Convenientibus vobis in Eccleſiam* &c. non fidelium cœtum, ſed ſacram orationis domum deſignari, interpretatur Auguſtinus? Nonne plures Romæ ab Apoſtolorum Principibus Deo dicatas fuiſſe Eccleſias, vetuſtiſſimis documentis probant Cardinales Baronius & Bona? Apoſtolorum itaque exemplo ac diſciplina freta Eccleſia ſanctiſſime juſſit, ut nonniſi in templis & altaribus ſpeciali ritu Deo dicatis ſacrificium hoc peragatur. Eccleſiaſticæ ſanctionis hujus ævo ſuo jampridem latæ diſertam mentionem habent Sancti Baſilius Magnus, & Cyrillus Alexandrinus, quorm prior ait: *Si loci rationem neglexerimus, maxime ſi ſacerdotii myſteria in prophanis locis celebraverimus, ea res habebit indicium contemptus in celebrante, offendiculum quoque generabit* &c. alter vero ſcribit: *Oblatio, quam myſtice celebramus, in ſolis Orthodoxorum Eccleſiis offerri debet, nec alibi omnino, ita ut, qui ſecus faciunt, legem aperte violent*; quare quum lex illa jam tum vigeret, dum nulla adhuc Eccleſiæ fidei ac diſciplinæ, Novatoribus confitentibus, labes adhæſerat, nonniſi inique criminantur Romanam Eccleſiam, quæ legem hanc vetuſtiſſimam ſequitur.

VII. Quam ſit etiam antiquus templa & altaria conſecrandi ritus, docent Euſebius lib. 10. hiſt. Eccl. c. 3. & lib. 4. de vita Conſtantini c. 43., Athanaſius in ſua apologia, Ambroſius in lib. de exhortatione Virginitatis Hieronymus adverſus Vigilantium, & Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum, & variis in ſermonibus, quare culpare illum Novatores non poſſunt, niſi prioris ævi Eccleſiam in crimen vocent; neque vero rebus iſtis inanimis conſecrationem olim adhibuit, adhibetque Eccleſia, quaſi illæ gratiæ & ſpiritualis virtutis ſuſcipiendæ capaces eſſe credantur, ſed, ut ait Angelicus, „ divino cultui redduntur „ aptæ, ut ſcilicet homines devotionem „ quandam inde concipiant, ſintque ma„ gis ad divina parati, niſi hoc propter ir„ reverentiam impediatur. " Qui etiam poſſunt argenteorum aureorumque vaſorum uſum vituperare, niſi primitivam Eccleſiam accuſent, quam pretioſis vaſis ad ſacrificii incruenti celebrationem uſam eſſe novimus ex ſinceris S. Laurentii Martyris actis, aliiſque locupletiſſimis documentis, quæ Cardinalis Bona, & Summus Pontifex Benedictus XIV. in ſuo de ſacrificio Miſſæ commentario producunt? Nonne & calicem, quem in noviſſima cœna Chriſtus ad conſecrandum adhibuit, argenteum fuiſſe, & Hieroſolymis ſua adhuc ætate ſervatum, ſæculo ſcilicet octavo, ſcribit Venerabilis Beda, confirmatque Baronius in Annalibus? Fuerit tamen ille, ut plures opinantur, ex pretioſo lapide: quid tum? Caput hoc, quum diſciplinæ certiſſime ſit, Eccleſiæ poteſtati ſubeſt, & reformabile eſt, neque eandem ſemper fuiſſe ſacrorum ad ſacrificii uſum vaſorum materiam, Eccleſiaſtica tradit hiſtoria; Sanctiſſimos enim Epiſcopos & Sacerdotes calicibus quandoque uſos legimus vitreis, aut ligneis, aut ſtamneis. Potuit ergo Eccleſia metalli genus determinare, ex quo vaſa ſacra conflanda eſſent, quæ decentior eſſet, majoremque erga Domini corpus & ſanguinem vaſis ſacris contenta reverentiam teſtaretur.

VIII. Quæ adverſus canonem Miſſæ furens Lutherus effudit, & ex eo Pictetus exſcripſit, jamdudum fuerant a D. Thoma pleniſſime diluta; alia, ait ille 3. p. q. 83. ar. 4., „ in quo totum Litur„ giæ ſacræ ordinem luculenter exponit, „ & Hæreticorum adverſus eum calu„ mnias diſpellit, alia neceſſe fuit addere „ ad digne Sacramentum hoc celebran„ dum, in quo totum ſalutis noſtræ my„ ſterium comprehenditur, & ad præpa„ ta-

„ rationem ſumentium; “ neque additionem hanc auderent Novatores Romanæ Eccleſiæ vitio vertere, ſi antiquiſſimam ejus originem animo complecterentur. Non ſolum enim ejus meminit Cyrillus Hieroſolymitanus, ſed pleraque canonis capita jam tum in Eccleſia recepta, atque in omnibus Liturgiis, non iiſdem quidem verbis, eodem ſenſu tamen, expreſſa, in catecheſi jam memorata recenſet, Baſilius vero Magnus alia illa plura, quæ ante & poſt conſecrationem dicimus, tamquam multum habentia momenti ad myſterium, ex traditione repetiit, quam citra ſcriptum accepimus. Ex traditione hac innotuit Eccleſiæ, ſuſtuliſſe Chriſtum in cælum oculos ante Euchariſtiæ inſtitutionem, quum Joannes Evangeliſta ſcribat, multa a Chriſto dicta vel geſta fuiſſe, quæ litteris conſignata non ſunt, præſertim quum rationi maxime conforme ſit, ut qui Lazarum ſuſcitaturus, & poſt inſtitutam diſtributamque Euchariſtiam pro Diſcipulis orans oculos ad Patrem erexiſſe legitur, in hujus Sacramenti inſtitutione ceu in potiori majoriſque momenti re, idem multo magis feciſſe credatur : ita D. Thomas.

IX. Nec etiam adverſus eam canonis orationem, cujus initium, *quam oblationem* &c. adeo excanduiſſet Lutherus, ſi ad venerabilem ejus antiquitatem animum advertiſſet ; ejus etenim etſi non ſingula verba, ſenſus tamen in omnibus ferme iiſque perveruſtis Orientalium Liturgiis occurrit, eamque Auctor librorum de Sacramentis, qui, ſi non Ambroſius, vetuſtiſſimus tamen eſt, & Ambroſio ſuppar, atque in Ambroſii veſtigiis inſiſtens eadem paulo fuſius verſat, quæ preſſe habet Ambroſius in lib. de Myſteriis, ita exponit : *Hanc oblationem facere digneris benedictam, ideſt, per quam benedicamur, adſcriptam, id eſt per quam cælo adſcribamur, ratam, ideſt per quam de Chriſti viſceribus eſſe cenſeamur, rationabilem, ideſt per quam beſtiali ſenſu exuamur, acceptabilem, ut per hanc acceptabiles unico ejus filio ſimus.* Quid porro in verbis iſtis portenti, ut tantum ſtomachi Luthero moveret? „ Neque etiam, „ ait Angelicus, ſequentibus verbis vide„ tur orare Sacerdos, ut conſecratio im„ pleatur, ſed ut nobis fructuoſa fiat, „ quare conſulto dicit, *ut nobis corpus* „ *& ſanguis fiat* “ &c. Nullam quoque ſacrificio injuriam infert Sacerdos a Deo poſtulans, ut gratum illud habere velit, ſicut olim Abelis munera &c.; licet enim ſacrificium hoc, pergit Angelicus, „ ſe „ ipſo ſit antiquis omnibus anteferen„ dum, illa tamen ex offerentium devo„ tione Deo fuerunt acceptiſſima, quare „ Sacerdos orat, ut offerentium devotio „ ita accipiatur a Deo, ſicut Abelis, „ Abrahæ, & Melchiſedechi oblationes „ ob inſignem eorum devotionem fuerunt „ Deo gratiſſimæ. “ Alteram canonis orationem a Novatoribus tam inverecunde proſciſſam vindicat, & exponit ibidem Angelicus ajens, „ non orare Sacerdotem, „ ut vel ſacrum Chriſti corpus, quod in „ cælo eſſe non deſinit, vel ipſæ Sacra„ menti ſpecies deferantur in cælum, ſed „ pro myſtico corpore, quod hoc Sacra„ mento ſignificatur, precari, ut Sacerdo„ tis nimirum & populi oblationes ab „ Angelo, qui divinis myſteriis adeſt, „ Deo repræſententur, juxta illud Apo„ cal. 8. *Aſcendit fumus incenſorum de* „ *oblationibus Sanctorum de manu Ange*„ *li*. “

X. Num vero manuum ablutio, & thuris uſus ſapiunt Judaiſmum ? Ritus hos, non ut ceremonialia Moſaicæ legis præcepta, ſed ut ab Eccleſia ſancte inſtitutos tum ad majorem tanti Sacramenti reverentiam, tum ob myſticas ſignificationes ſervari, cum D. Thoma reponimus. Pudeat Novatores ritui manus inter ſacrificium celebrandum abluendi Judaiſmi notam inurere, quum in memorata Catecheſi Cyrillus Hieroſolymitanus antiquiſſimi ritus hujus & mentionem habeat, & myſterium explicet, ajens : *Vidiſtis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti? Num ideo prorſus dabat, ut ſordes corporis abluerentur ? Nequaquam : nec enim adeo ſordibus fœdati ſolemus in Eccleſiam ingredi; ſed illa manuum ablutio ſymbolum eſt, oportere nos a peccatis omnibus mundari ; quum enim per manus deſignentur actiones, lavare eaſdem, munditiem & puritatem operum ſignificat. Nonne audiſtis David dicentem, lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine ? Itaque manus abluere eſt ſymbolum, non obnoxium eſſe peccatis.* Literalem quoque uſus thuris rationem petit Angelicus „ ex debita myſterio huic reveren„ tia, ut ſcilicet thuris fragrantia depel„ la-

„ latur, ſi quid grave olens in loco fue-
„ rit. Cæterum ſuum & ritui huic my-
„ ſterium ineſt; effectum enim gratiæ ſi-
„ gnificat, ait Angelicus, qua ut ſua-
„ viſſimo odore Chriſtus plenus fuit juxta
„ illud Gen. 27. Ecce odor filii mei ſicut
„ odor agri pleni, & a Chriſto ad fideles
„ Sacerdotum miniſterio derivatur, juxta
„ illud 2. ad Cor. 2., Deus odorem no-
„ titiæ ſuæ ſpargit per nos in omni lo-
„ co. “

XI. Etſi Tertullianus & Lactantius Ethnicus jure riderent, quod cereos lucente ſole accenderent, idem ne nobis poteſt a Novatoribus ad ludibrium objici? Ridendi illi merito erant, quod faces illas accenſas ſtulte crederent quidpiam momenti habere ad levandas defunctorum animas: Quidpiam ne vero ejuſmodi in hoc Chriſtianorum ritu? Eum quidem ut ridiculum Vigilantius Hæreticus, a quo ſtrophas ſuas mutuati ſunt Novatores, ſæculo quarto redarguit; verum quum procacem Hæreticum Hieronymus doctiſſime refutarit, monſtro plane ſimile eſt, Novatores miſeri hominis ab univerſali Eccleſia hac quoque de cauſa ſæculo quarto damnati, & a Doctore Maximo validiſſime perſtricti maledicta in hanc aliaſque Eccleſiæ ceremonias inſtaurare: Si ritus hujus origo quæritur, in prioris ævi Eccleſia deprehenditur, quæ furentibus perſecutionibus cereos accendere ſolita ad antelucanos cœtus habendos, & ad ſacra in locis ſubterraneis peragenda, reddita poſt modum ſibi per Conſtantinum Imperatorem pace, retinere morem hunc etiam pleniſſimo die voluit ut venerandæ antiquitatis veſtigium, & lætitiæ argumentum, nec non ut Chriſti Domini, ejuſque per totum terrarum orbem diffuſæ fidei ſymbolum; eſt enim ille vera lux mundi, hæc autem ſpiritua-le lumen eſt, quo illuſtramur, & in viam ſalutis deducimur. Quum vero Hieronymus ritum hunc in omnibus Orientis Eccleſiis ſæculo quarto obtinuiſſe teſtetur, annon ineptit Picterus, ejus inſtitutionem referens ad Sabinianum Romanum Pontificem, qui ſeptimo ſæculo ineunte deceſſit?

XII. Ad refellenda cætera Novatorum objecta alio opus non eſt, quam graviſſimis Angelici verbis, qui poſtquam ſingularium, quæ in Miſſa fiunt, crucesignationum myſteria luculenter expoſuit, addit: „ Poteſt brevius dici, quum hujus
„ Sacramenti conſecratio, & ſacrificii ac-
„ ceptatio, & fructus ex virtute crucis
„ Chriſti procedant, Sacerdotem iccirco
„ crucesignatione uti, ubicumque cujuſ-
„ piam horum fit mentio, Neque, quæ
„ Sacerdos in Miſſa facit, ridiculæ geſti-
„ culationes ſunt; fiunt enim ad aliquid
„ repræſentandum: Quod Sacerdos bra-
„ chia poſt conſecrationem extendit, ex-
„ tenſionem brachiorum Chriſti in cruce
„ ſignificat, orando etiam manus levat
„ ad deſignandum, quod oratio ejus pro
„ populo ad Deum dirigitur: quod ma-
„ nus interdum jungit, ſeque inclinat,
„ ſuppliciter & humiliter orantis eſt, de-
„ notatque Chriſti humilitatem, & obe-
„ dientiam, ex qua paſſus eſt: Poſt con-
„ ſecrationem autem pollicem cum indi-
„ ce jungit, quibus corpus Chriſti tetige-
„ rat, ut, ſi qua particula digitis adhæ-
„ ſerat, non diſpergatur, quod ad Sacra-
„ menti reverentiam pertinet. Quinquies
„ ſe ad populum vertit, quia Dominus
„ ipſo ſuæ reſurrectionis die quinquies ſe-
„ ſe manifeſtavit: ſepties vero populum
„ ſalutat ad deſignandam ſeptiformem
„ Spiritus Sancti gratiam, quam fideli-
„ bus adprecatur; neque abſurdum eſt,
„ & ineptum, Miniſtrum quandoque ſo-
„ lum ſacrificio præſentem a Sacerdote
„ plurali numero ſalutari; gerit enim ille
„ perſonam totius populi Catholici, cu-
„ jus nomine pluraliter Sacerdoti reſpon-
„ det. “ Quam denique falſo Kemnitius efferat, in his ceremoniis poſitos eſſe *nervos*, ipſamque *Pontificiæ Miſſæ ſubſtantiam*, demonſtrat ibidem Angelicus ajens:
„ Quum Sacramentorum diſpenſatio Mi-
„ niſtris Eccleſiæ concredita fuerit, eo-
„ rum autem conſecratio ab ipſo Deo
„ ſit, nihil circa conſecrationis formam
„ Miniſtri ſtatuere poſſunt, ſed tantum
„ circa hujus Sacramenti uſum, & cele-
„ brandi modum; quare ſi Sacerdos cum
„ intentione conſecrandi verba Domini
„ proferat ſuper materia debita, abſque
„ prædictis omnibus, templo ſcilicet &
„ altari, corporali, & calice conſecratis,
„ & cæteris hujuſmodi per Eccleſiam inſti-
„ tutis, vere conſecrat corpus Chriſti, licet
„ graviter peccet, ritum Eccleſiæ non
„ ſervans. “ Sunt itaque omnes hæ ceremoniæ præter ſacrificii ſubſtantiam, quarum plures etſi Apoſtolorum ævo nondum uſitatæ eſſent, ab Eccleſia tamen

inſtitutas fuiſſe ſanctiſſime, neque deſpici aut ſcienter omitti abſque ſacrilegio poſſe, momenta ſuperius expenſa perſuadent.

XIII. Coronidis loco pauca ſubjicere viſum eſt ex Doctiſſimo Renaudotio deprompta, quæ doctrinam hactenus traditam de ſacrificio ejuſque ceremoniis mirifice confirmant, illuſtrantque, & Novatorum, qui hæc omnia ſuſtulerunt, ſacrilegam impietatem aperte revincunt. Liturgiarum Orientalium collectioni diſſertationem ampliſſimam de earumdem origine & auctoritate præmittit Clariſſimus Vir in plura capita diſpertitam, in quorum primo demonſtrat, nullam antiquitus fuiſſe conſecrandæ Euchariſtiæ formam Græcis Latiniſque Liturgiis etiamnum extantibus, uſuque receptis diſſimilem, in 2. Liturgias omnes, ex quo ſcriptæ ſunt, aliæ ſcilicet ante quarti exitum, aliæ ante quinti ſæculi medietatem, nihil continere, quod veteri & Apoſtolicæ Euchariſtiam celebrandi formæ non adcurate reſpondeat, in 3. ſibi probandum ſumit, veteres Liturgias Græcas & Orientales cum Latinis convenire, & utraſque Apoſtolicæ celebrandorum myſteriorum formæ in præcipuis capitibus conſonare, atque ita ſolidiſſime diſſerit: formam, quæ ſuperius deſcripta eſt, antiquiſſimam & ubique ſervatam veluti communem ſacrorum legem, comparationis recte inſtituendæ regulam haberi oportet, non quaſi excogitatam Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, aut aliorum ingeniis, ſed divinam principemque legem a Chriſto per Apoſtolos, eorumque Diſcipulos promulgatam. Quum ex Scriptura ſola formam Evangelicam & Apoſtolicam deſignari non poſſe, Novatores ipſi concedant, Eccleſiam illam ſe habere ex traditione Apoſtolica firmiter, ubique, & ſemper profeſſa eſt. Habebant ergo primæ ab Apoſtolis fundatæ Eccleſiæ Apoſtolicam ſeu ab Apoſtolis traditam formam: at quæ Apoſtolica eſſe agnoſcitur, eandem Evangelicam eſſe neceſſe eſt, quum Apoſtoli traderent, quod a Chriſto acceperant. Tot diverſarum, quæ apud Proteſtantes ſunt, cænæ celebrandæ formularum, nulla Apoſtolica aut Evangelica eſſe, eo ſolo argumento revincitur, quod unius archetypi plura inter ſe diſſimilia exempla eſſe non poſſint. At in Græcis & Latinis, priſcis & recentioribus Liturgiis manifeſta eſt inter ſe ſimilitudo, & cum primæva illa, quam Apoſtolicam fuiſſe, nemo ante Proteſtantium defectionem dubitaverat, & ea per partes eſt explicanda.

XIV. Convenientibus Chriſtianis præerant non quicumque, ſed quos *Præſidentes* appellat Juſtinus Martyr, Epiſcopi ſcilicet vel Sacerdotes, adeo ut abſque illis legitima Jeſu Chriſti ſecundum ejus inſtitutionem commemoratio non fieret: idem ſemper & ubique in Oriente & Occidente obſervatum eſt. Vaſa ſacra, etiam dum perſecutiones ſævirent, aurea & argentea fuiſſe ad ſacrum miniſterium adhibita, ex Geſtis purgationis Cæciliani, Prudentio, aliiſque notiſſimum eſt. Altaria quoque ut thronum Chriſti in magna veneratione fuiſſe, neque ab aliis niſi ab Ethnicis vel Donatiſtis, & Arianis everſa & prophanata fuiſſe, ex Optato, Athanaſio, aliiſque æque notum. Eadem variis precibus, reliquiis Martyrum, ac ſigno crucis, florentibus Eccleſiæ rebus, conſecrata fuiſſe compertiſſimum eſt, contra quam diſciplinam nihil umquam in Græca & Latina Eccleſia commiſſum, ſed ubique adhuc viget illa in Græcia & Oriente non minus quam in Romana Eccleſia. Veſtes ſacris miniſteriis proprias, dum Liturgia celebratur, geſtare eſt etiam antiquiſſimi moris, quem Anglicana ſecta ex parte retinuit, totus Oriens religioſiſſime retinet. Præparatoriæ preces in antiquis Liturgiis multæ & diverſæ ſunt, ſententia ſemper eadem. Quamvis autem ſingulares ritus non habeamus antiquitus præſcriptos, quos in omnibus Eccleſiis obſervatos deinde legimus, ut munde & diligenter præpararentur ſymbola, quæ in corpus & ſanguinem Domini tranſmutanda credebant, nemo umquam tamen præter Novatores exiſtimavit, ſimplicitatem Evangelicam in eo conſiſtere, ut e taberna panis & vinum peterentur, quod ne ad communem quidem cibum lautiores homines fieri vellent. An ab ea ſimplicitate Chriſtus receſſiſſe dicetur, quia ultimum Paſcha, & Euchariſtiæ inſtitutionem celebraturus, qui, ubi caput reclinaret, non habebat, cænaculum grande ſtratum apud Hoſpitem quæſivit?

XV. Scripturarum lectio, ut in ſynaxibus Chriſtianis facta fuit antiquitus, ita in omnibus Liturgiis ex utroque Teſtamento præſcribitur. Pſalmorum cantus vetuſtiſ-

ſiſſimus eſt, & ubique conſervatus. Integros aliquot canere Orientales ſolent, id etiam vetuſta Latinorum officia præſcribunt. Quod ſi in hodiernis Miſſis verſiculi tantum aliquot recitantur, id non ex priſca diſciplina eſt, quæ certis etiam ſolemnibus diebus integre ſubſiſtit, ut in Miſſa Dominicæ Pſalmarum, & in officiis majoris Hebdomadæ. Orationes *de omnibus* & *pro omnibus*, ut Orientales loquuntur, in cunctis Liturgiis extant, earumque vetuſtas non omnium modo codicum, ſed Sanctorum Patrum teſtimoniis confirmatur. Hæc omnia ad fidelium conſolationem & doctrinam, ſimulque domus Dei decorem, præclare ſunt ab Apoſtolicis uſque temporibus inſtituta, in quibus accuſari nihil poteſt, nihil in Eccleſia Romana natum confingi, quæ tamen, paucis exceptis, Novatores penitus ſuſtulerunt. Oſculum pacis, quæque ei præmitti ſolent, orationes exhibent Orientales Liturgiæ omnes, uno hoc eos inter & Latinos intercedente diſcrimine, quod in Oriente actionem ſacram ſive canonem, in Occidente jam ab Innocentii I. ætate non niſi ante communionem ritus iſte ſervetur, qui a Proteſtantibus ſublatus eſt, etſi ſæpe ab Apoſtolo commendatur. Præfatio, quæ anaphoræ propriæ dictæ ſeu canonis initium eſt, in omnibus cujuſque ritus aut linguæ Liturgiis extat, unde eam Anglicana Eccleſia retinuit. Eam aperte deſignat Juſtinus Martyr, gratiarum ſcilicet actionem perpetuam ad Deum pro omnibus ejus erga homines beneficiis. Obvia ſunt Patrum teſtimonia, qui hanc orationem deſignant, ut inter alios Cyprianus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, & Auguſtinus. Præfatio hymno Angelico *Sanctus* concluditur, cujus doxologiæ in ſacris litteris memoratæ ea eſt antiquitas, ut Eccleſiæ initia antecedere videatur; eſt enim in vetuſtis Judaicarum orationum libris, unde fortaſſis primi Chriſtiani illam tranſtulerunt.

XVI. Poſtea orationes fiunt pro donorum oblatione, & petenda eorum acceptatione & conſecratione, & quum in quibuſdam Liturgiis aliquæ pro vivis, & mortuis, pro rebus ad vitam neceſſariis preces interſerantur, Sanctorum etiam commemoratio fiat, in pleriſque ſtatim ad conſecrandum Sacerdos progreditur, recitatis ſuper panem & calicem Dominicis verbis. Sequitur commemoratio mortis, & ſepulturæ, aſcenſionis, & ultimi Chriſti adventus, quarum orationum, ut præcedentium, in verbis diverſis una ſententia eſt. In ritu orientali ſtatim occurrit Spiritus Sancti invocatio, ut adveniens in dona propoſita, jamque Chriſti verbo ſanctificata, ea efficiat ejuſdem Chriſti corpus & ſanguinem, hæcque oratio eo ſenſu intelligenda eſt, quo plures prope ſimiles Gallicani, Gothici, & Mozarabici ritus, ut nonnullæ quoque Romani canonis, ſecundum quas invocationem ſuam ſe intelligere in Florentina Synodo Græci teſtati ſunt. Orationes pro vivis & mortuis, licet eas ſuſtulerint Proteſtantes, Veterum antiquiſſima commendat auctoritas, & ante omnium Liturgiarum publice deſcriptas formas Cyprianus & Auguſtinus id ex Eccleſiæ traditione fieri docuerunt. De oratione Dominicali, quæ in Occidente a Sacerdote, in Oriente a toto populo dicitur, nulla ſingularis obſervatio eſt, quum nemo dubitet, quin præcepto Chriſti, & omnium ſæculorum exemplo hæc diſciplina fulciatur. Fractio hoſtiæ corporis Chriſti ſuppliciis confeſſi imaginem referens, quomodo primis Eccleſiæ ſæculis fieret, Eccleſiaſtica monumenta aperte non produnt: quin tamen ſumma cum religione fieret, dubitare non poſſumus. Ritus vero qualeſcumque ſint, omnes ad realis præſentiæ fidem ita ſunt inſtituti, ut, ubi talis fides nulla eſt, locum habere non poſſint, non magis quam duarum ſpecierum unio, quæ pariter a Novatoribus ſublata eſt; nulla tamen occurrit Liturgia, in qua ritus hic non præſcribatur, & licet diverſis modis fiat, ſummam ſemper præfert Euchariſtiæ reverentiam.

Sancta Sanctis denuntiatio vetuſtiſſima eſt in Græcis Liturgiis, a quibus apud Orientales omnes propagata eſt, licet apud Latinos non uſurpata. Communionem præceſſit olim a primis ſæculis confeſſio veritatis corporis & ſanguinis Chriſti, ſimplex primum his verbis *Corpus Chriſti*, *Amen*: Si quid Orientales addiderunt, quo accipere ſe verum Chriſti corpus expreſſius teſtarentur, laudandi ſunt, neque Romanæ Eccleſiæ tribuendum, quæ nihil habet ſimile. Neque calumniæ patent diverſi præbendæ communionis ritus, etſi non ex primæva antiquitate deducti præſertim inter Orientales; fundati enim ſunt in ſumma erga Euchariſtiam reli-

religione. Ex dictis certa capita, quæ ad perſpiciendam Liturgiarum veram & legitimam formam, & ad ferendum de Græcis Latiniſque judicium maxime conferunt, colliguntur. Primo, Apoſtolicæ Liturgiæ formam fruſtra in Scripturis quæri, quod & Proteſtantes agnoſcunt, adeoque primævum illud exemplar in Eccleſia quærendum eſſe, ideſt in communi Chriſtianorum omnium conſenſione, 2. in unam eandemque formam conſentire Latinam, Græcam, & alias Orientis Eccleſias, 3. ea, in quibus rituum omnium Latinorum, Græcorum, & Orientalium conſenſus agnoſcitur, partes Liturgiæ eſſentiales eſſe, ſecundum quas de ea judicandum eſt, reliquæ indifferentes haberi debent.

Poſtremo quum nuper prodiiſſet Jacobi Uſſerii opus poſthumum, quo ſacras litteras, Liturgiam, aliaque Eccleſiaſtica officia vernacula cujuſque gentis lingua legenda & celebranda eſſe, ſibi probandum ſumpſerat, argumento præſertim ab Orientalium exemplo ducto, quia nimirum Coptitæ Coptice, Syri Syriace, Græci Græce, Armeni Armenice, Æthiopes Æthiopice ſacra faciunt, hunc Uſſerii aliorumque Proteſtantium errorem ſtrenue refellit ſexto ejuſdem diſſertationis capite Renaudotius, & Tridentini ſanctionem de non celebranda vulgari idiomate Miſſa egregie vindicat, cujus antiquæ & acerrimæ Catholicos inter & Novatores controverſiæ, ne prorſus jejuni ſitis, pauca hæc ex eodem Clariſſimo Scriptore, optimeque de Eccleſia merito delibamus. Qui linguas, ait ille, quibus a multis ſæculis in toto Oriente ſacra fiunt, plebi ignotas eſſe neſcit plus etiam, quam eſt plebi noſtræ latina lingua, Diſcipulorum inter cathedras plorare jubendus eſt. Hanc facti veritatem documentis locupletiſſimis ita certam & exploratam eſſe probat Eruditiſſimus Homo, ut contradicere nemo, niſi Eccleſiaſticarum Orientis rerum imperitiſſimus poſſit, & Uſſerium ita de Liturgiis loqui appareat, ut nullam vidiſſe, ſatis intelligatur. Nihil ergo Uſſerius, & reliqui Proteſtantes egerunt, qui de ſacris vernaculis longos & laborioſos commentarios adornarunt, quum ne una quidem Eccleſia toto Oriente aſſignari poſſit, quæ vulgari, & quæ plebi vernacula, ſeu uſitata ſit, lingua ad celebrandam Liturgiam utatur.

Accuſatur a Novatoribus Romana Eccleſia, quod ſolam in Liturgia latinam linguam admittat: accuſari eodem jure poſſunt Orientales omnes, qui obſoletis, quaſque eruditi ſoli ſciunt, linguis ſacra faciunt. Dolo malo, ut fidelibus myſteria non pateant, id apud nos fieri calumniantur Proteſtantes: at certe doli nullius ſuſpicio eſſe olim poterat, quum Romæ, tota Italia, Africa, multiſque aliis in Provinciis omnes pletumque latine loquerentur. Poſt Barbarorum incurſus, quum latina lingua primum inquinata, tandem penitus fuiſſet extincta, non iccirco viſum eſt, orationes, quæ quotidie ad altaria recitabantur, vernaculis commutare: plebis inſtitutioni proviſum eſt per homilias & catecheſes vulgari ſtylo formatas: antiqua tamen conſuetudo ſervata eſt. Pari modo Coptitæ, Syri Orthodoxi, Neſtoriani, Jacobitæ, Æthiopes, Græci linguam in Liturgiæ celebratione pervetuſto uſu conſecratam, quamvis a vulgaribus aliis iis in regionibus jam dudum obtinentibus, puta Turcica, Arabica, Perſica, Indica, Malabarica, Sinica abolitam retinuerunt, & plebis inſtitutioni homiliis & catecheſibus uſitata regionis lingua conſuluerunt: Tridentinum quoque ſeſ. 22. cap. 8. mandavit Paſtoribus & ſingulis animarum curam gerentibus, ut inter Miſſarum celebrationem vel per ſe, vel per alios, ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera ſanctiſſimi hujus ſacrificii myſterium aliquod declarent; hæcque de tremendo hoc ſacrificio dicta ſint ſatis.

TRA-

TRACTATUS
DE ORDINIS
SACRAMENTO.

I. PErdifficilis, & implexæ diſputationis initium ducimus ab eximia D. Thomæ doctrina, quam lib. 4. cont. Gent.cap.74. tradit his verbis: „Sacramentorum inſtitutio, & virtus habet i„nitium a Chriſto, de quo Apoſtolus ad „Eph. 5. ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam*, „*& tradidit ſemetipſum pro ea, ut illam* „*ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ* „*in verbo vitæ*; ipſe quoque Sacramen„tum ſui corporis, & ſanguinis in cæna „dedit, & frequentandum inſtituit, quæ „ſunt principalia Sacramenta. Quia igi„tur Chriſtus corporalem ſuam præſentiam „erat Eccleſiæ ſubtracturus, neceſſarium „fuit ut alios inſtitueret ſibi Miniſtros, „qui Sacramenta fidelibus diſpenſarent, „ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Cor. 4. „*Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chri*„*ſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, un„de Diſcipulis conſecrationem corporis, „& ſanguinis ſui commiſit dicens, *hoc* „*facite in meam commemorationem*, quibus „& poteſtatem tribuit remittendi pecca„ta Jo.20. *Quorum remiſeritis peccata*, „*remittuntur eis*, eiſdem quoque docendi, „& baptizandi injunxit officium Math. „ultimo, *euntes docete omnes gentes, ba*„*ptizantes eos &ccc.* Miniſter autem com„paratur ad Dominum ſicut inſtrumentum „ad principale agens; ſicut enim inſtru„mentum ab agente movetur ad aliquid „efficiendum, ita Miniſter movetur im„perio domini ad aliquid exequendum; „oportet autem inſtrumentum eſſe agenti „proportionatum, unde & Miniſtros Chri„ſti oportet eſſe ei conformes: Chriſtus „autem Dominus auctoritate, & virtute „propria ſalutem noſtram operatus eſt, „inquantum fuit Deus, & homo, ut ſe„cundum id, quod homo eſt, ad redem„ptionem noſtram pateretur, ſecundum „autem quod Deus, paſſio ejus nobis fie„ret ſalutaris; oportet igitur, & Mini„ſtros ejus homines eſſe, & aliquid divi„nitatis ejus participare ſecundum ſpiritua„lem aliquam poteſtatem, nam & inſtru„mentum aliquid participat de virtute „principalis agentis: de hac autem pote„ſtate loquens Apoſtolus 2. ad Cor. ulti„mo ait, dedit nobis Deus poteſtatem in „ædificationem, & non in deſtructionem. „Non eſt autem dicendum, quod poteſtas „hujuſmodi ſic data ſit Chriſti Diſcipulis, „ut per eos ad alios derivanda non eſſet, „data eſt enim eis ad Eccleſiæ ædificatio„nem ſecundum Apoſtoli dictum: tandiu „igitur oportet, hanc poteſtatem perpetua„ri, quandiu neceſſe eſt, Eccleſiam æ„dificari, hoc autem neceſſe eſt poſt „mortem Diſcipulorum Chriſti, uſque ad „ſæculi finem. Sic igitur data eſt Chri„ſti Diſcipulis ſpiritualis poteſtas, ut per „eos deveniret ad alios, unde & Domi„nus eos in perſona aliorum fidelium „alloquens ait Math. ult. *Ecce ego vo*„*biſcum ſum omnibus diebus uſque ad* „*conſumationem ſæculi*; quia ergo hæc „ſpiritualis poteſtas a Chriſto in Mini„ſtros Eccleſiæ derivatur manifeſtum eſt, „in collatione hujus ſpiritualis poteſtatis „quoddam Sacramentum peragi, quod „dicitur Ordinis Sacramentum."

II. Ut a Sacramentorum diſpenſatione ad ſæculi finem uſque perduratura Sacramenti alicujus neceſſitatem, quo diſpenſandi Sacramenta divinitus inſtituta ſpiritualis poteſtas aliquibus conferatur, Angelicus repetit, ita a vero, & viſibili novæ legis Sacrificio, quod juge, atque perpetuum in Eccleſia futurum eſt, Tridentina Synodus ejuſdem Sacramenti inſtitutionem ducit, quo neceſſe eſt Sacerdotes veri nominis conſecrari, & conficiendi, offerendi, diſpenſandique Dominici corporis, & ſanguinis poteſtate donari. Utraque hæc ratio invicta eſt, & peculiaris Sacramenti in hunc finem inſtituen-

tuendi neceſſitatem aperte demonſtrat, neque minus efficax illa eſt, quam 3. p. q. 65. ar. 4. idem D. Thomas ex Eccleſiæ regimine petit; quemadmodum enim ſi nulla ſit in Eccleſia Sacramentorum diſpenſatio, de hominum ſalute actum eſt, ſi ſacrificium tollas, perit omnis religio, ita ſi regimen auferas, Eccleſia jam non erit Chriſti corpus, ovile, domus, & ordinata caſtrorum acies, ſed hominum turba, quæ ut temere confluit, ita nullo cum conſilio diſſolvitur, nam, ut Proverb. xi. legimus, *ubi non eſt gubernator, populus corruet*. Quamquam hæc certiſſima ſint, & ferme evidentia, totus tamen Novatorum grex præter baptiſmum, & cœnam aliud quodlibet novæ legis Sacramentum explodit, nec quiſquam eorum eſt, qui illud mordicus non retineat, quod in lib. de Babil. Capt. Pſeudo-evangelicæ reformationis antiſtes Lutherus ſcripſit,
„ in rigore loquendo duo tantum eſſe in
„ Eccleſia Sacramenta, baptiſmum, &
„ panem, Eccleſiam Chriſti Sacramentum
„ Ordinis, quod ab Eccleſia Papæ inven-
„ tum eſt, ignorare." Quid enim, ſi Melancton in Auguſtanæ confeſſionis apologia Ordinem Eccleſiaſticum viſus eſt recepiſſe? Verbis ad fallendum meditato compoſitis luſit vaferrimus vir, neque aliud tradere voluit, quam quod a Magiſtro ſuo didicerat in eodem de Babil. Cap. lib. ſcribente, Chriſtianos omnes æqualiter Sacerdotes eſſe, eadem in verbo, & in Sacramento quolibet poteſtate præditos, etſi cuilibet ea uti non liceat, niſi vocetur, nihil aliud iccirco Sacramentum Ordinis eſſe, quam ritum concionatoris in Eccleſia eligendi.

III. Quid etiam ſi Calvinus lib.4. Inſt. cap. 49. ait: „ quantum ad verum pres-
„ biterii munus adtinet, quod ore Chri-
„ ſti nobis eſt commendatum libenter Sa-
„ cramenti loco habeo; ibi enim ceremo-
„ nia eſt primo ex Scripturis ſumpta,
„ quam non eſſe inanem, ac ſupervacuam,
„ ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum te-
„ ſtatur Paulus?" Magiſtri ſui ſententiam Forbeſius ſic exponit: „ Joannes Calvi-
„ nus Ordinem de miniſterio verbi, &
„ vero Presbyterii gradu intellectum, Sa-
„ cramentum eſſe concedit, licet non a-
„ pud omnes fideles commune, ſed ad
„ certam functionem ſpeciale; neque nos
„ contentionis funem ducimus, ſed con-
„ cedimus impoſitionem manuum, per
„ quam aliquis ad ſacrum miniſterium
„ ex divina inſtitutione ordinatur, dici
„ poſſe quodam ſenſu Sacramentum certo
„ cuidam hominum cœtui particulare;
„ etſi in animum inducere nondum po-
„ tuimus, ut huic veram, & proprie di-
„ ctam Sacramenti Evangelici rationem,
„ quæ in Baptiſmo, & Euchariſtia inve-
„ nitur, convenire exiſtimemus, nam di-
„ vina per Chriſtum inſtitutio cum fœde-
„ ralis gratiæ promiſſione deſideratur.
„ Mallemus igitur pro quodam Sacra-
„ mentali ab Apoſtolis introducto, quam
„ pro vero Sacramento hanc manuum
„ impoſitionem haberi, ſine qua Chriſtus
„ ordines contulit, & quæ extra uſum
„ Sacramenti proprie dicti adhiberi ſolita
„ eſt tum a Domino, tum ab Apoſtolis;
„ quocirca ea nobis ſententia tutior, &
„ verbo Dei congruentior videtur, quæ
„ Ordini ſacro, & impoſitioni manuum
„ in ejus collatione adhibitæ, inter Sa-
„ cramenta Evangelica proprie dicta lo-
„ cum abjudicat."

IV. Forbeſio ſubſcribunt Pictetus, Turretinus, & quotquot inter Calvinianos magni nominis ſunt; nec ſane a genuina Calvini mente quiſquam eorum abludit; quamquam enim verum presbiterii munus Sacramenti loco ſe libenter habere fateatur homo nequiſſimus, adverſus tamen Catholicæ Eccleſiæ ſacerdotium inſaniens, & furens hæc addicit e veſtigio: „ Ve-
„ rum quum hic honor Chriſtiano Mini-
„ ſterio tribuitur, non eſt propterea, quod
„ ſuperbiant Papiſtici Sacerdotes; Evan-
„ gelii enim ſui, ac miſteriorum diſpen-
„ ſatores ordinati juſſit Chriſtus, non vi-
„ ctimarios inaugurari, mandatum de præ-
„ dicando Evangelio, paſcendoque grege,
„ non de immolandis hoſtiis dedit, Spiri-
„ tus Sancti gratiam promiſit non ad pe-
„ ragendam peccatorum expiationem, ſed
„ ad gubernationem Eccleſiæ rite obeun-
„ dam. Quid ſupereſt ergo, niſi eorum
„ ſacerdotium impium eſſe, & ſacrile-
„ gum? Certe nimis improbi ſunt, dum
„ illud Sacramenti titulo inſignire au-
„ dent." Poſtquam alios Eccleſiæ ordines inverecundo, & acerbiſſimo ſtylo inſectatus eſt, his demum adverſus Ordinis Sacramentum caput abſolvit: „ Hoc ſa-
„ tis eſſe poterit modeſtis, & docilibus,
„ quos inſtituendos ſuſcepi, nullum eſſe
„ Dei Sacramentum, niſi ubi ceremonia
„ oſtenditur annexa promiſſioni. Hic ne
„ ſyl-

„ Syllaba quidem habetur certe alicujus „ promiſſionis, fruſtra igitur quæratur ce„ rimonia ad confirmandam promiſſionem. „ Rurſum nulla ex iis ceremoniis, quas „ uſurpant, a Deo inſtituta legitur, Sa„ cramentum igitur nullum eſſe poteſt. “ Quoniam itaque Calvinus & Sacramentum Ordinis, & ſingulos, quos Romana Eccleſia recipit, Ordines procaciſſime reiicit, & peculiares ſingulorum ritus, ac miniſteria impie ſugillat, & ridet, ſacrilegam ejus procacitatem caſtigandam hac diſputatione ſuſcipimus, refellendumque decimum nonum illud quarti Inſtitutionum libri caput, ex quo velut e peſtilentiſſimo fonte Gregales ejus hauſerunt, quidquid adverſus Catholicam de Sacramento iſto doctrinam hactenus ſcriptitarunt. Operoſum admodum id futurum eſt, & moleſtum propter pugnantia præſertim noſtræ communionis hominum placita, quæ ad exhibendum nobis plurimum negotii Novatores opponere importune non deſinunt; Deum tamen, cujus agimus cauſam, adfuturum nobis ſperamus, & ope ſua effecturum, ut Eccleſiæ fidem a juratorum ejuſdem hoſtium oppugnatione tuemur, eamque Scholaſticorum diſſidiis nec minimum violari, perſpicue demonſtremus.

ARTICULUS I.

An Ordo verum ſit novæ legis Sacramentum.

I. Doctrinæ tradendæ methodus poſtular, ut quoniam multa de Ordine dicturi ſumus, genuinam ejus notionem primo tradamus. Ordo latine aptam, & decoram ſignificat variarum rerum collocationem, atque diſpoſitionem, quæ eſt communi omnium uſu maxime trita ſignificatio, quo ſenſu Cicero de officiis ait: *Ordinem ſic definiunt, diſpoſitionem rerum aptis, & accommodatis locis*, & ibidem: *Itaque videtur eadem vis ordinis, & collocationis fore*: Sic Virgilius in Eglogis, *inſere nunc Melibæe piros, pone ordine vites*, & Ovidius, *triplici ſtans ordine dentes*. Quare D. Auguſtinus lib. IX. de Civ. Dei cap. 13. vulgatiſſimam hanc ordinis apud Latinos ſignificationem deſcribit, *parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuentem diſpoſitionem*. Alia quoque apud Ciceronem, omneſque Latinos vocis hujus accepto eſt, ſoletque ad deſignandum hominum ejuſdem gradus, dignitatis, aut officii cœtum aptiſſime uſurpari. Frequenter apud eundem Ciceronem legere eſt ordinem ſenatorium, equeſtrem, plebejum, oratorum quoque, pecuniariorum, mercatorum, atque publicanorum ordinem. Etſi ad ſecundam hanc proxime accedat Ordinis, de quo acturi ſumus, ſignificatio, quidpiam tamen apud Chriſtianos habet proprium, & peculiare, denotatque ſtatum quemdam, ac dignitatem hominum offerendo in Eccleſia ſacrificio, vel alicui in Sacerdotii functionibus obeundo miniſterio ſpeciali conſecratione deſtinatorum. Licet vero de variis ſacrorum miniſtrorum Ordinibus, ac officiis adverſus Calvinum acturi ſimus; Ordo tamen, quem verum legis Evangelicæ Sacramentum eſſe contendimus, proprie actio illa eſt, qua homo in ejuſmodi ſtatum allegitur, & cooptatur, certiſque ſacris deputatur officiis, quæ actio benedictio quædam eſt, & conſecratio præſcriptis ceremoniis, & verbis adhibita, qua ad ſacri miniſterii honorem, ſeu ad quemque ordinem legitimo ritu aſcenditur, & pervenitur, ideoque proprie magis ordinatio eſt dicenda, quam ordo, etſi jam invaluerit uſus, ut paſſim ordo dicatur. Variæ circumferuntur Ordinis, ſeu potius ordinationis traditæ a Scholaſticis definitiones, quæ verbis licet diverſis, idem tamen prorſus ſignificant, etſi aliæ aliis expreſſius, & nitidius Eccleſiæ mentem aperiant. Aptiſſima Doctori Angelico, & priſcis Scholæ Theologis ea viſa eſt, quam omnium primus Magiſter tradidit, *Ordo* nimirum *eſt quoddam Eccleſiæ ſignaculum, quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato*: Morinus, quam ipſe ſubſtituit, omnium percommodam judicat, *Ordinatio* ſcilicet *Sacramentum eſt, quo poteſtas quædam ſpiritualis ſignificatur, & traditur ſpectans ad ſacroſanctum Chriſti corpus conſecrandum*. Ceterum etſi demus conſecrandi Dominici corporis poteſtatem ordinationum omnium ultimum finem eſſe, eumque Sacerdotii collatione compleri, atque perfici, ad quam ſuſcipiendam ceteræ ordinationes pro modulo ſuo futurum ſacerdotem præparant, ac diſponunt, non videtur illa tamen omnibus ordinationibus generatim aptari poſſe, quum peculiaris illa ſit Sacerdotii finitio: Quare rem nobis videtur acu tetigiſſe Clariſſimus Sylvius, qui hanc ex Tridentini doctrina generalem ſacræ ordinationis definitionem elicuit:

Sacramentum eſt novæ legis a. Chriſto inſtitutum quo poteſtas traditur conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus, & Sanguinem ejus, & Sacerdotio ex officio deſerviendi.

Sacra Ordinatio verum eſt novæ legis Sacramentum.

II. Prob. 1. Nullum eſt Dei Sacramentum, Calvino judice loco mox recitato, niſi ubi ceremonia oſtenditur a Deo inſtituta, & promiſſioni annexa: atqui ſacra ordinatio ceremonia perficitur divinitus inſtituta, cui promiſſio gratiæ adjuncta eſt; non ergo improbi nimis ſumus, qui illam Sacramenti titulo inſignimus, ut nobis Calvinus exprobrat, ſed ipſe extreme impius eſt, & ſacrilegus, qui hunc ei titulum eripit iniquiſſime. Quid minoris propoſitionis veritate in novo Teſtamento certius, & illuſtrius? Manuum impoſitio, qua Actorum 6. ſeptem Diaconos ab omnium Fidelium multitudine prius electos ab Apoſtolis fuiſſe initiatos, & cap. 13. a *Prophetis, & Doctoribus Eccleſiæ, quæ erat Antiochiæ, miniſtrantibus Domino, jejunantibus, & orantibus* ſegregatos fuiſſe Saulum, & Barnabam *in opus, ad quod eos Spiritus ſanctus aſſumpſerat*, Lucas refert, qua & in ordinatione Timothei uſum ſe Paulus ſcribit in duabus ad eundem Epiſtolis, nonne exterior, & ſenſibilis ceremonia eſt? Eam vero divinæ inſtitutionis eſſe, qui negare Novatores poſſunt, quum ſit illa e Scripturis ſumpta, divinumque non Calvino ſolum, ſed Acatholicis omnibus ſit quidquid Scriptura commendat? Eam autem non inanem, aut ſupervacaneam eſſe, ſed fidele divinæ gratiæ ſymbolum, eam non ſignificans ſolum, ſed & efficiens, nonne diſerte teſtatur Paulus 1. ad Timoth. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii*, ſeu Sacerdotii, ut legit Eraſmus, & 2. ad eundem cap. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum?* Neque enim Paulus collatam manuum impoſitione Timotheo gratiam tam fidenter ſemel, atque iterum commendaſſet, niſi promiſſionem ejus impoſitioni manuum divina inſtitutione adjunctam eſſe, noviſſet. Quid ergo ad veri Sacramenti rationem ſacræ huic ceremoniæ deeſt?

III. Confirmatur ratione D. Thomæ, qua loco ſuperius memorato & Sacramenti hujus inſtituendi neceſſitatem, & inſtituti veritatem demonſtrat: Eccleſiæ ad ſæculi finem uſque ædificandæ neceſſitas poſtulabat, ut Chriſtus ſpiritualem Sacramenta fidelibus diſpenſandi poteſtatem ita Diſcipulis communicaret, ut per eos ad alios deveniret, ergo id revera præſtitiſſe Chriſtum, atque in hunc finem Sacramentum Ordinis inſtituiſſe, credendum eſt; Conſecutionem ſic probat Angelicus: Spirituales effectus, qui in nos derivantur a Chriſto, quibuſdam ſenſibilibus ſignis explentur, oportuit ergo & ſpiritualem hanc poteſtatem quibuſdam ſenſibilibus ſignis, certa ſcilicet verborum forma, & determinatis actibus, hominibus tradi; ſed quandocumque corporali ſigno ſpirituale quidpiam traditur, hoc dicitur Sacramentum, manifeſtum eſt igitur, & in ſpiritualis poteſtatis collatione quoddam peragi Sacramentum, quod Ordinis Sacramentum communiter dicitur. Nec vero ſpiritualem hanc poteſtatem ſolum, ſed & gratiam externo illo ſigno conferri, theologica hac demonſtratione conficit ibidem Angelicus: Ad divinam liberalitatem pertinet, ut cui quidpiam agendi poteſtas tribuitur, ea quoque tribuantur, ſine quibus hujuſmodi operatio exerceri apte non poſſet; quare 2. ad Cor. 3. ajebat Apoſtolus, *fiduciam autem habemus per Chriſtum ad Deum, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti non littera, ſed ſpiritu*; Sacramentorum autem adminiſtratio, ad quæ ſpiritualis, poteſtas ordinatur, digne, & apte non fit, niſi aliquis ad hoc divina gratia juvetur, hoc ergo Sacramento, ſicut & aliis, confertur gratia.

IV. Prob. 2. diſertiſſimis Veterum Patrum teſtimoniis. Etſi plura nobis ad manum eſſent, pauca tamen dabimus, ſed nitidiſſima: Ambroſius in lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. de ſacra ordinatione agens, *homo*, inquit, *manus imponit, ſed Deus largitur gratiam:* Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos Ordinem cum Baptiſmate conferens probat, iterandam non eſſe ordinationem eorum, qui manuum impoſitione fuerant ab Hæreticis ordinati, ſicut nefas eſt iterato eos Baptiſmate tingere, qui ab Hæreticis rite Baptizati ſunt; *Si enim*, ait, *qui in fide ſua Presbyterum ordinat, eum, qui Presbiter factus eſt, non fœdavit*; in libro quoque adverſus Vigilantium ſcribit, Epiſcopos, dum Diaconis manus imponunt, eis Sacra-

cramenta Jeſu Chriſti conferre. Auguſtinus in lib. de bono conjugali cap. 24. Clericorum ordinationem Sacramentum Domini vocat, quod ſemel impoſitum etiam in iis permanet, qui propter crimina ab officio removentur; & lib. 2. contra epiſt. Parmeniani cap. 13. de baptiſmo atque ordinatione hæc pronuntiat: *utrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur, illud quum baptizatur, iſtud quum ordinatur; ideoque in Catholica Eccleſia utrumque iterari non licet*; moxque Donatiſtas preſſius urgens adiicit: *Ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum ordinati poſſit amitti; ſi enim utrumque Sacramentum eſt, de quo nemo dubitat, cur illud non amittitur, & iſtud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda eſt*. Denique Leo M. Epiſt. 81. ad Dioſcorum, conferendę ordinationis tempus modumque præſcribens, & neceſſarias iis, qui ordinant, qui que ordinantur, diſpoſitiones recenſens ait, *hæc Scripturarum, & Apoſtolicæ traditionis auctoritate firmari, ut intelligamus, quanta diligentia iis, qui ordinationem conferunt, quique recipiunt, cavendum ſit, ne Sacramentum, quod tanta benedictione repletum eſt, negligenter adminiſtretur*: Ex quibus Patrum teſtimoniis invicta hæc in Novatores argumentatio conſurgit.

V. Tempore, quod a Nicæni primi Concilii celebratione ad Calcedonenſe, atque a Coſtantino Magno ad Marcianum Imperatorem effluxit, Fidelium ſocietas vera adhuc erat Eccleſia Chriſti cujuſque erroris expers, & religioſiſſima Apoſtolicæ doctrinæ cuſtos, quemadmodum apud Novatores ipſos in confeſſo eſt, ſed integerrimam illam, atque puriſſimam ejus ævi Eccleſiam, ordinationem ſacram veri Sacramenti a Chriſto inſtituti, & ab Apoſtolis traditi loco habuiſſe, teſtantur præcipui coævi Patres, neque id Catholicis ſolum fuiſſe perſuaſiſſimum, ſed & Donatiſtis, & Luciferianis Hæreticis, etſi ad elidenda Catholicorum argumenta permagni eorum interfuiſſet, id vel negare, vel in dubitationem adducere; dum ergo Novatores e Sacramentorum albo ſacram ordinationem eradunt, Catholicæ Eccleſiæ fidem ſacrilege violant, ſummamque Chriſto, & Apoſtolis injuriam irrogant, dum Sacramentum explodunt, quod a Chriſto inſtitutum, & apoſtolicis litteris commendatum vera Chriſti Eccleſia ſemper agnovit, & coluit. Neque eſt, cur regerant Forbeſius, & Pictetus, ut argumenti hujus vim elevent, laudatos Patres de ordinatione loquentes minus proprie Sacramenti vocabulum uſurpaſſe, & ceremoniæ ſacræ latiori quodam ſenſu illud aptaſſe; ſi enim ita argumentari liceat, quidni dicamus, eos dum Ordinationem cum Baptiſmo conferunt, & utrumque Sacramentum eſſe pronuntiant, Baptiſmum minus proprie ſolum ſacramenti titulo inſigniviſſe? Utrumque Patres jungunt, utrumque Sacramentum appellant; aut ergo utrumque meræ ceremoniæ, aut utrumque veri Sacramenti loco habendum.

VI. Prob. 3. Non Tertulliani ſolum veriſſimum effatum eſt, *quod apud omnes unum invenitur, id non erratum eſſe, ſed traditum*, ſed & Claudii Calvinianorum in Galliis Miniſtri celeberrimi, omnium Chriſti nominis ſocietatum conſenſionem invictum eſſe perpetuæ alicujus dogmatis fidei argumentum; Græcos autem, aliaſque omnes ſectas, quæ ubique terrarum Chriſto dant nomen, idem prorſus, ac Romanam Eccleſiam de Sacramento hoc ſenſiſſe hactenus, atque ſentire, certa adeo, atque explorata res eſt, ut ſolem meridie lucere negaverit, qui rem teſtatiſſimam, & vulgatiſſimam voluerit in dubitationem adducere. Poſt Iſaacum Habertum Joannem Morinum, Jacobum Goarium, Leonem Allatium, & Petrum Arcudium veritatem hanc ad liquidum plane deduxit Clariſſimus Euſebius Renaudotius, & irrefragabilibus momentis oſtendit, Orientales omnes in conſtanti hac ſemper perſuaſione fuiſſe, ordinationis ceremonias, junctaſque eis preces ſacra eſſe ſigna, gratiam quam ſignificant, efficientia, gratiæ hujus Sacramentalis promiſſionem Chriſti Domini verbis, Apoſtolorum doctrinæ, & diſciplinæ priorum Fidelium inniti, dubitare idcirco neminem poſſe, quin ordinatio verum ſit Sacramentum, quod Chriſtianæ religionis veluti fundamentum eſt, quoniam eo ſublato careret Eccleſia ſacrificio corporis, & ſanguinis Chriſti, & peccatorum remiſſione per pænitentiam. Etſi autem idem Claudius, Jacobus Smith, & anonymus Auctor libri, cui titulus, *monumenta fidei Græcorum authentica*, nullum non moverint lapidem, ut laudatorum a Renaudotio, aliiſque eximiis Viris documentorum auctoritatem infringerent, tenebras tamen, quas veritati huic offundere

Digitized by Google

tonari ſunt, idem Renaudotius tam feliciter diſpulit, ut palam omnibus factum ſit, nihil audaciſſimis peſſimæ cauſæ propugnatoribus ſuperfuiſſe, niſi ut litem mendacio, & calumnia dirimerent. Quæ ergo apud Eccleſias omnes toto orbe diffuſas, etſi hæreſi, aut ſchiſmate a Romana divulſæ ſint, una eademque viget de hoc Sacramento fides, non humanum figmentum eſt a viris Eccleſiaſticarum rerum imperitis excogitatum, ſed ab Apoſtolis accepta, antiqua, atque perpetua Eccleſiæ doctrina.

Novatorum momenta eliduntur.

Quum in primo hujus diſputationis articulo inſtituta a nobis quæſtio non ſit de Ordinum numero, ſed an ordinatio ſacra ſit veri nominis Sacramentum, inepte garriunt Calvinus, Forbeſius, & Pictetus, ſeptem a Romanenſibus Ordines poni, quos conſtat, non fuiſſe inſtitutos a Chriſto, eoſque perperam, & inique Sacramenti dignitate donari, quum nullum ſit Sacramentum, ſi Chriſtum non habet auctorem. De variis ordinum gradibus, eorumque numero infra erit ſermo; interim licet in id unum incumbimus, ut veram de Sacramento hoc Eccleſiæ doctrinam divini eloquii, Apoſtolicæ traditionis, ac præſcriptionis auctoritate firmemus, ita ea ſolum Novatorum argumenta refellenda ſuſcipimus, quibus impeti directe ab eis ſolet hæc veritas. Arguunt primo: Ceremonia illa, manuum videlicet impoſitio, quam tantopere Romanenſes exaggerant, & ex qua Sacramentum iſtud exſtruunt, nihil habet, ex quo poſſit novæ legis Sacramentum recte conſtitui; neque enim ſignum, & elementum eſt, ſed nuda actio, neque Chriſti inſtitutionem refert, quum fuerit illa in veteri lege uſitatiſſima, neque etiam peccatorum remiſſionem exhibet, ac ſignificat: Qui poteſt ergo ad Sacramenti dignitatem ritus aſſurgere, qui nullum præfert Sacramenti evangelici characterem? Ita præ cæteris Genevenſis Academiæ profeſſor Pictetus.

VII. Vana tamen hæc ſunt, vixque digna quæ ſerio refutentur; quid enim ſi manuum impoſitio non elementum, ſed actio eſt? Anuon eſt illa idcirco inviſibilis gratiæ viſibilis forma, ſeu ſignum? Neque ergo Baptiſmus Sacramentum erit; vere enim, & proprie Baptiſmus elementum, ſeu aqua non eſt, ſed, ut ipſa ejus ethimologia ſignificat, docentque cum D. Thoma omnes omnino Theologi, in ipſa ablutione verbis evangelicis juncta conſiſtit, quo ſenſu Auguſtinus ait, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: qui elementi nomen non ei ſolum quod proprie tale ſit, accommodaſſe cenſendus eſt, alioqui neque Euchariſtia Sacramentum eſſet, ſed externo illi ſymbolo, quod in Sacramentis materiei vices gerit. Quidni ergo manuum impoſitio, etſi actio ſit, ſacrum eſſe poſſit inviſibilis gratiæ ſignum? Eximia tamen eſt Genevenſis hujus Theologi levitas & inconſtantia; quum enim tom. 2. operum polemicorum præfracte negaſſet, ceremoniam hanc ſacrum ſignum eſſe, paullo poſt vel ſui plane oblitus, vel Calvini id adfirmantis auctoritate permotus, explicatiſſime ſcribit, manuum impoſitionem in Paſtorum ordinatione fuiſſe paſſim Apoſtolorum ævo uſu receptam, conſueviſſe Deum gratiam ſuam ceremoniæ huic adjungere, potuiſſe illam ſecutis ſæculis jure obtinere, quum ſit illa ſacratum ſignum; Si manuum ergo impoſitio ſignum eſt ſacrum, cur Pictetus paullo ſuperius id negavit, cur paginis tribus interjectis iterum id negare audet confidentiſſime? An Genevenſis Academiæ Profeſſori tam celebri licet, eam præferre inconſtantiam, mentiſque mobilitatem, cujus vel tyrunculos ipſos puderet? Quid facias homini, qui pauculas intra paginas ter ſententiam mutat, ſecumque ipſe colliditur? Quam eſt illud quoque inane, quod ſubdit, manuum impoſitione peccatorum remiſſionem non denotari? Neque Euchariſtia eam ſe ipſa ſignificat, nullibi enim Scriptura diſertam remiſſionis peccatorum promiſſionem Euchariſtiæ adjunxit: verum ne ergo Sacramentum Euchariſtia non eſt? At manuum impoſitionem haud ſecus, ac Euchariſtiam inter novæ legis Sacramenta cenſemus, quod adjunxiſſe Chriſtum utrique gratiæ promiſſionem, Scriptura nos doceat: verum autem Sacramentum, Novatorum omnium conſenſione, ſymbolum exterius ſit divinitus inſtitutum, quod ex Chriſti promiſſione divina gratia comitatur.

VIII. Negatorium porro eſt, quod idem Pictetus addit, manuum impoſitioni inter novæ legis Sacramenta locum deferri non poſſe, quod ritus hic fuerit vigente Moſaica lege uſitatus. Quis enim non intelligit, eodem titulo nec Baptiſma Sacramentis novæ legis adnumerandum eſſe, quum

quam ejus fuerit in veteri fœdere haud infrequens uſus, quemadmodum Paulus ipſe ad Hæbr. 9. teſtatur, & Joannes accedentes ad ſe turbas baptizaſſe legatur Mat. 3., priuſquam Chriſtus miniſterium ſuum auſpicaretur? Quid etiam impoſitioni manuum, qua in Diaconorum, & Presbyterorum ordinatione uſi ſunt Apoſtoli, eorumque Diſcipuli, cum ea, cujus in ſacris veteris inſtrumenti litteris occurrit mentio? Etſi P. Berti ſcribat, Aaronem, ejuſque filios inauguratos fuiſſe, & conſecratos a Moſe manuum impoſitione, deceptus tamen eſt Vir Clariſſimus, ſuaque illum perſpicilla fefellerunt, dum 29. Exodi caput legeret; de impoſitis enim a Moſe capiti eorum manibus toto eo capite, & alibi uſpiam nec verbum eſt, ſed de ſpeciali quodam ritu, quo Aaron, filiique ejus Sacerdotio initiandi, ſuper caput vituli, & arietis juxta oſtium tabernaculi teſtimonii immolandorum juſſi a Deo ſunt manus imponere. Soli Joſue manus impoſuiſſe Moſem, legimus Num. 27. & Deuter. 34., non ut eum quidem ad tabernaculi miniſterium allegeret, quum de tribu Ephraim ille eſſet, ſed ut eum ſibi in Iſraeliticæ gentis regimine ſubſtitueret, quæ ceremonia etſi divinitus juſſa, peculiaris omnino Joſue fuit; Judicum enim, ac Regum nullus deinceps eo ritu electus eſt. Dum ergo manuum impoſitionem, qua Judæorum caput & Dux ſemel conſtitutus eſt, cum ea, qua novi fœderis Sacerdotes, ac Paſtores, religione perpetua ab Apoſtolis ad nos uſque traducta, inſtituuntur, Pictetus perverſe confert, nonne veritatem Dei (quod de Ethnicis ad Rom. 1. ajebat Paulus) *in mendacium commutat, eamque detinet in injuſtitia?*

Inſtant Forbeſius, & Pictetus: Hæc manuum impoſitio non eſt a Chriſto in Evangelio in Sacramentum adhibita, vel inſtituta, formæ vero, qua in ſuis ordinibus conferendis Romanenſes utuntur, quodnam in ſacris litteris veſtigium eſt? Quia ergo hæc non habent de Scripturis auctoritatem, diceret apte Hieronymus, eadem facilitate contemnuntur, qua probantur, dignique ſunt, qui hæc jactitant, qui anathemate percellantur, quod Auguſtinus dicit annuntianti ſive de Chriſto, ſive de ejus Eccleſia, ſive de quacumque alia re, quæ pertinet ad fidem, vitamque noſtram, præter quam quod in Scripturis legalibus, & evangelicis accepimus.

IX. Verum etſi Chriſtum, dum Apoſtolos novi Teſtamenti Sacerdotes inſtituit, impoſuiſſe ei manus, Scriptura non memoret, quid inde? *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus*, ita Evangelium ſuum Joannes abſolvit, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum, arbitror, mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros:* Temere ergo, & inique Novatores id negant. At demus Chriſtum nulla manuum impoſitione, ſed iis dumtaxat verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, Apoſtolos ordinaſſe, nonne Auctor ipſe Sacramentorum & Dominus ſola omnipotenti virtute ſua conferre ea poterat, ut volebat, quum ſuprema poteſtas ejus nulli eſſet exteriori ſigno alligata? Ceterum, quam nullo adhibito ſenſibili ſigno diſpenſandi Sacramenta poteſtatem Apoſtolis tradidit, inſtituiſſe illum, ut Apoſtoli externo, perpetuoque ritu in alios derivarent, ipſa Apoſtolica praxis ſatis ſuperque evincit; non enim aliter, quam manuum impoſitione conſtitutos ab Apoſtolis Epiſcopos, Sacerdotes, & Diaconos in eorumdem Actibus Lucas refert, qui & manuum impoſitioni orationem ab Apoſtolis junctam fuiſſe ſcribens, formam haud obſcure ſignificat, quam & Apoſtoli in hujus Sacramenti collatione uſurparunt, eorumque traditione edocta ſemper uſurpavit Eccleſia, quæ licet, ſi materialem verborum ſonum inſpicias, non eadem forte ſit, quæ nunc, ac quæ olim in uſu erat, diverſa item, quæ apud Latinos obtinet, ab ea, quæ apud Græcos, ſenſum tamen eundem ſemper, & ubique prætulit, ac retinuit, quemadmodum infra uberius declarandum eſt. Quorſum itaque in nos Hieronymi, & Auguſtini verba Novatores intorquent? Quæ ipſi adverſus Catholicæ Eccleſiæ fidem invehere auſi ſunt, merito contemnimus, & damnamus, quoniam non de Scripturis ſolum nullam habent auctoritatem, ſed & legalibus, & Evangelicis litteris adverſantur.

Urgent: Quam ſunt Romanenſes in intellectu Scripturarum acuti! Ex impoſitione manuum novum quoddam Sacramenti genus effingunt, quod Paulus ſcribit, datam manuum impoſitione Timotheo gratiam: at non illam, quam boni iſti comminiſcuntur, gratiam Paulus memorat, ſanctificantem videlicet, ſed eam, quam Scholaſtici gratis datam appellant, ideoque ritum non innuit permanentem, cui divina inſtitutio ſanctificationis promiſſionem per-

petuo

petuo adiunxiſſet, ſed ceremoniam quamdam in iis Eccleſiæ primordiis uſitatam, qua Spiritus Sanctus dona ſua ad aliorum utilitatem Miniſtris Eccleſiæ dividebat. Germanum hunc eſſe Pauli ſenſum perſpicue indicat tum Græca vox, qua Apoſtolus utitur non ad deſignandam ſolum collatam manuum impoſitione Timotheo gratiam, ſed & varias illas gratiarum diviſiones, quas 1. ad Cor. cap. 12. ipſe commemorat, tum quod ait, datam fuiſſe Timotheo gratiam cum impoſitione manuum *per prophetiam*, quam nemo ignorat inter gratias gratis datas a Paulo ipſo cenſeri. Rurſus qui poteſt manuum impoſitio ritus Sacramentalis eſſe, quum eam & ad abigendos dæmones, & ad curandos infirmos, & ad alias ceremonias uſurpaſſe legamus Apoſtolos? Tandem qui manuum impoſitionem inter Sacramenta referunt, quod eam Paulus 1. ad Timoth. 5. videatur injungere, cur & elevationem manuum, quam ibidem viris orantibus, & decentem ornatum, quem ibidem mulieribus commendat Apoſtolus, in Sacramentorum cenſum non conferunt?

X. Etſi Hæretici græcizantes ad grammaticæ tricas provocent, velintque nobis ineptiis his exhibere negotium, & religionis noſtræ myſteria puerilibus nugis labefactare, &, ſi ſuperis placet, evertere, nolumus tamen cum eis ineptire, & de lana, ut ajunt, caprina longam quæſtionem habere. Quid enim neceſſe eſt, frivola hæc conſectari, quum legitimum ſententiæ ſuæ intellectum Paulus ipſe ſuppeditet, nec verbi controverſia torqueret Græculos homines, niſi eſſent ii contentionis multo cupidiores, quam veritatis? Pluribus e Paulo petitis exemplis demonſtrare poſſemus, græco vocabulo, quod latine gratiam ſonat, non ea ſolum gratiarum genera, quæ 1. ad Cor. 12. recenſentur, ſed & ipſam juſtificationis, ac ſanctificationis gratiam ab Apoſtolo ſignificari; verum his miſſis illud tantum urgeamus, quod ait Apoſtolus 2. ad Tim. 1.: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum, non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis.* Nonne ſequentibus hiſce verbis nitidiſſime declarat Paulus, quæ Dei gratia fuiſſet manuum impoſitione collata Timotheo? Non Chryſoſtomi Græci hominis, Græcorumque Doctiſſimi, non Theophilacti, & Oecumenici Græcorum interpretum gloſſam adferam, ne cauſſari Novatores poſſint, illos in rem ſuam verba Pauli etſi ſole ipſo ſplendidiora interpretatos eſſe: verba dabo Matthæi Poli Calviniani, qui huic, quem expendimus, Pauli textui has ex Calvino, Beza, Sculteto, Caſaubono, Strigelio aliiſque excerptas adnotationes appoſuit: *Suggero tibi, ut accendas, vel extingui non ſinas a carne & Satana gratiam Dei vel Chriſti, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum; nec enim dedit nobis Deus, ideſt nobis Epiſcopis, & Evangelii Miniſtris, Spiritum timoris, ideſt ignaviæ, aut imbecillitatis animi, qui efficit, ut quis refugiat ea facere, quæ ſui muneris ſunt, ſed virtutis, ſeu fortitudinis, ut intrepidi ſimus ad docendum quæ ſunt Fidei, & Charitatis, & ut noſtra non quæramus, ſed quæ ſunt Chriſti. Docet ergo qualis eſt gratia, quam in ordinatione ſua Timotheus acceperat, aliique Epiſcopi. Suſcitantur autem hæc dona precibus, diligenti meditatione, ſtudio ſacrarum litterarum, ſancti propoſiti renovatione, donorum uſu, pœnitentia, conſideratione infirmitatis noſtræ, & jugi pia operatione &c.* Si quis ad laudatum Pauli textum, & exſcriptas adnotationes, quas ipſa clara verborum lux vel a juratis fidei hoſtibus extorſit, animum conferat præjudiciis vacuum, qui dubitare jam poſſit, collatam fuiſſe Timotheo manuum impoſitione ſive ordinatione ſanctificantem gratiam, ſeu ſpiritum virtutis, & charitatis, illum, inquam, eundem ſpiritum, quem ad Rom. 8. Paulus appellat *ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater, qui & Spiritui noſtro teſtimonium reddit, quod ſumus filii Dei* &c.?

XI. Quid vero ſi de eadem gratia in priori ad Timoth. epiſtola Paulus agens, datam illi eandem ſcribit per prophetiam? Ergone gratia, quam Timotheus per impoſitionem manuum Preſbyterii acceperat, non alia erat a prophetia? Ex eodem Matthæo Polo non ſuſpecto ſuis gregalibus homine hujus quoque Paulinæ ſententiæ interpretationem arceſſam: „ Noli negli-
„ gere gratiam, quæ eſt in te, quæ data
„ eſt tibi, ideſt ne ſinas otioſa apud te re-
„ ſidere dona, quæ tibi conceſſa ſunt ad
„ munus tuum bene exequendum, per
„ prophetiam, ſeu ad prophetandum, vel
„ ad docendum, vel cum prophetia, ut
„ habent Syriaca, & Arabica verſiones,
„ vel per prophetiam, ideſt, ut Eraſmus,

Illi-

„ Illiricus, Beza, Piſcator, Molinæus, &
„ Tigurina verſio exponunt, ſecundum
„ prophetiam de te præcedentem, per re-
„ velationem, qua Deus juſſit te ordina-
„ ri, & teſtatus eſt, & idoneum fore,
„ ſine qua non auſus eſſem tantæ molis
„ officium tibi juveni imponere; ſolebant
„ enim ea ætate Presbyteri eſſe, quod di-
„ cebantur, ideſt multum provectæ ætatis;
„ Timotheus autem ante talem ætatem
„ factus erat Evangeliſta, quia & Pro-
„ phetiæ eum indicaverant, & Spiritus
„ Sancti dona eum commendabant. Cum
„ impoſitione, vel per impoſitionem, ut
„ ex Syriaca & Arabica verſionibus legit
„ Tremellius, manuum Presbyterii, ideſt
„ Ordinis Seniorum, ut Calvinus, & Be-
„ za, vel auctoritate Sacerdotii, ut Tigu-
„ rina, & Eraſmus exponunt. Ad prophe-
„ tiam acceſſit ſeria divini nominis invo-
„ catio tunc quum tibi manus imponeren-
„ tur. Presbyterii nomine hic intelligit
„ vel officium, dignitatem, auctoritatem-
„ que Presbyteri: Ita vocem hanc acci-
„ piunt Ambroſius*, Hieronymus, Græci
„ in Conc. Nicæno can. 2. & in Arcirano
„ can. 18.; Euſebius & Socrates, Calvi-
„ nus & Sculterus: illud autem dicit, ha-
„ bes non ſolum prophetiam, verum etiam
„ efficaciam, impoſita manu dandi Spiri-
„ tum Sanctum & aliis, idque ex officio
„ Presbyterii tui, nimirum Epiſcopatus:
„ ita Eraſmus. " Apage itque inſulſitatem blaterantium, ſolum prophetiæ donum Timotheo manuum impoſitione fuiſſe tributum.

XII. Neque minus frigidum eſt, & abſurdum, quod addunt, manuum impoſitionem Sacramentalem ritum eſſe non poſſe, quod ea ad varii generis effectus uterentur Apoſtoli. Lepide vero. Nec ergo poterunt panis & vinum Euchariſticæ menſæ materias eſſe, quod iis in communi menſa uſi ſunt Apoſtoli ad corporale nutrimentum, non ad Sacramentalem effectum. O nugaciſſimos homines, qui non intelligunt, Sacramentorum materies, etſi poſſit multiplex earum uſus eſſe, formis determinari, quibus peculiaris & proprius cujuſque Sacramenti effectus exprimitur! Poſtrema denique commentatio, quæ Domini Forbeſii eſt, impoſitionem ſcilicet manuum non magis Sacramentum eſſe, quam ſit manuum elevatio, & modeſtus ornatus, quam eſt illa S. Theologiæ Doctore, & Aberdonienſis Academiæ Profeſſore digna! Deſpicienda illa ſane fuiſſet, non refutanda, niſi & inſolens ille adeo eſſet, ut e noſtris hominem præ ſe nullum exiſtimet, & cæci adeo eſſent gregales ejus, ut non ſolum in eum ſummas laudes velut in ſingulare Theologiæ numen Batavæ Academiæ contulerint, ſed & quælibet ejus dicta oraculorum inſtar etiamnum habeant Reformati. Cæterum quid ea commentatione diſtortius, & inſanius? Si quempiam Forbeſius argutantem audiret, Baptiſmum Sacramentum non eſſe, quod Evangelii prædicatio, atque doctrina, quam Chriſtus Baptiſmatis adminiſtrandi, & ſuſcipiendi præcepto junxit, Sacramenta non ſint, aut perperam Euchariſtiam inter Sacramenta cenſeri, quia iiſdem iis in capitibus, in quibus ejus inſtitutionem referunt Evangeliſtæ, aſſumendæ peræ cum ſacculo, vendendæ tunicæ, emendi gladii, vigilandi, & orandi, ne in tentationem intremus, neceſſitas commendatur, quin & Paulus 1. ad Cor. 11. eadem continenti orationis ſerie, qua Euchariſtiæ inſtitutionem, prout a Domino acceperat, refert, jubet, mulierem aut velari aut tonderi, non orare niſi velato capite, virum vero niſi operto, quæ mehercule Sacramenta non ſunt, etſi fuerint a Chriſto, ejuſque Apoſtolo commendata, nonne inſanire crederet hæc effutientem? Ipſene vero ſanus Forbeſius, qui haud minus præpoſtere ratiocinatur, reſque toto cœlo diverſas inſcire confundens omnia ſus, deque miſcet & turbat, ut veritatem obſcuret?

XIII. Reponit Forbeſius: Pinguiſſima eſt Romanenſium ſupinitas Ordinem ad dignitatem Sacramenti evehentium, quod Auguſtinus, aliique Patres ordinem Sacramenti titulo quandoque donent; non enim intelligunt, Sacramenti nomen minus proprie a Patribus certis rebus aptari, neque eis inuſitatum eſſe, de Sacramento proprie dicto, alioque quandam ſolum Sacramenti ſimilitudinem, non veritatem habente commune Sacramenti vocabulum uſurpare? *Latus Chriſti percutitur*, ait Hieronymus, *& Baptiſmi, atque Martyrii pariter Sacramenta funduntur*: Tertullianus non Baptiſmum & Euchariſtiam ſolum, ſed & Martyrium, & pænitentiam, & virginitatem divina Sacramenta vocat in lib. de præſcript.: Auguſtinus denique cum Baptiſmo, & Euchariſtia ſignum Chriſti conjungens ait, neceſſe fore, ut pro his Sacramentis ad

omnia

omnia perferenda paratior ſit Chriſtianus, quam antiqui juſti pro vacuis ſolum, & figuralibus Sacramentis. Martyrium ne, pænitentiam, virginitatem, ſignum Chriſti ſeu Crucis, Sacramentorum loco habere Pontificii volent, quod hæc a Patribus Sacramenta dicantur? Neque illa, quam tantopere jactitant, Auguſtini ratio, Ordinem ſcilicet æque ac Baptiſmum quadam conſecratione dari, aliud quidpiam evincit; conſecrantur enim apud Romanenſes templa, altaria, linteamina, vaſa ſacra, veſtimenta ſacerdotalia, & levitica, patena, calix, cruces, tintinnabula, monachalia indumenta, Virginum, viduarumque velamina, Paſchales cerei, item formæ illæ cereæ, quas *agnos Dei* a forma impreſſa vocant. Quanta eſſet Sacramentorum ſilva, ſi verum Sacramentum foret, quidquid aliqua conſecratione datur!

XIV. Quum latiſſime pateat Sacramenti ſignificatio, non abnuimus, dictionem hanc minus proprie interdum a Patribus adhiberi, & quibuſdam, quæ veri nominis Sacramenta non ſunt, accommodari; intelligimus tamen, vera illa eſſe, & proprie a Patribus Sacramenta vocari, in quæ omnes veri Sacramenti characteres quadrant, ſolam vero Sacramenti umbram gerere, & translatitio quodam ſenſu ſacramenta a Patribus dici, quæ peculiares veri Sacramenti notas non præferunt. Hinc virginitatem atque martyrium neque inter Evangelica Sacramenta referimus, nec unquam eo loco, & gradu a Patribus habita fuiſſe contendimus, etſi ad ea quandoque Sacramenti nomen extenderint, quod utrique deſit, & divina inſtitutio, & gratiæ ex opere, ut ajunt, operato conferendæ efficacitas; ſacram tamen Ordinationem Sacramentis Evangelicis adnumeramus, verique nominis Sacramentum antiquis Patribus fuiſſe tuemur, tum quod veritatem hanc diſertiſſima ſacrarum litterarum teſtimonia conficiant, tum quod luculentis adeo verbis eam adſtruant Patres, ut nullum ambigendi locum relinquant, de vero Sacramento ſe loqui. Actum ageremus, quod antiquo vetamur adagio, ſi ea, quæ jam inter probandum abſolvimus, & pro virili illuſtravimus, Patrum dicta, vellemus iterum expendere, atque urgere. Satis illa ſuperque ſunt refellendis his Forbeſii gerris, qui tamen non ineptit ſolum, ſed & non unum edit peſſimæ fidei argumentum, ut incautis imponat. Pænitentiam, ait, & virginitatem a Tertulliano l. *de præſcrip.* c. 40. divina Sacramenta vocari, quæ tamen Sacramenta non ſunt: Cæterum tam falſum eſt, eo loci virginitatem a Tertulliano Sacramentum dici, quam verum eſt, pœnitentiam Sacramentum Evangelicum eſſe, & non uno loco a Tertulliano nitidiſſime commendatum. Quod etiam Auguſtinus Chriſti ſignum appellat, audaciſſimus homo interpretatur ſignum Chriſti crucifixi, ſeu ſignum crucis, ut inde in rem ſuam perverſe concludat, Ordinem non niſi tropice Sacramentum dictum ab Auguſtino, qui & crucis ſigno idem nomen impertit: at de crucis ſigno, non de ſigno Chriſti, ideſt Sacramento Confirmationis ibi Auguſtinum agere, Forbeſio demonſtrandum incumbit.

XV. Quorſum autem vaniſſimus homo longam illam rerum, quæ apud nos conſecrari ſolent, aciem inſtruit, ut eximiam ineptæ erudirionis pompam oſtentet? Si Auguſtini mentem ſatis alioqui perviam aſſecutus eſſet Scotus Theologus, labori pepercisſet, quem ſtulte poſuit in evolvendis Ordine Romano, & quinto S. Caroli provinciali Concilio, ex quibus illum ſibi rerum, quibus conſecratio in Romana Eccleſia adhibetur, quas que ridet, indiculum comparavit; Neque enim Auguſtinus ordinem Sacramentis adnumerat, quod aliqua conſecratione detur, ſed iterandum non eſſe demonſtrat, quia & Sacramentum eſt æque ac Baptiſma, & utrumque quadam conſecratione confertur, ideſt characterem imprimit, qui in cauſa eſt, ut neutrum poſſit abſque ſacrilegio iterari. Plana adeo, atque perſpicua ſunt Auguſtini verba, ut mirum ſit, Theologiæ Doctorem, & Profeſſorem in eorumdem intellectu tam immaniter hallucinatum. Etſi autem nemo noſtrum templa, altaria, & cætera hujuſmodi, quæ conſecrantur, inter Sacramenta recenſeat, nemo unus tamen eſt, qui cum D. Thoma non ſentiat, quarumcumque rerum conſecrationes perpetuas eſſe, quandiu res ipſæ permanent, neque amitti illas, neque iterari jam poſſe; de conſecratione enim diſt. 1. c. *Eccleſiis* hoc Magni Nicæni Concilii decretum legitur: *Eccleſiis ſemel Deo conſecratis non debet iterum conſecratio adhiberi, quia ſicut infans a qualicumque Sacerdote in nomine Patris* &c. *ſemel baptizatus non debet iterum baptizari; ita nec locus Deo dicatus eſt iterum conſecrandus* &c. Quam ſancte autem rebus hu-

juſmo-

juſmodi ex Apoſtolica traditione & diſciplina conſecratio adhibeatur, in tract. de Euchariſt. ſatis oſtenſum eſt.

Regerit Forbeſius: De Sacramento Ordinis tanta opinionum diverſitate inter ſe diſſident Romanenſes, ut nihil fere certi hac de re apud eos invenias: Poteſtatem ipſam ſeu gradum Eccleſiaſticum Sacramentum Ordinis eſſe, ſcribunt Thomas & Bonaventura, id vero negant Scotus, Durandus, & Major, qui non poteſtatem ipſam, ſed ordinationem, qua poteſtas datur, faciunt Sacramentum. Lombardus Ordinem definit *ſacrum ſignaculum, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*, vel *ſpiritualem characterem, ubi fit promotio poteſtatis*; Signaculum hoc & character Thomæ, & Durando eſt exterior ipſa ordinatio, Bonaventuræ vero ſpiritualis ac interior ipſe character, quam expoſitionem approbat idem Thomas adjiciens, *in charactere interiori poſitum eſſe eſſentialiter & principaliter Ordinis Sacramentum*. Quid certi teneas, quum præcipui Romanenſium Doctores, atque Scholarum Principes in tam diverſa ferantur?

XVI. Hæc tamen, quam nimia garrulitate Forbeſius exaggerat, Scholarum pugna de verbis, non de rebus eſt, & tota in varia Sacramenti acceptione verſatur. Quia vero Forbeſius D. Thomæ præſertim teſtimoniis abutitur, eumque & aliis Scholæ Magiſtris, & ſibi ipſi adverſantem inducit, caſtigandæ hominis tam ad cavillandum acuti, quam ad intelligendum hebetis dicacitati una ſatis erit ejuſdem D. Thomæ doctrina, a cujus germano intellectu quam longiſſime Forbeſius aberravit. In ſuppl. 3. p. q. 34. ar. 2. traditam a Magiſtro Ordinis finitionem, quam ſuperius memoravimus, congruam eſſe, demonſtrat Angelicus, quia ea in Ordinem vere quadrat, quatenus Eccleſiæ Sacramentum eſt: Quænam porro Sacramenti legitima & communis eſt definitio? *Interioris effectus exterius ſignum*, ſeu *inviſibilis gratiæ viſibilis forma*: inde conficit, apte definitum Ordinem a Magiſtro, qui utrumque definitione ſua complexus eſt, Ordinem ajens quoddam eſſe Eccleſiæ ſignaculum, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. Quia vero Magiſter aliam adjecerat Ordinis finitionem, illum *characterem* appellans, *quo fit promotio poteſtatis*, quæ poſterior definitio videbatur cum priori pugnare, neque regulis, quæ de concinnandis definitionibus ſolent a Dialecticis tradi ſatis apte congruere, ferebanturque eo tempore variæ Magiſtri Interpretum expoſitiones, omnia invicem componere aggreſſus Angelicus ait, in priori definitione *ſignaculum* pro interiori charactere non poni, ſed pro eo, quod exterius geritur, quodque interioris poteſtatis ſignum & cauſa eſt, eodemque ſenſu in alia definitione characterem ſumendum eſſe. Cæterum ſi pro interiori charactere ſumeretur, ut quibuſdam placebat, nec eſſet incongrua definitio; quia Sacramenti diviſio in Sacramentum tantum, rem ſolum, rem ſimul & Sacramentum, in partes integrales proprie loquendo non eſt; Quod enim res tantum eſt, nempe gratia, non eſt de eſſentia Sacramenti, quum Sacramentum ſuis omnibus partibus conſtans perfectum ſit, etſi gratiam ob fictionis obicem ſuſcipienti non conferat, quod vero unice eſt Sacramentum, tranſit, Sacramentum autem manere dicitur, ideoque relinquitur, interiorem ipſum characterem, qui res ſimul eſt & Sacramentum, eſſentialiter & principaliter ipſum Ordinis Sacramentum eſſe.

XVII. Si quis hoc D. Thomæ reſponſum adcuratius expenderit, omnes Forbeſii tricas nullo negotio diſſolvet. Primo enim ex proprio ſenſu loquens, & germanum proferens utriuſque a Magiſtro traditæ definitionis ſenſum, non in poteſtate ipſa, eccleſiaſticoque gradu, ſed in exteriori ſignaculo, ſeu in ordinatione conſtituit, & Sacramenti vocabulo juxta receptiſſimam apud omnes ejuſdem intelligentiam utens, nihil aliud de Sacramento Ordinis ſtatuit, quam quod poſterioribus quibuſque Theologis, imo ipſi Tridentinæ Synodo viſum eſt; quare nugatur Forbeſius, D. Thomam inter & Scotum, Durandum, ac Majorem diſſidia de hoc capite comminiſcens. Quia vero quidam Scholaſtici Characteris, ac ſignaculi vocabula in utraque Ordinis definitione a Magiſtro uſurpata de inviſibili, qui ordinatione imprimitur, charactere interpretantes, ex Logicæ præceptis litem iis definitionibus interebant, earum vindicias ſuſcipit D. Thomas, tranſmittenſque, ſed non concedens a Magiſtro voces illas in eum ſenſum adhibitas, probare nititur nec tunc ineptas fore definitiones, quandoquidem & ex effectu peculiari atque præcipuo recte quidpiam definitur, character autem interior, ſive poteſtas diſpenſandi divina

Sacramento Ordinis eſſentialis, eſt, & inter effectus ejus principem locum tenet; in ordinatione enim certo imprimitur, nec umquam amittitur, quumque res ſimul ſit, exteriori ſcilicet ordinatione ſignificata atque effecta, & Sacramentum, ſignum videlicet gratiæ, quæ res tantum eſt, neque Ordinis Sacramento eſſentialis idcirco ait, interiorem characterem eſſentialiter & principaliter ipſum Ordinis Sacramentum eſſe. Si quod unice Sacramentum eſt, ab eo, quod Sacramentum eſt ſimul & res, Forbeſius diſtinxiſſet, tantas mehercule tragœdias non excitaſſet, neque vix quidquam certi de Sacramento Ordinis apud Romanos Theologos inveniri, mendaciſſime ſcriptitaſſet.

ARTICULUS II.

De Ordinum numero.

I. „ Conſiderandum eſt, ait Angelicus
„ 4. cont. gen. cap. 75., quod po-
„ teſtas, quæ ordinatur ad aliquem prin-
„ cipalem effectum, nata eſt habere ſub
„ ſe inferiores poteſtates ſibi deſervientes;
„ quia igitur poteſtas ordinis principaliter
„ ordinatur ad corpus Chriſti conſecran-
„ dum, & fidelibus diſpenſandum, & ad
„ fideles a peccatis purgandos, oportet eſ-
„ ſe aliquem principalem Ordinem, cujus
„ poteſtas ad hoc principaliter ſe exten-
„ dat, & hic eſt ordo Sacerdotalis, alios
„ autem, qui eidem inſerviant aliqualiter
„ materiam diſponendo, & hi ſunt Ordi-
„ nes miniſtrantium; quia vero Sacerdo-
„ talis poteſtas ad duo ſe extendit, ad
„ corporis Chriſti ſcilicet conſecrationem,
„ & ad reddendos abſolutione a peccatis
„ fideles idoneos ad Euchariſtiæ perceptio-
„ nem, oportet, ut inferiores Ordines ei
„ deſerviant vel in utroque, vel in altero
„ tantum, & manifeſtum eſt, tanto ali-
„ quem inter inferiores ordines ſuperio
„ rem eſſe, quanto Sacerdotali ordini de-
„ ſervit in pluribus, vel in aliquo dignio-
„ ri. Infimi igitur Ordines Sacerdotali
„ deſerviunt ſolum in populi præparatio
„ ne, Oſtiarii quidem infideles arcendo a cœ
„ tu Fidelium, Lectores de fidei rudimen
„ tis. Catechumenos inſtruendo, Exorci
„ ſtæ autem purgando eos, qui jam in
„ ſtructi ſunt, ſi aliqualiter a Dæmon.
„ impediuntur a Sacramentorum perceptio
„ ne: Superiores vero ordines Sacerdotal.
„ deſerviunt & in præparatione populi, &
„ ad conſumationem Sacramentorum; nam
„ Acolythi habent miniſterium ſuper vaſa
„ non ſacra, in quibus Sacramenti mate-
„ ria præparatur, unde eis urceoli in ordi-
„ natione traduntur, Subdiaconi ſupra va-
„ ſa ſacra, & ſuper diſpoſitionem materiæ
„ nondum conſecratæ, Diaconi autem mi-
„ niſterium aliquod habent ſuper materiam
„ jam conſecratam, prout fidelibus San-
„ guinem Chriſti diſpenſant: Deſerviunt
„ hi etiam in populi præparatione, unde
„ & Diaconibus committitur Evangelica do-
„ ctrina populo proponenda, Subdiaconi-
„ bus apoſtolica, Acolythis ut circa utrum-
„ que exhibeant, quod pertinet, ad ſole-
„ mnitatem doctrinæ, nempe ut lumina-
„ ria deferant, & alia hujuſmodi admini-
„ ſtrent. " His D. Thomas & diverſorum, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, Ordinum neceſſitatem adſtruxit, & aptiſſime diſtributos eorum gradus, & peculiaria miniſteria perſpicue complexus eſt.

II. His ſi addantur ſolidiſſima momenta illa quibus eamdem hanc veritatem in ſuppl. 3. p. q. 37. ar. 1. & 2. confirmat, ejuſdemque edita a Tridentino ſeſ. 23. cap. 2. declaratio, dubitare jam Catholicorum nemini licet, „ conſentaneum ma-
„ xime fuiſſe, (quemadmodum ibidem
„ Tridentinum ait,) quo dignius & ma-
„ jori cum veneratione poſſet tam Sancti
„ Sacerdotii miniſterium exerceri, ut in
„ Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plu-
„ res, & diverſi eſſent Ordinum gradus,
„ qui ei ex officio deſervirent, ita diſtri-
„ buti, ut qui jam clericali tonſura inſigniti
„ eſſent, per minores ad majores aſcende-
„ rent. " Quoniam vero Calvinus loco jam memorato procaciter ſcribit, quæcumque de minutulis his omnibus balbutimus, conflata eſſe ex inſcitis inſulſiſque mendaciis, doctrinamque de Ordinibus Eccleſiaſticis novitium inventum eſſe, de quo nuſquam alibi, quam apud ineptos Papiſtas rabulas, Sorboniſtas, & Canoniſtas legitur, inſanus ejus in Romanam Eccleſiam furor eſt retundendus. Id facile a nobis præſtitum iri confidimus, ſi miſſis interim ſcholaſticorum concertationibus, in ſola veritatis hujus ſumma hæreamus, & quidquid nobis ingenii eſt, in ejus præſidium conteramus.

In

Digitized by Google

In Catholica Eccleſia præter Sacerdotium alios Ordines eſſe & majores & minores, per quos veluti per gradus in Sacerdotium tenditur, fidei caput eſt.

III. Adſertionem hanc, qua ſecundum Tridentini canonem complexi ſumus, uno illo momento ſolidiſſime demonſtramus, quod laudato capite ſecundo idem Tridentinum nobis ſuppeditat ajens: *non ſolum de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis ſacræ litteræ apertam mentionem faciunt... & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis non pari gradu* &c. Age ergo, & adverſus ſacrilegas Calvini ſtrophas momenti hujus vim exeramus: Anno Chriſti 252. S. Cornelium Papam hæc de Novatiano Hæretico ad Fabium Antiochenum Epiſcopum ſcribentem inducit Euſebius l. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 43. *Ille Evangelii vindex ignorabat, unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccleſia Catholica, in qua tamen ſciebat, Presbyteros quidem eſſe quatuor & quadraginta, ſeptem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos & quadraginta, exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos.* Nonne præter Presbyteros & Diaconos, Cornelio prior Tertullianus Lectores memorat in l. de præſcript. c. 41. præpoſteras ac temerarias Hæreticorum ejus ævi ordinationes in perſtringens: *Itaque alius hodie Epiſcopus, alius cras, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras laicus, nam & laicis Sacerdotalia munera injungunt?* Nonne & Exorciſtatus ibidem haud obſcure meminit, Hæreticorum fœminas ed ſibi muneris ſacrilego uſu uſurpantes ſic reprehendens: *Ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere exorciſmos agere, forſitan & tingere?* Eandem hanc veritatem in Cypriani Epiſtolis frequentiſſimam eſſe, ac teſtatiſſimam, Joannes Fellus Oxonienſis Epiſcopus etſi Calvini gregalis non confitetur ſolum, ſed & Rigaltium, Catholicum licet, intemperantis tamen ingenii Virum refellit, qui ut plures alias præpoſteras Cypriani operibus notas appoſuerat, ita & Subdiaconi mentionem in Cleri Romani ad Carthaginenſem litteris injectam temere vellicarat: *Cauſatur Rigaltius*, Felli verba exſcribimus, *quod ſic paulatim, atque ab minimis intravit in Eccleſiam regnum, & dominandi libido. Apoſtoli Diaconos tantum dixerant, ætas Cypriani Subdiaconos admiſit: ſequens Archidiaconos, ac deinceps Patriarchas, & Archiepiſcopos: Apoſtoli Epiſcopos eſt Presbyteros tantum dixerant, Tertullianus dixit, Epiſcopum eſſe ſummum Sacerdotem. Pace Rigaltii crediderim, non ad faſtum, ad regnum, & dominandi libidinem, Subdiaconatum, alioſque tam inferiores, quam ſuperiores in Clero gradus Eccleſiæ invectos, ſed ad neceſſarios pietatis Chriſtianæ uſus fuiſſe adhibitos; & ſane gradus inferiores quod attinet, ſi quis primitivæ Eccleſiæ ſtatum perpenderit, non mirabitur in tot negotiis plurimos, qui ea procurarent, fuiſſe adhibendos, & poſt Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, Subdiaconos, Lectores, Acolythos, Exorciſtas, Oſtiarios, in ſollicitudinis Eccleſiaſticæ partem ſubrogari: Cornelius hoc ipſo tempore Romæ Epiſcopus, quot in urbe fuerint in Clero conſtituti, in Epiſt. ad Fabium Antiochenſem diſtincte tradit, & quidem Romæ æmulam Carthaginem nec in iis, quæ ad Chriſtianam pietatem ſpectant, multum ceſſiſſe, credere par fuerit.* Hæc adverſus Rigaltium Calvinianus homo, qui animadvertens a Cypriano Epiſtolam Romani Cleri ad ſe per Clementium Hypodiaconum miſſam *Clericam* vocari, hæc addit: *Duplici nomine Epiſtola hæc Clerica dicenda, quia ſcilicet a Clero Romano ad Carthaginenſem dirigeretur, tum etiam, idque præcipue, quia per nuncium ſacris Ordinibus initiatum miſſa fuerat.* Acolythi quoque nomen a Cypriano Epiſt. 7. uſurpatum illuſtrans ait: *Munus erat, ſi quod aliud, per totam Eccleſiam hoc ſæculo receptiſſimum. Quod Orientales attinet, nomen a Græcis hauſtum oſtendit apud illos in uſu fuiſſe. De Romana Eccleſia litteræ Cornelii ad Fabium Antiochenſem id abunde teſtantur, de Aphricana locuples fuerit teſtis Auctor noſter in Epiſtolis paſſim, qui & ſæpe de Lectoribus, & Exorciſtis.*

IV. Quid ſi quarti & quinti ſæculi Patres velimus teſtes hujus dogmatis excitare? Occurrent Gregorius Nazianzænus orat. 18. de laudibus S. Cypriani, & Auguſtinus ſerm. 46. *Oſtiarii*, Nazianzenus idem orat. 32., Chryſoſtomus, Auguſtinus ſæpiſſime, Paulinus Nolanus in

carmine de S. Felice, & Theodoretus in Phylotheo, *Lectoris*, Paulinus idem, Hilarius in l. de Synodis, & Hieronymus in Epiſt. ad Titum, *Exorciſtæ*, iidem Hieronymus & Auguſtinus, *Acolythi*, non mentionem habentes ſolum, ſed & peculiaria cujuſque gradus munera deſcribentes, quorum teſtimonia non recitamus, quod veritati huic ad liquidum deducendæ ſola ſatis ſuperque eſſe poſſit Concilii quarti Carthaginenſis auctoritas; habitum enim illud eſt labente ſæculo quarto, an. ſcilicet Chriſti 398. cui & Auguſtinus interfuit. Clariſſimus Morinus par. 2. de ſacris Ordinationibus præfatione in Rituales latinos ſacrorum Ordinationum libros hæc habet: „ Ab omnium antiquiſſimo viſum eſt nobis initium ducere . . . Ritualis ille liber, vel qui ritualis vicem tenere poteſt, deſumitur ex Carthaginenſi quarto Concilio, quem rituales ſubſequentes tanti fecerunt, ut omnes illum citent, & ab ejus canonibus ne latum quidem unguem diſcedant. " Illud ergo Concilium, cujus ſumma ſemper fuit apud Orthodoxos anctoritas, ſingulos eodem ordine, quo in Romana Eccleſia cenſentur, Eccleſiaſticos gradus enumerat, peculiareſque ritus præſcribit, quibus & nunc conferuntur, quamquam, ut Morinus idem animadvertit, ſolam nobis ſacrorum Ordinum materiem repræſentet, eorumdem vero formas benedictionis tantum nomine indicet, quod preces, quibus illæ concipiebantur, vulgatiſſimæ eſſent, nec ulla tum foret in ea Provincia de precibus hujuſmodi controverſia, ſicut forte de materia, quam ideo Patres definierunt, ut eſſet Epiſcopis omnibus unus, idemque ordinandi ritus.

V. Quorſum autem poſt vetuſtiſſimi hujus Concilii canones, quibus veritas hæc perſpicue adſtruitur, Toletani I. an. 400. habiti, aliorumque Conciliorum ſanctiones, & ſacrarum ordinationum ritus ex venerandis, quorum alios duodecim, alios decem, alios novem ſæculorum ætatem ſuperantes Morinus & Martenius collegerunt, vulgaruntque, codicibus decerptos huc conferremus, quum omnes Carthaginenſis canonibus, mirifice conſonent, eademque ferme omnes habeant? Illud ſolummodo dignum eſt, quod attentius perpendatur, laudatos hactenus Patres, Concilia, Ritualeſque Ordinationum libros ſeptem eos Ordines, quos & nunc retinet, celebratque Romana Eccleſia, memorare non ut recenter invectos, ſed ut jam tunc ubique notiſſimos, & receptiſſimos, & majorum traditione veluti per manus acceptos; hinc intelligimus Tridentinum veriſſime pronuntiaſſe, certo conſtare, eorum Ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe. Ipſe ergo non balbutivit ſolum, ſed & impie blaſphemavit Calvinus, qui Romanæ Eccleſiæ de ſeptem Ordinum gradibus doctrinam ceu novitium inventum criminari auſus eſt, quod totum ex inſulſis, ineptiſque mendaciis conflatum eſſet. Niſi fuiſſet ille, ut mortalium omnium ſceleſtiſſimus, ita Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ignorantiſſimus, qui potuiſſet licentiſſime ſcribere, nuſquam alibi, quam apud Pontificios Rabulas, Sorboniſtas, & Canoniſtas horum Ordinum mentionem occurrere?

Arguit Calvinus: Septem Papiſtæ dicunt Ordines propter ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam, qui numerus perverſa Scripturæ interpretatione conſecratus eſt, qui videntur ſibi apud Iſaiam legiſſe ſeptem Spiritus Sancti virtutes, quod oppido falſum eſt: Acutiores alii non ſeptem ſed novem faciunt Ordines ad ſimilitudinem, ut ajunt, triumphantis Eccleſiæ, atque inter eos etiam pugna eſt, quum alii clericalem tonſuram primum omnium Ordinum collocent, ultimum Epiſcopatum, alii excluſa tonſura, Archiepiſcopatum, alii Pſalmiſtatum Ordinibus annumerent. In tanta varietate quid ſequimos, aut fugere volunt? Dicamus ne ſeptem eſſe Ordines? Sic docet Magiſter Scholæ, ſed illuminatiſſimi Doctores aliter decernunt, qui & ipſi inter ſe diſſident: Ita ſcilicet conſentiunt homines, quum de rebus divinis ſine verbo Dei diſceptant.

VI. In ea varietate, quam nobis ad invidiam Calvinus opponit, en quid ſequi illum jure volumus, quidve fugere. In ſolam Tridentini doctrinam, quæ Catholicæ Eccleſiæ fides eſt, cui ceu venenatæ homo extreme impius conflavit *antidotum*, oculos animumque intendens notit, quid certo tenere debeat, quid averſari. Oblatrare jam deſinat iis, quos per ludibrium *minutulos* vocat, Ordinibus; neque enim recens Scholaſticorum, & juris Canonici Interpretum commentum ſunt, ſed

ab

ab ipſis Eccleſiæ primordiis , eoque illo ævo, quod ipſe non ſemel ab omni prorſus errore atque labe purum fluxiſſe concedit, in uſu fuiſſe noſcuntur. Qui ii fuerint, Tridentinum docet ; & petita e ſecundi, tertii , quarti , & quinti ſæculi Patribus & Conciliis diſertiſſima teſtimonia demonſtrant, Ordines iſtos, per quos veluti gradus quoſdam in Sacerdotium tenditur, ex Apoſtolica traditione profectos, & ſæpe a vetuſtiſſimis Patribus , & Conciliis memoratos , admittendos eſſe Catholica veritas eſt, quam qui negant , anathemate a Tridentino plectuntur. An vero augendus ſit horum numerus, verique nominis Ordines haberi debeant prima Tonſura, Pſaltis officium, atque Epiſcopatus, præter dogmatis ſubſtantiam eſt, quum Eccleſia ſuum de hac re judicium interponere meditato noluerit , eamque Scholarum diſputationi reliquerit, de qua ſuo loco dicemus. Veritatem hanc a Tridentino definitam, & momentis irrefragabilibus confirmatam debuerat Calvinus, ſi potis erat, impetere , non frivolas illas ratiunculas inſectari, quibus permoti priſci quidam Scholaſtici Eccleſiaſticorum Ordinum diſtinctionem & numerum , vel trinæ cæleſti hierarchiæ , vel novem Angelorum Ordinibus , vel undecim ab Apoſtolo recenſitis gratiarum generibus , vel ſeptem Spiritus Sancti donis aptarunt , a D. Thoma ſolide refutati in ſup. q. 37. ar. 2. qui eſt de Ordinum numero ; non enim ex ineptis quorumdam Scholæ Magiſtrorum argumentis, ſed ex Patrum conſenſu , & veterum Conciliorum ſanctionibus Eccleſiæ doctrina æſtimanda eſt ; nec tamen Calvinus ſinendus eſt, impune dicax eſſe & maledicus, qui dum ſeptem Ordinum numerum perverſa Scripturæ interpretatione confectum eſſe a nonnullis Scholaſticis ſcriptitat, plura dona quam ſex ab Jeſaia vere non referri, exhauſto prorſus rubore mentitur. Ubinam terrarum ſumus, ut hæc venditare nobis Calvinus audeat tam fidenter, quaſi vero aut ſtipites, aut cæci ſimus, qui nequeamus propriis oculis certiores fieri, ſeptem eo loci a Propheta Spiritus Sancti dona cenſeri, ſpiritum videlicet *ſapientiæ , intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, & timoris Domini*, indeque manaſſe celeberrimam illam Spiritus Sancti munerum partitionem, quæ non Patribus ſolum atque Theologis , ſed & ipſi Chriſtianæ plebeculæ eſt vulgatiſſima ?

Urget : Iniquiſſime in ſingulis illis ſuis Ordinibus Chriſtum ſibi Collegam Papiſtæ faciunt, quo ſuas ineptias magis commendent : Primo, inquiunt, Oſtiarii munere functus eſt, quando vendentes, & ementes flagello ex funiculis facto , ejecit e templo &c. Hæc abſque riſu adeo audiri non poſſunt, ut mirer abſque riſu ſcripta eſſe, ſi tamen homines erant, qui ſcribebant; ſed in primis ſpectabilis eſt argutia , qua in acolythi nomine philoſophantur, ceroferarium appellantes, verbo, ut arbitror, magico, certe inaudito gentibus ac linguis omnibus, quum acolythus græcis pediſſequum ſimpliciter ſignificet.

VII. Hæc tamen Calvinus perverſe ridet, quod ab iis procuſa exiſtimet, quos ludicre vocat Rabulas , Sorboniſtas , & Canoniſtas . Aberrat enim immaniter , quum diu ante Scholæ ortum perſuaſio hæc de impletis a Chriſto ejuſmodi Ordinum officiis Latinorum Græcorumque animos occuparit. Id a ſæculis ferme decem in Latina Eccleſia creditum fuiſſe communiter, ex vetuſtiſſimis iis Pontificalibus libris haurimus, quos Edmundus Martene ſecundo operis ſui *de antiquis Eccleſiæ ritibus* tomo vulgavit ; In Egberti enim Eboracenſis Archiepiſcopi Pontificali ante nongentos annos literis ſaxonicis ſcripto , in altero S. Dunſtani Cantuarienſis Archiepiſcopi ejuſdem ferme ætatis Pontificali , aliiſque paullo ſequioris ævi , hæc leguntur : *item de ſeptem Eccleſiæ gradibus, quos adimplevit Chriſtus : Oſtiarius fuit , quando* &c. Id vero jamdudum Græcis quoque fuiſſe perſuaſum, locupletiſſimus teſtis eſt Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, quem paulo poſt tertiidecimi ſæculi initium floruiſſe , probat Morinus, qui ejuſdem de Sacramento Ordinis librum ſive Dialogum ex antiquo Vaticano codice exſcripſit, ediditque, in quo Simeon in rem noſtram hæc habet : *Has ordinationes Servator in ſemetipſo ſuſcepit , & demonſtravit, & cujuſque gradus officium per ſemetipſum executus eſt, & fundamentum fuit & exemplar primitivum omnis boni, quo Eccleſiam ſuam donavit ; eſt enim Dux & Princeps vitæ & ſalutis noſtræ, myſteriorum Præſes , & initiationis operator, perficiens ipſe & perfectus. Sicut igitur tunc Baptiſmum & Chriſma ſuſcepit propter nos, quum baptizatus ſpiritum deſuper accepit, ita quæ ad Sacerdotium*

per-

pertinent ſecundum ipſius gradus operatus eſt : Lectoris officio functus eſt &c. Hæccine Calvinus abſque riſu ſcripta fuiſſe mirabitur ? Hæccine adeo frivola ſunt, & ludicra, ut timeat, ne ipſe quoque jure rideatur, ſi in his ſerio refellendis hæreat ?

VIII. Neque inſulſa eſt argutia, qua in acolythi nomine philoſophamur, ceroferarium appellantes, non magico certe, & gentibus ac linguis omnibus inaudito, ſed vetuſtiſſimo nomine, quod a Carthaginenſi quarto Concilio, & jam laudati Pontificalibus libris uſurpatum eſt; quum laudatum Carthaginenſe Concilium de Acolythorum Ordinatione can. 6. hæc habeat : *Acolythus quum ordinatur, ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat, ſed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat ſe ad accedenda Eccleſiæ luminaria mancipari, accipiat & urceolum* &c., iiſdemque pene verbis antiquiſſimi Rituales codices idem exhibeant, S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui vergente ad exitum ſexto, & ineunte ſeptimo Eccleſiæ ſæculo floruit, a præcipuo hoc Acolythorum munere eorumdem denominationem arceſſens, l. 7. originum c. 12. ſcripſit : *Acolythi Græce, Latine Ceroferarii dicuntur a deportandis cereis :* Nomen hoc minus latinum eſſe, nec Græci vocabuli, quod *pediſſequum* aut *ſequentem* ſonat, poteſtati reſpondere, Calvino damus : Quid vero ? Ineptum ne illud eſt, ac ab inſulſis argutatoribus excogitatum ? Etſi Græcæ vocis ſignificationi non congruat, a geſtandis tamen cereis, quibus accendendis Ordinatione ſua mancipantur Acolythi, latine Ceroferarii ab Iſidoro aptiſſime dicti ſunt, quum Cornificius ipſe Rhetoricorum ad Herennium Auctor doceat, nominationem eſſe, quę nos admonet, ut, cui rei nomen aut non ſit, aut non ſatis idoneam, eam noſmet idoneo verbo nominemus, aut imitationis aut ſignificationis cauſa &c. qua poſſit intelligi res, quę non ſuo vocabulo ſit appellata.

Inſtat Calvinus : Creant Romanenſes eximia pompa ſuos Lectores &c. ad ea miniſteria exequenda, quibus vel pueros certe quos vocant, Laicos præficiunt : Quis enim cereos ut plurimum accendit, quis urceolo vinum e aquam infundit, niſi puer, aut ex Laicis ſordidulus aliquis, qui ex ea re quæſtum facit ? Quis in eorum templis umquam vidit, vel Acolythum, vel Oſtiarium ſuis partibus fungentem ? En cur Sacramentis conſecrari, & Spiritum Sanctum accipere neceſſe habeant, nempe ut nihil agant. Exorciſtas vero in quem tandem finem conſecrant ? Fingitur illis data poteſtas imponendi manus ſuper energumenos ; ſed tali ſe poteſtate pręditos eſſe Dęmonibus perſuadere non poſſunt, non modo quia eorum imperiis non cedunt Dæmones, ſed etiam, quia ipſis imperant; vix enim decimum quemque reperias, qui non malo ſpiritu agatur. Fateantur ergo, nullum hodie eſſe in Eccleſia uſum & fructum ſuorum Ordinum, totamque Eccleſiam ſuam anathemate plenam.

IX. Scurrilem Calvini dicacitatem ſeſ. 23. de Ordine cap. 17. de reformatione Synodus Tridentina compreſſit : *Ut Sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Oſtiariatum functiones, ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis aliquandiu intermiſſæ, in uſum juxta ſacros canones revocentur ; nec ab hæreticis tanquam otioſæ traducantur, illius priſtini moris reſtituendi deſiderio flagrans Sancta Synodus decernit, ut in poſterum hujuſmodi miniſteria non niſi per conſtitutos in dictis Ordinibus exerceantur, omneſque, eſt ſingulos Eccleſiarum Prælatos in Domino hortatur, & illis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus ſuæ Diœceſis, ſi populus frequens, & Eccleſiæ proventus id ferre queant, hujuſmodi functiones reſtituendas curent . . . . Quod ſi in miniſteriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præſto non erunt, ſuffici poſſint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram, & habitum clericalem in Eccleſia geſtent.* Ex hoc Tridentini decreto intelligere Calvinus poterat, non ordinari etiamnum Clericos, ut nihil agant; Quid enim ſi Clerici bene multi ſua negligunt miniſteria, idque Epiſcoporum nonnulli forte diſſimulant ? Idne vitio verti poteſt Eccleſiæ, quæ ſolemni decreto ſanxit, ſingulorum Ordinum functiones nonniſi a Clericis ordinatis obiri, omneſque Epiſcopos ſollicite curare juſſit, ut hæc in præcipuis ſuarum Diœceſeon templis reſtituatur ? Eccleſiam criminari, ſicubi mos huic ejus ſanctioni

non

non geritur, perinde eſt, ac ſi in Deum conferas culpam, quod paſſim mandata ejus ab hominibus violentur, quaſi vero is quidpiam fruſtra juſſerit, nullusque jam legis ejus ſit fructus, cujus licentiſſime poſthabendæ ubique uſus invaluit. Cæterum mentitur inverecunde Calvinus, nullum ajens in templis noſtris Acolythum, ac Oſtiarium eſſe, qui munere ſuo fungatur, imo nos ex profeſſo munus ipſum abjicere, quum titulum aſſumimus, neque ad eum mendacii revincendum alio quam oculis, opus eſt, quos Cicero ipſe incorruptos teſtes appellat.

X. Quod vero Calvinus totam Eccleſiam noſtram anathemate plenam eſſe pronuntiat, quod cereos, & urceolos a pueris & profanis attrectari permittat, quibus tangendis nulli digni ſunt, niſi in Acolythos conſecrati, itemque ad pueros cantiones ableget, quæ non niſi ab ore conſecrato audiendæ eſſent, maledicentiſſimi hominis furioſa temeritas eſt; Ut enim egregie adnotat D. Thomas, Acolythus ſua ordinatione poteſtatem ſuſcipit, ut ex officio id poſſit agere, quod etiam ab aliis fieri poteſt, ſed non ex officio, idemque eſt de omnibus minorum Ordinum actibus, qui poſſunt per alios licite fieri, licet ii ad eos ex officio deſtinati non ſint. Qui in Romana Eccleſia hoc reprehendit, audaciſſimus homo, neceſſe eſt, ut priſcam illam Eccleſiam, quam tamen nihil omnino fæcis habuiſſe, non ſemel ſcribit, potiori titulo accuſet, & damnet, quæ rerum omnium ſacratiſſimam, Euchariſtiam videlicet, ab Acolythis, imo a puerulis laicis attrectari, ad abſentes deferri, eiſque miniſtrari permiſit, quin diu in more habuit, eandem laicis promiſcue tradere in manus, domum deferendam, ibidem ſervandam, atque opportune ſumendam. Dum vero Eccleſiam carpit, quod ad pueros cantiones non niſi ab ore conſecrato audiendas ableget, nequiſſimos illos Sacerdotum Principes, atque Scribas imitatur, quos Matthæus cap. 21. refert, indignatos, quod pueri clamarent in templo, *Hoſanna Filio David*, dixiſſe *Jeſu, audis quid iſti dicunt?* Eodemque caſtigandus eſt graviſſimo illo reſponſo, quo Chriſtus ſcribarum petulantiam compeſcuiſſe ibidem legitur: *numquam audiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem?* Quid ergo peccat Eccleſia, pueris & laicis pſalmorum cantum in templo permittens? Cantare pertinet ad totum chorum, ait Angelicus, & fideles quoſque ad Epheſ. 5. & ad Coloſ. Paulus hortatur, ut *pſalmis vacent, himnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes Domino*. Intoleranda denique ejuſdem procacitas eſt, qua Exorciſtas noſtros ait, perſuadere non poſſe Dæmonibus ſe poteſtate præditos eos pellendi; Eccur enim id non poſſunt? An quod eorum imperio non cedant Dæmones? Sed extrema hominis ſupinitas eſt perperam exiſtimantis, non parere Exorciſtæ Dæmonem, niſi fugetur e corpore, quum exorciſmis Eccleſiæ poteſtatem Dæmonis comprimi, ne Sacramentorum ſuſceptioni, atque hominum ſaluti impedimentum apponat, ex Auguſtino, aliiſque Patribus doceat D. Thomas. Imperare autem Dæmonem Exorciſtis noſtris, eorumque plurimos malo ſpiritu agi, ideo Calvinus effutit, quia, ut Eccleſiaſtes x. Salomon ait, *in via ſtultus ambulans, quum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.*

XI. Refutato Calvino, nonnulla ſubdenda ſunt, quæ difficultates omnes extricent, & Catholicam hanc veritatem ad liquidum plane deducant. Veterum quorumdam Patrum ſilentio non movemur, qui Epiſcopos tantum, Presbyteros, & Diaconos diſerte memorant, aliis Clericorum gradibus prætermiſſis, ut Optatus Millevitanus l. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum, & Hieronymus in 19. Iſaiæ caput. Quid enim? Argumentum hoc inficiale elumbe omnino eſt, quippe quod tot luculentiſſimis vetuſtiorum Patrum, Pontificum, & Conciliorum teſtimoniis elidatur. Nonne etiam, qui nulla inferiorum Ordinum laudato loco mentionem habuit, Hieronymus, Exorciſtarum, Lectorum, & Oſtiariorum meminit comment. in epiſt. ad Titum, in epiſt. ad Nepotianum Acolythorum, & epiſt. 91. Subdiaconorum? Optatus quoque, etſi Subdiaconatum, minoreſque Ordines ſingillatim eo loci non cenſeat, generatim tamen eos Miniſtrorum nomine comprehendit ajens: *Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Miniſtros, & turbam Fidelium*; qui autem miniſtri hi ſunt, quos Optatus a Fidelium turba, & Diaconis, Presbyteris, & Epiſcopis aperte diſcriminat, & laicos inter, & præcipua alia Eccleſiæ membra me-

medios collocat, niſi iidem ii inferiorum Ordinum Clerici, quos eodem circiter tempore, quo Optatus hæc ſcripſit, Carthaginenſis quarta Synodus, cui probabile admodum eſt, Optatum ipſum interfuiſſe, articulatim, & partite dinumerat? Neque eſt, cur Magiſtrum, & priſcos aliquor Scholæ Magiſtros moremur, qui non alios in primitiva, ut ipſi ajunt, Eccleſia Ordines fuiſſe ſcribunt, quam Presbyterorum, & Diaconorum; ſi enim de ſecundo, & proxime ſecutis Eccleſiæ ſeculis id adfirment, laudatis Tertulliani, Cornelii, Cypriani, aliorumque Patrum teſtimoniis revincuntur erroris: Si vero ad Apoſtolorum ætatem id referant, quod horum dumtaxat Ordinum mentio in eorum ſcriptis occurrat, reſpondet Angelicus, propter miniſtrorum paucitatem tunc temporis inferiora omnia miniſteria Diaconis fuiſſe commiſſa, in quorum poteſtate inferiorum Ordinum poteſtates implicite continebantur, ampliato, poſtea divino cultu, diverſis Ordinibus Eccleſiam explicite tradidiſſe, quod in uno Ordine habebat implicite; quamquam & ſunt, qui reſpondeant, primo etiam Eccleſiæ ſæculo obtinuiſſe horum Ordinum nomen, & uſum, quum Ignatius Martyr in Epiſt. ad Antiochenos hæc habeat: *ſaluto Sanctum Presbyterium, ſaluto ſacros Diaconos, ſaluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Exorciſtas &c.* Nolumus tamen hoc argumento pugnare, quod jam inter Eruditos omnes conveniat, eſſe epiſtolam illam Ignatio ſuppoſitam, licet Bellarminus ſcribat, in ea apoſtolicum ſpiritum, & Ignatii ſtylum a Viris doctiſſimis deprehendi.

XII. Majoris futurum eſt operæ demonſtrare, propoſitam hactenus ex Tridentino doctrinam contraria, eaque vetuſtiſſima Græcorum, & Orientalium praxi nec paululum labefactari; ſunt enim e noſtris Viri Clariſſimi, Habertus, Goarius, Morinus, Renaudotius, Martene, qui docent, Græcis non alios jamdudum fuiſſe ac nunc eſſe, quam Ordines quinque, Lectoratum videlicet, Hipodiaconatum, Presbyteratum, atque Epiſcopatum. Morinus præſertim in ſuo de ſacris Ordinationibus libro par. 3. exercitat. 4. petitis ex Apoſtolorum conſtitutionibus, & canonibus, quos, etſi falſo Apoſtolis tribuantur, nemo tamen dubitat antiquiſſimos eſſe, ex Juſtiniani novellis & codice, ex S. Joanne Damaſcæno, Elia Cretenſi, Conciliis quinto, & octavo Æcumenico monumentis probare nititur, ab annis mille ſupra centum nullam apud Orientales trium minorum ordinum memoriam occurrere, imo ſilentium hoc ad tempora Apoſtolis proxima extendi poſſe, nihilque jam poſt tam certa, evidentia, & auguſta teſtimonia ſupereſſe Lectori, quod poſſit ad faciendam fidem deſiderare. In Morini, aliorumque, quos laudavimus, ſummorum virorum, qui non Eccleſiam in ſchola, ſed ſcholam in Eccleſia quæſiverunt, ſententiam Recentiorum plerique concedunt. Quid porro? Nihil eſſe in hac Orientalium praxi, quod a Tridentini doctrina diſſideat, & Novatorum errori affine ſit, evidenter oſtendimus.

XIII. Quum Morinus in ſententiæ ſuæ confirmationem ea, quæ indicavimus, teſtimonia contuliſſet, ſecundum quartadecimæ exercitationis caput ſic orditur: „ Tam „ denſæ teſtium nubi, qui unanimi conſen- „ ſu fidem faciunt, apud Græcos Orientiſ- „ que Chriſtianos plures Ordines nunquam „ viguiſſe, tria antiquiſſimorum Patrum te- „ ſtimonia opponi poſſunt, Ignatii videli- „ cet in epiſt. ad Antiochenos, Clementis „ Romani lib. 2. 3. & 6. Apoſtolicarum „ conſtitutionum, & Epiphanii in Expoſi- „ tione fidei, quam poſt omnium hære- „ ſeon confutationem adjecit, nec non Con- „ ciliorum Laodicæni, atque Antiochæni „ ſæculo quarto habitorum, ſingillatim o- „ mnes, quos Eccleſia ſuſcipit, Ordines „ enumerantium: Hæc omnia concedo, „ ut verba ſonant, imo pluſquam verba „ ſonant; nihil inde ſequitur, niſi id quod „ non inviti fatemur, Ordines iſtos ante „ mille, & centum annos apud Orienta- „ les populos in uſu fuiſſe, ab eo enim „ tempore uſque in hunc diem nullo pro- „ babili teſtimonio demonſtrari poteſt, „ Græcos trium horum Ordinum ali- „ quem uſurpaſſe, quum e contrario, „ tota Latina Eccleſia ejuſmodi exem- „ plis ſcateat. “ Morino itaque judice, prioribus quinque Eccleſiæ ſæculis non in Occidentali ſolum ſed & in Orientali Eccleſia communis fuit horum omnium Ordinum uſus. Verum itaque atque exploratum eſt, quod Tridentina Synodus pronuntiavit, præter Sacerdotes & Diaconos, quorum aperta fit in ſacris litteris mentio, & ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi

coni ſcilicet &c. ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe, etſi non pari gradu. Jam ergo in tuto eſt Catholicæ, quam ruemur, doctrinæ ſumma, quum in ea puriſſimo illo Eccleſiæ ævo Orientem cum Occidente nemo deneget conſenſiſſe.

XIV. Quid vero, ſi a duodecim & amplius ſæculis nullo, ut Morinus ait, probabili teſtimonio demonſtrari poteſt, Græcos trium iſtorum Ordinum aliquem uſurpaſſe? Fac vera eſſe, quæ Morinus, aliique ſpectatiſſimi Viri ſcribunt: nihil inde fluit, quod Tridentini doctrinam infringere poſſit, aut infirmare. Etſi jamdudum, ait Clariſſimus Renaudotius, Græci, Syri Orthodoxi, Jacobitæ, Cophti, Æthiopes, & Armeni ex quatuor iis, quos Latina Eccleſia ſemper in uſu habuit, retinetque, minoribus Ordinibus unum habeant Lectoratum, omni tamen erroris ſuſpicione vacant, quandoquidem non ſolum Latinæ Eccleſiæ nullam de hoc capite litem inferunt, neque Ordines illos in ea uſu receptos ut humana commenta ſuperſtitione plena reiiciunt, (hoc enim ſoli auſi ſunt Novatores) ſed ceremonias ſacras eſſe fatentur ex Apoſtolica traditione profectas, quibus peculiaris confertur gratia, qua Altaris Miniſtri idonei fiunt, ut quæ muneris ſui ſunt, ſancte, recteque obeant. Quorſum ergo, reponet aliquis, Ordines hos Græci, aliique Orientis Populi jamdiu prætermittunt, quos Apoſtolicæ traditionis eſſe concedunt? At falſum eſt, Ordines hos a Græcis, aliiſque Orientalibus prætermitti; etſi enim eos diſtinctis ordinationibus conferre non ſolent, hypodiaconatui tamen illos annectunt, atque una hypodiaconi initiatione perficiunt, quod peculiaribus ordinationibus conſuevit a Latina Eccleſia præſtari. Diſciplinæ hujus apud Græcos noſtra ætate vigentis locupletiſſimus teſtis eſt ſupremus Eccleſiæ Hyerarca Benedictus XIV., qui in ſua de Græcorum ritibus conſtitutione an. 1742. edita ſanxit, ut Clericus Græcus, cui ab Apoſtolica Sede majores Ordines latino ritu ſuſcipiendi fuerit facta facultas, antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omiſſos debeat latino ritu ſuſcipere: Si vero præter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum quoque græco ritu adſcendit, & annuente itidem Apoſtolica Sede ad cæteros Ordines latino more ſit evehendus, priuſquam inter Diaconos cooptetur, ſolum ex minoribus Ordinibus Exorciſtatum ſupplere cogatur, quum per Subdiaconatum, græco ritu collatum, Acolythatum & Oſtiatatum cenſeatur jam recepiſſe.

XV. Sane Hypodiaconis græco ritu ordinatis Acolythatum ſimul atque Oſtiaratum una eademque ordinatione conferri, ipſum Græcorum Euchologium, quod Clariſſimus Martene latinum exhibet, perſpicue docet, in quo hæc de ritu in Subdiaconi ordinatione ſervando legimus: „ Pontifici ante Miſſæ principium ordinandus in Subdiaconum offertur; jubet autem Pontifex illum Dalmatica veſtiri & præcingi, pollubrum etiam cum vaſe & mantili deferri, mox ter caput ejus cruce ſignans, manumque imponens, hanc orationem dicit; “ *Domine Deus noſter, qui diverſos Ordines Eccleſiæ tuæ largitus es, & in ea miniſterii gradus differentes ad ſanctis, & illibatis myſteriis tuis famulandum conſtituiſti, hunc ſervum tuum inculpatum in omnibus conſerva, & Domus tuæ decorem diligere, ſancti templi tui foribus aſtare, & tabernaculi gloriæ tuæ lucernam accendere* &c. Quid etiam iis luculentius, quæ Ritualis Syrorum Maronitarum liber apud eundem Marteniam habet? *Epiſcopus induit Subdiaconum tunica ſua, eumque benedicit, & præficit vaſis Eccleſiæ* &cc. *Quum autem pervenit ad candelabrum, accendit illud, & extinguit tribus vicibus, poſtea vadunt ad portam Eccleſiæ, eamque apprehendit, claudit, & aperit tribus vicibus* &c. *Deinde datur illi Actuum liber, ut legat* &ccc. Gemina his ſunt, quæ in Cophtitarum rituali occurrunt: *Epiſcopus tenens tempora Subdiaconi dicit hanc orationem: O Domine Deus Omnipotens . . . . . reple hunc ſervum tuum Spiritu Sancto, ut dignus ſit, qui contrectet vaſa miniſterii hujus, & ſtet ad portas templi, & accendat lucernam fulgidam Domui orationis tuæ* &ccc. *Mox exhortatio ad Subdiaconum ordinatione facta: O fili, quum jam ſupra te collatus ſit Ordo Subdiaconatus, ad quem conſecratus es, propone tibi eum, hic enim conſiſtit, ut ſequaris Diaconum, & ipſi operam præſtes in operibus miniſterii: Obligatus igitur es, ut cuſtodias portas Domus Dei, & non ſuſtineas, ut ingrediatur in eam neque Judæus, neque canis, neque perverſus . . . . Jam tibi collata eſt gratia, ut tractare poſſis vaſa ſacra miniſterii ſancti* &ccc.

XVI. In his aliiſque, quæ laudare poſſemus,

ſemus, authenticis, ac vetuſtiſſimis monumentis mira deprehenditur Orientalium atque Occidentalium conſenſio, aperteque conſtat, a quibuſque Chriſtiani nominis in Oriente ſectis Oſtiariatus atque Acolythatus Ordinem etiamnum retineri, etſi illos jamdudum ſoleant una cum hypodiaconatu conferre. Etſi vero apud Orientales Exorciſtatus in uſu non ſit (Syris Maronitis exceptis, penes quos Ordinem hunc vel Lectoratus, vel Diaconatus ordini adjunctum eſſe, ſimulque conferri, teſtes ſunt Doctiſſimi Gentis illius Scriptores) illum tamen ſupplere non coguntur, ut Benedictus XIV. pronuntiavit, niſi fuerint latino ritu ad reliquos ordines provehendi. Cœterum græco more ordinatis non poteſt a Catholicis lis inferri, quod Exorciſtatu careant, quum plures Romani Pontifices, & Lugdunenſe ſecundum, & Florentinum Generalia Concilia non eorum ordinationes ſolum ratas habuerint, ac probarint, ſed & Græcis hac de cauſa moleſtiam a quoquam exhiberi vetuerint. Cur vero? Quia ut in hujus, ita & in aliorum rituum diverſitate eadem eſt Græcorum, Latinorumque fides, atque illibata; Exorciſtatum enim ritum ſacrum eſſe ex Apoſtolica traditione manantem Oriens cum Occidente fatetur, Novatoreſque execratur, qui ad Romanenſium figmenta illum ablegant; non eſt tamen ejus apud Græcos uſus, quod ad ſuperiores ordines nonniſi per ſingulos inferiorum ordinum gradus aſcendere non divini juris ſit, ſed canonicæ tantum regulæ, & diſciplinæ, quæ licet ab ipſo Eccleſiæ exordio, quemadmodum docet Angelicus, non obtinuit, ita nec eadem in Oriente, atque Occidente fuit; quare Romana Eccleſia nunquam Orientalibus in culpa poſuit, neque ponit, quod Exorciſtatum prætermittentes vetuſtam Eccleſiæ ſuæ retineant diſciplinam.

ARTICULUS III.

De ſingulis Ordinibus.

I. QUum Calvinus memorato loco poſt exagitatos generatim Eccleſiæ Ordines, in ſingulos eorum acerbiſſimo ſtylo invehatur, operæ pretium eſt, ut in ſingulorum defenſionem totis viribus incumbamus; quoniam vero nequam ille a prima, ut vocant, Tonſura, qua Eccleſiaſticæ militiæ adſcribendi in Clericatum communi ſymbolo initiantur, ſtrophas ſuas orditur, erit nobis primo loco ſermo de ritu hoc, quem Calvinus non ludibrio ſolum habet quaſi ridiculum, ſed veluti ſacrilegum impotenter exagitat.

§. I.

De prima Tonſura.

I. QUamquam apud Scriptores mediæ & infimæ latinitatis, quemadmodum in ſuo Gloſſario animadvertit Clariſſimus Ducangius, varia occurrant tonſuræ genera, eam tamen, quæ inſtituti noſtri eſt, unice excutiendam ſuſcipimus, Clericalem videlicet ſeu Eccleſiaſticam, quæ omnium præcipua eſt, atque a forma, quia videlicet in modum coronæ ducta eſt, clericalis corona paſſim a Veteribus appellatur. Hinc Clericus tonſuratus non coronatus ſolum, ac coronas benedictas habere, ſed abſolute *corona* dicitur; quique Clericatus honore abutens non Deo, ſed ſæculo militabat, uſus obtinuit, ut *mala corona* vocaretur, ſicut de Rodulpho quodam apud Ordericum Vitalem legimus: „ Rodulphus Clericus cognominatus eſt, „ quia peritia litterarum apprime imbutus, „ hic & mala corona vocabatur, eo quod „ in juventute ſua militaribus exercitiis, „ & levitatibus detinebatur. " Hinc etiam in priſcis Eccleſiæ monumentis coronas facere idem ſonare ac prima tonſura initiare, coronæ benedictionem pro eadem tonſura poni, coronam capitis amittere perinde eſſe, ac Clericatu excidere, adnotat idem eruditiſſimus Scriptor. Non una tamen eademque ſemper in Eccleſia fuiſſe credenda eſt clericalis tonſuræ forma, quum Doctiſſimus Martene perſpicuis Veterum teſtimoniis probet, aliam Occidentalium tonſuram fuiſſe, aliam in Occidentali Eccleſia nunc in uſu eſſe ab ea, quæ in eadem antiquitus obtinebat. Varietatis hujus locupletiſſimum teſtem adhibet Ceolfridum Abbatem ad Najatanum Pictorum Regem hæc ſcribentem: *Neque Apoſtoli omnes uno eodemque ſunt modo attonſi, neque nunc Eccleſia Catholica, ſicut una fide, ſpe, & charitate in Deum conſentit, ita etiam una atque indiſſimili totum per orbem tonſuræ forma ſibi congruit.*

II. Quis apud Orientales eſſet tonſuræ modus, diſcimus ex Ven. Beda ſeptimi ſæculi Scriptore Clariſſimo de Theodoro Monacho

nacho Græco Cantuarienſi Archiepiſcopo a Romano Pontifice deſignato hæc narrante: *Subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menſes, donec illi coma creſceret, quo in coronam tonderi poſſet; habuerat enim tonſuram S. Pauli Apoſtoli more Orientalium:* Orientales itaque tonſuræ formam a Paulo ſe accepiſſe glorianies, integrum caput tondebant, quamvis non ad cutem uſque, quemadmodum infra Hieronymo auctore docebimus, ſed in eum ferme modum, quo nunc Fratres, quos Converſos dicunt, in Monaſteriis tonderi ſolent. Occidentalium vero tonſuram nobis graphice exhibet Gregorius Turonenſis hæc de S. Nicetio Trevirorum Epiſcopo tradens: *Nicetius Epiſcopus ab ipſo ſui ortus tempore Clericus deſignatus eſt; nam quum partu fuiſſet effuſus, totum caput, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, a capillis nudum cernebatur; in circuitu vero modicorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab eiſdem coronam Clerici fuiſſe deſignatam.* Exeunte ergo quinto ſæculo nondum omnino capillis erat Clericorum caput, nec niſi brevium pilorum ordo in coronæ modum circumducebatur. Hæc tonſuræ forma, quæ S. Petri vulgo dicebatur, quod ita crederetur Apoſtolorum Princeps raſus fuiſſe attonſuſque, quæque nunc Monachorum eſt, ad plura ſæcula in Galliis præſertim, & Hiſpania viguit, donec ſenſim in eam deflexit, quæ nunc uſu recepta eſt. Adnotat autem perdoctus æque ac piiſſimus Auctor, quotquot ad noſtra prope tempora majori veteris diſciplinæ zelo claruerunt, non multum abſimilem tonſuræ modum Clericis præſcripſiſſe, ſicut infinita prope ea de re edita decreta docent, quæ Clericorum comam ita decurtant, ut patentes omnino aures appareant. Plura adiicit & graviſſima adverſus peregrinas cæſaries, quas Clerici bene multi ſuis non contenti capillis, in ſummum, ut ille ait, ordinis ſui dedecus aſſumunt, ſed noſtrum non eſt de his agere, Calvinum potius refutare, qui multis in primæ tonſuræ ritu invehitur.

Prima Tonſura ritus non eſt vanitatis ac ſuperſtitionis, ſed pietatis ac religionis plenus.

III. Veritatem hanc nobis videmur invicte poſſe conficere, ſi momenta ex Calvini, Gregaliumque ejus principiis ducta urgeamus; primo enim qua fronte poteſt vanitatis ac ſuperſtitionis ceremonia hæc accuſari, quam puriori Eccleſiæ ævo, cui Calvinus ipſe, ejuſque aſſeclæ ob incorruptam fidei integritatem tantum obſequii deferunt, conſtat apud Clericos obtinuiſſe? Nonne vetuſtiſſima Divionenſis Eccleſiæ acta produnt, S. Benignum Presbyterum S. Polycarpi Diſcipulum coronæ clericalis indicio deprehenſum, & a Terentio Comite, ſæculo ſecundo labente, morte mulctatum? Nonne Ammianus Marcellinus Ethnicus Scriptor l. 12. ſcribit, Theodorum quendam Presbyterum a Juliano Apoſtata extremo ſupplicio fuiſſe addictum, quod puerulos tondens illos Clericatu initiaret? Quid eo ſplendidius, quod Prudentius ſæculi quarti Scriptor, idemque Poeta egregius de S. Cypriano Carthaginenſium Epiſcopo habet, cujus attonſionem in Clericum hoc verſiculo extollit: *Deflua cæſaries compeſcitur ad brevem capillum?* Quid etiam eo illuſtrius, quod impius ille Chriſtianorum irriſor Lucianus Philoſophus in Dialogo, qui *Philopatris* inſcribitur, de Chriſtiano Clerico tradit, quem deſcribit e montibus ad Eccleſiam venientem detonſa coma, nomenque & prophetiam quamdam litteris hieroglyphicis deferentem? Quodnam denique teſtimonium eo locupletius, quod ritus hujus ſanctitati, ac vetuſtati perhibent Concilia Carthaginenſe IV. can. 44. & Toletanum ſecundum can. 1., quorum prius deſinente quarto, alterum ineunte quinto Eccleſiæ ſæculo habitum fuit? Alia in promptu ſunt haud minus inſignia monumenta, quæ dum Calvini maledicta obteremus, opportunius proferentur; pauca hæc tamen, quæ laudavimus, quum ſatis ſuperque evincant, ceremoniam hanc puriori Eccleſiæ ævo viguiſſe, certo quoque demonſtrant, vacare illam vanitate omni atque ſuperſtitione.

IV. Secundo: Extreme impudens atque impius ſit, oportet, qui ritum hunc ſuperſtitionis ac vanitatis damnat, quem explorata res eſt, ex Apoſtolica traditione manaſſe. Peculiaria traditionis hujus monumenta in argumentorum diſſolutione laudabimus; unum interim, quod omnium inſtar eſt, urgebimus ex perpetua omnium Chriſtiani nominis ſectarum in retinendo ritu hoc conſenſione petitum; quum enim, ſicut non ſemel ex Tertulliano docuimus, fieri nulla ratione potuerit, ut omnes Eccleſiæ in unam fidem erraverint, neque variarit exitum error omnium Eccleſiarum, ne-

neceſſario conſequitur, ut Tertullianus ipſe concludit, id quod apud omnes unum invenitur, erratum non eſſe, ſed traditum. Quis porro de perpetuo hoc Eccleſiarum omnium conſenſu dubitare velit, qui in omnibus tum Orientalium, tum Occidentalium libris eſt teſtatiſſimus? Immemorabilem Latinæ Eccleſiæ praxim præter momenta paullo ſuperius indicata, comprobant rituales ſacrarum ordinationum libri a Morino, & Martenio collecti, quorum alii decem ſæculorum ætatem longe ſuperant, quique ritus exhibent in Latina Eccleſia uſitatiſſimos tonſionis in Clericum, & orationum ad *Clericum faciendum*, *poſt tonſionem &c.* Eundem tonſionis in Clericum ritum ſacris precibus comitatum luculentiſſime continent vetuſta quæque Græcorum Euchologia, Syrorum Maronitarum, Syrorum Neſtorianorum, Jacobitarum & Melchitarum, Armenorum, & Ægyptiorum ordines, ſeu deſcriptiones rituum *perfectionis & conſumationis chirotoniæ*, ſeu ordinationis uniuscujuſque gradus ab iiſdem Morino & Martenio ex probatiſſimis codicibus excerptæ, editæque; quum ergo in ritu hoc omnes Chriſtiani nominis ſocietates ubique terrarum conveniant, certoque ex indicatis monumentis appareat, illum in Oriente & Occidente antiquiſſimæ obſervationis eſſe, fatendum eſt, ait Morinus, illius originem non ab aliis eſſe, quam ab Apoſtolis derivatam; quod ſi Clericalis tonſura Apoſtolicam refert originem, evidens eſt, ſacrilegum eſſe, vanitatis ac ſuperſtitionis illi crimen inferre.

Calvini blaſphemiæ retunduntur.

Arguit primo Calvinus: Papiſtæ dum dicunt, coronam clericalem habere a Nazaræis originem, & rationem, quid aliud adſerunt, quam ſua myſteria a Judaicis ceremoniis nata eſſe, vel potius merum eſſe judaiſmum?

V. Fateor, clericalis tonſuræ ritum a Nazaræorum veteris legis imitatione a nonnullis Eccleſiaſticis tractatoribus derivari, a S. Iſidoro Hiſpalenſi præſertim l. 2. de officiis Eccleſiaſticis c. 4. ſcribente: *Hujus exempli uſus ab Apoſtolis introductus eſt, ut hi, qui divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, ideſt ſancti Dei, crine præciſo innoventur* &c. *Hoc & Nazaræos illos Priſcillam & Aquilam in actibus Apoſtolorum feciſſe legimus, Paulum quoque Apoſtolum, & quoſdam Diſcipulorum Chriſti, qui in hujuſmodi cultu imitandi extiterunt.* Etſi in hanc Iſidori opinionem conceſſerint Alcuinus, Rabanus, Hugo de S. Victore, Magiſter Sententiarum, & Scholaſticorum plurimi, peccavit tamen Calvinus immaniter, opinionem hanc, quam minus ſolide, nec ſatis graviter (pace tantorum virorum dictum ſit) excogitatam eſſe, ultro damus, omnibus communionis noſtræ Doctoribus fidenter adſcribens; omnium enim primus S. Gregorius Turonenſis l. de gloria Martyrum c. 8. Clericalis tonſuræ ritum ad Petrum Apoſtolorum auctorem referens, non Nazaræorum imitationem, ſed humilitatis ſtudium inſtituendi ritus hujus cauſam Petro fuiſſe tradit, *Petrus Apoſtolus, ajens, ad humilitatem docendam caput deſuper tonderi inſtituit.* Gregorio ſubſcripſere ſeptimo ſæculo Ceolfridus Abbas, Althelmus Britannorum Epiſcopus, Ven. Beda, octavo Germanus CP. Patriarcha, nono vero Amalarius, Auctor libri, cui titulus *Gemma animæ*, & Rabanus Maurus, qui plures ritus hujus inſtituendi rationes ex laudatis, aliiſque Eccleſiaſticis tractatoribus excerptas paucis his verbis complexus eſt: *Aſſerunt, diverſas ob cauſas Petrum Apoſtolum hunc ritum ſumpſiſſe, ut formam, & ſimilitudinem Chriſti in capite geſtaret, dum pro redemptione noſtra crucis patibulum ſubiturus a nefanda Judæorum gente acutis ſpinarum aculeis crudeliter coronaretur: Deinde ut Sacerdotes veteris & novi Teſtamenti in tonſura & habitu diſcernerentur: poſtremo ut idem Apoſtolus, ejuſque ſucceſſores & ſeſquipedes ridiculoſum natura ludibrium in populo Romano portarent, quia & horum Barones hoſtiles exercitus ſuperatos ſub corona vendere ſolebant.* Poſtremam rationem hanc ſtrenuiſſimus ille Iconomachorum oppugnator S. Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes *in theoria rerum Eccleſiaſticarum* illuſtrat, clericalem tonſuram eo potiſſimum fine inſtitutam docens, *ut imaginem referret Venerandi Apoſtoli Petri, qui quum miſſus eſſet ad prædicandum Evangelium Domini, & Magiſtri, ei tonſa eſt coma ab iis, qui ejus ſermoni non credebant, ut illuderetur ab ipſis, eique Chriſtus Magiſter benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam convertit* &c. Hinc ſexto & ſequentibus Eccleſiæ ſæculis perſuaſum adeo Fidelibus erat, ritum hunc non a Nazaræorum more, ſed

a Pe-

a Petri exemplo manaſſe, ut vetuſtiſſimus Ordo Romanus, nonnullique alii rituales libri oratione in ordinationem Clerici non ad Nazaræorum, ſed ad Petri imitationem alludant; legimus enim, *oremus Dominum Jeſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo, qui ad deponendam comam capitis ſui pro ejus amore, & exemplo B. Petri Apoſtoli feſtinat* &cc.

VI. Quid vero ſi Calvino daremus, ritum hunc a Nazaræorum tonſione in Eccleſiam novi fœderis deſcendiſſe? Emota ſane mente erat ille, dum intulit, myſteria noſtra nonniſi a Judaicis ceremoniis nata eſſe, vel potius merum eſſe Judaiſmum; Quidni enim idem quoque de baptiſmo, ac de cœna pronuntiaret Sophiſta ineptiſſimus? D. Thomas Magiſtri, aliorumque ritum hunc a Nazaræorum more ducentium mentem interpretans ait, in Nazaræorum tonſura Clericalis coronæ figuram aliquam præceſſiſſe; quemadmodum autem Nazaræorum attonſio hujus, quæ in Romana Eccleſia obtinet, figura fuiſſe a nonnullis dicitur, ita varia illa baptiſmata Judæorum, quæ Paulus memorat, Baptiſmi Evangelici, & legalem cœnam Euchariſticæ umbram, typumque fuiſſe, conſtans Chriſtianorum omnium ſententia eſt: Duo hæc ne vero novæ legis Sacramenta, quæ ſola Calvinus admittit, in veteri lege præfigurata, audebit adſerere, purum putumque Judaiſmum eſſe, & judaizare eos, qui his utuntur? Sed piget tam inſulſa ſerio refellere, præſertim quum idem hoc argumentum a Græcis Schiſmaticis adverſus azimi uſum, & a Kemnitio adverſus Miſſæ ceremonias intortum, in tract. de Euchariſtia ſatis, ut puto, jam retuderimus.

VII. Quoniam vero Calvinus Iſidorum, cujus verba recitavimus, alioſque, qui in ejus ſententiam iverant, irreverenter exagitat, ajens, ſuam illos craſſam ignorantiam prodere, dum addunt, Priſcillam, Aquilam, & Paulum ipſum ſuſcepto voto ſibi raſiſſe caput, ut purificarentur, nolumus quidem, quoniam nec vere poſſumus, eos uſquequaque excuſandos ſuſcipere, jure tamen contendimus, Calvinum in aliena carpenda ignorantia ſuam quoque inſigniter prodidiſſe, & aliorum errata ſuis forte pinguioribus caſtigaſſe. Hallucinatum fuiſſe Iſidorum, dum Aquilæ, aliiſque crinem religionis cauſa tondentibus imprudenter Priſcillam adjunxit, & Calvinum recte ſcribere confitemur, de Priſcilla nuſquam id legi. Quod tamen Calvinus addit, id etiam de Aquila incertum eſſe, quum tonſura illa, cujus Act. 18. meminit Lucas, tam ad Paulum, quam ad Aquilam referri poſſit, a ſacri textus veritate alienum eſſe demonſtrant Eraſmus, Beza, Camero, Fugerus, Piſcator, & Hammondus, in eum Lucæ verſiculum ſcite adnotantes, Priſcillam nominari prius a Luca, quia de Aquila aliquid addendum habebat, nempe eum, antequam iter aggrederetur, voto ſe ſolviſſe Cenchræ raſo capite, eumque, quem Lucas memorat, totondiſſe ſibi caput, Aquilam eſſe, cum cujus nomine jungitur τὸ *qui ſibi* &c. ne commate quidem interpoſito in quibuſdam exemplaribus, hincque uxorem viro præponi, ut intelligeretur relatinum illud *qui* ad Aquilam referri. Haud me latet nonnullos e noſtris, Sanctium ſcilicet, & Cornelium a Lapide laudata Lucæ verba torquere, quod Romani codices Priſcillam, & Aquilam parentheſi intercipiant; ſed a vera laudati textus intelligentia haud parum illos abludere, facile revinceremus, ſi id loci hujus eſſet, & temporis. Interim Calvinus dum certo putat, Paulum totondiſſe ſibi caput, reque poſita ut inconcuſſa, mire ſe torquet, ut hoc Pauli exemplum nobis eripiat, quaſi vero clericalis tonſuræ religionem hoc potiſſimum argumento Romana Eccleſia tueatur, non inani ſolum labore ſe ſubigit, ſed & maxima ſupinitate laborat; Quid enim ſi Lucas Act. 21. ſcribit monitum fuiſſe Paulum a Jacobo & ſenioribus, ut aſſumptis quatuor viris votum ſupra ſe habentibus ſeſe cum illis ſanctificaret, & impenderet in illis, ut raderent capita &c.? Ergone Paulus tunc votum emiſit, caputque totondit? Idem quidem mortalium omnium inſolentiſſimus, cui Romanenſes omnes ſtolida ſunt pecora, quique nihil niſi ex divino verbo jactitat ſe efferre, certiſſimum eſſe pronuntiat, iſcite tamen & falſo; Invicta plane momenta ſunt, quibus non Cajetanus ſolum & Eſtius, ſed & Grotius, & Petitus probant, Lucæ verba ad Pauli votum, attonſionemque trahi non poſſe. *Notandum*, ait Grotius, *non Paulum hoc loco, ſed, quatuor hos Viros votum concepiſſe, & comam depoſuiſſe, Paulum vero ſumptus feciſſe; an vero integros, incertum eſt. Paulus*, ait Petitus, *non fuit Nazaræus, tum quia, nulla voti ejus mentio, tum quia recens advenerat, & poſtera die quam ad*

Jaco-

Jacobum venit, hoc fecit, ideoque dies a lege præſcriptos explere non poterat, tum quia non dicunt Jacobus & ſeniores, ut radatis, ſed ut radant. Hæc adnotare non piguit, ut Calvini ſimul temeritatem atque ſupinitatem argueremus, qui ſcribit Paulum capillos totondiſſe, & quidem ſemel, atque ad breve tempus, ut Judæis ſe tantiſper accommodaret; Papiſtas vero dum Nazaræorum purificationes nullo uſu imitari volunt, non aliud quam alterum Judaiſmum erigere, quum veterem æmulati perperam affectant.

Inſtat Calvinus: Eadem judaica religione decretalis illa epiſtola compoſita eſt, quæ prohibet Clericis, juxta Apoſtolum, ne comam nutriant, ſed inſtar ſpheræ radant, quaſi Apoſtolus docens, quid viris omnibus decorum ſit, de ſpherica Clericorum raſura ſollicitus fuerit.

VIII. Sed Calvinus decretalis illius epiſtolæ verba meditato confundit, ſenſumque pervertit, ut inde calumniandi materiem arripiat. Quicumque fuerit illius Auctor, quem Pontificale Damaſo perperam adjudicatum, & Gratianus diſt., 23. cap. 21. S. Anicetum Papam certo conſtituunt, nihil habet, quod Calvini criminationi merito patere poſſit. En Decretalis verba: *Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed caput deſuper in modum ſpheræ radant.* Vetantur his verbis Clerici nutrire comam, hujuſque interdicti Auctor Apoſtolus dicitur; jubentur inſuper ſuperiorem capitis partem in modum ſpheræ tondere, quid porro in his abſonum, quid abſurdum, quid redolens Judaiſmum? Annon rectiſſime creditur vanus comæ ornatus ab Apoſtolo Clericis interdictus? Qui enim viris quibuslibet indecorum illum eſſe pronuntiavit 1. ad Cor. XII. ſcribens, *ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi*, nonne multo potiori titulo cenſendus eſt illum Clericis interdixiſſe? Laici de alenda coma ſolliciti in Apoſtolum peccare priſcis Patribus videbantur: putas perſuaſum eis fuiſſe, Clericis ex Apoſtolo id licere? Unum audiamus Hieronymum in Epiſtola ad Euſtochium Monachos, & Clericos ſtudioſos comæ cultores graviter arguentem: *Viros quoque fuge, quos videas catenatos, quibus fæminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, pallium nigrum, & nudi in patientia frigoris pedes* &c. *Sunt alii, de mei ordinis hominibus loquor, qui ideo Sacerdotium, & Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant. Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant, ſi pes laxa pelle non folleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur* &c. Nonne ergo Romanus Pontifex, quiſquis demum ille fuerit, decreti ſui de non fovenda cæſarie Apoſtolum veriſſime laudavit Auctorem? Quod vero de radendo in coronæ modum Clericorum capite addidit, non Pauli præcepto aliquo, ſed ſua auctoritate conſtituit; quare ineptivit Calvinus, qui ut Decretalis Auctorem maledico dente poſſet arrodere, præpoſtere commentus eſt, a Romano illo Pontifice utramque decreti ſui partem ad Paulum Auctorem referri.

Inſurgit ferociter Calvinus adverſus ſecundam decreti hujus partem: Radunt Clericos ſuos in vertice, ut corona regale decus ſignificet, quia reges debent eſſe Clerici, ut ſe & alios regant; at ſacrilegium fuit, quod univerſæ Eccleſiæ tribuitur, ſolis ſibi arrogare: Petrus totam Eccleſiam alloquitur, dum ait, *vos eſtis genus electum* &c. iſti ad pauculos raſos detorquent. Aſſignant deinde & alias rationes; ajunt enim, Clericos detonſis capillis ſignificare, temporalium bonorum abundantiam ſe abjeciſſe, gloriam Dei contemplari, aurium oculorumque concupiſcentiam mortificaſſe; quouſque nos talibus fucis & præſtigiis ludent, quum nihil eorum reipſa præſtent? Nullum enim eſt hominum genus rapacius, ſtupidius, libidinoſius.

IX. Quum Calvinus e via ſtudioſe ad diverticula deflectat, ut poſſit Catholicis oblatrare, miſſaque vera atque prima, quæ litteralis dici poſſet, inſtituendæ Clericalis tonſionis ac coronæ ratione, quam ex graviſſimis ſexti, ſeptimi, octavi, & noni ſæculorum Auctoribus jam laudavimus, totus ſit in exagitandis myſticis quibuſdam, ac moralibus ſenſibus, quos ritui huic apoſtolicam originem referenti poſteriores Scriptores aliqui ſubjecerunt, ſibilo dignor eſt quam reſponſo, quippe qui deſerto ſcienter corpore umbram inſane perſequitur. Cæterum ne ſinamus, tropologicas rationes illas, quæ jamdudum in plurium juris Pontificii Interpretum, atque Scholaſticorum mentibus penitus inſident, a Calvino impune haberi ludibrio, decreti verba integre, ac fideliter exſcribenda ſunt, in quæ Calvinus tam impotenter invehitur, a Gratiano relata diſt. 12. quæſt. 1.

capi-

capite *Duo ſunt genera Clericorum* &c. *Genus quod mancipatur divino officio, & deditum eſt contemplationi, & orationi, ab omni ſtudio temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici, ideſt ſorte electi (Cleros enim græce, latine ſors) omnes enim Deus in ſuos elegit; hi namque ſunt Reges, ideſt ſe, & alios in virtutibus regentes, & ita regnum in Deo habent, & hoc deſignat corona in capite. Hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur, raſio vero capitis eſt temporalium depoſitio.* Hæc ibi: Quidnam autem in his non ſolidum quid non ſanctum, quid non divino eloquio plane conforme? Etſi Cleri nomen univerſo Chriſtiano populo, quem ſibi Dominus peculiariter in portionem atque peculium elegit, aptari poſſe non abnuam, deque univerſo Dominico grege optime exponi, quod Petrus epiſt. 1. cap. 5, ait *Neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo*; repugnare tamen Calvinus nequit, idem hoc nomen ab ipſis ferme Eccleſiæ primordiis ſingulari titulo iis omnibus accommodatum eſſe, qui, ut ait Iſidorus, in Eccleſiaſtici miniſterii gradibus ordinati ſunt. Unum ſatis eſt audire Hieronymum ad Nepotianum hæc ſcribentem: *Igitur Clericus, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis deffinitione prolata, nitatur eſſe, quod dicitur; Si enim Cleros græce, latine ſors dicitur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, ideſt pars Clericorum eſt.*

X. Quorſum ergo patragædiat Calvinus, bacchantis inſtar clamitans, titulo nos ſuperbe gloriari, quem fidelibus præripuimus, nobiſque ſolis arogare, quod univerſæ Eccleſiæ tributum eſt? Fatemur, Petrum univerſos allocutum eſſe fideles, dum ait: *Vos eſtis genus electum, gens ſancta, regale Sacerdotium, populus acquiſitionis*, ac libentiſſime damus, regeneratos omnes Chriſti ſortem eſſe, quam ipſe ſibi ſuo ſanguine acquiſivit, regeſque factos a Chriſto & Sacerdotes Deo, qui nimirum ſe ipſos ſpiritualiter regant, & myſticas Deo victimas offerant, ſanctos denique eſſe, ideſt ſanctitati colendæ Chriſtiana profeſſione devinctos. Quid porro? Ex hoc fidelium cætu, ex hoc electo genere, ſancta gente, populo acquiſitionis ſecreviſſe ſibi peculiariter quoſdam Deum in ſortem, qui non ſpirituali ſolum & myſtico, ſed externo etiam, & proprio Sacerdotio fungerentur, qui ſpeciali titulo Reges eſſent, quippe qui non ſe ipſos ſolum, ſed & alios ſpiritualiter regerent, quique ſancti præ aliis eſſent, ideſt & Deo ritu præcipuo conſecrati, & ſanctitati eximiæ titulo ſuæ initiationis addicti, res eſt in ſacris novi fœderis paginis teſtatiſſima: Non ſuperbe ergo, aut inique Clericorum nomine homines in Dei ſortem ſpeciatim electi gloriantur, neque a ratione alienum eſt, ut peculiaris hujus electionis ac dignitatis decus ipſa capitis in coronæ modum attonſione præferant, qua a reliquis fidelibus, quibus ſpiritualiter regendis præfecti ſunt, diſtinguantur. Sane ut rem argumento e veteri Teſtamento petito decretorie conficiamus, nonne Deus Exodi 19. univerſam Iſraeliticam gentem per Moſen allocutus eſt ajens, *eritis mihi in peculium de cunctis populis.... eritis mihi in regnum Sacerdotale, gens ſancta* &c.? Nonne idem de Hebræis omnibus pronuntiavit Moſes in Cantico; *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus?* Quoties Dominus ad univerſum cætum filiorum Iſrael ait, *ſancti eſtote, quia Ego ſanctus ſum: ſanctificamini, & eſtote ſancti, quia ego Dominus Deus veſter, & ſeparavi vos a cunctis populis, ut eſſetis mei?* Num vero negare Calvinus audebit, in illo ipſo Iſraelitico genere, quod totum Domini peculium, & hæreditas erat; quod totum ſibi in partem, in gentem ſanctam, in regale ſacerdotium Deus e cunctis nationibus ſegregaverat, Leviticam tribum præ aliis undecim in ſortem Domini fuiſſe ſecretam, ad ſacerdotale decus, & tabernaculi miniſterium aſſumptam, ſanctificatam Domino peculiari conſecratione, utque dignitate, poteſtate, & officio, ita ornamentis, veſtibus, aliiſque externis ritibus a reliquo populo fuiſſe diſtinctam?

XI. Quid etiam vitii ſubeſt tropologicis iis ſenſibus, quos ex Clericalis tonſuræ ritu plerique Auctores exculpunt? Si enim Clerici peculiariter in ſortem Domini allecti ſunt, vel, ut ait Hieronymus, ipſe Dominus Clericorum pars ſeu hæreditas eſt, ſi ſunt ii divino cultui potiſſimum mancipati, aliiſque regendis præpoſiti, nonne æquum quam maxime eſt, non ſervire illos pravis cupiditatibus, atque vitiis, nimiam temporalium curam abiicere, divinorum contemplationi præſertim intendere, eximiam denique ſanctitatem affectari,

ctari, ut ejus ſe dignos miniſtros exhibeant, qui illos ſibi præ aliis in portionem elegit? Quum & Apoſtolorum Principes ſuis in epiſtolis, & veteres Patres doceant, hæc Clericis agenda incumbere, abſurdum ne eſt, graviſſimas has Clericorum obligationes externo illo tonſionis crinium ritu tropologice ſignificari, ut Clerici viſibili ſignò illo ſui admoneantur officii? Abſurdum plane regerit Calvinus: omnia in figuris, quia velum templi ſcilicet nondum ſciſſum eſt. O ſtolidiſſimum hominem, qui numquam non ſibi videtur Judaiſmum in Romana Eccleſia deprehendere? Cur non idem Judaiſmi crimen tot iis parabolis infert, quibus Chriſtus in Evangelio nos docuit, quæ poſt ſciſſum templi velum, ideſt poſt revelatam Evangelii veritatem a nobis agenda ſunt, allegoriis illis, quibus in eundem finem ſæpe uſus eſt Paulus, quin & Sacramentis ipſis, quæ materialia, & viſibilia quum ſint, ad inviſibilia, atque ſpiritualia ſignificanda, & efficienda inſtituta divinitus ſunt? Sed non eſt loci hujus fuſius hæc perſequi. Quod vero addit, ludere nos præſtigiis & fucis, qui nihil reipſa præſtamus eorum, quæ dicimus, corona noſtra adumbrari, calumnia eſt Sicophantæ in Romanam Eccleſiam diabolico ſpiritu acti. Tonſuratorum nonnullos rapaces eſſe, ſtupidos, libidinoſos, utinam negare tam recte poſſemus, ſicut confiteri cogimur vel inviti! Nihil vero Clericis generatim eſſe rapacius, ſtupidius, libidinoſius, falſum tam aperte eſt, ut tempore abuteretur, qui illud ſerio revinceret. Satius eſſe, ſanctitatem vere exhibere, quam exterius ſignis ipſius ſpeciem ſimulare, perlibenter Calvino damus: at ſi qui ſunt, qui ſecus agant, id non ſignis tribuendum eſt, quaſi vero illa falſa ſint, & mendacia, & corruptiore ſæculo, ut Calvinus blaterat, Romana ſuperſtitione inducta, ſed hominum vitio deputandum, qui nominis, & profeſſionis ſuæ immemores non utuntur eſſe, juxta Hieronymi phraſim, quod dicuntur, quodque ſe vere eſſe ipſa comæ depoſitione monentur.

XII. Adverſus denique Apoſtolicam ritus hujus originem & ſanctitatem nonnulla adhuc pro Calvino opponi poſſunt. Primo Hegeſippus Apoſtolicæ ætatis ſcriptor S. Jacobo Minori inter alia plura hæc quoque in laude ponit, quod *numquam comam totonderit*, ut legere eſt apud Euſebium l. 2. hiſt. Eccleſ. c. 23. Secundo: Optatus Milevitanus quarti ſæculi ſcriptor Donatiſtas graviter increpans, quod Sacerdotum capita raderent, eos ita perſtringit: *Docete, ubi vobis mandatum eſt, capita radere Sacerdotum*. Tertio Hieronymus in 44. Ezechielis caput hæc habet: *Perſpicue demonſtratur, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes, Cultoreſque Iſidis atque Serapis, nos eſſe debere, nec rurſus comam demittere, quod proprie luxurioſorum eſt, barbarorumque & militantium, ſed ut honeſtus habitus Sacerdotum facie demonſtretur. Diſcimus nec calvitium novacula eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorum ſimiles eſſe videamur, ſed in tantum capillos eſſe demittendos, ut opertum ſit caput*.

XIII. Quum momentis his non Hæretici ſolum ceremoniæ hujus vetuſtatem & ſanctitatem oppugnent, ſed & recentiores quidam Catholici, Petrus nimirum Hallerius, Ludovicus Thomaſſinus, Gaſpar Juvenin, aliique adducantur, ut credant, nonniſi ineunte ſexto, aut exeunte ad ſummum quinto ſæculo figendum eſſe tonſuræ & coronæ Clericalis initium, oſtendendum eſt, nihil ex iis extundi poſſe, quo hæc, quam tuemur, veritas labefactetur. Hallucinari ſane recentiores hos cæteroqui doctiſſimos, & ab ipſa Apoſtolorum ætate ducendam eſſe ritus hujus inſtitutionem, plane demonſtrat petita ex ſecundo, tertio & quarto ſæculo exempla, & Carthaginenſis, atque Toletani Conciliorum canones, necnon Gregorii Turonenſis, Ceolfridi Abbatis, & Ven. Bedæ luculentiſſima teſtimonia; Si enim Clericalis coronæ origo nonniſi labente quinto, aut ſexto incipiente ſæculo figenda eſt, qui id ignorare potuiſſet Gregorius Turonenſis, qui non doctrina minus, quam vitæ ſanctimonia ea ætate florebat, immo quei potuiſſet ſphericæ tonſuræ originem ad Apoſtolorum Principem referre? Neque ſcite quis dixerit, unum id Gregorium voluiſſe, inſtitutum nimirum a Petro, ut fideles ac Clerici, modeſtam, brevemque comam geſtarent, qualem & inter Paganos gerebant ii, qui ſtudebant videri cæteris religioſiores; hanc enim interpretationem Gregorii verba non ferunt, ait perdocte Martenius; „ Gregorius ſiquidem non ſimpliciter ſcribit, inſtituiſſe Petrum, ut promiſſa cæſaries præſcinderetur, aut omni ex parte caput „ tali-

relicta brevi coma æqualiter tondete-„ tur, ſed ait, *caput deſuper tonderi in-„ ſtituit*, nec τò *deſuper* addidiſſet, niſi „ ſphæricam tonſuram deſignaſſet, quæ „ ſummo capitis vertice nudato, capillo-„ rum circulum infra relinquit. „ Quam porro caduco fundamento ſuam hanc opinionem ſuperſtruxerint recentiores ii mox recitati, abhorrere nimirum a fide cenſentes, frementibus tunc perſecutionum procellis detonſo prorſus capite Clericos inceſſiſſe, quoniam patenti illo omnibus ſigno manifeſtum Chriſtianæ profeſſionis indicium prætuliſſent, multis demonſtrari poſſet evidentiſſime; ſed brevitatis ſtudio ſat fuerit exempla recolere S. Benigni Divionenſis Epiſcopi coronæ indicio deprehenſi, S. Cypriani Prudentio teſte detonſi, Clerici Chriſtiani, quem a detonſa coma Lucianus Philoſophus indicat, & Theodori a Juliano Apoſtata morte damnati, quod cirros puerorum licentius detonderet, quemadmodum ſcribit Ammianus Marcellinus.

XIV. Quid porro ſi Hegeſippo teſte Jacobus Apoſtolus comam nunquam totondit? Reſponderi primo poteſt, græcis Euſebii verbis, quemadmodum Eruditi quidam animadvertunt, id unum exprimi, Jacobi caput nunquam fuiſſe novacula abraſum, Græcumque textum ita latine reddendum eſſe: *novacula ſuper caput ejus non adſcendit*; quare id unum inde fiueret, Jacobum Occidentalium more non fuiſſe raſum, nec tamen inferri poſſet, illum Orientalium ritu non fuiſſe attonſum: At neque raſus ille unquam fuerit, neque tonſus, quid inde? Quæ de Jacobo ibidem Hegeſippus habet, haud obſcure ſignificant, ſanctiori Nazaræorum religione Jacobum ad mortem uſque vixiſſe obſtrictum, ait enim: *Sed hic ab ipſo matris utero ſanctus fuit, nec vinum unquam bibit, nec ſiceram, ab animantium carnibus penitus abſtinuit: comam nunquam totondit, neque ungi, neque lavare balneo corpus unquam ſolitus*. Qui ergo omnia, quæ Nazaræatus etant, ad obitum uſque ſanctiſſime implevit, quid mirum, ſi & hoc de non attondenda cæſarie religionis caput inviolate ſervavit? Hæc tamen dicta ſint obiter; omnium enim optimum reſponſum eſt, quum Clericalis tonſuræ ritus non ſit fidei morumque caput, ſed diſciplinæ, perpetam ei Apoſtolicam originem denegati, quod non omnes illum uſurpaſſe legantur Apoſtoli; alioqui neque mos Chriſtianum Paſcha die Dominico, qui plenilunium Menſis Niſan proxime ſequitur, celebrandi, Apoſtolicæ inſtitutionis dicendus eſſet, quum Polycarpus, Policrates, aliique Orientales Epiſcopi morem celebrandi Paſchatis quartadecima ipſa luna exeunte, in quamcunique demum illa hebdomadis diem incideret, a Joanne Apoſtolo & Evangeliſta gloriarentur ſe accepiſſe, ejuſque exemplo praxim ſuam conſtantiſſime tuerentur. Nunquam ergo attonſus eſt Jacobus: eſto: at Petrus attonſus fertur, & in coronæ modum raſus, quod ſatis eſt, conſtabiliendæ Apoſtolicæ Clericalis tonſuræ origini, hujuſque ritus ſanctitati adverſus Hæreticos vindicandæ.

XV. Si vacaret integrum illud Optati caput adferre, in quo ſacrilegum Donatiſtarum, qui Sacerdotum a Catholicis ordinatorum, & ad Donati caſtra migrantium capita radebant, facinus exagitat, exploratiſſimum cuique fieret, & minus ſcire uti illo adverſarios, & in ejus interpretatione P. Bertium hallucinari, qui arbitrariam quamdam, & ab Optati mente prorſus alienam illi gloſſam adjecit. Quoniam vero prolixum eſt caput illud, perbrevem do, ſed veriſſimam D. DuPin annotationem, qui in ea Optati verba, *docete, ubi vobis mandatum eſt, radere capita Sacerdotum, quum e contrario ſint tot exempla propoſita, fieri id non debere*, animadvertit, & quidem ad Optati mentem in cujuſque oculos inſilientem, raſiſſe Donatiſtas capita Sacerdotum, quaſi ad auferendam unctionem Sacerdotalem, quam Scripturæ teſtimoniis probat Optatus, auferri non poſſe. Quid autem ſacrilego illi auſui, quo in perverſum adeo finem Sacerdotum capita Donatiſtæ radebant, cum Clericali tonſura, cujus vindicias adornamus? Imperite quoque adverſus Clericalem tonſuram Hieronymi verba torquentur; eo enim loci Hieronymus, qui magnam ætatis ſuæ partem in Oriente tranſegerat, ibique temporalem cum æterna cæleſtique vita commutavit, digitum ad Orientalium tonſuram, quæ S. Pauli dicebatur, intendens, docet, juxta vigentem in Oriente morem neque novacula radendos Clericos, neque ita ad preſſum tondendos, ut calvis, raſiſque ſimiles videantur, ſed capillorum ſatis relinqui, ne capitis cutis appareat, quo plane

ne modo, Fratres, quos Laicos dicimus, in monaſteriis tonderi, jam adnotavimus.

XVI. Quoniam vero Calvinus acerbiſſima in ritum hunc maledicta velut in epitomen redigens concludit, corruptiore ſæculo, quum priſca omnia inſtituta vel inverſa forent, vel in ſuperſtitionem degeneraſſent, quia nihil in raſura Clericali cernebamus cauſæ, nos ad myſterium confugiſſe, quod nunc ſuperſtitiose obtrudimus pro Sacramenti noſtri approbatione, oſtendendum poſtremo eſt, ritum hunc non ex ſtulta, ſed ex religioſiſſima eaque vetuſtiſſima imitatione ſuſceptum ita nobis venerabilem, & ſanctum eſſe, ut tamen etſi myſterio non careat, a nobis nec Sacramenti, nec Ordinis loco habeatur. Anſam certe hæc in nos intorquendi Calvinus arripuit ex nonnullis e noſtris, qui primam tonſuram inter Ordines, ac Sacramenta recenſent, ſuntque inter Canonici juris Interpretes Innocentius III., Abbas Panormitanus, Angelus de Clavaſio, Echius, & Proſper Fagnanus, inter Scholaſticos vero Joannes Major, & Leonardus Vanroy. Cæterum quum oppoſita ſententia Divo Thomæ & Theologis ferme omnibus, & præclaris aliquot Pontificii juris Magiſtris arrideat, eam idcirco ut vero propiorem amplectimur, nitemurque illam momentis graviſſimis conſtabilire. Ac primo quidem, quis prudenter poſſit primam tonſuram veris Ordinibus adnumerare, quam Tridentina Synodus haud obſcure ab iis diſgregat, & ſecernit, ejuſdemque Concilii Catechiſmus nonniſi ad ſuſcipiendos Ordines præparationem eſſe declarat? Perſpicua ſunt Tridentini verba ſeſ. 23. c. 2., cui titulus de ſeptem Ordinibus, *conſentaneum videlicet fuiſſe, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, ita diſpoſiti, ut qui jam Clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores Ordines aſcenderent*; moxque appellatis ex nomine ſingulis tum majoribus, tum minoribus Ordinibus, quorum vel in divino eloquio, vel in priſcis Eccleſiæ monumentis expreſſa fuit mentio, tonſuram ſemper tum ibi, tum infra ab iiſdem Concilium aperte diſtinguit, nec unquam vel leviſſime innuit Ordinis loco, & gradu illam habendam eſſe. Quid etiam iis diſertius, quæ Romanus Catechiſmus habet par. 2. c. 7. n. 13., tonſuram nimirum quamdam præparationem eſſe ad Ordines ſuſcipiendos? Præparatio porro ad quidpiam, ſcite ne dici poreſt illud eſſe, ad quod præparat? Pergit Catechiſmus, „ ut „ enim homines ab Baptiſmum Catechiſ„ mo, ad Matrimonium ſponſalibus præ„ parari ſolent; ita quum tonſo capillo „ Deo dicantur, tamquam aditus ad Or„ dinis Sacramentum illis aperitur. “ Non equidem video, qua demum ratione quiſquam velit, tonſuram veri nominis Ordinem & Sacramentum eſſe, quam Romanus Catechiſmus diſpoſitionibus Baptiſmati præmittendis, & ſponſalibus Matrimonio præeuntibus comparat; ut enim hæc nihil commune habent cum Sacramentis iis, ad quæ præparant & diſponunt, ita nec Clericalis tonſio cum Ordinibus, ad quos aditum tantum dicitur aperire, viamque veluti complanare.

Mitto vetuſtiſſimos quoſque Rituales ſive Orientalis ſive Occidentalis Eccleſiæ libros, in quibus ſacrarum Ordinationum ritus vel ab Oſtiariatu apud Latinos, vel a Lectoratu apud Græcos incipiunt, tondendorum autem Clericorum, ut & pœnitentium ceremonia ſejunctim ceu quidpiam ad Sacramentum non pertinens, exhibetur; illud etiam mitto, quod Cl. Morino animadverſum eſt, antiquitus tonſuram a minorum Ordinum primo non conſueviſſe ſejungi, ſed puram fuiſſe ceremoniam ejus collationi connexam, qui mos apud Græcos noſtra etiam ætate perdurat, quum vero ab minorum Ordinum primo disjungi cœpit, & in puerorum gratiam, qui non erant actuum minorum Ordinum capaces, id factum eſſe, moremque ſubinde invaluiſſe, ut omnibus ſacrorum Ordinum candidatis ſeparatim & ante quemvis Ordinem conferatur; plura denique mitto, quæ adverſus Canoniſtas adferre ſolent Scholaſtici; ulterius enim in hac materia progredi, ait præclare Morinus, eſſet ſermentem in aquam jacere. Illud tantum urgeo, quod mihi plane videtur invictum, antiqua ſcilicet Eccleſiæ monumenta, quæ jam laudavimus, aperte teſtari, primo inventam inſtitutamque tonſuram ob rationes, quæ nihil cum Sacramenti natura atque inſtitutione poſſunt geminum habere ac commune. Sane ſi varias illas ſive litterales, ſive tropologicas, quas ex Eccleſiaſticis tractatoribus hactenus recitavimus, inſtituendæ ab Apoſtolo

ſtolo Petro, vel ab alio quopiam Clericalis tonſuræ rationes cum germana Sacramenti notione, auctore, fine, & effectibus contuleritis, nullo negotio deprehendetis, diſtare illam longiſſime a Sacramenti natura. Quid vero ſi peculiarem Sacramenti Ordinis naturam ſcrutemur, momentumque urgeamus, quod inde ab Angelico ductum rem conficit decretorie? Quum enim hæc ſit receptiſſima ejus finitio, Ordo *Sacramentum Eccleſiæ eſt*, *quo ſpiritualis poteſtas ordinato tribuitur*, in ſingulorum Ordinum collatione verbis formæ peculiaris quædam poteſtas exprimitur, quæ initiato confertur; in Clericorum autem tonſione nulla ſpiritualis cujuſpiam poteſtatis ſit mentio, quod argumento eſt, nulla tonſuratos ſpirituali poteſtate donari, Clericalem idcirco tonſionem nec Ordinem eſſe, nec Sacramentum. Hinc etſi Clericali tonſura quiſpiam collocetur in altiori gradu præ Laicis, ſpecialiter divino cultui mancipetur, ei que demandetur miniſterium pſallendi tempore Liturgiæ, tonſuſque ab Epiſcopo, qui Sacramenti Ordinis miniſter eſt, inter Clericos cooptetur, efficere tamen hæc nequeunt, ut tonſura Ordinis dignitatem obtineat; ut enim ait egregie D. Thomas, etſi Clericus ſit in altiori ſtatu, quam Laicus, ampliori tamen poteſtatis gradu, qui ad Ordinem requiritur, donatus non eſt, neque miniſterium illi delatum vacandi divino cultui, pſallendique in Eccleſia peculiari titulo ad Euchariſtiam pertinet, ad quam Sacramentum hoc ordinatur, unde etiam, ex varia ſcilicet ad eam relatione, Ordinum diſtinctio petitur, ſuntque alii Ordines aliis eo excellentiores, quo ad Euchariſtiam propius ordinantur. Ideo autem ſolus Epiſcopus ordinarius tonſuræ miniſter eſt, quia Clericali tonſione homo divino cultui ſpeciatim addicitur; deputatio autem hujuſmodi fieri ordinario jure ab alio nequit, quam ab eo, qui ſummus miniſter eſt, & ſacrorum Antiſtes, cujus etiam eſt, veſtes, vaſa, aliaque omnia benedicere, quæ divino cultui applicantur.

XVII. Plura congerunt Canoniſtæ, quibus ſibi videntur evincere, primam tonſuram veri nominis Sacramentum eſſe, & characterem imprimere: Primo enim Innocentius III. Archiepiſcopo Rothomagenſi reſcribens diſerte ait, per primam tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam Clericalem Ordinem conferri, quemadmodum legere eſt cap. *Quum contingat*? ſecundo: ſua eſt huic quoque ceremoniæ materies & forma, ut & aliis Ordinibus; quidni ergo & ipſa ordo ſit? Tertio: ſpiritualem poteſtatem Clerico ea conferri, quis poſſit in dubium revocare? Tonſuratus enim Eccleſiaſtici cujuſque beneficii ſit capax, ſoliuſque tonſuræ beneficio Abbas eſſe poteſt, ut vocant, Commendatarius, eoque jure Monaſteriorum Præfectos eligere, ad Sacerdotia, quibus ſæpe animarum cura adnexa eſt, deſtinare, omni ferme Epiſcopali auctoritate uti, Presbyteris imperare, juriſdictionem in utroque foro conferre, officio abutentes plectere, ſuſpendere, vel amovere, & majori etiam excommunicatione mulctare. Quid porro hac ſpirituali poteſtate ſplendidius? Sane ſi quis eam, quæ ſingulis minoribus Ordinibus conferri dicitur, poteſtatem cum iſta comparet, hanc intelliget multo præſtantiorem eſſe & ampliorem. Quarto: characterem tonſura imprimi, extra litem videtur eſſe, quum tonſura ſemel ſuſcepta iterari non poſſit, etſi contingat, Clericum ob perpetrata crimina gradu dejici, ſeu, ut vulgo dicitur, degradari. Poſtremo quid cauſæ eſt, cur Clericus etſi ſola tonſura initiatus, ſi gravioris ſceleris reus fuerit, quod morte ſecundum jura plectendum ſit, degradari jubetur, quemadmodum conſtat ex Sixti V. Conſtitutione, quæ incipit *Sanctum & ſalutare*? Quid ſibi ea volunt, quæ in vetuſtiſſimis Eccleſiarum Rotomagenſis, & Moguntinæ Pontificalibus libris, quos edidit Cl. Martene, leguntur ab Archiepiſcopo præſtanda in degradatione Presbyteri ſeu alterius Clerici? Poſt ablata reo ſingulorum Ordinum inſignia & ornamenta, *ultimo quum deventur ad Clericatum, radetur corona, & dicet Epiſcopus: Auctoritate Dei omnipotentis, & noſtra auferimus tibi habitum Clericalem, & deponimus, & degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & privilegio Clericali*; quod ſane argumento eſt, tonſuram ceteris Ordinibus æquiparari, atque ab Eccleſia Ordinis loco haberi.

Non ſunt tamen hæc tanti ponderis, ut nos poſſint a communi ſententia dimovere: Primum ab Innocentii III. auctoritate petitum haud ſatis eſt firmum; Etſi enim ille non dignitate ſolum, ſed &

doctrina ſummo loco fuerit in Eccleſia, a privata hac tamen ejus opinione recedere innoxie poſſumus, quod eam ſibi inſitam vetuſtamque ſolemni judicio non finiverit, neque omnibus credendam edixerit; quare libere de eo pronuntiare poſſumus, quod de ſingulis Eccleſiæ Patribus Auguſtinus a D. Thoma laudatus: *alios ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia illi ita ſenſerunt, vel ſcripſerunt, ſed quia probabili ratione, quod id verum ſit, mihi perſuadere potuerunt*. Quamquam ſi quæ de varia Ordinis acceptione art. 1. præmiſimus, revocemus in mentem, Innocentii dictum percommode exponi poteſt non de peculiari illa atque propria, quam apud Chriſtianos Ordo habet, ſignificatione, videlicet de ſpeciali conſecratione, qua quis offerendo altaris ſacrificio, vel alicui in Sacerdotii functionibus obeundo miniſterio deſtinatur, ſed de latiori illa, quam apud Latinos quoslibet obtinet, notione, de hominum ſcilicet ejuſdem gradus, dignitatis, ac officii cætu, ut ſenſus ſit, tonſura rite collata Clericalem Ordinem conferri, ideſt a Laicorum cætu ſecerni, & in Clericorum ordine, ſive gradu locari. Alterum vero quam eſt elumbe, & ſapientibus hominibus minus dignum! Si enim tonſura Sacramentum atque ordo cenſenda ſit, quod ſuam videatur habere materiem & formam, bone Deus, quam vaſta Sacramentorum ſeges in Eccleſia pullulabit! Erunt enim calicum, templorum, altarium, veſtium, Monachorum, quin & puerorum, fructuum, navium, puteorum, & ſexcentorum id generis benedictiones inter Sacramenta cenſendæ, quum nulla earum abſque externo religioſo ritu precibus & divinæ gratiæ invocatione comitato fieri ſoleat!

Etſi tertium paulo magnificentius exaggeretur, nihilo tamen melioris eſt commatis; Splendida enim poteſtas hæc tota juriſdictionis eſt, non Ordinis, neque Clericali tonſuræ ſuapte natura adjungitur, alioqui tonſuratus quilibet hæc omnia poſſet, ſed ex Papæ delegatione. Rurſus ſi ob ſpiritualis juriſdictionis amplitudinem, qua tonſurati quandoque pollent, Ordinis, & Sacramenti dignitas Clericali tonſuræ deferenda ſit, quidni & Archipresbyteris, & Archidiaconis, & Œconomis, & Defenſoribus potiori titulo deferatur, quorum ex priſcis Eccleſiæ canonibus ampliſſimam colligimus poteſtatem? Quidni & Græcorum Exocatacælis, ſeu primis poſt Patriarcham Eccleſiæ miniſtris, Magno nimirum Œconomo, Magno Sacellario, Magno vaſorum Cuſtodi, Cartophylaci, Præfecto Sacelli, & Primo Defenſori, quorum ſumma eſt in Oriente poſt Patriarcham ſupra Epiſcopos etiam ac Metropolitas auctoritas, unde Morinus prudenter, ſciteque infert, *poteſtatem juriſdictionis apud Græcos [haud ſecus quam apud Latinos, aliquando ab Ordinis poteſtate ſejungi, iiſque delegari, qui poteſtatem Ordinis nullam habent? Quartum vero ineptum eſt, ſatiſque jam dilutum art. 1. quum Forbeſio reſponderemus. Quid enim ſi tonſura ſemel rite collata non iteratur? Tam præpoſtere quis inde conficeret ea imprimi characterem, ac qui idem de vaſis ſacris, templis, altaribus &c. conſecratis aſſereret, quod rerum hujuſmodi conſecratio nequeat iterari. Fatemur equidem, Clericum Eccleſiaſtica hac ceremonia Divino cultui addici, Deoque veluti conſecrari, repeti idcirco ritum hunc non poſſe, quemadmodum nequit, aliarum rerum, quandiu permanent, conſecratio, ſignari tamen charactere aliquo pernegamus, quia nulla ſpeciali poteſtate donatur relate ad Sacramentorum diſpenſationem, in qua characteris hujus notio a D. Thoma, & Theologis omnibus conſtituitur. Poſtremum denique facile ſolvitur; eo enim ritu, quo Clericus etſi ſola tonſura initiatus loco movetur, ſeu degradatur, unum id efficitur, a quo, ne unquam id ſua culpa contingeret, ſummopere illum cavere monuerat Epiſcopus illum tondens graviſſimis iis verbis, quibus ex Romani Pontificalis præſcripto unumquemque recens tonſum alloquitur, *hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & privilegia clericalia ſortiti eſtis: cavete igitur ne propter culpas veſtras illa perdatis*; Clericalibus nimirum privilegiis nudatur, ab Eccleſiæ foro abjicitur, & laicali curiæ traditur debito ſupplicio plectendus; quamquam autem ſpoliari dicatur Clericus omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali, perperam infertur, tonſuram inter veros Ordines ab Eccleſia cenſeri, quum non alium verba hæc ſenſum admittant, quam hunc, *te videlicet e Clericorum Ordine ſive gradu pellimus, & quovis Clericalis ſtatus honore, officio, ac* pri-

privilegio privamus. Gemina his ſunt, quæ Archiepiſcopus addit, ſi Clericus gradu deiiciendus fuerit regularis alicujus inſtituti alumnus: *auferimus tibi habitum ſeu veſtem religionis*, & *te omni honore*, & *privilegio religionis* privamus. Sed de tonſura jam ſatis.

§. II.

De quatuor Minoribus Ordinibus, atque Subdiaconatu.

I. QUum plura de horum Ordinum diſtinctione, ac vetuſtate articulo ſecundo jam dicta ſint, opus non eſt, ut de ſingulorum etymo, notione, atque actu fuſo calamo diſſeramus; Quorſum enim rebus cuique maxime obviis tempus impenderemus, quod in gravioribus; atque difficilioribus ponendum eſt? Catholicæ Eccleſiæ cauſſa, in cujus defenſionem incumbimus, poſtulat, ut & ceremonias, quibus in horumce Ordinum collatione illa utitur, a ſacrilegis Calvini dicteriis vindicemus, ejuſque mentem, quam idem maligne pervertit, in pleno lumine collocemus. Poſtquam Calvinus tot iis, quæ retudimus, maledictis Clericalem tonſuram proſcidit, hæc in quatuor minores Ordines, & Hypodiaconatum impotenter effundit: „ Oſtiarii in conſecratione claves templi „ accipiunt, quo ſibi mandari cuſtodiam „ ejus, intelligant, Lectores ſacra Biblia, „ Exorciſtæ formulas exorciſmorum, qui„ bus ſuper Energumenos, & Catechume„ nos utantur, Acolythi cereos, & urce„ olum. En ceremoniæ, quibus (ſi Deo „ placet) tantum ineſt arcanæ virtutis, „ ut eſſe poſſint gratiæ inviſibilis non mo„ do ſigna, ac teſſeræ, ſed etiam cauſſæ; „ hoc enim ſecundum ſuam definitionem „ poſtulant, quum inter Sacramenta ha„ beri volunt . . . . De Hypodiaconis „ quid dicere attinet? nam quum revera „ curæ pauperum olim præfuerint, nuga„ toriam neſcio quam functionem illis at„ tribuunt, ut calicem ac patenam, urce„ olum cum aqua, mantile ad Altare de„ ferant, aquam fundant ad manus lavan„ das &c. Jam vero quod de oblationi„ bus recipiendis, & inferendis dicunt, „ eas intelligunt, quas veluti anathemati „ deſtinatas ingurgitant. Huic muneri o„ ptime reſpondet initiandi ritus, ut ab „ Epiſcopo patenam & calicem, ab Ar„ chidiacono urceolum cum aqua, manna„ le, & hujuſmodi ſcruta recipiat. His „ ineptiis, ut incluſum Spiritum Sanctum „ fateamur, poſtulant " &ccc. Ineptæ itaque ac nugatoriæ, Calvino judice, ſunt cermoniæ, quas Romana Eccleſia adhibet ad hos Ordines conferendos, quos ille exploratæ rei loco ponit, in Sacramentorum cenſum ab univerſa Romanenſium Eccleſia referri; at primum ab eo per ſummam impietatem, alterum vero per extremam impudentiam efferri, nullo negorio demonſtramus.

II. Ad primum vero quod attinet, quum in proverbio ſit, mendacem memorem eſſe oportere, meminerit mendaciſſimus homo ejus, quod non uno ſuorum operum loco de illibata totis ferme quinque prioribus ſæculis Eccleſiæ fide, atque incorrupta diſciplina tam magnifice ſcripſit, hæcque, quæ in ſacrarum ordinationum ritus in Romana Eccleſia receptos licentiſſime effutit, difficilius a ſacrilegio purgarit, quam dealbarit Ethiopem; Nonne etenim ritus hi iidem omnino cum iis ſunt, quos exhibet venerandum Carthaginenſe quartum Concilium ad quarti ſæculi finem habitum, ad cujus formam poſteriores quoſque rituales libros tam ſancte effictos eſſe, ut ab ejus canonibus ne latum unguem diſcedant, jam adnotavimus cum Morino? Non pigeat Concilii verba proferre, ut Calvini procacitas magis perſpecta fiat: „ Subdiaconus quum ordinatur, quia ma„ nus impoſitionem non accipit, patenam „ de Epiſcopi manu accipiat vacuam, & „ calicem vacuum, de manu vero Archi„ diaconi urceolum cum aqua, & manti„ le & manutergium: Acolythus quum „ ordinatur, ab Epiſcopo doceatur, qua„ liter in officio ſuo agere debeat, ſed ab „ Archidiacono accipiat ceroferarium cum „ cereo, & ſciat ſe ad accendenda Eccle„ ſiæ luminaria mancipari, accipiat & ur„ ceolum vacuum ad ſuggerendum vinum „ in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti: Exor„ ciſta quum ordinatur accipiat de manu „ Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt „ exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, accipe, „ & commenda memoriæ, & habeto po„ teſtatem &c. Lector quum ordinatur, „ faciat de illo verbum Epiſcopus ad ple„ bem indicans ejus vitam, fidem ac in„ genium. Poſthæc ſpectante plebe tradat „ ei codicem de quo lecturus eſt, dicens „ ad eum: accipe, & eſto Lector verbi

„ Dei

Digitized by Google

„ Dei &c. Oſtiarius quum ordinatur, „ poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi „ tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ dicens: ſic age &c. “ Quas itaque in ſacris ordinationibus Romana Eccleſia retinet, ceremoniæ a quarti ſæculi Eccleſia fluxerunt; quare ſi nugatoriæ hæ ſunt, & ineptiis ſcatent, erit crimen hoc purioris ævi Eccleſiæ tribuendum, e qua ad noſtram ætatem uſque continenti ſucceſſione manarunt.

III. Quo vero magis Calvini petulantia comprimatur, aliud venerandæ antiquitatis monumentum adſerimus, quo ad vindicandam harumce ceremoniarum ſanctitatem nihil eſt idoneum magis, efficacius nihil. Petitur illud ex vetuſtiſſimis quibuſque Græcorum aliorumque Orientalium Euchologiis, quæ eoſdem ferme exhibent præſcribuntque ritus in horum Ordinum, uno dempto Exorciſtatu, quem apud Orientales non eſſe, jam adnotavimus, collatione uſurpandos. Quum nonnulla jam ex iis deprompta ſint, ac ſuperius recitata, dum Oſtiariatum, atque Acolythatum una cum Hipodiaconatu in Oriente conferri, demonſtraremus, quædam dumtaxat adiiciemus ex Simeonis Theſſalonicenſis libro ſeu dialogo de Sacramento Ordinis, in quo ſacrarum Ordinationum ritus a Majoribus acceptos, & apud Orientales uſitatos deſcribens de Lectoris, ac Subdiaconi ordinatione hæc habet: “ Adductus ad Epiſcopum, jamque per tonſuram conſecratus, „ & phenolio ſeu camiſio, quod eſt ſacrorum indumentorum primum, benedicto „ per collum induitur; deinde ſigno crucis „ ter obſignatur ſuper ſigillum tonſura impreſſum . . . . Et Epiſcopus ponens manum ſuper illud ſigillum Deum precatur, ut conſecrandum ſibi electum ſanctificet, & cum omni ſapientia divinorum oraculorum lectionem, & meditationem exerceat: oratione completa . . „ . . . . dicere eum jubet, qui in Lectorem ordinatus eſt, lectionem ex Apoſtolo &c. Sic igitur, qui Lector conſtitutus eſt, legit ab eo tempore Scripturas „ propter populum poſitas, ſacra ſcilicet „ Prophetarum, & Apoſtolorum oracula „ &c. Poſt Lectores ſequitur Subdiaconorum ordo . . . . Pontifice ſtante ante „ portas regias adducitur, qui manus impoſitionem Subdiaconi accepturus eſt, „ veſtem nigram indutus & porphireum „ camiſium. Juſſu Pontificis camiſium deponit, & ſticharium album induit Pontifice ipſum benedicente. Eum etiam „ cingunt, ut doceant, eum non poſſe amplius veſtem caſtitatis ſuo arbitrio poſſidere, quum in poſterum uxorem ducere „ non poſſit. Adiens igitur Epiſcopum ab „ eo ſignatur, manus quoque illi imponitur . . . . . & quum Epiſcopus gratias „ egit, eumque ſignavit, mantile ejus humero impoſuit, manibus autem malluvium tradit, ipſe vero manus Epiſcopi „ deoſculatus hæc accipit, ſicque ordinatus benedicitur, & ſalutans Subdiaconos, „ tamquam factus ejuſdem Ordinis ad eos „ abit executurus Subdiaconorum munia, „ cuſtoditque portas ſacras, ne quis prophanorum intra Sanctuarium ingrediatur, tangit quoque vaſa ſacra, & pulcro ordine ea diſponit . . . . fas enim „ non eſt inferioribus, quam Subdiaconi „ ſunt, ea tangere: Catechumenos quoque expellit tempore conſtituto, in litaniis crucem deferens ceteros præcedit, „ Subdiaconi inſuper cereoſtata in divina „ menſa, & tricerium Sanctuarii, & luminaria præparant & adornant: ſic ſe „ habent, quæ ad Subdiaconos pertinent. “ Hæc Simeon, quæ ſicut jam dicta de Oſtiariatu, Acolythatu, atque Hipodiaconatu apud Græcos una initiatione collatis mire confirmant, ita & perſpicue comprobant, eandem eſſe Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ doctrinam de iis in ſacra ordinatione adhibendis ritibus, quibus cujuſque Ordinis notio, poteſtas, & actus aptius exprimantur; quare ſi tanta ſemper fuit, eſtque adhuc omnium Chriſtiani nominis ſocietatum in harum ceremoniarum uſu conſenſio, qua fronte audet eas Calvinus carpere, & habere ludibrio? Totus ne cum Oriente Occidens ineptire, ac nugari, ſolus vero ſapere, & ſobrius eſſe Calvinus dicendus erit? Ceremoniæ hæ a quatuordecim ſæculis ubique terrarum ſacræ ac receptiſſimæ rectene ad *ſcruta*, ſeu ſordida veteramenta reiicientur, ut impuriſſimi ſanioris deliria adoptentur, gemmarumque inſtar conquirantur excipianturque?

IV. Undenam porro Calvinus hauſit, olim Hipodiaconos revera curæ pauperum præfuiſſe, ut ceremoniam, quæ jamdudum in eorumdem ordinatione obtinet, quam ipſe *Nugatoriam neſcio quam functionem* inſolentiſſime appellat, probet ab eorum præ-

præcipuo munere prorſus alludere? Quam falſum eſt, & a probatiſſimorum quorumlibet Eccleſiæ monumentorum fide prorſus abhorrens, præcipuum Hipodiaconorum munus in gerenda pauperum cura fuiſſe poſitum, quum a Patribus & Conciliis id muneris Diaconis attributum fuiſſe legamus, tam impium eſt, ritum, quo ii initiantur, veluti nugatorium, ineptumque traducere, quem labente quarto ſæculo fuiſſe in Eccleſia receptiſſimum, monumenta mox laudata declarant. Quamquam vero inter Hipodiaconi officia cenſeatur, fidelium oblationes accipere & inſerre, ideſt Diacono porrigere ab eodem altari ſuperponendas, annon muneri huic initiandi ritus, quem Calvinus amarulenta ironia ſugillat, optime reſpondet, ut ab Epiſcopo ſcilicet calicem & patenam accipiat? Quum enim antiquitus materies in uſum Sacrificii a fidelibus offerretur, nec vero ad altare conſecranda inſerrentur, niſi ſacris vaſis excepta, annon poteſtas ſacra vaſa attrectandi, diſponendi, & Sacerdoti per Diaconum porrigendi, qua Hipodiaconus ſua ordinatione donatur, perbelle exprimitur eorumdem vaſorum traditione? Quod vero Calvinus addit, oblationes has, quas recipere ac inferre, Subdiaconorum eſt, illas a nobis intelligi, quas *veluti anathemati deſtinatas ingurgitamus*, quis pacate ferat, quis moderate patiatur? Ecquid ſibi vult nequiſſimus homo iſta ſcripturiens? Si de antiquo oblationum more ſit ſermo, conſulat probatiora quæque Eccleſiaſtica monumenta, indeque intelligat, duplicem olim in Miſſa fuiſſe oblationem, aliam quæ a Sacerdote, aliam quæ a circumſtantibus fiebat, hancque iterum bipartitam, in uſum Sacrificii alteram, alteram in ſacrorum Miniſtrorum commodum, quibus, quum priori Eccleſiæ ævo non eſſent fixi proventus, fideles omnia ad victum neceſſaria abunde ſuppeditabant. Etſi utraque hæc oblatio ad altare fieret, prioris tamen, quæ ſolis pane & vino conſtabat, ea tantum quantitas aſſumebatur, quæ Sacrificio peragendo, & fidelium communioni, habita ſolemniorum dierum, majoriſque adſtantium numeri ratione, ſufficeret: altera vero, quæ præter panem & vinum, oleum ad luminaria, & thimyama, ſpicas, & uvas, aliaſque terræ fruges, quin & aliquando pecuniam complectebatur, quæque vel ante Miſſæ initium, vel ante Evangelii lectionem peragi ſolebat, in templi cultum, & Miniſtrorum, atque inopum uſum ſeponebatur. Panis vinique oblationem in Sacrificii uſum & fidelium communionem, quæ nonniſi in Miſſæ parte, quæ *offertorium* vulgo dicitur, peragebatur, quæque ſola a Subdiaconis ſacris vaſis excepta ad altare inferebatur, qui poteſt Calvinus aſſerere, a nobis velut anathemati deſtinatam ad vomitum uſque vorari, niſi & cœnæ, quam ille cum ſuis veri Sacramenti loco habet, eandem calumniam importet? Alteram vero, quæ olim in templorum ornatum, Miniſtrorumque, ac pauperum victum cedebat, quis criminari poteſt, niſi non Eccleſiam ſolum, quæ ab Apoſtolorum ætate ad plura ſæcula id in more habuit, ſed & Paulum ipſum in crimen vocet, qui 1. ad Cor. 9. ductis tum e veteri Teſtamento, tum e naturali ratione argumentis probat, æquum maxime eſſe, ut qui *in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edant, & qui altari deſerviunt, cum altari participent?* At bene eſt, quod jamdudum poſteriorum harumce oblationum uſus in Eccleſia deſiit, quare aut phræneticus eſt Calvinus, aut canis inſtar latrat in lunam, dum oblationes has ſua ætate jam antiquatas velut clericalis ingluviei materiem inſectatur.

V. Ad alterum vero quod ſpectat, intoleranda eſt Calvini procacitas Romanenſibus affingentis, quod *in Scholis & canonibus minores Ordines Sacramenta faciant*, atque poſtulent, ut omnes Hipodiaconatus ceu veri Sacramenti ceremoniis Spiritum Sanctum fateantur incluſum, quaſi vero Ordines hos inter veri nominis Sacramenta cenſendos eſſe, aut fidei dogma ſit, aut conſtans ſaltem ſcholæ decretum, a quo nemini liceat abſque piaculo reſilire. Qua porro fide hæc ſcriptitare Calvinus potuit? Quidpiam ne reliquum in homine pudoris fuit, dum adjiceret e veſtigio, eorum etiam, qui hoc tradunt, Ordines hos nimirum vera Sacramenta eſſe, confeſſione, primitivæ Eccleſiæ illos fuiſſe incognitos, & multis poſtea annis excogitatos? Noverat ergo Calvinus, Amalarium Fortunatum, qui & Ambroſio opinionis ſuæ Patrono utitur, Urbanum Secundum Romanum Pontificem in Beneventano Concilio, Hugonem a S. Victore, Gratianum, Petrum Bleſenſem, Magiſtrum ſententiarum, Durandum, Cajetanum, alioſque horum Ordinum inſtitutionem non ad Chriſtum Sacramentorum

omnium

omnium Auctorem referre, ſed ad Eccleſiam, neque illam primitivam quidem, ſed ab Apoſtolorum ætate remotam, ſummæque idcirco temeritatis reus eſt, dum viros hos nobis adeo vecordes exhibet atque ſtupidos, ut in adferenda his Ordinibus veri Sacramenti dignitate conſenſerint, etſi illos non divinæ, ſed mere Eccleſiaſticæ inſtitutionis eſſe putarent, quare non illum rerum noſtrarum inſcitia, quod ſane turpe fuiſſet, ſed impotens calumniandi libido, quod multo turpius eſt, volentem ſcientemque in tranſverſum egit; neque enim ignorare poterat, tot illos, qui divinam memoratis Ordinibus inſtitutionem abjudicant, eoſdem non in Sacramentorum, ſed in Eccleſiaſticorum dumtaxat graduum cenſum conferre; quare aſini umbram, ut veteri fertur adagio, perſecutus eſt, ſtulte jactitans, Romanenſes a ſe in manifeſta contradictione deprehenſos eſſe, planeque convictos, & exploratæ rei loco conſtituens, ab omnibus ſcholæ Magiſtris, & canonici juris Interpretibus Ordines hos veri Sacramenti dignitate donari.

VI. Quid autem de quæſtione hac, in quam a Calvino conjecti ſumus, pronuntiandum ſit, paucis aperiam; a fidei capitibus ea internoſcens, quæ ſolius probabilitatis limitibus continentur, Ordines hos antiquiſſimæ inſtitutionis eſſe, & prioris Eccleſiæ uſu conſecratos, ideoque retinendos eſſe ceu gradus ſanctiſſime diſtributos, per quos in Sacerdotium tenditur, Catholica veritas eſt, quam a Tridentino definitam adverſus Calvinum articulo ſecundo pro virili tutati ſumus: Fuerint ne vero ii a Chriſto, aut ab Apoſtolis Chriſti juſſu, inſpiratione, & auctoritate inſtituti, ideoque ad Sacramenti dignitatem evecti, an vero gradus tantum Eccleſiaſtici ſint, rite quidem & ſancte, legitima illa, qua in iis, quæ divini cultus, & diſciplinæ ſunt, pollet Eccleſia, poteſtate inſtituti, incomperta adhuc res eſt, quæque a nemine certo figi poteſt; Quamquam enim Vitaſſius excesserit, opinionem eorum, qui pernegant, Ordines hos inter Sacamenta cenſendos, vocitans *communiorem*, multoque longius abreptus fuerit Maldonatus ſcriptitans illam eſſe *communem*, extra litem tamen eſt, tantum inter ſe de capite hoc diſſidere Theologos, ut operam certe luſurus ſit, qui voluerit, quæſtionem hanc ad liquidum plane deducere, & definire. Præter Scriptores Calvino vel antiquiores vel coævos, quos jam laudavimus, numerari vix poſſunt Recentiores, iique Clariſſimi, qui in eorum veſtigiis inſiſtentes, conquiſitis undique antiquitatis Eccleſiaſticæ momumentis, in dejiciendis e Sacramenti gradu his Ordinibus, infirmandiſque, queis adverſarii nituntur, rationibus ſtrenuam operam poſuerunt.

VII. Etſi D. Thoma in ſententias ſcribens videatur a Magiſtro deſciſcere, & ſingulis Ordinibus veri Sacramenti a Chriſto inſtituti rationem adſerere, certum tamen de germana ejus mente judicium inde non colligi, præclari aliquot ejus Diſcipuli ſentiunt, quod & in Opuſculo *adverſus impugnantes religionem*, & lect. 2. in caput 3. Epiſt. 1. ad Timoth. Angelicus Doctor in oppoſitam viſus ſit abiiſſe ſententiam. Neque controverſiam hanc Florentina, & Tridentina Synodi ſuſtuliſſe cenſendæ ſunt; Quid enim ſi utraque Ordinem verum Sacramentum eſſe declarans, eundem Ordinem mox partitur in ſeptem? Unum id utraque certo conſtituit, quod & nos hactenus adverſus Novatores fidei caput eſſe probavimus, Ordinem videlicet Sacramentum eſſe, atque per varios gradus, quorum aliqui in ſacris litteris, alii in pervetuſtis Eccleſiæ monumentis occurrunt, rite atque ſancte ad Sacerdotii apicem perveniri: An vero ſinguli gradus hi infra Sacerdotium poſiti Sacramenti dignitatem obtineant, Scholarum diſputationi ab utraque Synodo permiſſum eſt; „ Neque enim, ait Cardinalis Pallavicinus l. 21. hiſt. Conc. Trid. c. 13, declarat Synodus, omnes Ordines eſſe gradus ex ordinatione Chriſti, & non mere ex ordinatione Eccleſiæ, quum adhuc ad hodiernum uſque diem in quæſtione verſetur, an omnes Ordines inſtituti fuerint a Chriſto, & idcirco omnes ſint Sacramenta, & imprimant characterem, quod de minoribus Ordinibus negatur a Vaſquez cum inſignium Theologorum cohorte“. Addere potuiſſet ſcriptor Eminentiſſimus, & de Hipodiaconatu negari a ſententiarum Magiſtro, Durando, Cajetano, Dominico Soto, Iſaaco Haberto, & aliis bene multis.

VIII. Quoniam ergo in quæſtione verſamur, quæ neque definita hactenus fuit, nec vero determinari a quoquam poteſt, quorſum morem aliis gereremus, qui ver ſimilitudinem, majoremque, ut ipſi ſecum ani-

animo reputant, probabilitatem conſectantes, in alterutram propugnandam omnes ingenii nervos intendunt? Utatur quiſque conſilio ſuo; Ego ſane numquam adducar, ut illud arripiam; ſi enim auctoritate pugnandum ſit, neſcias plane qui aliis præſtent eruditione, ſapientia, numero: Si vero ratione tranſigenda res ſit, incertius multo eſt, quæ opinio propius ad veritatem accedat: ſuis quæque momentis nititur, iis tamen, quæ nihil evincunt, nulloque negotio ab adverſariis infringuntur. Prudenter ne ergo alterutram eligeremus, certi, fore, ut ex neutra nec ipſam majorem veri ſpeciem referamus? Omnium prudentiſſime egit ſummus Pontifex Benedictus XIV. ſeptimo de Synodo Diœceſana lib. c. 24. cui titulum hunc præfixit, *de cautela in conſtitutionibus Synodalibus adhibenda, quum in eis agitur de Ordinis Sacramento: pluta de quæſtione, an in cujuslibet minoris Ordinis collatione verum conficiatur Sacramentum, quam nonnulli Epiſcopi in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus aut decidiſſe, aut ignoraſſe viſi ſunt*. Etſi Epiſcoporum quorumdam zelum ibidem Pontifex laudet, Clericos acriter reprehendentium, qui lethalis criminis ſibi conſcii ad ordinationis Sacramentum accedunt ſacrilegio polluendi, eorumdem tamen zelum non ſecundum ſcientiam eſſe demonſtrat, quod ineptam objurgationis hujus etſi æquiſſimæ cauſſam adiiciant, certe ſcilicet rei loco ponentes in cujuſque etiam minoris Ordinis collatione verum confici Sacramentum, quod poſtquam adhuc in quæſtione eſſe Pontifex locuIentiſſime declaravit, his memoratum caput abſolvit: „ Dubii & nos hæremus, nec „ ullam in hac difficillima controverſia ſen„ tentiam ferimus; ideo autem rationes, „ quæ in utramque partem adducuntur, „ attigimus, eaſque paulo prolixius ſexpo„ ſuimus, quæ poſtremæ favent opinioni, „ ut intelligant Epiſcopi, non poſſe certo „ damnari ſacrilegii eos, qui cum con„ ſcientia peccati mortalis Ordines Dia„ conatu inferiores ſuſcipere non reformi„ dant; durum quippe videtur, ait Na„ varrus de minoribus loquens, damnare „ omnes, qui eos accipiunt, non præmiſ„ ſa confeſſione, vel ſaltem con ritione „ ſufficienti, quorum infinitus videtur eſſe „ numerus, quod tamen neceſſe eſſet fa„ cere, ſi vera Sacramenta eſſent gratiam „ conferentia ex opere operato. Loquitur „ vero Navarrus in eventu, quo Ordines „ hi conferantur extra miſſarum ſolemnia, „ nec ſubinde iis initiati debeant Encha„ riſtiam ſumere, quod tamen regulariter „ fieri non ſolet, nec fortaſſe ſine ratio„ nabili cauſa licet; quare Epiſcopi in „ Synodali inſtructione ſeu edito tuto po„ terunt prædictos temerarios hoc nomine „ ſacrilegos declarare, quod gravis crimi„ nis non vereantur immaculatis Chriſti „ carnibus veſci, & ſolum cavere debent „ ab afferenda alia ſacrilegii cauſa, quod „ ſcilicet ad Ordinis Sacramentum accede„ re præſumant, ne tali pacto aut con„ troverſiam ignorare, aut illam decidere „ videantur: “ Hactenus Sapientiſſimus Pontifex.

IX. Prinſquam manum ab hoc paragrapho ſubducamus, duo breviter ſunt adnotanda: Primo cum eodem Pontifice animadvertimus, etſi in vetuſtis Eccleſiæ monumentis plura occurrant Clericorum nomina, & officia, non alios tamen Latinam Eccleſiam agnoviſſe veri nominis Ordines, quam quos Tridentina Synodus vel in ſacris litteris, vel a Patribus & Conciliis memoratos recenſet; quare arundineum plane eſt argumentum, quo Morinus aliique conficere ſibi videntur, minores Ordines, & Hipodiaconatum Sacramenti dignitate carere, quod Eccleſiæ mutationi obnoxii ſint, quæ ut plures olim ſummo jure inſtituerat, ita labente tempore pluribus oblitteratis hos tantum cenſuit retinendos; falſum etenim eſt, tot ea munia, quorum Patres & Concilia meminerunt, peculiarium Ordinum miniſteria fuiſſe, quibus qui fungerentur, novo aliquo Ordine ab aliis diſtincto initiati cenſendi eſſent. Nihil ſane *Cantoribus* ſive *Pſalmiſtis* in priſcis Eccleſiæ tabulis frequentius, quos tamen a mero pſallendi officio eis demandato, non a peculiari Ordine eis collato dictos eſſe, Concilium Carthaginenſe IV. quod primo eorum meminit, plane nos edocet, aliorum Ordinum collationem ſoli Epiſcopo tribuens, cantoris autem munus ſola Presbyteri juſſione ſuſcipi, ac exerceri permittens: *Pſalmiſta ideſt Cantor poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Pesbyteri, officium cantandi ſuſcipere*; neque apud Græcos Cantores alii a Lectoribus ſunt, quemadmodum Laodicæni Concilii quarto ſæculo habiti canon a Martino Bracarenſi latine redditus innuit: *non liceat in publico legere, aut pſalleie*

lere, niſi iis, qui ab Epiſcopo Lectores ſunt ordinati. Quid ergo ſi *Foſſarios legimus*, *cuſtodes Martyrum*, *Catechiſtas*, *Parabolanos*, *Defenſores*, *Æconomos*, *Notarios Apocryſarios*, *Hermeneutas*, & ſexcenta ferme hujus generis ? Non Ordinum hæc nomina erant, ſed officiorum, quæ Clericis alicuo Eccleſiaſticorum Ordinum jam initiatis commiſſa variam eis pro miniſterii diverſitate tribuebant nomenclationem. Plura ad manum eſſent, quibus id luculenter evinceremus; ne tamen longius excurramus, adnotare ſat fuerit, horum munerum quædam & laicis olim demandata fuiſſe, quos ex impoſito ſibi munere peculiare nomen ſortitos legimus & in Eccleſiæ monumentis, & in legibus Imperatorum, quod ſane argumento eſt miniſteria hæc numquam veri Ordinis gradum in Eccleſia obtinuiſſe.

X. Secundo animadvertimus, Ordines omnes, ut recte ait D. Thomas, ſacros ſecundum ſe eſſe, omneſque olim, ut ſcite adnotavit Hugo Menardus, ſacros fuiſſe appellatos, nunc vero nomine hoc proprie non donari niſi eos, qui majores dicuntur, non item vero minores; quare quum diu in Eccleſia Hypodiaconatus in minorum cenſum collatus fuerit, nec niſi a paucis ſæculis e minorum claſſe emerſerit, plane intelligimus, illum in Eccleſia plurium ſæculorum ſpatio habitum fuiſſe non ſacrum. Nemo id vocavit in dubium, qui plura, eaque inſignia a Majoribus noſtris inter hunc, alioſque ſuperiores Ordines conſtituta diſcimina ſecum animo reputaverit. Præter quam quod enim Diaconatus a Patribus in tertio & infimo Sacerdotii gradu locatur, Diaconos ſoli Epiſcopi ordinare poterant Apoſtolorum exemplo, Subdiaconos vero & ſimplices Chorepiſcopi, de quibus infra: Diaconorum ordinatio intra Sanctuarium, Hipodiaconorum vero extra illud peragebatur. Numquam Subdiaconis plebis regimen demandatum, vetiti olim Subdiaconi ad Epiſcopatum aſſumi, neque ſemper apud Latinos juſſi matrimonii uſu abſtinere, ſicut Diaconi, Preſbyteri, & Epiſcopi. Quo tempore inter ſacros Ordines in Latina Eccleſia Hypodiaconatus referri cœperit, non convenit inter Auctores. Errant ii, qui ſexto ſæculo ſentiunt, id contigiſſe, quo & Hypodiaconi cælibatus lege obſtricti a Romana Eccleſia ſunt, quum & longo poſt tempore jacuiſſe illum in minorum claſſe, monumenta irrefragabilia teſtentur. Morinus ſcribit, hoc fieri cœptum ante annos octingentos, ideoque ætate noſtra, qui ſæculo ferme a Morino diſtamus, ante annos nongentos, propterea quod in quibuſdam antiquis ritualibus libris Subdiaconorum ordinationes cum majoribus Diaconorum & Presbyterorum ordinationibus conjunctæ, & a minoribus Ordinibus ſeparatæ exhibentur, jubenturque celebrari *ad altare*. Occurrit tamen Cl. Martene reponens, infirmam plane eſſe rationem hanc; alioqui ante hæc tempora cœptum id eſſe dicendum foret, quum Sacramentorum libri extent decem ſæculorum ætate majores, quibus ritus iſte præſcribitur: fatendum ergo, tardius inter majores ſacroſque Ordines hypodiaconatum fuiſſe relatum, quum an. 1091. Urbanus ſecundus Beneventano Concilio præſidens decreverit, ut *nullus in Epiſcopum eligatur, niſi in ſacris Ordinibus religioſe vivens inventus fuerit; ſacros autem Ordines dicimus Preſbyteratum, & Diaconatum, hos ſiquidem ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe*; Neque ætate Hugonis Victorini, qui quinquaginta a laudati Concilii celebratione exactis annis florebat, hypodiaconatus ad ſacros Ordines aſſurrexerat; l. enim 2. de Sacramentis par. 3. c. 13. hæc habet: *Sacros Ordines Preſbyteratus & Diaconatus tantum appellandos cenſent, quia hos ſolos primitiva legitur Eccleſia habuiſſe.* Hugoni coævus Philippus Abbas Bonæ ſpei in tract. de *continentia Clericorum* idem diſerte teſtatur ajens: *Hi duo, Preſbyter ſcilicet & Diaconus, ſacris Ordinibus inſigniti dicuntur .... ſunt præter iſtos alii, qui etiam circa altaris miniſterium occupantur, & ad id peragendum a Pontificibus ordinantur, qui etſi gradum ſanctitatis habere non negantur, non tamen eorum Ordines ſacri appellantur*, quos inter primo loco Hypodiaconos collocat, mox Ordines inferiores.

XI. Vergente ergo ad exitum duodecimo ſæculo, anno nimirum 1180. quo laudati Philippi obitus conſignatur, nondum a Latina Eccleſia hypodiaconatus Ordinis majoris & ſacri loco haberi cœperat; cæterum nec dum evoluto eodem ſæculo, hac illum fuiſſe dignitate donatum, teſtis locupletiſſimus eſt Petrus Cantor in l. *de verbo mirifico* diſerte aſſerens, *de novo inſtitutum eſſe Subdiaconatum ſacrum Ordinem*. Quod vero Petri Cantoris teſtimonium

nium hoc cum aliis componi poſſit inſtitutum hoc acceptum referentibus Innocentio III., difficile explicatu eſt; in Pariſienſis etenim Eccleſiæ Pontificali codice ante trecentos annos conſcripto, qui in majoris domus FF. Prædicatorum Bibliotheca aſſervatur, hæc de Subdiaconatu leguntur: *Subdiaconatus ex inſtitutione Innocentii III. ſua declaratione eſt ſacer ordo, unde ſuper ipſos ſicut ſuper alios faciendæ ſunt letaniæ:* Guillelmus quoque Durandus Mimatenſis Epiſcopus liturgicarum rerum ſcrutator diligentiſſimus l. 2. Rationarii c. 8. idem confirmat ajens: *Ordo Subdiaconatus ſacer hodie ſecundum Innocentium III. reputatur*. Quum autem Petrus Cantor an. 1197. obierit, Innocentius vero non niſi biennio ab ejus obitu elapſo ad Petri ſedem evectus fuerit, quei poſſunt invicem hæc conciliari? Belle tamen cohærent omnia, ſi cum Clariſſimis Morino, & Martenio adnotemus, eo temporis intervallo, quod ab Hugonis Victorini, & Philippi Abbatis Bonæ ſpei Hypodiaconatum nondum minoribus Ordinibus exemptum fuiſſe teſtantium obitu ad Petrum Cantorem effluxit, qui recenter illum majoribus Ordinibus adſcriptum fuiſſe refert, cæpiſſe Epiſcopos aliquot, Ordinem hunc ad altare, & intra Miſſarum ſolemnia conferre, quo factum eſt, ut more hoc per vicinas Diœceſes ſenſim invaleſcente, & ad alias Provincias permanante, hypodiaconatus ordo ſacer, & major haberi cæperit, quod ritu conferretur, qui hactenus fuerat ſacrorum Ordinum proprius. In morem hunc paulatim ſua ætate in Galliis pervagatum digitum intendens Petrus Cantor recte ſcripſit, hypodiaconatum fuiſſe inter ſacros Ordines recenter aſcitum. Hujus tamen inſtituti præcipuus auctor Innocentius III. cenſendus eſt, qui morem hunc privata auctoritate inductum, nec ubique receptum ſua declaratione firmavit, permittens, Subdiaconos deinceps, perinde ac Diaconos, & Preſbyteros in Epiſcopos eligi, ut legere eſt l. 1. decrect. tit. xiv. cap. *a multis*, & cap. *miramur*, eiſdem indulgens, ut ad ſervitutem nequeant revocari, ſi ante ordinationem ſervi fuiſſent, quod Diaconorum, & Preſbyterorum privilegium hactenus fuerat.

XII. Graviſſima tamen difficultas exurgit ex Tridentini verbis, quod Subdiaconatum ad majores Ordines a Patribus, ſacriſque Conciliis referri declarat. Implexum hunc nodum minus ſcite, minuſque feliciter nituntur evolvere, qui reſpondent, ad Patres & Concilia poſterioris ævi Tridentinum verbis his alluſiſſe; qui enim, amabo, ſunt Patres Innocentio III. poſteriores, ad quos poſſimus Concilii verba referre? Plures floruiſſe ſanctitate, atque ſapientia eximios viros, quorum aliqui inter Doctores Eccleſiæ ſolemni decreto relati ſunt, ut Sancti Thomas, & Bonaventura, non abnuimus; eos tamen Patres Eccleſiæ fuiſſe, ac dici poſſe, qui aſſerat, ſibilis merito excipiatur a Doctis. Miror etiam homines ſane non ſtupidos ad Tridentini verborum ſeriem animum non advertiſſe; Ibi enim Concilium docet, agnoſcendos eſſe, retinendoſque in *Eccleſia ſeptem illos Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſerviunt, quod Sacerdotum, & Diaconorum ſacræ litteræ aperte meminerint, ſequentium vero Ordinum Subdiaconi ſcilicet* &c. *nomina; & cujuſque eorum propria miniſteria ab ipſo Eccleſiæ initio in uſu fuiſſe noſcantur, quamvis non pari gradu, nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus & ſacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis Ordinibus frequentiſſime legimus*. Qui porro ſunt Patres, quæ ſacra Concilia, Subdiaconatum ad majores Ordines referentia, niſi Patres iidem, Concilia eadem, quæ & frequentiſſimam minorum Ordinum mentionem injiciunt, & ex quorum teſtimoniis, ab ipſo Eccleſiæ initio ſingulorum Ordinum nomina & propria officia in uſu fuiſſe, noſcuntur? Pape quam idonei fuiſſent veritatis hujus teſtes, tertiidecimi ſæculi Patres ſeu Scriptores, atque Concilia, quam prudenter eorum auctoritate Tridentinum adverſus Novatores pugnaſſet, quibus ſordere noverat, quidquid ex Eccleſiaſticis prioris ævi monumentis hauſtum non eſſet! Suam hanc itaque ſibi habeant interpretationem ii, qui argumenta eludunt potius quam diſſolvunt. Videmur nobis ad verum propius acceſſuri, ſi reponamus, Hypodiaconatum nunquam a Patribus & Conciliis ſacris majoribuſque Ordinibus fuiſſe adſcriptum, quatenus ſacer & major ordo idem eſt ac hierarchicus; cujus videlicet collatione ſpiritualis aliqua juriſdictio, & principatus initiato tribuitur; nonniſi enim tres hactenus habiti ſunt in Eccleſia hierarchici Ordines, Epiſcopatus nimirum, Preſbyteratus, & Diaconatus.

tus. Neque etiam a priſcis Patribus & Conciliis Hypodiaconatus Ordinibus iis annumeratus eſt, qui majores ſacrique dicuntur ab adjuncta cælibatus lege, qua Miniſtri Deo arctius conjunguntur, eique peculiariter conſecrantur, quum explorata res ſit, nonniſi ſexto Eccleſiæ ſæculo fuiſſe Hypodiaconis continentiæ legem impoſitam, quin tamen eorum ordo vel hoc titulo ad ſacros & majores evaſerit. Reliquum itaque eſt, ut Tridentini dictum interpretemur de ſpeciali illo modo, quo, ut ait Angelicus, ordo aliquis ſacer dicitur *ratione materiæ, circa quam habet aliquem actum . . . . & ſic ſunt tres Ordines ſacri, ſcilicet Sacerdos, & Diaconus, qui habet actum circa corpus Chriſti & ſanguinem conſecratum, & Subdiaconus, qui habet actum circa vaſa conſecrata, ideoque eis* etiam continentia indicitur, ut ſancti ſint, qui ſancta tractant: hoc autem ſenſu quis dubitet, Hypodiaconatum majorem ſemper fuiſſe ſacrumque Ordinem, quum proprium præcipuumque ejus munus in attrectandis, parandis, inferendiſque altari ad ſacrificii uſum vaſis conſecratis poſitum ſemper fuiſſe, vetuſtiſſima monumenta non ſemel laudata teſtentur?

§. III.

De Diaconatu.

I. HAnc præ Ordinibus, quos jam excuſſimus, prærogativam Diaconatus habet, ut, quum illorum nulla in divino eloquio occurrat mentio, hic luculenter Actorum 6. exprimatur, ubi prima Diaconorum memoratur inſtitutio, quum enim Apoſtoli convocatæ credentium multitudini viros ſeptem eligendos propoſuiſſent Spiritu ſancto, & ſapientia plenos, qui viduarum, pauperumque neceſſitatibus ſubvenirent, placuiſſetque univerſo cœtui ſermo, electum Stephanum, alioſque ſex ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, *& orantes impoſuerunt manus eis*. Diaconorum quoque meminit Paulus graviſſimis verbis docens, quemadmodum Tridentinum animadvertit, *quæ maxime in eorum Ordinatione attendenda ſunt*. Horum Ordinationem veri nominis Sacramentum eſſe, & characterem imprimere, communis Theologorum ſententia eſt, cui citra temeritatem nemini fas eſt refragari: An item fidei dogma ſit, non eſt Theologis omnibus conſtitutum; Dominicus enim Soto, Guillelmus Æſtius, & Bellarminus veritatem hanc ad fidei capita non ſpectare contendunt, „ quia, „ verba Bellarmini do, non poteſt evi„ denter deduci ex verbo Dei ſcripto vel „ tradito, neque extat ulla Eccleſiæ de „ hac re determinatio. “ Vaſquez contra eandem hanc veritatem ſentit, ex Tridentini definitione legitima conſecutione deduci: „ Ego tamen, ait diſput. 238. „ in tertiam D. Thomæ partem, valde „ miror, Viros non vulgariter doctos, „ aut decretum Concilii Tridentini ſeſſ. „ 23. can. 6. non legiſſe, aut plane non „ intellexiſſe, ubi definitur in hunc mo„ dum: *Si quis dixerit in Eccleſia Ca„ tholica non eſſe Hierarchiam divina Or„ dinatione inſtitutam, quæ conſtat ex „ Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, „ anathema ſit*. Ex quo canone expreſſe „ liquet, Hierarchiam jure divino inſtitu„ tam, non ſolum conſtare Epiſcopis, & „ Presbyteris ſeu Sacerdotibus, ſed etiam „ Miniſtris; per Miniſtros autem ut mi„ nimum Diaconos intelligere oportet, „ quumque de cæteris inferioribus Ordini„ bus nemo etiam probabili conjectura „ ductus aſſerere poſſit, canonem intelli„ gendum eſſe, ſupereſt, ut dicamus, de „ Diaconis non poſſe canonem non intel„ ligi. Conſulto autem vocem illam *Mi„ niſtris* Concilium adhibuit, ut Diaco„ nos denotaret, quum Diaconus græce „ idem ſit, ac latine Miniſter, de reli„ quis autem nihil definiret, ſed Scholæ „ diſputationi relinqueret, ſiquidem quæ„ ſtio eſt admodum difficilis & implexa, „ an reliqui Ordines Diaconatu inferiores „ verum ſint Sacramentum. “ Hæc ex Vaſquezio.

II. „ *De* Ordine Diaconatus, ait Cal„ vinus, nihil pugnarem, ſi reſtitueretur „ in ſuam integritatem miniſterium illud, „ quod ſub Apoſtolis, & in puriore Ec„ cleſia fuit; at vero quos iſti fingunt, „ Diaconi quid habent ſimile? Non de „ hominibus loquor (ne querantur, ex ho„ minum vitiis ſuam doctrinam inique „ æſtimari) ſed pro iis ipſis, quos ſua „ doctrina nobis tradunt, teſtimonium „ ab eorum exemplo, quos Apoſtolica „ Eccleſia Diaconos inſtituit, indigne pe„ ti contendo. “ Eradendum itaque Diaconatus Ordinem, tollendumque ab Eccle-

Digitized by Google

cleſia Calvinus judicat, quod ceremoniæ, quibus ordinantur Diaconi, quemadmodum ipſe in margine adnotat, eorumque occupationes a verorum Diaconorum inſtitutione & officio ſint remotiſſimæ, utpote Verbo Dei, & Eccleſiæ Apoſtolicæ ordini e diametro oppoſitæ; in quo quidem efferendo quam immaniter Calvinus erraverit, quam inique in ſacrum hunc Ordinem, qualem ab Apoſtolis traditum Eccleſia invariata religione retinuit, retinetque, plenis conviciorum plauſtris invectus fuerit, momentis iis perſpectum fiet, quæ ad Catholicæ, quam ſubjicimus, veritatis præſidium conferemus.

Diaconatus in Romana Eccleſia obtinens ordo ſacer eſt ac hierarchicus, idemque qui ſub Apoſtolis, & in puriore Eccleſia fuit.

III. Ut veritatem hanc evidentiſſime demonſtremus, aliis opus non eſt, quam iis, quæ nobis Calvinus ipſe ſuppedirat; primo etenim nonne idem omnino ritus eſt, quo in Diaconorum ordinatione Eccleſia perpetuo uſa eſt atque utitur, cum illo, quo ſeptem priores Diaconos Act. 6. Lucas memorat ab Apoſtolis ordinatos ajens, *hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt manus eis?* Calvinum ad vetuſtiſſimos & probatiſſimos quoſque Occidentalis atque Orientalis Eccleſiæ Rituales libros fidenter provocamus, eique cauſam adjudicamus, ſi præſcriptum hunc adhibitumque ab Apoſtolis ſacrum ritum in Diaconorum Ordinatione prætermiſſum uſpiam deprehenderit. Celeberrimum Carthaginenſe quartum Concilium, in cujus canonibus, quotquot in Latina Eccleſia efformati ſubinde ſunt, Rituales libri ſanctiſſime inſiiterunt, eandem hanc ceremoniam ab Apoſtolis uſurpatam exhibet, eandemque omnes ſequioris ævi Pontificales libri præſcribunt. Quid Orientales omnes Chriſtiani nominis ſocietates in teſtimonium adducam, quas impoſitione manuum Epiſcopi, atque oratione Diaconos ſuos initiaſſe ſemper, atque etiamnum initiare, indubiam fidem faciunt Euchologia quæque & Pontificales libri ab Haberto, Goario, Martenio, & Renaudotio collecti, gentiſque ſuæ rituum peritiſſimi Allatius, Arcudius, aliique? Quoad ceremonias itaque perperam Calvinus optat, reſtitui illum in priorem integritatem, ſcribitque iniquiſſime, ceremonias noſtras a verorum Diaconorum inſtitutione remotiſſimas eſſe, Deique Verbo, & Apoſtolicæ Eccleſiæ ordini palam aperteque contrarias.

IV. Secundo Diaconorum noſtrorum occupationes a verorum Diaconorum officio, atque a divini eloquii veritate diſtare quam longiſſime, Calvinus effutit, quod Papiſtæ dicant, Diaconorum eſſe, aſſiſtere Sacerdoribus, miniſtrare in omnibus, quæ in Sacramentis aguntur, ſcilicet in Baptiſmo, in chriſmate, in patena, in calice, oblationes inferre & diſponere ſuper altare, componere menſam Domini, & veſtire, crucem ferre, prædicare, & decantare Evangelium & Epiſtolam ad populum, quibus recenſitis quaſi confecta egregie re continenter addit: An hic verbum unum de vero Diaconorum miniſterio? Calvinum delirare ſinimus nobis affingentem, quod inter Diaconorum munia cenſeamus, crucem ferre, Epiſtolam canere, Dominicam menſam veſtire ac componere, quæ inferioris ordinis Clericorum officia ſunt; perſtringendum vero illum ſuſcipimus ac refutandum, quod alia, quæ Diaconis recte tribuimus, miniſteria a vero Diaconorum officio, & ab Apoſtolorum ac purioris Eccleſiæ doctrina prorſus aliena eſſe, pronuntiet. Quoniam autem ipſe certiſſimæ rei loco ponit, priorum ſeptem Diaconorum, ut & aliorum, quos purioris Eccleſiæ monumenta commemorant, miniſterium civile tantum fuiſſe non ſacrum, nec in alio poſitum, quam in viduarum, inopumque cura gerenda, Magiſtro impio æque ac indocto Diſcipulos opponimus doctiſſimos ac celeberrimos, quorum non teſtimonio ſolum coarguatur, ſed & rationum momentis plane obreratur. Primum laudo Joannem Pearſonium Ceſtrienſem in Anglia Calvinianorum Epiſcopum, qui pag. 53. lectionum in Act. Apoſt. de ſeptem priorum Diaconorum electione hæc habet: „ Actus quidem, ad „ quem inſtituti ſunt, nihil aliud eſt, „ quam miniſtrare menſis, officium ta„ men non fuit mere civile aut œcono„ micum, ſed ſacrum etiam ſive Eccle„ ſiaſticum; menſæ enim Diſcipulorum „ tunc temporis communes, & ſacræ er„ iam fuere, hoc eſt in communi convi„ ctu Euchariſtiam celebrabant. Clarum „ au-

„ autem eſt, ſeptem hos Viros ad ſa-
„ crum officium fuiſſe electos ac ordina-
„ tos; eligebantur enim non alii viri,
„ quam qui erant pleni Spiritu Sancto &
„ ſapientia, ordinabantur autem per ma-
„ nuum Apoſtolicarum impoſitionem,
„ non aliter quam Presbyteri, aut etiam
„ Epiſcopi, & ii, qui præter duodecim,
„ Apoſtoli dicebantur, quin & Stephanus
„ paulo poſt prædicavit Evangelium, &
„ Philippus catechizavit & baptizavit
„ Eunuchum." Hæc Pearſonius, pau-
cis validiora argumenta complexus, qui-
bus hæc veritas ſolet a Polemicis tracta-
toribus demonſtrari.

V. Alterum do Calvinianum hominem litterario orbi notiſſimum Guillelmum Beveregium, qui in ſuo de Apoſtolorum canonibus judicio, & in primum eorumdem canonem adnotationibus in rem noſtram mirifice diſſerit: „ Prima Diaco-
„ norum ordinatio ab Apoſtolis inſtitui-
„ tur Act. 6.; ſeptem enim ab Apoſtolis
„ ordinati dicuntur, ut menſis miniſtra-
„ rent: per Apoſtolicam autem Ordina-
„ tionem non menſarum tantummodo,
„ ſed totius Eccleſiæ miniſtros conſtitutos
„ eſſe, ex eo liquet, quod Stephanus
„ unus ex iis prædicaſſe legitur, & Phi-
„ lippus alius non prædicaſſe ſolum, ſed
„ & baptizaſſe. Hinc eſt, quod ab ipſis
„ Eccleſiæ primordiis Diaconi inter Ec-
„ cleſiæ Miniſtros recenſiti ſunt. Ignatius
„ Epiſt. ad Trallianos Voſſianæ editionis
„ ait: Oportet autem & Diaconos My-
„ ſteriorum Jeſu Chriſti Miniſtros omni
„ modo omnibus placere; non enim ci-
„ borum & potuum miniſtri ſunt, ſed
„ Eccleſiæ Dei Miniſtri; oportet igitur,
„ ut ſibi caveant a criminibus tamquam
„ ab igne: Cyprianus Epiſt. ad Roga-
„ tianum: Diaconos poſt aſcenſum Do-
„ mini in cælos Apoſtoli ſibi conſtitue-
„ runt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ Mi-
„ niſtros: Clemens Alexandrinus l. 7.
„ Stromatum eadem habet: Origenes
„ hom. 2. in Numeros: vidit & ſedem
„ puerorum ejus, Eccleſiaſticum, puto,
„ ordinem dicit, qui in Epiſcopatus vel
„ Presbyterii ſedibus habetur: vidit &
„ ordinationes ſive ſtationes Miniſtrorum
„ ejus, Diaconorum, ut mihi videtur,
„ ordinem memorat, adſtantium divino
„ miniſterio: Idem ſimilia habet in c.
„ 15. Matth., & hom. 2. in Cant. &
„ in Epiſt. ad Rom., & ut de receptio-
„ ribus ſileam, Ælfricus ait: Diaconus
„ eſt, qui miſſali Sacerdoti miniſtrat, &
„ oblationes ſuper altare ponit, & in di-
„ vinorum celebratione Evangelium le-
„ git; is poteſt baptizare" &c. Quid his luculentius, quid efficacius ad retundendam Calvini petulantiam ſcriptitantis, Romanæ Eccleſiæ Diaconorum miniſterium aliud prorſus eſſe ab eo, quod ſub Apoſtolis & in puriore Eccleſia fuit?

VI. Neque prætereunda ſunt, quæ ibidem Beveregius addit: „ Ex omnibus hiſ-
„ ce Veterum teſtimoniis obſervetur pri-
„ mo, tres diſtinctos Eccleſiaſticorum Mi-
„ niſtrorum Ordines, ſive Epiſcopos, Pres-
„ byteros, Diaconos, etiam proximo poſt
„ Apoſtolos ſæculo, non in uno alterove
„ loco, ſed in omnibus tunc dierum co-
„ gnitis terræ habitabilis partibus, Euro-
„ pa, Aſia, & Aphrica conſtitutos eſſe,
„ in Europa quidem, ut ex Clemente, &
„ Pio Romanis, & Irenæo Gallicano E-
„ piſcopo, in Aſia, ut ex Ignatii Antio-
„ cheni ad diverſas Aſiæ Eccleſias epi-
„ ſtolis, & in Aphrica, ut ex Tertulliano,
„ Clemente Alexandrino, & Origene con-
„ ſtat. Deinde ſi nullum aliud extaret,
„ hoc validiſſimo, & invicto argumento
„ eſſet, eos tres Ordines ab Apoſtolis ſan-
„ citos eſſe; omnem enim fidem ſuperat,
„ ut Eccleſiæ ubicumque terrarum conſti-
„ tutæ, & tanto a ſe invicem intervallo
„ diſterminatæ in eoſdem conſpirarent,
„ niſi eos ab ipſis Apoſtolis, a quibus &
„ fidem, traditos accepiſſent. Denique non
„ mirum eſt, quod Epiſcoporum, Pres-
„ byterorum, Diaconorum mentio in ca-
„ nonibus Apoſtolicis, etiamſi ſecundo,
„ ut nobis viſum eſt, exeunte, tertioque
„ ineunte ſæculo divulgatis toties occurrit,
„ ſi quidem longe ante, & ab ipſa origi-
„ ne ubique terrarum obtinuerant, idque,
„ quod imprimis obſervandum eſt, etiamſi
„ nullus umquam canon, nulla lex, nul-
„ lum decretum a Concilio quovis, aut
„ antiquo Patre editum eſt, quo vel unus
„ quivis e tribus hiſce Ordinibus conſtitu-
„ tus legitur, aut confirmatus. In hiſce
„ canonibus multa de celebrandis Epiſco-
„ porum, Presbyterorum, & Diaconorum
„ ordinationibus occurrunt, ut & quibus
„ quiſque muneribus fungi, & intra quos
„ ſe limites continere debet, ſed nec in
„ iis nec in omnibus Conciliorum tomis,
„ nec in aliis ullis venerabilibus antiquo-
„ rum.

„ rum Patrum monumentis vel verbum
„ de prima ipſorum ſive in univerſa, ſive
„ in ſingulari Eccleſia, inſtitutione præter-
„ quam Apoſtolica extat; neque enim in
„ poteſtate cujuſvis, non viri dico, ſed
„ Concilii ſitum erat, alios conſecratorum
„ Miniſtrorum Ordines per totum terra-
„ rum orbem introducere, quam qui ab
„ ipſis Apoſtolis inſtituti ſunt, utpore pe-
„ nes quos ſolos erat, diſciplinam Eccle
„ ſiæ una cum fide ubique gentium ſtabi-
„ lire, ac proinde tres ſupradictos Ordi-
„ nes hoc & præcedenti canone comme-
„ moratos, Apoſtolicæ inſtitutioni acce-
„ ptos referamus, neceſſe eſt. “ Decretoria
plane ſunt hæc Beveregii momenta, quæ-
que divinam Diaconatus, ut & duorum eo
majorum Ordinum inſtitutionem, & pro-
pria Diaconorum munera extra omnem
collocant controverſiam.

Calvini objecta eliduntur.

A ceremoniis, quas Romana Eccleſia
in Diaconorum ordinatione jampridem u-
ſurpat, ſtrophas ſuas Calvinus orditur a-
jens: „ Nunc inſtitutionem audiamus:
„ Diacono, qui ordinatur, ſolus Epiſco-
„ pus manum imponit; orarium illi & ſto-
„ lam ſuper lævum humerum imponit, ut
„ intelligat, ſe accepiſſe jugum Domini
„ leve, quo ad ſiniſtram pertinentia divi-
„ no timori ſubiiciat. Textum Evangelii
„ præbet, ut ſe ejus præconem agnoſcat;
„ & iſthæc quid ad Diaconos? Poſthac er-
„ gone Diaconos eſſe mentiantur, quos ad
„ hiſtrionicos ſuos ludos inſtituunt? “

VII. Verum quid peccamus, ſi Diaco-
no, qui ordinatur, ſolus Epiſcopus manum
imponit? Criminationem hanc videtur mu-
tuatus eſſe Calvinus ex Amalario, qui A-
nonymum libelli de ſacris Ordinibus Scri-
ptorem carpens, quod ediceret, a ſolo E-
piſcopo manus Diaconis imponendas, hæc in
eum intorquet: „ Numquid Scriptor li-
„ belli doctior, atque ſanctior Apoſtolis,
„ qui poſuerunt plures manus ſuper Dia-
„ conos, quando conſecrabantur, & pro-
„ pterea ſolus Epiſcopus ponat manum
„ ſuper Diaconum, ac ſi ſolus poſſit pre-
„ cari virtutem gratiarum, quam plures
„ Apoſtoli precabantur? “ Cæterum ut
Amalarius numquam hæc ſcriptitaſſet, ſi
animo comprehendiſſet, ritum hunc non
Anonymi Scriptoris nuperum inventum,
ſed Carthaginenſis quarti Concilii decre-
tum eſſe, ita nec Calvinus hæc recoxiſſet,
ſi cogitaſſet, non poſſe ſe id Romanæ Ec-
cleſiæ in culpa ponere, niſi idem quarti
ſæculi Eccleſiæ vitio vertat, quam ſemel
iterumque teſtatus eſt, omnis erroris fuiſ-
ſe puram, nec quidquam ab Apoſtolorum
inſtitutione alienum adoptaſſe; nitidiſſimus
enim eſt ejuſdem Concilii canon: „ Dia-
„ conus, quum ordinatur, ſolus Epiſcopus,
„ qui eum benedicit, manum ſuper caput
„ illius ponat, quia non ad Sacerdotium,
„ ſed ad miniſterium conſecratur. “ Cur
etiam Calvinus eorum non meminit, quæ
eodem l. 4. c. 3. ſect. ult. de eadem hac
manuum impoſitione ſcripſerat? Verba e-
jus exſcribere neceſſe eſt, quum ſint ad il-
lum confodiendum perquam idonea. „ Con-
„ ſtat, ait, Apoſtolos non alia ceremonia
„ uſos eſſe, quum aliquem miniſterio ad-
„ movebant, quam manuum impoſitione,
„ qua eum ſe Deo offerre ſignificabant,
„ quem initiabant in miniſterium. Fuit
„ hic ſolemnis ritus, quoties ad miniſte-
„ rium Eccleſiaſticum aliquem vocabant,
„ ſic Paſtores & Doctores, ſic *Diaconos*
„ *conſecrabant*; licet autem nullum extet
„ certum præceptum de manuum impoſi-
„ tione, quia tamen fuiſſe Apoſtolis in per-
„ petuo uſu videmus, illa tam accura-
„ ta eorum obſervatio præcepti vice no-
„ bis eſſe debet; & certe utile eſt, ejuſ-
„ modi ſymbolo cum miniſterii dignita-
„ tem populo commendari, tum ad-
„ moneri eum, qui ordinatur, ipſum
„ jam non ſui juris eſſe, ſed Deo & Ec-
„ cleſiæ in ſervitutem addictum. Præterea
„ non erit inane ſignum, ſi in germanam
„ ſuam originem fuerit reſtitutum; nam ſi
„ nihil Spiritus Dei fruſtra in Eccleſia in-
„ ſtituit, hanc ceremoniam, quum ab eo
„ profecta ſit, ſentiemus non eſſe inuti-
„ lem, modo in ſuperſtitioſum abuſum non
„ vertatur. “ O incredibilem veritatis vim,
quæ etiam a jurato ſui hoſte vel invito
teſtimonium extorquet! Calvino ergo fa-
tente manuum impoſitio, quæ in Diaco-
norum ordinatione adhibetur, divini juris
eſt, & Apoſtolici uſus, ceremonia ſancta
& perutilis, neque inane ſignum gerit,
quum ſit a Spiritu Sancto, qui nihil um-
quam in Eccleſia fruſtra agit, profecta.
Hoc ſolemni ritu non Paſtores & Docto-
res ſolum, ſed & Diaconi ad miniſterium
Eccleſiaſticum vocabantur, Deoque & Ec-
cleſiæ in ſervitutem addicti conſecrabantur.

Non

Non erat itaque mere œconomicum & civile Diaconorum Miniſterium, quemadmodum inſra ſui immemor Calvinus obgannit, ut nec Paſtorum & Doctorum, quibus Diaconos in eodem conſecrationis ritu Calvinus æquipararat, ſed vere Eccleſiaſticum atque ſacrum.

VIII. Hoc poſtremo habendum eſt, pergit Calvinus, non univerſam multitudi-
„ nem ſuis Miniſtris manus impoſuiſſe,
„ ſed ſolos Paſtores; quamquam incertum
„ eſt, an plures ſemper manus impoſuerint
„ necne. Illud quidem in ſeptem Diaco-
„ nis, Paulo & Barnaba, & paucis qui-
„ buſdam aliis factum fuiſſe conſtat: Sed
„ Paulus ipſe alibi ſe, non alios complu-
„ res Timotheo manus impoſuiſſe comme-
„ morat: *admoneo te*, inquit, *ut gratiam*
„ *ſuſcites, quæ in te eſt, per impoſitionem*
„ *manuum mearum*; nam quod in altera
„ epiſtola de impoſitione manuum Presby-
„ terii dicitur, non ita accipio, quod Pau-
„ lus de Seniorum Collegio loquatur, ſed
„ hoc nomine ordinationem ipſam intelli-
„ go, quaſi diceret: fac, ut gratia, quam
„ per manuum impoſitionem recepiſti,
„ quum te Presbyterum crearem, non ſit
„ irrita." Quis porro dubitet, Presbyteros eſſe multo Diaconis ſuperiores? Si ergo Paulus Timotheo manus ſolus imponens eum initiavit in Presbyterum, etſi ipſe una cum Barnaba a pluribus Prophetis & Doctoribus miniſtrantibus, & orantibus, & manus imponentibus ordinatus fuiſſe legatur, ſi Timotheum eundem graviter commonet, ne ulli *cito*, ideſt imprudenter manus imponat, ne alienorum criminum ipſe particeps fiat, quidni dicemus, prioris ævi Eccleſiam divini eloquii ſpiritu ſive intelligentia a Chriſto donatam, & Apoſtolorum traditione edoctam, ex iis, quæ de ſeptem Diaconorum ordinatione Lucas memorat, intellexiſſe, adhibendam quidem perpetuo in eorumdem initiatione manuum Epiſcopi impoſitionem, nec oportere tamen, ut quiſquam alius præter Epiſcopum eis manus imponat? Præſertim quum ex verborum Lucæ ſyntaxi extundere quis certo nequeat, Apoſtolos omnes ſingulis impoſuiſſe manus, quos Diaconos ordinarunt; ait enim Lucas, *hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Quid locutionis hujus veritati detraheret, qui ei ſenſum iſtum ſubiiceret, ſeptem iis Viris a multitudine ad miniſterium electis Apoſtolos totidem ſingulos ſingulis manus impoſuiſſe? Nonne verum perinde eſt, Apoſtolos orantes eis manus impoſuiſſe, ſive omnes conjunctim ad quemlibet eorum initiandum ceremoniam hanc adhibuiſſe dicamus, ſive erga ſingulos hoc officio totidem Apoſtoli ſejunctim defuncti fuerint? Inſulta ergo eſt prima Calvini accuſatio.

IX. Neque melioris eſt commatis altera criminatio, quam a vigente nunc imponendi Diaconis orarii, tradendique Evangelici codicis ritu petitam exaggerat, quam fæliciter depellemus, ſi incerta diſtinguamus a certis, quæ ad creandam Romanæ Eccleſiæ invidiam numquam non illeconfundit. Nolumus in quæſtionem illam tot tamque acribus Scholaſticorum concertationibus celebrem inquirere, quænam videlicet hujus, ut & aliorum hierarchicorum Ordinum materies ſit, an ſola manuum impoſitio, an ſola porrectio inſtrumentorum, an utraque ex æquo, an vero prior eſſentialis tantum, accidentaria vero poſterior, atque, ut ajunt, acceſſoria, quæ majoris ſignificationis gratia ab Eccleſia inducta ſit, & ſapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. monito acquieſcimus in tract. de Synodo Diœceſana hortantis Epiſcopos, ut, ſi de ſingulis Ordinibus ſuis in Synodis velint ſpeciatim diſſerere, eas maxime quæſtiones in Scholis agitatas devitent de Ordinum hierarchicorum materia & forma, ne ſecus in ea ſe difficultatum dumeta coniiciant, a quibus vix explicare ſe poſſint. Fatemur, Græcam Eccleſiam ab ipſo Apoſtolorum ævo ad hæc noſtra uſque tempora in his Ordinibus conferendis non alio ritu, quam manuum impoſitione uſam eſſe, raraſque ſemper Latinæ Eccleſiæ fuiſſe ordinationes eo ritu peractas, immo graviſſimis Romanorum Pontificum decretis inconſultum quorumdam e noſtris zelum compreſſum, qui præpoſtere vellicare illas atque damnare auſi fuerant: Fatemur, & in Latina Eccleſia ad annos ferme nongentos ſolam in Diaconorum ordinatione manuum impoſitionem obtinuiſſe, vixque a ſeptingentis annis tradi cœpitum eſſe Evangeliorum librum, quemadmodum & ſæpe laudati Carthaginenſis Concilii canon, & vetuſtiſſimi quique Pontificales libri aperte comprobant, uno excepto Anglicano Sacramentario Evangelii traditionem præſcribente, cui octingentorum annorum ætatem Morinus, Martene vero

non-

nongentorum tribuit, qui & ritum hunc ab Anglicana Eccleſia initium duxiſſe opinatur, indeque in Gallias permanaſſe, quum antiqui rituales Gallicanæ Eccleſiæ libri illum exhibeant, atque inde ad alias etiam Eccleſias tranſmigraſſe, nec tamen ubique fuiſſe receptum, quum ſæculo quartodecimo Durandus Anicienſis Epiſcopus in 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 3. ſcribat, ſe ritum hunc in ſuam Eccleſiam invexiſſe, ut ſe aliis Eccleſiis conformaret. Decreto denique Romanæ Sedis, & Florentini Concilii declaratione factus eſt ritus iſte toti Latinæ Eccleſiæ communis, nec jam poteſt abſque ſacrilegio prætermitti.

X. Hæc quum ita ſint, quid cauſſæ Calvino fuit, ut ceremoniam hanc ceu hiſtrionicum ludum inſectaretur? Annon conſentaneum maxime erat, ut & hoc Diaconi officium, & tradita illi eo in Eccleſia ſolemniter defungendi poteſtas exteriori ſymbolo exprimeretur, quo & hujus miniſterii dignitas populo commendaretur, atque ipſe ſui muneris admoneretur? Si enim Calvinus manuum impoſitionem in admovendis miniſterio Paſtoribus, Presbyteris, atque Diaconis ab Apoſtolis uſurpatam utilem, ſanctam, nec effectu vacuam pronuntiat, quod viſibili illo ſigno Miniſtrorum conſecratio aptiſſime denotaretur, derivato ab Hebræis, qui, quod benedictum ac conſecratum volebant, manuum impoſitione Deo repræſentabant, quo etiam ſignificatu manus ex legis præſcripto immolandis victimis imponebant, cur Eccleſiæ non licuit, ſequiori ævo manuum impoſitioni Evangelii traditionem adiicere, qua ſpeciatim ſignificaretur peculiare quodpiam officium, cui Diaconus conſecratione ſua addictus eſt? Iſtud, ait Calvinus, quid ad Diaconos? Hæc ſcribillat impurus homo, quod ſumma Eccleſiaſticæ antiquitatis ignoratione laboret. Evangelii lectio quid ad Diaconos? Nonne conſtitutionum Apoſtolicarum Auctor, quem, etſi S. Clementem Romanum non fuiſſe ultro damus, tertio tamen ſæculo nemo ambigit floruiſſe, poſtquam l. 2. c. 57. lectiones veteris inſtrumenti, & Apoſtolicas Lectori tribuit, Diacono vel Presbytero Evangelii lectionem adſcribit? Nonne Hieronymus ad Sabinianum ſcribit: *Evangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabat?* Quid eo Concilii Vaſenſis an. 529. habiti decreto diſertius: *Si Presbyter aliqua infirmitate detentus per ſe ipſum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum homiliæ a Diaconibus recitentur; ſi enim digni ſunt Diaconi, quæ Chriſtus in Evangelio locutus eſt, legere, quare indigni judicentur, Sanctorum Patrum expoſitiones publice recitare?* Mitto Sanctorum Gregorii Magni, & Iſidori Hiſpalenſis, Alcuini, Stephani Æduenſis aliorumque veterum ſolemnem Evangelii lectionem inter Diaconi munia cenſentium teſtimonia: Sozomenum audiat l. 7. hiſt. Eccleſ. c. 19. de ætatis ſuæ moribus hæc ſcribentem: „ Alexandriæ ſacrum Evangeliorum codicem ſolus Archidiaconus „ legit, alibi vero Diaconi: alicubi in præ„ cipuis feſtivitatibus Epiſcopi legunt, ut „ Conſtantinopoli primo die Paſchalis ſo„ lemnitatis, “ in quæ poſtrema verba adnotat Cl. Henricus Valeſius, Nicephorum Calixtum morem hunc ſua adhuc ætate manſiſſe teſtari, atque Evangelii lectionem non ſolum die Paſchæ, ſed etiam in principio anni a Patriarcha Conſtantinopolitano peractam, ſubinde fuiſſe repetitam a Diacono; quare quum antiquiſſimum eſſet attributum Diaconis munus Evangelium ſolemniter in Miſſa legendi, quid peccavit Eccleſia, ritum hunc eorum ordinationi, etſi ſerius, adiiciens, ut ex ſacri codicis traditione Diaconi, ſe eſſe Evangelii præcones, agnoſcerent?

XI. Non imus certe in Sichardi Cremonenſis Antiſtitis, Pauli Jadrenſis Archiepiſcopi, & Michaelis Medinæ placitum, qui ut in Evangelii codice, ita & in orarii ſive ſtolæ impoſitione Ordinis hujus ſubſtantiam collocant. Etſi ritum hunc ſolemnitatis eſſe, non ſubſtantiæ fateamur, contendimus tamen, ut antiquiſſimum, & Græcis Latiniſque communem, ita & ſanctiſſimum eſſe, & cujuſque ſuperſtitionis expertem, ideoque a Calvino impiiſſime ſugillari. Ritus hujus expreſſam in vetuſtis omnibus Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ libris, & in omnibus ferme, qui de re ſacramentaria ſcripſerunt, Græcis Latiniſque Auctoribus mentionem occurrere, res eſt exploratiſſima, & ſponte in oculos legentium inſiliens, omni vero ſuperſtitionis umbra vacare, nec niſi a projectæ conſcientiæ homine coargui potuiſſe, argumento ex Calvino ipſo deprompto conficimus evidentiſſime, qui acerbiſſimam ſuam in Diaconos noſtros declamationem his verbis abſolvit: „ quin „ etiam ipſo nomine ſatis declarant, qua„ le ſit officium; Levitas enim appel-

„ lant, eorumque rationem, ac originem
„ ad filios Levi referre volunt, quod per
„ me quidem licet, modo ne alienis plu-
„ mis eos poſtea veſtiant.“ Diaconos er-
go noſtros Levitas, Calvino aſſentiente,
recte appellamus, atque eorumdem ratio-
nem atque originem a Levitarum inſtitu-
tione ac officiis recte ducimus, præeunte
Hieronymo, qui ad Evagrium ſcripſit:
*& ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſum-
ptas de veteri Teſtamento, quod Aaron &
filii ejus, & Levitæ in templo fuerunt,
hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Dia-
coni vindicant in Eccleſia*; quid itaque a
nobis minus recte ſancteque agitur, dum
eis peculiarem veſtem tribuimus, quæ ſit
dignitatis ac miniſterii eorumdem inſigne,
quum Deus ipſe non obeunda ſolum a
legalibus Levitis in Sanctuario miniſte-
ria præſcripſerit, ſed & propria tribuerit
indumenta ad miniſterii decus a Pontifi-
calibus, & Sacerdotalibus diſtincta? Non
itaque Levitas noſtros alienis plumis ve-
ſtimus, neque ad ludos hiſtrionicos inſti-
tuimus, quos in miniſteria initiamus mul-
to auguſtiora iis, quæ Moſaici Levitæ o-
bibant, qui, teſte Apoſtolo, *umbræ cæle-
ſtium deſerviebant*. Quid etiam culpæ ſub-
eſt ritui, quo Stola lævo Diaconi hume-
ro imponitur? „ Epiſcopus, ait in l. de
„ Sacris Ordinationibus Simeon Theſſa-
„ lonicenſis, ſiniſtro Diaconi humero o-
„ rarium adaptat; eo quod Diaconus mi-
„ noris adhuc eſt, & ſubjecti Ordinis,
„ miniſterque unius & ſolius operis, ad
„ miniſtrandum ſcilicet, & ſerviendum
„ tantum inſtitutus; quum vero initiabi-
„ tur in Presbyterum, tunc ſtolam in
„ dexterum quoque humerum accipiet,
„ velut tunc & miniſtrandi, & ſacrifi-
„ candi poteſtate donatus.“ Myſticam ve-
ro ſignificationem ab antiquis Scriptoribus
ritui iſti ſubjectam, quam ſacrilege Cal-
vinus ridet, eximie vindicat idem Simeon
ajens; „ Rejiciendi non ſunt rerum di-
„ vinarum typi, & imagines, quippe qui
„ nos ad prototypa manuducunt.“

XII. Poſt exagitatas hujus Ordinis ce-
remonias ſtylum Calvinus acuens in Dia-
conorum noſtrorum munera ita bacchari
pergit: „ Nihil aliud Diaconis ſuis in-
„ jungunt, quam ut miniſtrent ad alta-
„ re, Evangelium recitent, aut canant,
„ & neſcio quas nugas agant. Nihil de
„ eleemoſinis, nihil de cura pauperum, nihil
„ de tota illa functione, quam olim gerebant,
„ Una in re, qui locum Diaconi in Miſ-
„ ſa tenent, inane antiquitatis ſimula-
„ crum repræſentant, recipiunt enim o-
„ blationes ante conſecrationem. Ludunt
„ ergo Eccleſiam cum iſto mendaci Dia-
„ conatu, ideoque fateri coguntur, nullam
„ ſe Diaconiam reliquam habere, quando
„ apud eos tota Eccleſiaſticarum opum
„ adminiſtratio in ſacrilegam deprædatio-
„ nem converſa eſt.“

XIII. Quæ jam ex Pearſonio, & Be-
veregio recitavimus, contundendo nefario
Calvini ori ſatis ſuperque ſunt, quin ne-
ceſſe ſit teſtimonia coacervare Clementis
Romani in epiſtola 1. ad Corinthios, quæ
ſapientioribus Criticis genuina eſt, Cano-
num, & conſtitutionum Apoſtolicarum,
Juſtini M., Conciliorum Eliberitani, A-
relatenſis primi, Ancirani, Magni Nicæ-
ni, & Carthaginenſis quarti ante ſæculi
quarti exitum celebratorum, quibus vera,
& præcipua Diaconorum munia deſcri-
buntur, & pinguiſſima Calvini aberratio
coarguitur non aliud agnoſcentis veterum
Diaconorum officium, quam œconomicum
& civile, quod totum in eleemoſinarum
largitione, habendaque pauperum cura
ſitum eſſet. Quoniam vero Calvinus er-
randi anſam arripuit ex iis, quæ Act. 6.
leguntur, orto ſcilicet adverſus Hebræos
Græcorum murmure, quod viduæ eorum
deſpicerentur in miniſterio, occaſionem
inde captaſſe Apoſtolos ſeptem Diaconos
inſtituendi, qui menſis miniſtrarent, &
ex graviſſimis iis Hieronymi verbis, qui-
bus quorumdam Diaconorum inſolentiam
in epiſt. ad Evagrium caſtigavit: *Quis
patiatur, ut menſarum, Viduarumque Mi-
niſter ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quo-
rum preces Chriſti corpus ſanguiſque confi-
citur? Sciant quare Diaconi conſtituti ſunt,
legant acta Apoſtolorum, recordentur con-
ditionis ſuæ*; eripiendum ei eſt hoc præſi-
dium, quo inaniter gloriatur, exponenda
quoque, quæ hom. 24. in act. Apoſtol.
Chryſoſtomus ſcribit, ſeptem prioribus
Diaconis non ſacrum aliquod miniſterium,
ſed nudum viduas inopeſque paſcendi offi-
cium ab Apoſtolis fuiſſe commiſſum, qui-
bus Chryſoſtomi verbis Quiniſexti ſeu
Trullani Concilii Patres adducti ſunt, ut
ſeptem priores Diaconos ordinatos fuiſſe
ab Apoſtolis non ſacrorum Miniſtros, ſed
bonorum in egenos & viduas erogando-
rum Æconomos, diſpenſatoreſque ſenti-
rent.

XIV.

XIV. Si attributum ſeptem prioribus Diaconis menſarum communium miniſterium, & pauperum Viduarumque curam, idemque munus inter alia Diaconorum officia ad plura ſæcula recenſitum ab Eccleſia fuiſſe negemus, in perſpicua Lucæ verba, & diſertiſſima veterum Patrum teſtimonia peccabimus; aberrat tamen toto oſtio a veritate Calvinus, unicum hoc fuiſſe priſcorum Diaconorum munus præfracte contendens; præter enim allata jam Pearſonii & Beveregii momenta, Grotius, quo nullus inter Novatores doctior Eruditorum omnium judicio fuit, inſulſum hoc Calvini commentum refellit ajens: „ menſæ hæ partim erant ſacræ, partim „ communes; celebrabant enim fideles „ Euchariſtiam, deinde Agapen, ſive „ commune convivium, & ad utrumque „ miniſterium deputati ſunt Diaconi. " Sane ſi importuna illa Græcorum adverſus Hebræos expoſtulatio, nonniſi deligendis œconomis atque diſpenſatoribus, qui prophano & civili tantum miniſterio præficerentur, occaſionem præbuit, quorſum Apoſtoli multitudinem hortati ſunt, ut viros eligerent boni teſtimonii, plenos Spiritu Sancto & ſapientia, ſuper opus illud conſtituendos? Ad œconomicum mehercule opus non erant iſthæc neceſſaria, ſancteque obeundo illi muneri ſatis ſuperque fuiſſet vulgaris probitas cum inſigni agendi diſponendique ſolertia, nec vero intelligi poteſt, quid ad œconomicam rem ſcite gerendam conferre poſſent ſapientiæ plenitudo, & eximia ſacrarum litterarum peritia, quare Cyprianus concionem illam ab Apoſtolis Diaconorum electioni præhabitam expendens ait, *convocata tota plebe tam diligenter & caute id geſtum eſſe, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet*. Si etiam ſeptem ii Diaconi non niſi prophani menſarum adminiſtri ab Apoſtolis inſtituti ſunt, quorſum ad eos initiandos adhibita manuum impoſitio precibus comitata, ſolemnis videlicet ritus ille, quem Calvinus ipſe fatetur, Apoſtolis in more fuiſſe, quoties aliquem ad miniſterium Eccleſiaſticum vocabant, quoties Paſtores ſeu Epiſcopos, Doctores, & Diaconos conſecrabant? Fuerit ergo olim Diaconorum munus, præeſſe communibus menſis, eleemoſinas a fidelibus in pauperum levamen collatas provide diſtribuere, & miſerorum curam habere: non repugnamus; neque unicum illud tamen fuit, neque præcipuum, quemadmodum hactenus dictis luculenter evincitur.

XV. Etſi autem Lucas eligendi ſeptem priores Diaconos occaſionem murmuri Græcorum adverſus Hebræos, & quotidiani miniſterii neceſſitati palam adſcribat, ineptum tamen fuerit, hinc inferre, eorumdem inſtituendorum unum hunc fuiſſe, vel principem finem; Lucas enim, quod ſinceri erat hiſtorici, diſerte refert, unde proxima, magiſque urgens enata ſit eorumdem deſignandorum occaſio; ſubinde vero deſcribens, quas a deligendis ad opus Apoſtoli conditiones exegerint, quem in iis inaugurandis ritum uſurparint, quæ poſt ordinationem ſuam obiverint munera Stephanus & Philippus, declaravit plane, non ad illud eos fuiſſe initiatione ſua vel unice vel principaliter deſtinatos, unde eos deſignandi occaſionem Apoſtoli arripuerant; „ Quando enim plures ſunt fines, quorum alius eſt alio potior, ait Cl. Morinus, nil vetat, occaſionem exurgere, „ qua moveatur efficiens cauſa, ut finis „ minus præcipui quam potioris gratia „ quidpiam prius agat ". Ante ergo hanc Diaconorum ordinationem non modo Epiſcoporum ac Preſbyterorum ſed etiam Diaconorum officio Apoſtoli fungebantur: creſcente vero Diſcipulorum numero, quum ſoli jam tot munia obire non poſſent, occaſione ex Græcorum querela captata, ſacri Ordinis, cujus ipſi plenitudinem a Chriſto acceperant, partem aliquam in ſelectos Viros multitudinis teſtimonio probatos, & morum integritate ac ſapientia præcellentes, ſacro illo ritu, quem Chriſtus inſtituerat, derivarunt. Hinc illud facile exponitur, quod Cyprianus ait, *meminiſſe debere Diaconos, quoniam Apoſtolos, ideſt Epiſcopos, & Præpoſitos Dominus elegit, Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in Cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros*; hic enim legitimus eſt verborum S. Martyris ſenſus, Apoſtolos a Chriſto ipſo conſecratos fuiſſe, qui eos in noviſſima cœna Epiſcopos, & Sacerdotes inſtituit, omnemque eis Sacerdotii plenitudinem tribuit, in alios poſtea, prout Eccleſiæ neceſſitas poſtulaſſet, legitima ordinatione deducendam, qua poteſtate ſibi a Chriſto facta pro re nata utentes Apoſtoli, ut Epiſcopos, & Preſbyteros ordinarunt, ita & Diaconos conſecrarunt, ideſt eo illos initiarunt ordine, quem a Chriſto noverant inſtitutum.

XVI. Ne autem Hieronymum eadem in Epiſtola contraria ſcripſiſſe dicamus, ſcrutandum eſt, in quem ſcopum verba illa direxerit. Carpit eo loci Hieronymus Romanæ Eccleſiæ Diaconos, qui eo arrogantiæ atque ſuperbiæ devenerant, ut ſuæ conditionis atque gradus immemores, Preſbyteros poſthaberent, auderentque, iis ſe anteferre. Inconſultum hunc eorumdem tumorem Hieronymus ut comprimeret, excellentiſſimam Presbyterorum dignitatem a potiſſimo eorum actu, a ſacrificio nimirum, in quo verum Chriſti corpus & ſanguinem conſecrant, atque offerunt, commendans, & infimum Diaconorum officium, unde eorumdem inſtitutionis occaſio capta eſt, unde etiam Diaconi ſuperbiendi anſam captabant, cum illo conferens, latiſſimum inter utrumque munus diſcrimen oſtendit, & Diaconorum petulantiam nervoſe compeſcit, quod inde arriperent elationis ſupra Presbyteros argumentum, unde dignoſcere potiſſimum debuiſſent longiſſimo ſe intervallo a Presbyterorum dignitate diſtare. Non illos autem appellaſſe Hieronymum menſarum Viduarumque miniſtros, quaſi vero in hunc dumtaxat finem inſtitutos illos fuiſſe putaret, atque unico hoc actu integrum eorumdem miniſterium fuiſſe concluſum, qui dubitare velit, quum paulo infra ſcribat, traditione Apoſtolica de veteri Teſtamento ſumpta hoc ſibi vindicare in Dei Eccleſia Diaconos, quod fuerant olim in templo Levitæ, quos nemo ignorat, ſeparatos fuiſſe a reliqua multitudine, atque ad obeunda in tabernaculo fœderis ſacra munia peculiari conſecratione delectos? Nonne etiam in Apologia adverſus peſtilentiſſimum illum virginitatis hoſtem Jovinianum Diaconos annumerat cæteris Dei miniſtris continentiæ lege obſtrictis, quod & ipſi ſint ad divini ſacrificii miniſterium primitus inſtituti? Potuiſſet ſane Hieronymus tumidos illos Diaconos ſuæ conditionis graviſſime commonefacere, etſi eis præcipuum, quod obeunt, munus, altaris videlicet miniſterium ante oculos poſuiſſet, quum plurimum inter hoc & Sacerdotum officium interſit; iis tamen ſalutari pudore ſuffundendis opportunius duxit, infimum, quod ea ætate adhuc in uſu erat, miniſterium eis objicere, quia Diaconis erat præcipua intumeſcendi cauſſa; ex concredita enim illis bonorum Eccleſiæ adminiſtratione, & viduarum ac pauperum procuratione fiebat, ut & ipſi plurimum apud Epiſcopos gratia valerent, & egenorum turba eos tantum, neglectis Presbyteris, conveniret.

XVII. Quum Chryſoſtomus eadem hom. 14. in Apoſt. acta, & hom. XI. in I. ad Timotheum Epiſt. ſeptem priorum Diaconorum ordinationem ab Apoſtolis manuum impoſitione, atque prece peractam *ſacram* diſerte vocet, *ad quam hominus opus*, ideſt manuum impoſitio, *& divina operatio conſpirarunt*, merito Viri doctiſſimi, quemadmodum Eſtio & Sylvio animadverſum eſt, memoratum Chryſoſtomi textum interpolatum vitiatumque fuiſſe exiſtimarunt. Non eſt itaque cur auctoritate Trullani Concilii moveamur; illud enim illegitimum fuit, cujus pleræque adverſus venerandæ antiquitatis regulam ſanctiones numquam Romanæ ſedis, Latinæque Eccleſiæ calculo probatæ ſunt; In errorem quoque corrupto illo Chryſoſtomi teſtimonio inductum fuit, ut Diaconos perperam duas partiretur in claſſes, quorum alii vulgarium menſarum tantum miniſtri eſſent, & bonorum temporalium œconomi, ut ſeptem priores ii a Luca memorati, alii myſteriis ſervientes, de quibus Paulus ad Timotheum & Titum agit. Geminam hanc Diaconorum claſſem commentitiam eſſe, & ab Apoſtolica narratione haud parum abludere, præter hactenus dicta, quis ex quartodecimo Neocæſarienſis Concilii canone manifeſte non colligit, quo ſancitur, *Diaconos ſeptem debere eſſe juxta regulam, licet magna ſit Civitas, quum hoc ipſum Apoſtolorum liber inſinuet?* Qui porro erant Diaconi, quos laudata Synodus ſtatuit, non niſi ſeptem numero in qualibet urbe etſi magna futuros eſſe? Ii ſane qui Myſteriis ſerviebant, ſeu Altaris Miniſtri; quum ergo horum numerum definiat Synodus, quod totidem legantur ab Apoſtolis ordinati, argumento eſt, crediddiſſe illam, ſeptem priores Diaconos non uſualium tantummodo menſarum adminiſtros fuiſſe, ſed & ad Altaris miniſterium ordinatos. Temere itaque Trullani Patres, ut fictitiam illam ſuam Diaconorum partitionem inveherent, hunc Neocæſarienſis Concilii canonem rejecerunt, cujus apud eos major futura fuiſſet auctoritas, quo Apoſtolicæ ætati propius Apoſtolorum mentem perſpectam magis habere potuit & exploratam; habitum enim illud fuit ſolido decennio ante Magni Concilii Nicæni celebrationem an. ſcilicet Chriſti 314.

ARTICULUS IV.

De ſacro Presbyteratus Ordine.

I. PResbyteratum veri nominis Sacramentum eſſe, non ſolum Catholici omnes inconcuſſi Dogmatis loco habent, ſed Calvinus ipſe lubenter agnoſcit ſæpius memorato l. 4. Inſtit. c. 19. ajens : „ Quantum ad verum Presbyterii munus „ adtinet, quod ore Chriſti nobis eſt commendatum, libenter eo loco habeo .... „ Quod autem tertium in numero non „ poſui, eo factum eſt, quod non ordinarium nec commune eſt apud omnes „ fideles, ſed ad certam functionem ſpecialis ritus ; “ quare Gregalium ejus plerique, qui nullum Presbyteratui inter novæ legis Sacramenta locum tribuunt, non Magiſtri auctoritate ſolum, ſed & momentis perſtringi poſſunt, quibus ille plane demonſtrat, Presbyteratum Sacramenti titulo recte inſigniri, quod nimirum illic ceremonia ſit primum ex Scripturis ſumpta, deinde quam non eſſe inanem nec ſupervacaneam, ſed fidele ſpiritualis gratiæ ſymbolum, Paulus teſtatur. Non erunt ergo in veritatis hujus confirmatione a nobis ponenda verba, quam & Calvinus ipſe dat, quamque adverſus ejus, & Lutheri diſcipulos art. primo ſatis, ut puto, jam communivimus. At graviſſima nobis concertatio futura eſt cum Calvino, qui Sacerdotum noſtrorum ordinationem verbo Dei deſtitui, noſtrumque Sacerdotium non Sacramentum eſſe, ſed impietatem ac ſacrilegium, multis tum eodem hoc capite, tum quinto, & decimo octavo ejuſdem libri probare contendit. Itane vero? Ita ſane, ait Calvinus, „ ut manuum impoſitionem in veris legitimiſque ordinationibus „ Sacramentum eſſe concedo, ita nego locum habere in hac fabula, ubi nec Chriſti mandato obtemperant, nec finem „ reſpiciunt, quo nos ducere debet promiſſio. “ Quare vero mandatum Chriſti in Sacerdotum ſuorum ordinatione Romana Eccleſia tranſgreditur? „ Quia Evangelii ſui ac Myſteriorum diſpenſatores ordinari juſſit Chriſtus, non victimarios inaugurari, mandatum dedit de „ prædicando Evangelio, paſcendoque grege, non de hoſtiis immolandis: Spiritus „ ſancti gratiam promiſit non ad peragendam peccatorum expiationem, ſed ad „ gubernationem Eccleſiæ rite obeundam „ ac ſuſtinendam. “ Nefarium hunc Calvini errorem Synodus Tridentina ſeſ. 23. de Ordine can. primo protrivit: *Si quis dixerit, non eſſe in novo teſtamento Sacerdotium viſibile, & externum, vel non eſſe poteſtatem conſecrandi, & offerendi verum Corpus & Sanguinem Chriſti, & peccata remittendi & retinendi, ſed officium tantum & nudum miniſterium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes, anathema ſit.* Eundem hunc Calvini, omniumque Novatorum errorem refellendum aggredimur.

Sacerdotum noſtrorum ordinatio legitima & vera eſt, & veri nominis Sacramentum.

II. Calvinus Sacerdotium noſtrum impium ac ſacrilegum eſſe pronuntiat, nec potuiſſe ſe nobis improbius ordinem a Deo poſitum depravari, quia Presbyterii & Sacerdotii nomina confundentes, Sacerdotes inſtituimus, quorum ſit, ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti in altari conficere, orationes concipere, benedicere dona Dei, & peccata remittere vel retinere; ipſe tamen omnium impiiſſimus eſt, & Chriſto maxime injurius, hæc in Dei Eccleſiam procaciſſime effundens; quæ enim in tract. de Miſſæ ſacrificio momenta procudimus tum ex eo, quod Malachiæ 1. Dominus ait, offerendam videlicet nomini ſuo, quod magnum futurum erat in gentibus, in omni loco, tempore Meſſiæ, ut Rabbini interpretantur, oblationem mundam, ſeu ex farina puriſſima, tum ex eo, quod Paulus 1. ad Cor. 10. ſcribit, non poſſe eos, qui participatione menſæ dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri, utrobique menſæ nomine altare, in quo quidpiam externo ritu vere immolatur, intelligens, probe conficiunt, inſtitutum a Chriſto fuiſſe, qua nocte tradebatur, viſibile, ſicut hominum natura exigit, ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi remaneret, atque ſalutaris ejuſdem virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie patrantur, criminum applicaretur; Quum vero nequeat ſine Sacerdotio ſacrificium intelligi, neque victima offerri ſine Sacerdote ad id muneris initiato, non-

nonne ſanctiſſime atque veriſſime Tridentina Synodus docuit, *quum ſacrificium & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſint, ut utrumque in omni lege extiterit, in novo quoque Teſtamento ſanctum Euchariſtiæ ſacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fatendum quoque eſſe, in ea novum fore viſibile & externum Sacerdotium, in quo vetus translatum eſt?* „ Sed quid ego argumen„ tor, quid plura diſputo? (graviſſimi „ Theologi Melchioris cano verba huc „ mirifice quadrant) etiamne in tam „ perſpicuis rebus argumentatio quæren„ da, aut conjectura capienda eſt? An „ dubitari poteſt, ubi nullum peculiare „ ſacrificium, res ſacra nulla, Sacerdos „ proprie nullus eſt, ibi ne religionem „ quidem eſſe poſſe?" Adeone deſipuiſſe Chriſtum, Calvinus dicet, ut Eccleſiam inſtituerit, in qua nullum eſſet externum ac viſibile ſacrificium, itidemque ejus generis Sacerdotium nullum, quum nulla ſit, teſte Paulo, lex ac religio ſine Sacerdotii munere, ſeu ſacrificio, nullum item ſacrificium ſine proprio Sacerdotio? Agnoſcat ergo Calvinus, aut nullam a Chriſto inſtitutam religionem, aut inſtituiſſe illum in Eccleſia verum & ſacrificium, & Sacerdotium, ſine quibus nulla eſſe ac intelligi poteſt religio.

III. Quoniam vero Calvinus obgannit, Sacerdotum noſtrorum ordinationem fabulam eſſe, in qua nec Chriſti mandato paremus, nec finem reſpicimus, quo nos ducere promiſſio debet, inquirendum eſt in Chriſti mandatum, indeque petendus finis, in quem ille Apoſtolos Sacerdotes inſtituit, & inſtituendos alios ritu perpetuo juſſit. Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. quum multis demonſtraſſet, ob Sacerdotii Levitici infirmitatem neceſſe fuiſſe, ut alius Sacerdos ſurgeret, qui non ſecundum ordinem Aaron diceretur, *nec ſecundum legem mandati carnalis factus eſſet, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis*, hancque Sacerdotem fuiſſe Dominum noſtrum *ex Juda* ortum, *in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*, cui Pater cum jurejurando dixit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, probat, opus fuiſſe, ut & Chriſtus haberet aliquid, quod offerret, quum *omnis Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituatur*, obtuliſſe autem illum corpus & ſanguinem ſuum &c. ſibique demandato a Patre Sacerdotio functum eſſe. Sacerdotem fuiſſe Chriſtum, quum Deo Patri ſeipſum in cruce obtulit, credimus & confitemur, Sacerdotem vero cruenta illa oblatione tunc egiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, pernegamus; *in Sacerdote* enim *Melchiſedech*, ait Cyprianus ad Cæcilium, *ſacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura divina teſtatur* &c. moxque explicans, quo ſenſu fuerit Chriſtus conſtitutus a Patre Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, addit: *qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit* &c. Niſi ergo fateamur, quod Tridentina Synodus omnibus credendum edixit, Chriſtum in noviſſima cæna ſub panis vinique ſymbolis corpus & ſanguinem ſuum Deo Patri obtuliſſe, conſequens erit, nunquam illum Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech functum eſſe, excidiſſe iccirco immobile illud jusjurandum, quo ſecundum præfatum ordinem fuerat Sacerdos in æternum conſtitutus a Patre, quod ne cogitari quidem abſque ſacrilegio poteſt. Peracto autem tunc ſacrificio, e veſtigio Chriſtus adjecit, *hoc facite in meam commemorationem*. Quid ſibi volunt hæc verba? Nonne Chriſti mandatum idque evidens præferunt, de ſacrificio eodem exhibendo, quod ille mox obtulerat, quo mors ejus annuntietur, ſeu mortis ejus memoria recolatur, *donec veniat*, ut ait Paulus, ideſt uſque ad ſæculi conſumationem? Sane, ſi iis Chriſti verbis juſſos nos eſſe, gratias agere, benedicere, frangere, ſumere, diſtribuere, Novatores quique contendunt, quod pronomen illud demonſtrativum ea omnia comprehendat, quæ Chriſtus ea occaſione peregit, inferendum neceſſario eſt, & juſſos nos eſſe ſacrificare, quum Chriſtus Euchariſtiam conſecrans verum Patri ſacrificium obtulerit, quare Buxtorphius Lutheranorum doctiſſimus verba Chriſti ita interpretatur: *hoc facite, quod ego nunc feci, ideſt ſacrificate*.

IV. Idem ſibi fuiſſe a Chriſto præceptum perpetuo intellexit Eccleſia, ejuſque mandato obtemperans ad idem, quod Chriſtus obtulit, offerendumque præſcripſit, ſacrificium Deo exhibendum Presbyteros ordinavit: *Calicem*, ait l. 4. adverſus

ſus

ſus hæreſes c. 32. Irenæus præclariſſimus ſecundi ſæculi Scriptor, *calicem ſimiliter ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi teſtamenti novam docuit obiationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo, qui alimenta nobis præſtat* &c. & c. 34. *offerimus*, inquit, *Deo Eucharistiam non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi ejus* &c. Idem teſtatur Cyprianus in celebri ad Cæcilium Epiſtola ajens: *Scriptura dicit, ut quotieſcumque calicem in commemorationem Domini & paſſionis ejus offerimus, id, quod conſtat feciſſe Dominum, faciamus... a Domino admoniti, & inſtructi ſumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus*; hinc perpetuus & conſtans in Eccleſia mos, Sacerdotes initiandi ad ſacrificium Euchariſticum peragendum, quemadmodum manifeſtiſſime produnt probatiſſimæ quæque Liturgiæ, pervetuſti omnes Latinorum Ritnales libri, & Euchologia Græcorum, Armenorum, Syrorum, Ægyptiorum, Æthiopum, aliarumque quarumlibet Chriſtianæ profeſſionis ſocietatum. Si ergo juſſit Chriſtus, auctore Calvino, non victimarios inaugurari, ſi non de hoſtiis immolandis mandatum dedit, ſi ordinationis Sacerdotum ſignum plurimum a re ipſa diſtat, cui eſt dedicatum, ludificavit ergo Eccleſiam ſuam Chriſtus, neque promiſſo ſtetit, quo fidem ſuam ſemel iterumque obſtrinxerat, de mittendo ſpiritu veritatis, qui cum ea in æternum maneret, eamque in omnem veritatem induceret, & ſuggereret illi omnia, quæcumque ipſe Apoſtolis dixerat, ideſt legitimam illi Scripturarum ſacrarum intelligentiam largiretur; nam ſi Calvino auſcultandum ſit, erravit Eccleſia turpiſſime, Chriſti mandatum præpoſtere interpretans, Sacerdotes ad offerendam placationis hoſtiam ordinans, quo nihil eſſe poteſt Sacerdotio Chriſti magis injurium, manuumque impoſitione utens in alium omnino finem, quam qui fuerat præſtitutus a Chriſto. Ab hoc, quod Tertulliani eſt in l. de præſcriptione, argumento, ſeſe Calvinus, ſi potis eſt, ejuſque Gregales expediant, cui & illud addi poſſet, quo ſui temporis hæreticos e veſtigio idem Tertullianus urgebat, fieri ſcilicet nulla ratione potuiſſe, ut *in unam fidem Eccleſiæ omnes erraverint, ideoque quod apud omnes unum invenitur, erratum non eſſe, ſed traditum*. Sane, quemadmodum paragrapho præcedenti cum doctiſſimo Beveregio animadvertimus, etſi nullum aliud in promptu eſſet, nonne hoc validiſſimo & invicto argumento eſſet, doctrinam hanc a Chriſto ad Apoſtolos, atque ab his ad Eccleſiam permanaſſe, quum omnem omnino fidem ſuperet, Eccleſias ubique terrarum conſtitutas, tantoque a ſe invicem intervallo diſterminatas, quodque gravius eſt, non locorum ſolum, ſed & morum, & rituum, & dogmatum varietate plurimum diſſitas, in doctrinam hanc invariate & perpetuo conſpitaſſe, niſi Chriſtus ipſe, ut Irenæus ait, *novi teſtamenti novam docuiſſet oblationem, noſque a Domino admoniti*, ut Cyprianus teſtatur, *inſtructique eſſemus, ut calicem, ſecundum quod ipſe obtulit, offeremus*?

V. Iiſdem argumentis evincitur, Sacerdotum noſtrorum ordinationem iniquiſſime a Calvino culpari, haberique ludibrio, quod ad ſolvenda quoque vel retinenda peccatorum vincula conſecrentur, quum tamen Chriſtus gratiam Spiritus ſancti promiſerit, non ad peragendam peccatorum expiationem, ſed ad gubernationem Eccleſiæ rite obeundam ac ſuſtinendam. Recolite, quæ de Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione, deque collata Apoſtolis eorumque legitimis ſucceſſoribus poteſtate remittendi ac retinendi peccata, partim e Scripturis, partim ex Patrum traditione, Eccleſiaſticis monumentis, & Eccleſiarum omnium conſenſione in tract. de pœnit. diſſeruimus, eademque huc conferentes, atque illa juxta præſcriptam a Tertulliano argumentandi formam ſcite urgentes, blateronis nugaciſſimi os obſtruetis. Cæterum ut beſtiam iſtam in ſua arena conficiamus, ſuis illum verbis perſtringimus, quibus ejuſdem l. 4. c. 1. Anabaptiſtas validiſſime premit: „ Certo ſtatuendum, divina liberalitate, intercedente Chriſti merito, per ſpiritus ſanctificationem, peccatorum gratiam nobis factam eſſe, ac quotidie fieri, qui in Eccleſiæ corpus aſciti, ac inſerti ſumus. Ad hoc bonum nobis impartiendum claves Eccleſiæ datæ ſunt; non enim quum Apoſtolis mandatum dedit Chriſtus, & poteſtatem remittendi peccata, hoc tantum voluit, ut eos ſolverent a peccatis, qui ab impietate ad fidem Chriſti converterentur, ſed „ ma-

„ magis ut hoc officio fungerentur perpe- „ tuo inter fideles; ergo in ſanctorum „ communione, ipſius Eccleſiæ miniſterio „ nobis aſſidue remittuntur peccata, quum „ Presbyteri, vel Epiſcopi, quibus hoc „ munus commiſſum eſt, pias conſcien- „ tias Evangelicis promiſſionibus in ſpe „ veniæ & remiſſionis confirmant, idque „ tam publice quam privatim, prout ne- „ ceſſitas poſtulat . . . . . . Per Eccleſiæ „ Miniſtros & Paſtores nobis diſpenſatur „ hoc beneficium vel Evangelii prædica- „ tione, vel Sacramentorum adminiſtra- „ tione " &c. Putas horum meminiſſe Calvinum, dum c. 19. tam atrocia ſcommata in Romanam Eccleſiam jaculatur, quod Presbyteros non ad ſacrificandum ſolum, ſed & ad ſolvendum a peccatis inauguret ? Si ergo remittendi peccata mandatum atque poteſtas Apoſtolis a Chriſto facta eſt, idemque munus ad Presbyteros & Epiſcopos derivatum, alienum ne a ratione fuerit, munus idem poteſtatemque exteriori aliquo ſymbolo ad eorumdem ordinationem adhibito ſignificare ?

Calvini argumenta franguntur.

VI. Quum præcipua Calvini objecta eadem illa ſint, quæ ex Epiſt. Pauli ad Hebræos petita in Euchariſticum ſacrificium intorſit, & quibus ſibi ille viſus eſt, Papalem Miſſam funditus everiiſſe, in mentem revocanda ſunt reſponſa, quibus ibi hæc ejus argumenta contrivimus, ne actum agamus, quod antiquo vetamur adagio. Poſtquam vero Calvinus memoratis Pauli teſtimoniis Presbyteratus noſtri rem ſive ſubſtantiam, ut ſtulte putat, peſſumdedit, ceremonias ordinationis aggreditur, quas ironice ait, cum re ipſa optime congruere, ac primo, inſulſe nos & impie Chriſti inſufflationem imitari contendens, ita nos inverecunde ſubſannat: „ Dominus quum Apoſtolos aman- „ daret ad Evangelii prædicationem, in- „ ſufflavit in eos, quo ſymbolo Spiritus „ Sancti virtutem, qua illos donabat, re- „ præſentavit. Hanc inſufflationem re- „ tinuerunt boni iſti Viri, & quaſi Spiri- „ tum Sanctum e ſuo gutture egerant, ſuper „ ſuos, quos formant, ſacrificulos demur- „ murant, *accipite Spiritum Sanctum*. Sunt „ adeo effrontes, ut aſſerere auſint, con- „ ferri a ſe Spiritum Sanctum; ſed quam „ id verum ſit, experientia docet, quæ „ clamat, ex equis fieri aſinos, ex fa- „ tuis phræneticos quicumque in Sacer- „ dotes conſecrantur. "

Salomoni parebimus nos commonenti, *ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ejus, ne efficiaris ei ſimilis*, ſurdaque aure Calvini contumelias præteribimus; ne tamen ille ſapiens ſibi eſſe videatur, quod minime ferendum eſſe, Salomon idem monet, pinguiſſima ejus errata retegenda ſunt, & valide refutanda. Errat ille primo, & manifeſtam Evangelio vim infert, blaterans, inſufflaſſe in Apoſtolos Chriſtum, eoſque Spiritus Sancti virtute donaſſe, quum illos ad prædicationem Evangelii amandaret, quod falſum eſſe, nullo negotio deprehendet, quiſquis vel curſim in poſtremum Matthæi & Marci caput oculos conjecerit, in quo de Evangelii prædicatione & baptizandi miniſterio Apoſtolis a Chriſto ipſa ſuæ in cælos aſcenſionis die concredito uterque Evangeliſta agit, ne verbo quidem habito de effuſo in Apoſtolos ad obeundum id munus Spiritu Sancto, quem tunc promiſſum a Chriſto poſt dies aliquot mittendum, ut ejus virtute firmati Evangelium in Hieruſalem & in omni Judæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ annuntiare poſſent, refert Lucas Evangelii ſui ultimo, & Act. primo. Inſufflaſſe autem in Apoſtolos Chriſtum, eiſque Spiritum Sanctum communicaſſe, ſcribit Joannes c. 20., ipſa reſurrectionis ſuæ die, nec ullum tunc de prædicando Evangelio verbum, ſed de remittendis retinendiſque peccatis, *quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe collatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*, quemadmodum & Tridentinum ait, & nos in tract. de pœnitentia jam conſecimus; quum ergo poteſtas hæc Apoſtolis tunc collata non cum ipſis expiraverit, ſed ad Presbyteros & Epiſcopos derivata uſque ad ſæculi conſumationem perduratura in Eccleſia ſit, quemadmodum Calvinus, & Molinæus ultro concedunt, quid culpandum eſt in ea Latinæ Eccleſiæ forma, qua iis, qui ad Sacerdotium initiantur, Epiſcopus manus imponens ait, *accipite Spiritum Sanctum* &c.? Si vere iis collata quondam Apoſtolis poteſtas ſacra ordinatione confertur, abſonum ne eſt, & ineptum, eadem

illa

illa verba uſurpare, quibus ſignificavit Chriſtus, remittendorum criminum auctoritatem a ſe in Apoſtolos eorumque legitimos ſucceſſores transferri? Ludimus ne, nihilque non præpoſtere effingimus (quod nobis Calvinus improperat) *non dico hiſtrionum more, qui nec ſine arte geſticulantur, nec ſine ſignificatione, ſed inſtar ſimiarum, quæ laſcive & abſque ullo delectu quidvis imitantur*, quum Domini exemplum retineamus, imitemurque, & in eamdem omnino ſignificationem ejus verba aſſumamus?

VII. At „ multa egit Dominus, ait „ Calvinus, quæ nobis exemplum eſſe noluit: Dixit Diſcipulis, *accipite Spiritum* „ *Sanctum*, dixit & Lazaro, *Lazare veni* „ *foras*, dixit Paralytico, *ſurge, & ambula*: cur non eadem dicunt omnibus mortuis, & paralyticis "? Ratio tamen in promptu eſt, eaque evidentiſſima; etſi Chriſtum ſuſcitaſſe mortuos, mundaſſe leproſos, aliaque id generis portenta feciſſe noverimus, non idem tamen paſſim aggredimur, quod mirabilia hæc divinæ virtutis opera ad miraculorum gratiam ſpectent, quam optime novimus ex Apoſtolo a Spiritu Sancto dividi, quibus & prout vult, ideoque nec communem eſſe, nec certo ritu communicari. Ceremoniam vero, qua Chriſtus traditam Apoſtolis remittendorum criminum poteſtatem ſignificare voluit, rectiſſime in exemplum trahimus, quod non a Chriſto in ſingulare miraculi ſymbolum uſurpata ſit, ut Calvinus effutit, ſed ad Sacramenti tunc inſtituti declarationem, ut ab ipſo ſui exordio Eccleſia conſtanter docuit: quare quum Sacramenta perpetua ſint, quamque tunc in Apoſtolos tranſtulit, remittendorum criminum poteſtatem, in Epiſcopos & Presbyteros permanaſſe Calvinus, Gregaleſque ejus affirment, patrocinatur optime nobis imitationis Chriſti excuſatio, ejuſque exemplo validiſſime nos tuemur. Delirat porro Calvinus, Epiſcopis noſtris affingens, æmulari illos Deum, & tantum non ad certamen provocare, ineptoque illo geſtu Chriſto ipſi illudere, quum aſſerere audeant, conferri a ſe Spiritum Sanctum, quis enim umquam eo dementiæ venit, ut hanc ſibi virtutem arroget? Nemo noſtrum eſt, qui non Ambroſio conſentiat de ſacra ordinatione ſcribenti: *homo manus imponit, ſed Deus largitur gratiam*; quare ſi ponendum in culpa eſt Epiſcopis, quod Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei agentes Domini verba uſurpent, erit & vitio dandum Calviniano Paſtori, quod Baptiſma adminiſtrans iis utatur verbis: *ego te baptizo &c.*, & in conficienda Euchariſtica cœna verbis iiſdem, quibus illam inſtitutam a Chriſto referunt Evangeliſtæ. An vero aliqui, qui Sacerdotio initiantur, ex equis aſini fiant, ex fatuis phrænetici, ideſt ſepoſito quovis litterarum ſtudio, abjectaque prorſus auguſti miniſterii ſancte obeundi cura, ſtupidiores poſt conſecrationem fiant, & deteriores, noſtrum non eſt curioſius inveſtigare; docere vero experientiam atque clamare, eos fieri & eſſe, quicumque conſecrantur in Sacerdotes, putidiſſima calumnia eſt hominis, qui totus eſt ad mentiendum, & maledicendum factus & comparatus.

VIII. Quamquam vero eos, qui rite conſecrantur in Sacerdotes, remittendorum criminum poteſtate donari, legitimam quoque & ſanctam eſſe ceremoniam jamdudum in Latina Eccleſia uſitatam, qua Epiſcopus recenter ordinatis manus iterum imponens ea Chriſti verba recitat, accipite Spiritum S. &c. fidei dogma ſit, in quod Catholici quique conſpirant, non eſt tamen Theologis omnibus conſtitutum, ad ordinationis ſubſtantiam ritum hunc pertinere; quare aut ſumma fuit Calvini ſupinitas, ſi varias de hoc capite Scholaſticorum opiniones ignoravit, aut ejus certe extrema temeritas, ſi pugnantia eorumdem placita perſpecta habens, ut tamen poſſet Sacerdotium noſtrum ſacrilegii & impietatis arguere, ex hoc præſertim ritu maledicendi argumentum arripuit, quaſi vero credamus omnes, poſitam in eo eſſe ordinationis noſtræ ſubſtantiam. Eruditionis itaque veſtræ gratia pauca ſubdemus, quæ ad rem hanc illuſtrandam plurimum conferent. Septimi de Synodo Diœceſana libri cap. 25. adnotat Summus Pontifex Benedictus XIV., tres ætate noſtra de Presbyteratus materie atque forma opiniones inter Theologos circumferri. Priſci Scholaſtici non aliam credidiſs hujus materiem quam inſtrumenta ab Epiſcopo porrecta, non aliam formam, quam verba ab eodem inter porrigendum enuntiata agnoverunt, agnoſcuntque etiamnum plures ex D. Thomæ, & Scoti Schola Theologi. Alii, quibus viſum eſt perabſurdum, a Sacerdotii ſubſtantia illud excludere, quod unicum Scriptura ſacra, Concilia Patreſque omnes memorant commendantque, manuum ſcilicet impoſitionem, aliud-

aliudque loco ejus invehere, de quo altum in ſacris litteris, Patrum libris, & vetuſtis Eccleſiæ monumentis ſilentium, adæquatam, ut ajunt, ex inſtrumentorum traditione, & manuum impoſitione materiem, ut ex verbis utrique reſpondentibus integram Sacramenti hujus formam exurgere docent. Alii poſtremo in ſola manuum impoſitione, eique adjunctis verbis ordinationis hujus ſubſtantiam collocant, inſtrumentorum vero porrectionem, & comitantia verba, nonniſi accidentarii & integrantis ritus loco habendum eſſe contendunt, nec tamen abſque ſacrilegio prætermittendum, quod ſuprema illa, qua in Sacramentorum adminiſtratione, ſalva illorum ſubſtantia, Eccleſia Catholica pollet, auctoritate illum induxerit, quo magis expreſſa haberetur collatæ poteſtatis ſignificatio. Poſterioris hujus ſententiæ duo hæc præcipua momenta ſunt; Primo ſi omnia Orientalium Euchologia vetuſtiſſima atque recentia conſulamus, nihil in iis occurret præter manuum impoſitionem & preces, quod poſſit materiei atque formæ rationem induere; ratas autem fuiſſe ſemper atque eſſe Orientalium ordinationes, quis dubitare velit, quum illas ſemper Romana Eccleſia probaverit? Putas autem, illas a Romana Eccleſia habendas fuiſſe ratas, ſi quidpiam eis vere deeſſe exiſtimaſſet, quod ad Sacramenti ſubſtantiam pertineret? Secundo, quiſquis Carthaginenſis quarti Concilii canonem de Presbyterorum ordinationis ritu, vetuſtiſſimos quoſque Pontificales libros, eorumque, qui de ſacris Eccleſiæ ritibus fuſe ſcripſerunt, opera diligenter evolverit, nullum in iis porrectionis inſtrumentorum veſtigium deprehendet, ritumque hunc non ante ſeptingentos, aut, etiamſi velis, octingentos annos in Latinam Eccleſia inductum fuiſſe comperiet. Cui autem in mentem veniat, Latinam Eccleſiam ab ipſa Apoſtolorum ætate ad annos pluſquam nongentos vero Sacerdotio caruiſſe? Id autem conſequi neceſſe eſt, ſi contendas, inſtrumentorum traditionem, quam illa novem ſæculorum ſpatio ignoravit, vel totam eſſe ordinationis hujus ſubſtantiam, vel eam ſubſtantiæ partem, ſine qua irrita ſit ordinatio.

IX. Quoniam vero ter Epiſcopus ordinando manus imponit, primo abſolutis litaniis, una cum aſtantibus ibi Presbyteris, nihil tamen ore proferens, ſecundo ipſe item cum Sacerdotibus manibus ſuper ordinandi caput extenſis, orationem interim recitans perantiquam, quam nobis etiam nunc exhibet Pontificale, tertio denique poſt communionem in ipſa ordinationis clauſula, ſuper ordinatorum quemque ea Chriſti enuntians, *accipe Spiritum Sanctum* &c. fervet inter Theologos controverſia, quid de trina hac manuum impoſitione cenſendum ſit. Qui ordinationis eſſentiam perfici ſola inſtrumentorum traditione propugnant, ab ejus ſubſtantia tres iſtas manuum impoſitiones ablegant, qui vero ex inſtrumentorum porrectione ſimul, ac manuum impoſitione conflari totam Sacramenti hujus materiem docent, tertiam eligunt manuum impoſitionem, quæ ſubſtantiam Sacerdotii conſtituat, priores duas non item, quod illas accidentarias cenſeant, & mere ceremoniales. Pro ſecunda dumtaxat ſtant, quotquot integram ordinis hujus eſſentiam in manuum impoſitione collocant, quamquam Martene animadvertat, non differre ſecundam a prima, ſed hujus potius continuationem eſſe, quæ Martene animadverſio laudato Pontifici ſacrorum rituum conſultiſſimo mire probatur. Poſtremam manuum impoſitionem cum recitata verborum formula nonniſi ceremoniam eſſe a Latinis recentius additam, quæ iccirco nequeat ad ordinationis ſubſtantiam attinere, ſed unice ejus decorem augeat atque ornet, eadem illa momenta conficiunt, quibus tertiæ ſententiæ Patroni inſtrumentorum traditionem oppugnant, nimirum quod nihil ſimile exhibeant antiquiſſima & hodierna Græcorum Euchologia, ſitque eis ceremonia hæc prorſus ignota, quum tamen veras & ratas eſſe eorum ordinationes, calculo ſuo non ſemel Romana Eccleſia comprobarit, item quod totius hujus ceremoniæ, ſive ſubſtantiam, ſive circumſtantias ejus ſpectes, nullum in Dei Eccleſia duodecim ſæculorum ſpatio veſtigium appareat, nulla ejus mentio in pervetuſtis ritualibus libris, atque Micrologis, imo eſſe illam inſtrumenta porrigendi ritu multo recentiorem in tota ſaltem Latina Eccleſia, Martene nonnullorum Pontificalium librorum auctoritate demonſtret; quare alterutrum dicendum eſt, ajunt Recentiores ii, qui in tertia ſententia ſunt, aut immutatam fuiſſe Sacramentorum ſubſtantiam, quod erroneum, aut veterem Eccleſiam vero Sacerdotio, & Miniſtris legitimis caruiſſe, quod plane hæreticum eſſet, ideoque neceſſario conficien-

cien-

oiendum, Presbyteratus ordinem ſola manuum impoſitione, non tamen poſtrema illa, quæ recentioris eſt ævi, conferri.

X. Ceterum etſi de his innoxie diſputetur in Scholis, quique vellet hæc definire, in eas ſeſe difficultates coniiceret, ut commonet prudentiſſime idem Pontifex, a quibus vix ac ne vix quidem poſset ſe expedire, fatendum tamen, poſtremam illam manuum impoſitionem, eamque comitantia verba ceremoniam ſacram eſse, quam etſi recentiorem eſse dederimus, nemo tamen negar, ſummo jure, ac ſanctiſſime ab Eccleſia fuiſſe inductam, quum nitatur illa exemplo Chriſti, & aptiſſimam habeat ſignificationem. Sitne vero illa *neceſſitate*, ut ajunt, *Sacramenti*, an *Eccleſiaſtici præcepti* ſolum uſurpanda, non ii ſumus, qui litem ſententia noſtra dirimere poſſimus; quare memoratus Pontifex, ut a quopiam de implexa hac controverſia in Synodis ſanciendo Epiſcopos avocet, quæſtionem nuper ſacræ Concilii Congregationi propoſitam memorat: „ Quidam Sacerdotio in-
„ itiandus, impoſitis jam ſibi bis ab Epiſ-
„ copo manibus, quo tempore idem Epiſ-
„ copus inſtrumenta a Pontificali præſcri-
„ pta tradebat, mente tunc aliis intentus
„ ad eundem cum cæteris non acceſſit.
„ Dubitatum ſubinde graviter, quæſitum-
„ que a laudata Congregatione, quid fa-
„ cto opus eſſet. Dubitandi momenta ſup-
„ peditabat acerrima illa inter Theologos
„ controverſia de Presbyteratus materie at-
„ que forma. “ Poſt recitatas varias opiniones, quibus inter ſeſe invicem Theologi colliduntur, laudatus Pontifex ita concludit: „ Quum valde incertum ſit, an
„ is, de quo agitur, ſecunda manuum im-
„ poſitione fuiſſet rite ordinatus, id utique
„ faciendum erat, quod præſcribit Grego-
„ rius IX. in capite *Presbyter*, ubi in
„ caſu haud abſimili decernit, nihil eſſe
„ iterandum, ſed caute ſupplendum, quod
„ per errorem extitit prætermiſſum, quod
„ præcipue in illo rerum ſtatu ſervandum
„ erat, ne Sacramentum, quod in multo-
„ rum ſententia perfectum undique cenſe-
„ batur, iterationis periculo ſubiiceretur,
„ ſicut optime, atque ad rem omnino ap-
„ poſite adnotavit Natalis Alexander in-
„ quiens: Si quis horum rituum, qui ad
„ materiam vel formam pertinent, juxta va-
„ rias Theologorum opiniones in ordina-
„ tione fuiſſet omiſſus, v. g. manuum im-
„ poſitio prima, aut adjuncta oratio, aut
„ inſtrumentorum porrectio, vel unctio,
„ vel poſtrema manuum impoſitio, auril-
„ lam comitantia verba, accipite Spiritum
„ Sanctum &c. ſupplere deberet Epiſco-
„ pus, quod incaute fuerat prætermiſſum,
„ ut colligitur ex cap. *Paſtoralis*, & ex
„ cap. *Presbyter de Sacramentis non iteran-*
„ *dis*. Quia vero nonnulli haud infimæ
„ notæ Theologi cenſuerunt, impoſitionem
„ manuum præambulam porrectioni inſtru-
„ mentorum, ſimul cum hac in unam co-
„ aleſcere materiam, qua una cum verbis
„ ab Epiſcopo inſtrumenta tradente prola-
„ tis, prima confertur Sacerdotalis pote-
„ ſtatis pars, conficiendi ſcilicet corpus
„ Chriſti, ſacra idcirco Congregatio ſcite
„ animadvertens, præviam illam manuum
„ impoſitionem jamdiu antea peractam,
„ non poſſe moraliter conjungi cum tradi-
„ tione inſtrumentorum, quæ poſtmodum
„ fieret, ut etiam hujus opinionis in re
„ tanti momenti rationem aliquam habe-
„ ret, totam ordinationem ſub conditione
„ iterandam eſſe reſcripſit. “ Hactenus Summus Pontifex.

Urget Calvinus: „ Unctionem vero a
„ quo tandem acceperunt? Reſpondent ſe
„ accepiſſe a filiis Aaron, a quo & ſuus
„ ordo ſumpſit initium; perverſis igitur
„ exemplis perpetuo ſe tueri malunt, quam
„ fateri a ſe excogitatum, quod temere
„ uſurpant, ſed interim non advertunt,
„ dum ſucceſſores ſe profitentur filiorum
„ Aaron, Chriſti Sacerdotio ſe eſſe inju-
„ rios: ergo dum Levitarum æmuli eſſe
„ appetunt, Apoſtatæ fiunt a Chriſto, ſe-
„ que Paſtorum munere abdicant. “

XI. Tædet, a Calvino nos cogi, in eodem ſemper tundendo clavo operam ponere; Si Judaiſmum invehimus Sacerdotes noſtros Deo conſecrantes, quod hæc Sacerdotum unctio uſitata apud Hebræos eſſet, quidni Apoſtolos ipſos inſtaurati Judaiſmi Calvinus arguat, quos numquam alia ceremonia uſos eſſe fatetur, quum aliquem miniſterio admovebant, quam manuum impoſitione, quem ritum, arbitratur ipſe ab Hebræorum more fluxiſſe, qui quod benedictum, ac conſecratum volebant, manuum impoſitione quaſi Deo repræſentabant? Si unctione utentes, quum aliquem Sacerdotio admovemus, Chriſti Sacerdotio injurii ſumus, Apoſtatæ a Chriſto efficimur, & ex Paſtoribus lupi, quidni idem crimen in Apoſtolos conferatur, quos in Miniſtrorum ſacrorum initiatione

non alio ritu uſos eſſe conſtat, quam quem ab Hebræis acceperant? Calvino autem urgenti, ſi tantopere Moſaicis ceremoniis oblectamur, cur non boves, vitulos, agnos ad ſacrificia rapimus, reponimus cum pervetuſto Auctore libri de operibus Chriſti cardinalibus inter D. Cypriani opera; „ Nec tamen ceſſantibus his, „ quæ ritu antiquo inoleverant, quum jam „ in populo Chriſtiano circumciſio videre- „ tur damnabilis, & ſacrificia bovum ido- „ lolatriæ imputarentur, unctionis myſte- „ rium religio Chriſtiana contempſit, ſed „ cæteris generali Sanctorum conſenſu dam- „ natis, non ſolum in Regibus & Sacer- „ dotibus unctionis honor permanſit, ſed „ in omnem Catholicum populum effuſa „ eſt hujus gratiæ plenitudo “ &c. Cur vero unctionis myſterium etſi olim Hebræis in more poſitum Chriſtiana religio retinuerit, eandem rationem adferimus, quam uſurpatæ ab Apoſtolis manuum impoſitionis Calvinus tradit, quod nimirum perutile ſit, ejuſmodi ſymbolo tum miniſterii noſtri, quod multo auguſtius eſt eo, ad quod olim Reges, Sacerdotes, & Prophetæ antiqui fæderis ungebantur, dignitatem populo commendari, tum eum, qui ungitur, admoneri, ſe Chriſtum Domini eſſe multo potiori titulo, quam olim fuerunt Sacerdotes, Prophetæ, & Reges, ideoque jam non eſſe ſui juris, ſed Deo & Eccleſiæ perpetuo conſecratum.

XII. Quum etiam Calvinus ipſe doceat, vulgare ac tritum eſſe, Spiritum Sanctum ejuſque dona oleo ſignificari, quodpiam ne ſanctius aptiuſque ſymbolum aſſumere Eccleſia potuit, quo effuſa in recenter ordinatos Spiritus ſancti gratia, & collata eis ſacrificandi poteſtas ſignificaretur? „ Propterea „ oleo ſancto, ait Stephanus Æduenſis, „ manus Presbyterorum inunguntur, per „ quod gratia Spiritus Sancti eis collata „ ſignificatur, & quod abundare debeant „ operibus miſericordiæ, deſignatur. In „ his etiam manus Sacerdotis, quæ in fi- „ gura crucis oleo ſancto ſignantur, con- „ formantur manibus Chriſti, & illud in- „ ſigne miraculum, & ſalutiferum, quod „ inter manus Sacerdotis fieri creditur, „ hoc manus Chriſti operantur, qui ait, „ ſine me nihil poteſtis facere, unde cum „ ipſo, & in ipſo, & per ipſum totum „ agitur ſacrificium. “ Quare ſi Calvinus olei unctionem ad depellendos morbos neque temere, nec abſque myſterio adhibitam fuiſſe ab Apoſtolis cenſet, quod ſymbolum eſſet, quo imperitorum ruditas admoneretur, unde tanta virtus prodiret, ne ſcilicet ejus laudem Apoſtolis tribuerent, ſed intelligerent, oleo deſignari Spiritus Sancti virtutem per Apoſtolos operantem, temere Sacerdotum noſtrorum unctionem accuſat, quum ea quiddam multo perfectius & ſublimius ſignificare velit Eccleſia, converſionem videlicet panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, quæ inter Sacerdotum manus, miraculo omnium maximo, quotidie peragitur, non humanæ virtutis, ſed Spiritus ſancti potentiæ opus eſſe. Inſanit etiam Calvinus, nobis impudenter affingens, quod filiorum Aaron, a quibus Ordo noſter ſumpſit exordium, ſucceſſores nos eſſe gloriemur, quod appetamus eſſe Levitarum æmuli, quod ſuperſtitione & phariſaica opinione de dignitate operis noſtri imbuti, ut Judæi in circumciſione juſtitiæ fiduciam, ita nos in unctione ſpirituales gratias reponamus. Bone Deus! Quot in brevi oratione mendacia, quot calumniæ? Nemo noſtrum eſt, qui hæc ne ſomniet quidem: non habet ab Aaronico Sacerdotium noſtrum originem, ſed ab æterno illo Chriſti Sacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech, quod, ut erat Aaronico præfiguratum, ita illud antiquavit abolevitque, neque filiorum Aaron ſucceſſores aut Levitarum æmuli ſumus, ſed miniſtri unius ſummi Sacerdotis Chriſti Jeſu, qui in æternum vivens, & *ſemper aſſiſtens Deo ad interpellandum pro nobis*, nullos ſucceſſores habet, nec vero habere poteſt, ſed ejus, quod ſemel cruente in cruce obtulit, quodque Deo Patri ſemper in cælis inviſibiliter offert, offerendi in terris, incruente licet, viſibiliter tamen ſacrificii miniſtros inſtituit ſuique Sacerdotii Vicarios. Quis etiam noſtrum in exteriori unctura illa ſpirituales gratias collocat? Symbolum eſt illa quidem Spiritus ſancti, qui totius eſt gratiæ fons, & præcipuus poteſtatis ſacerdotalis auctor, nec quidpiam operis hujus dignitati phariſaica ſuperſtitione tribuimus, ſed totum Deo acceptum referimus, ex quo omnis noſtra ſuficientia eſt.

Inſtat Calvinus: „ hoc eſt, (ſi Deo „ placet) ſacrum oleum, quod characte- „ rem indelebilem imprimit, quaſi vero „ oleum pulvere & ſale abſtergi non poſ- „ ſit, aut, ſi tenacius adhæſit, ſapone. „ At character ille ſpiritualis eſt. Quid

„ oleo

„ oleo cum anima? An obliti ſunt, quod
„ ex Auguſtino occinunt, ſi detrahatur
„ verbum ab aqua, nihil fore niſi aquam,
„ habere autem a verbo, ut ſit Sacramen-
„ tum? An quod Moſi mandatum eſt de
„ filiis Aaron ungendis? At illic etiam
„ mandatur de tunica, de ephod, de ga-
„ lero &c. fœtet igitur eorum unctio,
„ quæ ſale, id eſt verbo Dei deſtituitur.

XIII. Etſi totum hoc Calvini argumentum ex puris putiſque figmentis conflatum ſit, quæ homo detrahendi libidine furens abſque ullo fundamento commentus eſt, dignum icciroo eſſet, quod cachinnis potius, quam ſerio reſponſo exciperetur, nonnulla tamen in ejus diſſolutionem conferre placet, quæ doctrinam Eccleſiæ plurimum illuſtrabunt. Unctionem hanc ritum ſacrum eſſe, maximeque laudabilem, atque in Presbyterorum ordinatione Eccleſiaſtico præcepto uſurpandum, fidei caput eſt a Tridentino Concilio definitum can. quinto, quo Calvini adverſus ceremoniam hanc furentis maledicta retudit: *Si quis dixerit ſacram unctionem, qua Eccleſia in ſancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, ſed contemnendam eſſe, & pernicioſam, ſimiliter & alias Ordinis ceremonias, anathema ſit.* Illa vero characterem indelebilem imprimi, nemini hactenus Catholicorum in mentem venit; etſi enim Cardinalis Hoſius in ea ſententia fuerit, ex manuum impoſitione & unctione integram Presbyteratus materiam coaleſcere, Joannes quoque Catumſyritus Italo-Græcus in ſua adverſus Petrum Arcudium diſſertatione, ritum hunc ad Sacramenti ſubſtantiam pertinere contendat, improbatur tamen hæc eorum opinio conſtanti Theologorum omnium conſenſione, quibus perſuaſum eſt, hunc unctionem non divini juris, ſed Eccleſiaſticæ inſtitutionis eſſe, ejuſque non admodum antiquæ; quandoquidem, ut Clariſſimo Morino animadverſum eſt, hanc in Eccleſia Romana tarde admodum invaluiſſe, & nono ſæculo nullum ibi ejus fuiſſe uſum, conſtat ex Nicolai I. reſcripto ad Rodulphum Bituricenſem Epiſcopum, cui ſciſcitanti an & Diaconorum, ut & Presbyterorum manus chriſmatis liquore perungendæ eſſent, reſpoſuit, *in ſancta Romana Eccleſia neutris unctionem illam adhiberi, nec uſpiam ſe legiſſe, a novæ legis Miniſtris id umquam actum.* „ Sane qui antiquiores rituales li-
„ bros examinaverit, ait Morinus, per-
„ ſpiciet ritum hunc eſſe quid extra Or-
„ dinem ritui ordinationis aſſutum, cum
„ præcedentibus non cohærens, ſed pror-
„ ſus diſſimile, & ab iis plane diſſolu-
„ tum, quod nihil habet ſubſequens, ve-
„ lut longe poſt ritum conditum ritui com-
„ pleto adnexum; ideo in antiqua hujus
„ unctionis praxi magna varietas, quæ ar-
„ gumentum videtur evidens, ritum hunc
„ nec Concilii alicujus generalis, nec ſum-
„ mi alicujus Pontificis decretum eſſe,
„ multo minus traditionem Apoſtolicam,
„ ſed in Occidente, forte in Gallia a qui-
„ buſdam Epiſcopis primum bono fine uſur-
„ patam, deinde paulatim in vicinas re-
„ giones propagatam, tarde Romam uſ-
„ que pervaſiſſe, ſed in Orientem non pe-
„ netraſſe, quum materialem hanc unctio-
„ nem hactenus ignoraverint Græci: "
Ita Morinus, qui documentis locupletiſſimis rem confirmat.

XIV. Hæc quum ita ſint, plane intelligitis, nihil eſſe Calvini argumentatione futilius, ac inſulſius, quum tota falſis hypotheſibus innitatur, quas ille ſibi confinxit. Etſi autem daremus, unctionem hanc ad ſuſtantiam ſacramenti ſpectare, & indelebilem characterem imprimere, quid inde? Licet pulvere, ſale, ac ſapone abſtergi oleum poſſit, ſpiritualis vero character ſit, ac deleri nequeat, ſapit ne Calvinus, dum bacchantis inſtar exclamat, *quid oleo cum anima?* Nonne & Baptiſmatis aqua faciliori negotio detergitur, & manuum impoſitio quidpiam materiale eſt, ac ſenſibile? Pervulgatum tamen eſt illud Auguſtini ſtupentis effatum, *quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & animam abluat*, cui Calvinus ipſe ſubſcribit, dum ejuſdem l. 4. c. 15. confitetur, „ exter-
„ num baptiſmi ritum habere certe inclu-
„ ſam promiſſionem de peccatorum remiſ-
„ ſione, mortificatione carnis, vivificatio-
„ ne ſpiritus, participatione Chriſti, ite-
„ randum icciroo non eſſe baptiſma ſub
„ Papiſmo collatum, ſicut Judæis nihil
„ obfuit ab impuris Sacerdotibus, & A-
„ poſtatis fuiſſe circumciſos, neque irritum
„ fuit ſignum, ut iterari neceſſe foret. "
Nonne & illud Ambroſii, *homo manus imponit, Deus autem largitur gratiam*, Calvinus probat c. 3. ſcribens, „ manuum im-
„ poſitionem non eſſe inane ſignum, nec
„ ceremoniam inutilem, quum Spiritus
„ ſanctus nihil fruſtra inſtituerit in Eccleſia,
„ & Apoſtolus Timotheum commonuerit,

„ ut

„ ut gratiam ſuſcitaret, quæ in eo erat „ per impoſitionem manuum ? “ Neque profecto ſapit Calvinus, dum ait, „ mirari ſe, cur, innumeris aliis Moſaicæ legis obſervationibus prætermiſſis, una olei „ unctio nobis placeat, noſque conari, religionem unam ex Chriſtianiſmo, Judaiſmo & Paganitate conficere. “ Omnia Moſaicæ legis ceremonialia præcepta obliterata jam confitemur, neque mortua ſolum, ſed & mortifera eſſe, nec quidquam in uſum aſſumimus, quod antiquitus in more erat, quaſi vero Judæos imitari velimus, & Judaiſmi reliquias in Chriſtianiſmum invehere, Moſaicis ceremoniis quidpiam deſerentes, ſed religioſe aliquid uſurpamus, quod eſt Eccleſiæ auctoritate legitima conſtitutum, quam ab omnibus audiendam eſſe, Chriſtus edixit, cum qua Spiritum veritatis perpetuo futurum eſſe promiſit, cui ut præ cæteris unctio iſta placeret, rationes illæ graviſſimæ ſuppetebant, quas jam expendimus, & adverſus quas ne hiſcere quidem Calvinus poteſt.

Pergit Calvinus; „ Quum ceremonias „ adhibeant vel ex Judaiſmo accerſitas, „ vel ex ſe ipſis confictas, de vero examine, de populi conſenſu, de aliis rebus „ neceſſariis nulla mentio. Habent Epiſcopi ſuos Vicarios, qui ante ordinationem de doctrina inquirant; ſed quid ? „ An legere ſuas Miſſas poſſint, an vulgare aliquod nomen, quod in lectione „ occurret, declinare, an conjugare verbum, an vocis unius ſignificationem noverint; neque tamen adhuc Sacerdotio „ repelluntur, qui in his quoque puerilibus „ elementis deficiunt, modo aliquam pecuniæ vel gratiæ commendationem attulerint. Quid in venerandis iſtis Patribus accuſes, niſi quod in tam apertis „ ſacrilegiis ludendo, Deum & homines „ nullo pudore rident ? “

XV. Si quis illiterati & rudes ad Sacerdotium obrepunt, abſit, ut eos purgare velimus, ſicut nec illos, qui abſque diligenti examine bardos hos in auguſtum adeo miniſterium initiant, *ſi enim vix in Laicis*, ait graviſſime S. Leo M. *tolerabilis videtur inſcitia*, *quanto magis in iis*, *qui præſunt*, *nec excuſatione digna eſt*, *nec venia ?* Qui literarum rudes in tantum gradum evadunt, quique eos provehunt præpoſtera facilitate, illud ſecum animo reputent, quod Deus Oſee 4. minatur: *Quia tu ſcientiam repuliſti*, *repellam te*, *ne Sacerdotio fungaris mihi*; illud etiam ſerio cogitent, quod in caput 2. Epiſt. ad Titum ſcribit Hieronymus: *Qualis erit ædificatio Diſcipuli*, *ſi ſe intelligat Magiſtro eſſe majorem ? Unde non ſolum Epiſcopi*, *Sacerdotes*, *& Diaconi debent magnopere providere*, *ut cunctum populum*, *cui præſident*, *converſatione*, *ſermone*, *& ſcientia præcedant*, *verum etiam & Exorciſtæ*, *Lectores*, *Æditui*, *& omnes*, *qui Domui Dei deſerviunt*, *quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit*, *meliores doctioreſque eſſe Laicos quam Clericos*. Iniquiſſime tamen Calvinus hoc, quod paucorum eſt vitium, toti Eccleſiæ tribuit, atque ordinationes noſtras ſacrilegio & impietate redundare contendit; neque enim ignorare poterat, quod Tridentina Synodus ſeſ. 23. c. 7. de reformatione ſanxerat prudentiſſime: „ Sancta Synodus antiquorum canonum veſtigiis inhærendo decernit, ut quando Epiſcopus ordinationem facere diſpoſuerit, omnes qui „ ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, ad civitatem evocentur: Epiſcopus „ autem Sacerdotibus, & aliis prudentibus „ Viris peritis divinæ legis, ac in Eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, ſibi adſcitis, ordinandorum genus, perſonam, „ ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtiget, ac „ examinet. “ Quinam vero ad Presbyteratum ſint aſſumendi, c. 14. declarans ait: „ Hi ſint, qui ad populum docendum ea, „ quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad „ ſalutem, ac miniſtranda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur “ &c. Quid ergo, ſi inepti quidam ad id muneris aſſumuntur ? Culpanda ne tota Eccleſia, quæ id cavit diligentiſſime, & nonnullorum, ſi qui tamen ſunt, qui officio ſuo deſint, ejuſque decreta poſthabeant, culpa in totam Eccleſiam transferenda ? Meminiſſe profecto Calvinus debuerat eorum, quæ adverſus Anabaptiſtas c. 1. ſcripſerat; „ fateor certe „ magnum probrum eſſe, ſi inter filios „ Dei locum habeant porci & canes, neque vero ſi bene moratæ erunt Eccleſiæ, „ hos in ſinu ſuo ferent. Verum quia non „ ita ſedulo ſemper Paſtores advigilant, „ interdum etiam indulgentiores ſunt quam „ oporteat, vel impediuntur, quo minus „ eam, quam vellent, ſeveritatem exerceant, fit ut non ſemper ſubmoveantur „ mali a Sanctorum contubernio. Verum „ etiamſi Eccleſia in officio ceſſet, non „ ideo

„ ideo protinus uniuſcujuſque privaterit, ju-„ dicium ſeparationis ſibi ſumere. Piis homi-„ nibus hoc conſilium dat Auguſtinus, ut *mi-„ ſericorditer corripiant, quod poſſunt, quod „ non poſſunt, patienter ferant, & cum di-„ lectione lugeant, atque gemant, donec „ aut emendet Deus ac corrigat, aut in „ meſſe eradicet zizania, & paleas venti-„ let, ſervent interim unitatem ſpiritus in „ vinculo pacis*. " Quis ſibi perſuadeat, horum memorem fuiſſe Calvinum, dum paulo poſt ordinationes Romanæ Eccleſiæ tot conviciis inſectaretur?

XVI. Quod vero Calvinus ordinationes exagitat, quia populi conſenſu deſtitutæ ſunt, ex peſtilenti illo errore eſt, quem ipſe poſt Lutherum imbuerat, hanc ſcilicet legitimam eſſe ex verbo Dei Miniſtri vocationem, ubi ex populi conſenſu & approbatione creantur, qui viſi fuerint idonei, quem errorem can. 7. Synodus Tridentina confixit: *Si quis dixerit, ordines ab Epiſcopis collatos ſine populi, aut poteſtatis ſæcularis conſenſu, aut vocatione irritos eſſe, anathema ſit*. Moris hujus exemplum aliquod in Apoſtolis præceſſiſſe, hocque ad plura ſæcula in Eccleſia factitatum, ut nimirum ad ſacrorum Miniſtrorum electionem atque ordinationem populi ſuffragium adhiberetur, concedimus perlibenter, negamus tamen, id divini juris eſſe, provocamuſque Calvinum, ut aliquod ex Dei verbo teſtimonium adferat, unde id neceſſarium eſſe noſcatur. Quid enim ſi Petrus Concilium indixit de aliquo Judæ proditori communibus ſuffragiis ſufficiendo, qui locum Apoſtolatus, & miniſterii ejus acciperet, quid ſi Apoſtoli Diaconorum electionem multitudini permiſerunt? Reponimus cum Chryſoſtomo exempla hæc expendente: *Quid? annon licebat ipſi Petro eligere? Licebat, & quidem maxime, verum id non fecit, ne cui videretur gratificari*; quare id inter diſciplinæ capita cenſendum eſt, non divini aut Apoſtolici præcepti loco habendum, quod ita ſervandum ſit, ut aliter irrita ſit ordinatio; quandoquidem etſi Apoſtoli ſemel atque iterum, quum de Miniſtris ſacris eligendis quæſtio fuit, fidelium cœtum in conſilium adhibuerint, id tamen providæ cujuſdam œconomiæ gratia factum eſſe, non divina aliqua ſanctione perpetuo, & inviariate ſervanda, ipſa Apoſtolorum Acta nos docent; Paulus enim & Barnabas a Doctoribus & Prophetis Antiochiæ commorantibus ſegregati ſeu ordinati ſunt ad opus miniſterii, ad quod illos Spiritus Sanctus aſſumpſerat, nullo præmiſſa populi conſultatione, nullo expectato plebis conſenſu, iidem quoque Aſiam ſubinde perambulantes conſtituerunt per ſingulas Eccleſias Presbyteros, quin ullum populi ſuffragium præceſſiſſe legatur, Paulus item Tito ſcribit, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*; neque ullam neceſſarii hujus populi conſenſus mentionem innuit, quod argumento eſt, Apoſtolorum ad commune conſilium plebem quandoque advocantium exemplum diſciplinæ, quæ variationem ſuſcipit, fuiſſe, non divini mandati regulam, quæ immota ſit, & abſolutam neceſſitatem inducat.

XVII. Perperam autem Calvinus ad erroris ſui præſidium trahit, quæ Cyprianus Epiſt. 68. habet: *Plebs maxime poteſtatem habet, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi*; poteſtatem enim Cyprianus innuit, quam obtinens ea ætate diſciplina populo fecerat, non vero quam divina aliqua ſanctio tribuiſſet; neque huic adverſatur, quod e veſtigio Cyprianus adjicit, nimirum *de divina auctoritate deſcendere, ut Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus ac idoneus publico judicio comprobetur, idque de traditione divina, & Apoſtolica obſervatione diligenter* ſervandum eſſe; digitum namque Cyprianus intendit ad morem in Aphrica, & in pluribus Chriſtiani orbis Provinciis tunc vigentem, ut nonniſi *ſub populi aſſiſtentis conſcientia*, ut ipſe ait, *Sacerdotales ordinationes fierent*, quatenus plebe præſente vel detegerentur malorum crimina, vel bonorum merita prædicarentur. Morem porro hunc, ait, de divina auctoritate & traditione deſcendere, quia nimirum Apoſtolica obſervatione legitur conſecratus, cujus veritatis teſtimonium petit a Mathiæ & ſeptem Diaconorum electionis exemplis. Cæterum quum non omnia, quæ ab Apoſtolis acta leguntur, ad abſolutæ neceſſitatis legem trahenda ſint, ſed ea tantum, quæ vel Chriſtus ipſe, vel Apoſtoli ejus auctoritate freti perpetuo ſervanda eſſe ſanxerunt, hinc mos iſte jamdudum ab Eccleſia juſtis de cauſis ſublatus eſt, quod probe noſſet, meræ diſciplinæ caput eſſe,

eſſe, quam nemo ignorat, reformabilem eſſe, ut Tertullianus inquit, præſertim quum rationabiles cauſſæ emergunt, illius vel immutandæ, vel penitus auferendæ.

XVIII. Non vacat in cauſſas inquirere, quibus permota Eccleſia fuit, ut a pluribus ſæculis morem iſtum oblitteraret. Illud extra controverſiam eſt, potuiſſe illam id agere ſummo jure, quia nullibi Scriptura docet, ad legitimas Clericorum electiones neceſſarium eſſe populi ſuffragium atque conſenſum; plures contra memorat electiones hujuſmodi inexpectato populi judicio peractas, & licet plurium Conciliorum canonibus hic populi conſenſus neceſſarius declaretur, & in Eccleſiaſtica hiſtoria plura hujus exempla occurrant, Eccleſiaſtici tamen, quod nec ubique obtinebat, non divini juris id fuiſſe quis dubitet, quum Euſebius plura nobis exempla ſuppeditet electionum hujuſmodi inconſulta plebe peractarum, quum Cyprianus ipſe conſuetudinem hanc etſi late ſuo ævo permanantem non ubique tamen viguiſſe ſignificet, quum Laodicenum Concilium ante Nicænum primum celebratum ſanciat, *non eſſe permittendum turbis electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi*? Facellat ergo Calvinus ineptiens, ſacrilegas irritaſque eſſe ordinationes noſtras, quod jam ad ferendum de ordinandis judicium plebs noſtra non admittatur.

Quoniam vero Calvinus eo præſertim pugnat, quod de eligendo Epiſcopo Paulus ad Timotheum ſcribit, *oportere, illum teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in obbrobrium incidat, & in laqueum diaboli*, indeque in nos bacchatur, quod „ Apoſtolici hujus præ„ cepti rationem aliquam nos habere „ fingentes, quum ad altare admoventur „ ordinandi, ter voce non intellecta quæ„ ramus, ſintne digni honore, unuſque, „ qui eos nunquam vidit, ſed, ne quid „ formulæ deſit, has partes habet in fa„ bula, reſpondeat, digni ſunt, “ oſtendendum eſt, non ridere nos inverecunde Deum, & homines, ut ille nobis improperat; paremus enim Apoſtolo jubenti, non admovendos ad altaris miniſterium, & Eccleſiæ regimen, niſi qui plebis teſtimonio commendantur, quæ, ut Cyprianus ait, *uniuſcujuſque vitam pleniſſime novit, & ſingulorum actus de eorum converſatione proſpexit*; quandoquidem Tridentina Synodus ſeſ. ſæpius memorata cap. 4. de reformatione, tum Pauli juſſionem, tum veterum Conciliorum canones præ oculis habens hæc ſacræ ordinationi neceſſario præmittenda decrevit: *ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magiſtro Scholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant; hi vero, qui ad ſingulos majores aſſumendi erunt, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire, videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Eccleſia propoſitis, de ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad Epiſcopum quamprimum tranſmittat*. Quid refert ergo num Archidiaconus, qui Eccleſiæ nomine ab Epiſcopo poſtulat, ut aliquos ad ſacros Ordines evehat, petentique Epiſcopo, num illos ſciat, dignos eſſe, reſpondet, habita fragilitatis humanæ ratione, eſſe dignos, eoſdem unquam viderit, notoſque habeat, nec ne? Non ludit ille mimicas partes in fabula, quia non ſuo, ſed Eccleſiæ nomine de eorum dignitate pronuntiat; Eccleſia autem præhabita juxta mox recitatam Tridentini ſanctionem inquiſitione de ordinandorum probitate atque idoneitate certior facta, bonum iis coram Epiſcopo per Archidiaconum perhibet teſtimonium, rogatque Epiſcopum, ut eos velit ad ſacrum miniſterium initiare. Quid in hac Eccleſiæ praxi, quæ ex Apoſtolico more deducta eſt, ludicrum, quid non totum ad veritatem gravitatemque compoſitum, ut deberet Calvinus intoleranda temeritate concludere, *hæc nos minime facturos, ſi quem putaremus Deum eſſe*? Non eſt, cur in aliis Calvini argumentis diſſolvendis, quibus Monachorum, eorumque, quos *ſæculares Presbyteros* appellamus ordinationes accuſat, verba ponamus; omnia enim ex falſo illo, quod jam evertimus, principio fluunt, non ad altaris miniſterium & ſacrificium, ſed unice ad Evangelii prædicationem, plebiſque regimen Presbyteratum fuiſſe a Chriſto inſtitutum.

§. V.

§. V.

De Epiſcopatu.

I. NOn una fuit ante ipſa Apoſtolorum tempora, quemadmodum Joanni Clerico animadverſum eſt, nominis *Epiſcopi* ſignificatio; Euſtathius enim in Iliade dictum ait Epiſcopum *exploratorem*, qui ad explorandum hoſtilem exercitum mittebatur; alibi *Defenſorem vel protectorem* ſonat, quare in Iliade Hector ab uxore ſua Trojæ & Trojanorum *Epiſcopus* appellatur. Erat & apud Athenienſes Magiſtratus nomen, de quo Suidas, Pancirollus, atque Meurſius: Cicero quoque ad Atticum l. 7. Epiſt. x. ſcribit Pompejum voluiſſe ſe eum eſſe, quem terra campana, & ora maritima habeat *Epiſcopum*, ad quem delectus, & ſumma negotii referrentur. Hinc apud Chriſtianos obtinuit, ut qui in Eccleſiaſtica Hierarchia primas habent, & cæterorum curæ præfecti ſunt, dicantur Epiſcopi, quo dignitatis ac officii ſui, vel ipſo nomine moneantur; Græce enim *Epiſcopus*, latine *ſpeculator*, *ſuperinſpector*, *ſuperintentor*, *viſitator*, *& cuſtos* eſt apud Hieronymum, Auguſtinum, Iſidorum, Amalarium, alioſque; quare S. Nicolaus 1. epiſt. 12. Epiſcopos muneris ſui commonefaciens ſcribit: *fruſtra ſpeculatores dicimur, ſi venientem lupum a longe non cernimus: fruſtra Epiſcopi, ideſt ſuperinſpectores nominamur, ſi futurum exitum per antecedentia ſigna minime contemplamur.* Eo porro Epiſcopalis dignitatis excellentia habita ſemper fuit, ut ampliſſima ad ornandos Epiſcopos a Romanis Pontificibus, Patribus, Conciliis, & Regibus collata ſint nomina, quemadmodum enim in ſuo Gloſſario Clariſſimus Du-Caugius fuſe demonſtrat, antonomaſtice *Sancti*, *Apoſtolici*, *Vicarii Chriſti*, *Throni Dei*, *Præſules*, *Principes*, imo & *Summi Sacerdotes*, *Summi Pontifices*, atque *Papæ*, non ſemel in priſcis Eccleſiæ monumentis dicti leguntur Epiſcopi, ut ipſa nominum amplitudine peculiaris, & eximia eorum dignitas commendaretur.

II. Epiſcopalem dignitatem ab ipſa Apoſtolorum ætate Chriſtianis omnibus ſummopere venerabilem primus atterere conatus eſt ad quarti ſæculi exitum Aerius Hæreticus, cujus hoc fuit dogma inter cætera, ait Epiphanius hæreſi 75., *ſupra hominis captum furioſum & immane; in primis enim quanam, inquit, in re Presbytero Epiſcopus antecellit? Nullum inter utrumque diſcrimen eſt; eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor & dignitas; manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter* &c. Exitialem hanc Aerii errorem, quo univerſa Eccleſiaſtica Hierarchia peſſumdatur, ſæculo quintodecimo a Joanne Wiclepho recoctum adoptavit, vulgavitque Calvinus l. 4. Inſt. c. 3. & 4. Epiſcopos, Presbyteros, Paſtores, & Miniſtros in Apoſtolorum ſcriptis unum idemque eſſe contendens, efficere tamen non potuit, ut omnium Gregalium ſuorum animos occuparet; etſi enim *Puritani*, ſeu rigidiores Calvini Diſcipuli, qui hac de cauſſa & *Presbyteriani* dicuntur, illum avidiſſime exceperint, retineantque obſtinatiſſime, Anglo-Calviniani tamen, qui & *Epiſcopales*, ab hoc Magiſtri errore abfuerunt ſemper, abſuntque etiam num quam longiſſime, quin & illum a Dallæo, Blondello, & Salmaſio propugnatum Beveregius, Fellus, Pearſonius, Forbeſius, aliique validiſſime refutarunt. Quum acerrimum hoc inter Calvinianos de Epiſcopatu diſſidium male Pictetum Genevenſem Miniſtrum habeat, noritque ille probe, quæ inde a nobis argumenta in rem noſtram duci poſſunt, Patri Leorati, a quo vehementer perſtrictus fuerat, reponens ait: „ dicere pergo, rem hanc „ minimi momenti eſſe, teque ludere puto, dum aſſeris, quæſtionem hanc fundamentum Eccleſiæ eſſe atque radicem, „ unde ejus virtus, miſſio, auctoritas, „ Sacerdotium, & ſucceſſio extant. “ At non ludit ipſe ſolum, ſed prorſus ineptit hæc regerens; dogma etenim fidei perpetuo in Eccleſia creditum nemo aſſerat rem nullius momenti eſſe, niſi ſit ille aut extreme impius, aut delirus.

Epiſcopi divino jure Presbyteris ordine, dignitate, & auctoritate præſtant.

I. QUum in quæſtionibus fidei tranſigendis delectui argumentorum magis, quam copiæ ſtudendum ſit, ea ſolum momenta promemus, quæ ad veritatem hanc plane conficiendam plus efficacitatis habent, nec ulla Adverſario-

eſſe, quam nemo ignorat, reformabilem eſſe, ut Tertullianus inquit, præſertim quum rationabiles cauſſæ emergunt, illios vel immutandæ, vel penitus auferendæ.

XVIII. Non vacat in cauſſas inquirere, quibus permota Eccleſia fuit, ut a pluribus ſæculis morem iſtum oblitteraret. Illud extra controverſiam eſt, potuiſſe illam id agere ſummo jure, quia nullibi Scriptura docet, ad legitimas Clericorum electiones neceſſarium eſſe populi ſuffragium atque conſenſum; plures contra memorat electiones hujuſmodi inexpectato populi judicio peractas, & licet plurium Conciliorum canonibus hic populi conſenſus neceſſarius declaretur, & in Eccleſiaſtica hiſtoria plura hujus exempla occurraut, Eccleſiaſtici tamen, quod nec ubique obtinebat, non divini juris id fuiſſe quis dubitet, quum Euſebius plura nobis exempla ſuppeditet electionum hujuſmodi inconſulta plebe peractarum, quum Cyprianus ipſe conſuetudinem hanc etſi late ſuo ævo permanantem non ubique tamen vigniſſe ſignificet, quum Laodicenum Concilium ante Nicænum primum celebratum ſanciat, *non eſſe permittendum turbis electionem eorum facere, qui ſunt ad Sacerdotium promovendi*? Faceſſat ergo Calvinus ineptiens, ſacrilegas irritaſque eſſe ordinationes noſtras, quod jam ad ferendum de ordinandis judicium plebs noſtra non admittatur.

Quoniam vero Calvinus eo præſertim pugnat, quod de eligendo Epiſcopo Paulus ad Timotheum ſcribit, *oportere, illum teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in obbrobrium incidat, & in laqueum diaboli*, indeque in nos bacchatur, quod „ Apoſtolici hujus præ„ cepti rationem aliquam nos habere „ fingentes, quum ad altare admoventur „ ordinandi, ter voce non intellecta quæ„ ramus, ſintne digni honore, unuſque, „ qui eos nunquam vidit, ſed, ne quid „ formulæ deſit, has partes habet in fa„ bula, reſpondeat, digni ſunt, " oſtendendum eſt, non ridere nos inverecunde Deum, & homines, ut ille nobis improperat; parcmus enim Apoſtolo jubenti, non admovendos ad altaris miniſterium, & Eccleſiæ regimen, niſi qui plebis teſtimonio commendantur, quæ, ut Cyprianus ait, *uniuſcujuſque vitam pleniſſime novit, & ſingulorum actus de eorum converſatione proſpexit*; quandoquidem Tridentina Synodus ſeſ. ſæpius memorata cap. 4. de reformatione, tum Pauli juſſionem, tum veterum Conciliorum canones præ oculis habens hæc ſacræ ordinationi neceſſario præmittenda decrevit: *ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, & a Magiſtro Scholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant; hi vero, qui ad ſingulos majores aſſumendi erunt, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire, videbitur, committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Eccleſia propoſitis, de ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita a fide dignis diligenter inquirat, & litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes ad Epiſcopum quamprimum tranſmittat*. Quid refert ergo num Archidiaconus, qui Eccleſiæ nomine ab Epiſcopo poſtulat, ut aliquos ad ſacros Ordines evehat, petentique Epiſcopo, num illos ſciat, dignos eſſe, reſpondet, habita fragilitatis humanæ ratione, eſſe dignos, eoſdem unquam viderit, notoſque habeat, nec ne? Non ludit ille mimicas partes in fabula, quia non ſuo, ſed Eccleſiæ nomine de eorum dignitate pronuntiat; Eccleſia autem præhabita juxta mox recitatam Tridentini ſanctionem inquiſitione de ordinandorum probitate atque idoneitate certior facta, bonum iis coram Epiſcopo per Archidiaconum perhibet teſtimonium, rogatque Epiſcopum, ut eos velit ad ſacrum miniſterium initiare. Quid in hac Eccleſiæ praxi, quæ ex Apoſtolico more deducta eſt, ludicrum, quid non totum ad veritatem gravitatemque compoſitum, ut deberet Calvinus intoleranda temeritate concludere, *hæc nos minime facturos, ſi quem putaremus Deum eſſe*? Non eſt, cur in aliis Calvini argumentis diſſolvendis, quibus Monachorum, eorumque, quos *ſæculares Presbyteros* appellamus ordinationes accuſat, verba ponamus; omnia enim ex falſo illo, quod jam evertimus, principio fluunt, non ad altaris miniſterium & ſacrificium, ſed unice ad Evangelii prædicationem, plebiſque regimen Presbyteratum fuiſſe a Chriſto inſtitutum.

§. V.

§. V.

De Epiſcopatu.

I. NOn una fuit ante ipſa Apoſtolorum tempora, quemadmodum Joanni Clerico animadverſum eſt, nominis *Epiſcopi* ſignificatio; Euſtathius enim in Iliade dictum ait Epiſcopum *exploratorem*, qui ad explorandum hoſtilem exercitum mittebatur; alibi *Defenſorem vel protectorem* ſonat, quare in Iliade Hector ab uxore ſua Trojæ & Trojanorum *Epiſcopus* appellatur. Erat & apud Athenienſes Magiſtratus nomen, de quo Suidas, Pancirollus, atque Meurſius: Cicero quoque ad Atticum l. 7. Epiſt. x. ſcribit Pompejum voluiſſe ſe eum eſſe, quem terra campana, & ora maritima habeat *Epiſcopum*, ad quem delectus, & ſumma negotii referrentur. Hinc apud Chriſtianos obtinuit, ut qui in Eccleſiaſtica Hierarchia primas habent, & cæterorum curæ præfecti ſunt, dicantur Epiſcopi, quo dignitatis ac officii ſui, vel ipſo nomine moneantur; Græce enim *Epiſcopus*, latine *ſpeculator*, *ſuperinſpector*, *ſuperintentor*, *viſitator*, & *cuſtos* eſt apud Hieronymum, Auguſtinum, Iſidorum, Amalarium, alioſque; quare S. Nicolaus I. epiſt. 12. Epiſcopos muneris ſui commonefaciens ſcribit: *fruſtra ſpeculatores dicimur, ſi venientem lupum a longe non cernimus: fruſtra Epiſcopi, ideſt ſuperinſpectores nominamur, ſi futurum exitum per antecedentia ſigna minime contemplamur*. Eo porro Epiſcopalis dignitatis excellentia habita ſemper fuit, ut ampliſſima ad ornandos Epiſcopos a Romanis Pontificibus, Patribus, Conciliis, & Regibus collata ſint nomina, quemadmodum enim in ſuo Gloſſario Clariſſimus DuCangius fuſe demonſtrat, antonomaſtice *Sancti*, *Apoſtolici*, *Vicarii Chriſti*, *Throni Dei*, *Præſules*, *Principes*, imo & *Summi Sacerdotes*, *Summi Pontifices*, atque *Papæ*, non ſemel in priſcis Eccleſiæ monumentis dicti leguntur Epiſcopi, ut ipſa nominum amplitudine peculiaris, & eximia eorum dignitas commendaretur.

II. Epiſcopalem dignitatem ab ipſa Apoſtolorum ætate Chriſtianis omnibus ſummopere venerabilem primus atterere conatus eſt ad quarti ſæculi exitum Aerius Hæreticus, cujus hoc fuit dogma inter cætera, ait Epiphanius hæreſi 75., *ſupra hominis captum furioſum & immane; in primis enim quanam, inquit, in re Presbytero Epiſcopus antecellit? Nullum inter utrumque diſcrimen eſt; eſt enim amborum unus ordo, par & idem honor & dignitas, manus imponit Epiſcopus, imponit & Presbyter* &c. Exitialem hunc Aerii erroſem, quo univerſa Eccleſiaſtica Hierarchia peſſumdatur, ſæculo quintodecimo a Joanne Wiclepho recoctum adoptavit, vulgavitque Calvinus l. 4. Inſt. c. 3. & 4. Epiſcopos, Presbyteros, Paſtores, & Miniſtros in Apoſtolorum ſcriptis unum idemque eſſe contendens, efficere tamen non potuit, ut omnium Gregalium ſuorum animos occuparet; etſi enim *Puritani*, ſeu rigidiores Calvini Diſcipuli, qui hac de cauſſa & *Presbyteriani* dicuntur, illum avidiſſime exceperint, retineantque obſtinatiſſime, Anglo-Calviniani tamen, qui & *Epiſcopales*, ab hoc Magiſtri errore abfuerunt ſemper, abſuntque etiam num quam longiſſime, quin & illum a Dallæo, Blondello, & Salmaſio propugnatum Beveregius, Fellus, Pearſonius, Forbeſius, aliique validiſſime refutarunt. Quum acerrimum hoc inter Calvinianos de Epiſcopatu diſſidium male Pictetum Genevenſem Miniſtrum habeat, noritque ille probe, quæ inde a nobis argumenta in rem noſtram duci poſſunt, Patri Leotati, a quo vehementer perſtrictus fuerat, reponens ait: „ dicere pergo, rem hanc „ minimi momenti eſſe, teque ludere puto, dum aſſeris, quæſtionem hanc fundamentum Eccleſiæ eſſe atque radicem, „ unde ejus virtus, miſſio, auctoritas, „ Sacerdotium, & ſucceſſio extaut. “ At non ludit ipſe ſolum, ſed prorſus ineptit hæc regerens; dogma etenim fidei perpetuo in Eccleſia creditum nemo aſſerat rem nullius momenti eſſe, niſi ſit ille aut extreme impius, aut delirus.

Epiſcopi divino jure Presbyteris ordine, dignitate, & auctoritate præſtant.

I. QUum in quæſtionibus fidei tranſigendis delectui argumentorum magis, quam copiæ ſtudendum ſit, ea ſolum momenta promemus, quæ ad veritatem hanc plane conficiendam plus efficacitatis habent, nec ulla Adverſario-

rum exceptione elidi poſſunt. Illud inprimis decretorium eſt, quo e ſacris litteris prompto S. Epiphanius Aerium perſtringebat : *Apoſtolus* 1. ad *Timoth.* 5. ait : *Seniorem, ideſt Presbyterum ne increpaveris. Quid autem attinebat, Epiſcopo vetare, ne Presbyterum objurgaret, niſi majorem ipſo poteſtatem obtineret? Quare deinceps admonet, adverſus Presbyterum cito accuſationem ne admiſeris, niſi duobus tribuſque teſtibus? Non alicui ex Presbyteris præcepit, ne accuſationem contra Epiſcopum admitteret, & ne Epiſcopum objurgaret.* Sane niſi Timotheum a ſe conſtitutum Epheſi Epiſcopum Presbyteris, ſeu ſecundi ordinis Sacerdotibus dignitate ac poteſtate præſtare ſenſiſſet Apoſtolus, nemo non intelligit, perperam hæc ab eo fuiſſe ſcripta. Quorſum enim objurgationis modum, excipiendæque adverſus Presbyterum accuſationis formam illi præſcriberet, quem cæteris Presbyteris parem omnino eſſe noviſſet? Vulgatiſſimum enim juris effatum eſt, *par in parem non habet poteſtatem*.

II. Alterum æque invictum verſat Guillelmus Beveregius in codice canonum Eccleſiæ primitivæ vindicato & illuſtrato : „ Vetuſtiſſima quæſo Eccleſiæ monumenta fide ſincera conſule, & dic nobis, „ quo terrarum loco Eccleſia umquam „ ſine Epiſcopo Presbyteris imperante ac „ præſidente ante delirum hoc noſtrum, „ & præcedens ſæculum conſtituta fuit? „ Quumque nihil certius ac apertius ſit, „ quam proxima poſt Apoſtolos ætate, „ Epiſcopos Eccleſiaſticam hanc exercuiſ„ ſe poteſtatem, cuinam, obſecro, eam „ acceptam retulerunt? Quiſnam eos Ec„ cleſiis quibuſque primus præpoſuit? A „ quo Concilio ſupra Presbyteros conſti„ tuti ſunt? Hanccine ipſi ſibi auctorita„ tem arroganter arripuerunt? Quis ſanæ „ mentis tot Apoſtolicos Viros, pleroſ„ que Martyrii corona redimitos tanti „ facinoris arguere & condemnare aude„ at? Quis fidiſſimos illos piiſſimoſque „ Patres primam Eccleſiæ diſciplinam a „ Chriſto, & Apoſtolis inſtitutam im„ mutare, ſeque contra ac edocti fuerant, „ ſupra fratres ſuos efferre auſos fuiſſe o„ pinetur? Omnem id ſane fidem exce„ dit : ipſi autem Presbyterianæ paritatis „ propugnatores, rei veritate ſubacti mul„ toties confeſſi ſunt, ſecundo ineunte „ ſæculo Epiſcopos Eccleſiaſticæ ſupra „ Presbyteros auctoritatis fuiſſe compo„ tes, eoſdem tamen pie ſanćteque Chri„ ſtum coluiſſe, nemo inficias eat. Quo„ modo vero hæc ſibi conſtant, ut pri„ mitivi illi Antiſtites veram erga Chri„ ſtum pietatem colerent, & tamen ſpre„ ta diſciplinæ formula a Chriſto poſita „ aliam prorſus inſtituerent, qua ipſi a„ liquam in Eccleſia poteſtatem ſibi ar„ rogarent, quam Chriſtus iis denegave„ rat? Neceſſe eſt ergo alterutrum confi„ teri, vel Epiſcopalem auctoritatem „ hanc ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis il„ lis fuiſſe concreditam, vel eos ſceleſtiſ„ ſimos fuiſſe hypocritas, qui Chriſti fi„ dem profeſſi, leges ab eo conditas tam „ projecta audacia violarunt, quod quum „ nefas ſit de iis vel animo cogitare, eos „ profiteamur oportet, omnem, quam „ ſupra Presbyteros tenuerunt, eminen„ tiam ac auctoritatem ipſis Chriſti A„ poſtolis acceptam retuliſſe. “

III. „ Ad hæc, ſi ſingulares Epiſcopi „ ubique ſummam, de qua agimus, in „ Eccleſia quiſque ſua, ſupraque Presby„ teros auctoritatem contra Domini præ„ ceptum, & Apoſtolorum inſtitutionem „ ſibi vindicarint, & exercuerint, qui fa„ ctum eſt, ut nulli uſpiam Presbyteri ob„ luctati fuerint, & improbam Dominici „ præcepti violationem illis objecerint? Sa„ ne auctoritas præſertim in religione non „ tanto deſpectui haberi ſolet, ut eam ſibi „ quiſquam facile extorqueri ſinat; Si A„ poſtoli itaque æqualem Presbyteris omni„ bus auctoritatem in unaquaque Eccleſia „ delegatint, quo demum pacto evenit, „ ut omnes ubique Presbyteri eam ſibi e„ ximi, & in ſolos transferri Epiſcopos ta„ citi paterentur? Cur illi æque ac ætatis „ noſtræ Presbyteri ſe pares Epiſcopis eſſe „ non jactitabant? Annon qui proximo „ poſt Apoſtolos qui vixerunt ſæculo, per„ ſpectius longe habuerunt, quid ab Apo„ ſtolis fuerat inſtitutum, quam nos, qui „ tot ſæculis ab eorum ævo diſtamus? Si „ illud itaque, quod hodierni Presbyteria„ næ puritatis patroni diſcipulis venditant, „ primitivis illis Presbyteris perſuaſum fuiſ„ ſet, Apoſtolicam illam inſtitutionem, „ quæ ipſis favebat, violari aut infringi „ numquam proculdubio permiſiſſent. Ve„ rumtamen nihil ejuſmodi in Eccleſiaſti„ ca antiquitate occurrit. Epiſcopos ubi„ que Presbyteris imperaſſe, ſed Presby„ teros iis vel reſtitiſſe, vel ſaltem reſpon-

ſaſſe

„ ſaſſe nuſquam legimus ; imo per mil-
„ le & quingentos annos, nullum, præ-
„ ter unum Aerium , ejuſque grega-
„ les quarto ſæculo exortos pariter ac ex-
„ tinctos , invenire eſt Presbyterum , qui
„ ſe æqualem Epiſcopo venditare auſus ſit,
„ quod non mirum dico , ſed impoſſibile
„ eſſet, ſi ipſi Apoſtoli Presbyterianam il-
„ lam, quam nonnulli hodie propugnant,
„ æqualitatem inſtituiſſent , vel etiam ſi
„ Epiſcopalem illam non ſanxiſſent aucto-
„ ritatem, qua omnes ubique gentium Ec-
„ cleſiæ ab Apoſtolico ipſo uſque ad hoc
„ noſtrum, vel ſaltem præcedens ſæculum
„ adminiſtratæ ſunt. “

IV. Ex quo autem Beveregius adnotat, unum quarto labente ſæculo exortum fuiſſe pariter ac extinctum Aerium, qui primus nefario auſu Epiſcopalem dignitatem evertere molitus eſt, aliud inde momentum cudimus inexpugnabile : Etſi in purgando Aerio totus ſit Lambertus Danæus, audeatque rationes, quibus illum refellit Epiphanius, inanes & futiles appellare, in dealbando tamen ethiope oleum & operam perdidit ; conſtat enim Aerium, mox ut peſtiferum errorem vulgare cepit, ceu Novatorem atque Hæreticum a Catholica Eccleſia hoc etiam nomine fuiſſe damnatum; quæ quum ita ſint, alterutrum dicendum eſt, aut in Aerio inter Hæreticos referendo, damnandoque univerſalem Eccleſiam paullo poſt Nicæni Concilii tempora erraſſe, a vera divi eloquii, in quo erroris ſui præſidium ſibi captare videbatur Aerius, intelligentia defeciſſe, atque Chriſti & Apoſtolorum inſtituta nequiſſime refixiſſe, aut vere hæreſi fuiſſe notatum illum, & jure ab Eccleſia confixum. In quodcumque ſe latus vertant Presbyteriani, crucem ſibi fixam vident, nec evadendi aditum habent; Etſi enim Danæus procaciſſime ſcripſerit, Epiſcopos jam tum inſolentes, & imperitando magis, quam paſcendo gregi aſſuetos, quum tam liberas adverſus ſuperbiam ſuam ac tyrannidem voces ferre non poſſent, tunc egiſſe, quod Romanus Antichriſtus poſtea crudelius imitatus & executus eſt, ut haberent pro Hæreticis quicumque adverſus eorum vitia, vel ordinis eorum peccata mutire auderent, quis hæc a furioſo homine ad qualecumque deſperatæ cauſſæ præſidium impie & falſo prolata non rideat? Inſolentiam ne, ſuperbiam & tyrannidem Baſilio Magno, Gregorio Nazianzeno, Nyſſeno, Chryſoſtomo, Epiphanio, aliiſque ſanctiſſimis Orientis Epiſcopis Aerio vel ſupparibus, vel coævis audebit Danæus affingere? Si etiam iniquo Epiſcoporum, qui liberas Aerii, & gregalium ejus voces ferre non poterant, judicio factum eſt, ut ii haberentur Hæretici, tota itaque tunc in errorem Eccleſia tracta eſt, quæ judicium hoc probavit, ideoque falſo Calvinus non uno ſuarum Inſtitutionum loco ſcripſit, inviolatum Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ depoſitum ad quinti ferme ſæculi exitum in Eccleſia perduraſſe, nec ullam fidei mutationem toto eo tempore, quod ab Apoſtolis ad finem prope quinti ſæculi fluxit, Romæ aut alibi contigiſſe.

V. Poſtremum denique momentum petitur ex graviſſimis iis Tertulliani verbis in l. de præſcriptione Hæreticorum c. 32.: *edant ergo origenes Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ad initia decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem ; hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert, ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem, perinde utique & cætera exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos apoſtolici ſeminis traduces habeant.* Nihil eſt argumento, quod nobis Tertullianus ſuppeditat, firmius & validius ; vetuſtiſſima enim & probatiſſima Eccleſiæ monumenta nos docent, Apoſtolos iis, quos variis in locis conſtituerunt, Eccleſiis non Presbyterorum cætum, ut adverſarii comminiſcuntur, ſed peculiares viros a ſe electos præfeciſſe, iiſque adminiſtrandi omnia, judicandi, corrigendi, quæ deerant, & conſtituendi Presbyteros poteſtatem demandaſſe, ut ex Pauli ad Timotheum & Titum Epiſtolis patet, ſtatim vero ab ipſo Apoſtolorum obitu, ſingulares ubique terrarum Viros Epiſcopos dictos cæteris Presbyteris præſediſſe, ſummamque in eos in quacumque Eccleſia auctoritatem exercuiſſe, res eſt in Eccleſiaſtica Hiſtoria teſtata adeo, ut Presbyteriani ipſi, velint, nolint, idem fateri ſæpe coacti fuerint; hæc itaque Eccleſiaſticæ dominationis forma, quam ab ipſo Apoſtolorum ævo ubique obtinuiſſe, teſtantur Hegeſippus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, aliique, non im-

potenti dominandi libidine, ſed apoſtolica inſtitutione inducta eſt; Apoſtolos vero vel ſuo arbitratu, vel contra Domini præceptum hanc Eccleſiaſtici regiminis formam conſtituiſſe, quis audeat vel animo fingere? Reliquum ergo eſt, ut Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentiam, quam ſub ipſa Apoſtolorum tempora ex graviſſimis Eccleſiæ monumentis aperte colligi, adverſarii ipſi concedunt, non humanæ præſumptioni, ſed Apoſtolorum & Chriſti inſtitutioni referamus acceptam.

Presbyterianorum objecta ſolvuntur.

Arguit Calvinus: „ Quod Epiſcopos, „ & Presbyteros, & Miniſtros promiſcue „ vocavi, qui Eccleſias regunt, id feci ex „ Scripturæ uſu, quæ vocabula illa confundit; quicumque enim verbi miniſterio funguntur, iis titulum Epiſcoporum „ tribuit: ſic apud Paulum, ubi juſſus eſt „ Titus conſtituere Presbyteros oppidatim, „ continuo ſubiicitur; *oportet enim Epiſcopum eſſe inculpabilem* &c. ſic alibi plu„ res in una Eccleſia ſalutat Epiſcopos; „ & in Actis refertur, convocaſſe Presby„ teros Epheſinos, quos ipſe Epiſcopos ſua „ oratione nominat. “

VI. Quamquam erroris ſui anſam Aerius, ut Epiphanius ſcribit, ex his Scripturæ teſtimoniis arripuerit, ductumque inde argumentum magnificent Calvinus, atque Presbyteriani, nihil tamen eo futilius eſt, ac infirmius; ſi enim Chryſoſtomo, & Hieronymo ſubſcribamus contendentibus, Epiſcopi & Presbyteri nomina Apoſtolorum ætate fuiſſe communia, Paulum quoque indifferenter de Epiſcopis, ut ait Hieronymus, quaſi de Presbyteris locutum eſſe, quid inde? Æqualem ne ergo Scriptura iis tribuit dignitatem & poteſtatem? Damus, Eccleſiæ initio Presbyteros latiſſima quadam ſignificatione dictos Epiſcopos, quod aliquam Eccleſiæ curam gererent, viciſſim Epiſcopos Presbyteros dictos, quod Epiſcopatus Presbyteratum includat, ſicut ſuperior gradus inferiorem continet; hac tamen nominum communione magnum inter utroſque ordinis, & gradus diſcrimen non tollitur, quod eadem Scriptura diſerte conſtituit; quid enim iis clarius, quæ adverſus Aerium Epiphanius urget ex Paulo Timotheo præcipiente, ne ſeniorem, ſeu Presbyterum durius increparet, ne accuſationem adverſus eum reciperet niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus, ne manus cito alicui imponeret? Quid iis luculentius, quæ Paulus idem ad Titum ſcripſit, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi?* Nonne his luce clarius evincitur, ſingulares hos Viros Timotheum, & Titum, quorum alterum Epheſiorum, alterum Cretenſium Epiſcopos Apoſtolus conſtituerat, peculiari dignitate, ac poteſtate polluiſſe, qua Presbyteris ſeu ſecundi ordinis Sacerdotibus præminerent? Etſi ergo Apoſtoli eos, qui revera eſſent Epiſcopi, Presbyteros appellarint, perperam inferunt adverſarii, unum eumdemque Apoſtolis fuiſſe gradum, Epiſcopatum atque Presbyteratum, nullumque ab eis inter utrumque agnitum fuiſſe diſcrimen. Sane ſi promiſcua hæc uſurpata ab Apoſtolis nominum ſocietas argumento futura ſit, nihil eos internoviſſe inter res, quas communi quandoque vocabulo nuncupabant, quidni dicamus & Chriſto Apoſtolos, & Apoſtolis reliquos Eccleſiæ miniſtros loco & auctoritate fuiſſe pares, quum Chriſtus a Paulo ad Hebr. 3. *Apoſtolus*, ad Rom. 15. *Diaconus* ſeu *Miniſter*, a Petro vero dicatur *Epiſcopus*, Paulus Andronicum & Juniam ad Rom. 16. *nobiles in Apoſtolis* vocet, Epaphroditum vero cooperatorem, & commilitonem ſuum Philippenſium *Apoſtolum*, Petrus denique & Joannes *Seniorum* ſive Presbyterorum ſibi nomen aſſumant? Quemadmodum itaque hæc nominum communicatio non efficit, quin Chriſtus Apoſtolis omnibus incomparabiliter præſtitiſſe dicatur, Apoſtoli vero cunctis Diſcipulis dignitate, & auctoritate multo fuerint excellentiores, ita non eſt, cur inferant Presbyteriani, unum eundemque fuiſſe Apoſtolorum ævo Epiſcoporum ac Presbyterorum gradum, quod iis quandoque eadem nomina promiſcue tributa legantur.

VII. Fac tamen, ambiguos eſſe Scripturæ textus, neque uſque adeo apertos, ut eis confici certo poſſit, quid de hoc capite ſentiendum ſit. Quis ſanior, meliorque adhiberi poteſt Interpres, quam purioris illius ævi Eccleſia, cui Apoſtoli ipſi non modo doctrinam ſuam, ſed & genuinam ejus intelligentiam tradiderunt, quæque commendatum ſibi hoc Apoſtolicæ doctrinæ depoſitum, ipſis Novatoribus confitentibus, intactum ad plura ſæcula cuſtodivit? Negare porro Adverſarii nequeunt,

Digitized by Google

unt, ab ipſo Apoſtolorum obitu ſingulis , quas conſtituerant, Eccleſiis ſingulares Viros præfuiſſe gradu & poteſtate univerſo Presbyterorum cœtui præcellentes . Nonne ergo neceſſario conſequitur , edoctam ab Apoſtolis Eccleſiam eam regiminis formam ſanctiſſime retinuiſſe , quam ab iis probe norat inductam? alioqui , ſi , quod Presbyteriani comminiſcuntur , novum illud auſum fuit Apoſtolis jam fato functis, invectum , quis immania conſectaria non horreat inde ſponte fluentia , aut ignoraſſe ſcilicet Eccleſiam ejus ævi , quam Apoſtoli Eccleſiaſticæ gubernationis regulam conſtituiſſent, aut Apoſtolorum exemplo , atque juſſu poſthabito refixiſſe illam etſi probe cognitam , & quam Apoſtoli Presbyterorum collegio demandaverant, regendæ plebis poteſtatem in ſingulares viros præpoſtere tranſtuliſſe?

VIII. Aliter objectos ab Aerio Scripturæ textus interpretatus eſt Epiphanius, cui præiverant Clemens Alexandrinus, Origenes, & Tertullianus , nullam videlicet in novi Teſtamenti ſcriptis nominum confuſionem eſſe, ſed quandoque Epiſcoporum duntaxat & Diaconorum, quandoque Presbyterorum ſolum & Diaconorum mentionem occurrere , quod Apoſtolorum ævo alicubi ſoli Epiſcopi Eccleſiam regerent Diaconorum miniſterio adjuti, alicubi nullus eſſet Epiſcopus, ſed ſolis Presbyteris , atque Diaconis Eccleſiæ cura concredita fuit ab Apoſtolis , qui tunc Epiſcoporum munere fungebantur. Audiendus Epiphanius, Aerium ſic refellens : *Veritatis iſte ſeriem ignorans, nec in reconditiore hiſtoria verſatus non intelligit, Apoſtolum, quum recens adhuc eſſet Chriſtiani dogmatis propagatio, pro re nata ſcripſiſſe ; Nam ubi jam Epiſcopi conſtituti fuerant , ad Epiſcopos , & Diaconos ſcribebat ; neque enim ſubinde omnia ab Apoſtolis ordinari poterant , & quidem Presbyteris in primis ; & Diaconis opus erat , a quibus Eccleſiaſtica negotia adminiſtrari poſſunt , quare ubi nondum Epiſcopatu dignus aliquis occurrerat , nullus ei loco præpoſitus eſt Epiſcopus, at ubi & neceſſitas poſtulabat, nec eorum , qui Epiſcopatu digni erant, copia deerat , ibi Epiſcopi conſtituti, ſed quum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur, unde ſolo Epiſcopo contenti fuerunt: ſine Diacono vero Epiſcopus eſſe non poteſt, quare in id Apoſtolus incubuit, ut miniſtrandi gratia Epiſcopo Diaconi ſuppeterent*. Hanc Epiphanii interpretationem in Epiſtolarum S. Ignatii vindiciis Pearſonius non adoptat ſolum, ſed mirifice illuſtrat , acriterque tuetur , animadvertens nullum ſecundi , & tertiique ſæculi Scriptorem hanc nominum Presbyteri , & Epiſcopi confuſionem in ſcriptis Apoſtolicis obſervaſſe, nec quemquam inter Græcos Chryſoſtomo, qui poſt Epiphanium ſcripſit, inter Latinos vero Ambroſiaſtro, ac Hieronymo priorem occurrere , qui promiſcue harum vocum uſurpationis mentionem injecerit.

IX. Sive Chryſoſtomi, & Hieronymi , ſive Epiphanii interpretationem quis velit amplecti, habet, quo primum hoc Presbyterianæ ſectæ argumentum pleniſſime diluat; quia vero hoc eſt adverſariorum Achilles, placet, aliqua ex eodem Pearſonio decerpere, quibus ſingulas argumenmenti partes nervoſe refellit. " Multum „ illi fidunt, ait Pearſonius, verbis Apoſtoli ad Titum, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ* &c. *oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe* &c. quaſi eadem omnino præcepta data fuerit Epiſcopo , & „ Presbytero, adeoque duo illi idem ſint; „ At Clemens Alexandrinus aliter plane „ ſenſit, multa, eaque diſtincte Epiſcopo, & Presbytero data præcepta non „ minus quam Diaconis obſervavit lib. 3. „ Pædagogi c. 12. ajens : *Plurima præcepta, quæ ad electas perſonas pertinent*, „ *in ſanctis libris ſcripta ſunt, hæc quidem Presbyteris , alia Epiſcopis , alia* „ *Diaconis* &c. ubinam vero Paulus præcepta Presbyteris ponit, diſtincta plane „ ab iis, quæ Epiſcopis conſtituerat? " Adnotant Pearſonius , & Beveregius , Origenem Clementis Alexandrini diſcipulum loca diſerte indicaſſe, quibus diverſa hæc diverſis ſacrorum miniſtrorum gradibus ab Apoſtolo poſita continentur, dum in commentariis in S. Matth. ait : *In priori ad Timoth. Epiſtola leges de Epiſcopis ferens Apoſtolus, oportet, inquit, Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe* &c. *tum de Diaconis, Diaconi ſint unius uxoris viri : at in Epiſtola ad Titum, hujus rei gratia reliqui te in Creta, ut conſtituas per Civitatem Presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir* &c. Hæc Origenes. „ Quare autem hunc „ ultimum ex Epiſt. ad Titum citaret „ locum, niſi crediſſet, Presbyteros in „ Apoſtoli notitia ab Epiſcopis diſtinctos „ eſſe,

„ eſſe, ac proinde in Epiſtola ad Timo-
„ theum, ubi ſoli nominantur Epiſcopi,
„ non comprehenſos? “ Sane ſi quis con-
tinentem orationis Apoſtolicæ ſeriem ocu-
lis, animoque luſtraverit, & Apoſtoli
ſcopum faciliime deprehendet, & peſſi-
mam Calvini, ejuſque aſſeclarum fidem,
qui ad faciendum ſimplicibus ſucum, tex-
tum Apoſtoli mutilarunt: *Hujus rei gra-
tia*, ait Apoſtolus, *reliqui te Cretæ . . . .
ut conſtituas per Civitates Presbyteros, ſic-
ut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimi-
ne eſt, unius uxoris vir, filios habens fide-
les, non in accuſatione luxuriæ, aut non
ſubditos*. Quis non intelligit, Paulum
poſtremis hiſce verbis Titum condocefacе-
re, quæ conſtituendis ab eo oppidatim
Presbyteris neceſſaria eſſent, præcipue mo-
nogamia, quemadmodum vetuſtiſſimi Pa-
tres Apoſtolico ævo proximi Clemens
Alexandrinus, Origenes, & Tertullianus
interpretantur? Quid ergo ſi Paulus ad-
jicit e veſtigio, *oportet Epiſcopum ſine cri-
mine eſſe?* Quum Titum docuiſſet, quid
in Presbyteratu initiandis ſpectandum eſ-
ſet, commonere quoque eum voluit, quid
ab Epiſcopo, cujuſmodi Titus erat, exi-
geretur. Perperam ergo ſibi viſus eſt Cal-
vinus, hoc Pauli ad Titum teſtimonio
diſtinctionem Presbyteri ab Epiſcopo ſu-
ſtuliſſe.

X. „ Tradit Dallæus, Epheſi plures
„ non primi, ſed ſecundi gradus Præpoſi-
„ tos Epiſcoporum nomine ſignificari
„ Act. 20., at Irenæus non putavit,
„ eoſdem viros eo loci & Epiſcopos fuiſ-
„ ſe dictos, & Presbyteros, & ad unius
„ urbis Eccleſiam pertinuiſſe; lib. enim
„ 3. cap. 14. ait: *In Mileto convocatis
„ Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab
„ Epheſo, & a reliquis proximis Civitati-
„ bus*. Ab Epheſo itaque, & ab aliis
„ Aſiæ urbibus Paulus, Irenæo teſte, &
„ Epiſcopos, & Presbyteros convocavit;
„ non unius ergo urbis, aut ſolos ſecundi
„ ordinis Sacerdotes ad ſe venire juſſit,
„ aut Epiſcopos appellavit. Hunc qui-
„ dem Actorum locum quaſi ſententiæ
„ ſuæ fundamentum conſtituunt adverſa-
„ rii; at Irenæus ſecundi ſæculi Scriptor
„ Apoſtolis, eorumque Diſcipulis multo
„ propior nihil tale vel ſomniavit. “
Quod vero tantopere exaggerant petitum
ex Epiſtola ad Philippenſes, quam Apo-
ſtolus ſic orditur: *Paulus, & Timotheus
omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cum
Epiſcopis & Diaconibus*, futile plane eſſe,
nec eo evinci poſſe, Apoſtolorum tempo-
re eoſdem fuiſſe Epiſcopos, & Presbyte-
ros, multis demonſtrat Pearſonius idem
hæc addens: „ Duas Apoſtolorum tem-
„ pore in nonnullis Civitatibus fuiſſe Ec-
„ cleſias, duos fuiſſe Epiſcopos, donec
„ Gentiles cum Judæis in unum corpus
„ perfecte coaleſcerent, probabiliſſimum
„ ex ipſis Apoſtolicis ſcriptis facit Ham-
„ mundus, confirmatque non uno Epi-
„ phanii teſtimonio. Plurali itaque nomi-
„ ne recte potuit Paulus uti, quod duo
„ forte Philippis eſſent Epiſcopi conſtitu-
„ ti. Quin etſi verum eſſet, unius Civi-
„ tatis tunc unum fuiſſe tantummodo
„ Epiſcopum, quid inde? Non eos Phi-
„ lippenſis Eccleſiæ, aut Civitatis Epi-
„ ſcopos vocat Paulus, ſed tantum tunc
„ Philippis fuiſſe innuit, ſcribere autem
„ ad illos potuit, quos tunc Philippis eſ-
„ ſe cognoverat, licet eſſent aliarum ur-
„ bium Epiſcopi. “ Hæc Pearſonius.

XI. Etſi Calvinus in erroris ſui præſi-
dium unum e Patribus Hieronymum ad-
vocarit, Presbyterianorum tamen præci-
pui, Dallæus, Salmaſius, & Blondellus
in opere, quod Hieronymi apologiam in-
ſcripſit, omnes ferme Patres in Aerii par-
tes vel obtorto collo trahere moliti ſunt.
Exponendæ Hieronymi menti ſpecialem
paragraphum deputabimus, reliquorum in-
terim Patrum teſtimonia breviter excutie-
mus. Quoniam vero eſſemus nimii, ſi
vellemus ire per ſingula, aliqua prænota-
bimus, quibus ſcite adhibitis argumenta
quælibet e Patribus cuſa facile diſſolvun-
tur. Adnotandum eſt, 1. Catholicæ cau-
ſæ nec minimum obeſſe ſilentium quo-
rumdam Patrum, qui Presbyterorum tan-
tum & Diaconorum, vel Epiſcoporum
& Diaconorum, miſſis Presbyteris memi-
nerunt; præterquamquod enim arundi-
neum prorſus eſt inficiale argumentum,
quod locupletiſſimis coævorum Scriptorum
teſtimoniis eliditur, ſilentii hujus non una
adferri poteſt cauſſa, primo quod non
quavis occaſione neceſſe fuerit, ſingulos
Eccleſiæ ordines memorare, ſecundo quod
Patres ad ea tempora digitum intende-
rent, quibus alicubi Presbyteri, & Dia-
coni erant, nondum conſtituto ibidem
Epiſcopo, vel defuncto, vel Epiſcopi ſo-
lum, & Diaconi, nondum ordinatis Pres-
byteris, quemadmodum *ex veritatis ſerie,
& reconditiore hiſtoria* Epiphanium Aerio

te-

repoſuiſſe jam adnotavimus. Poſtrema hac de cauſſa S. Clemens Romanus ad Corinthios ſcripſit, Apoſtolos *evangelizantes conſtituiſſe viros probatæ virtutis in Epiſcopos, & Diaconos*, nulla Presbyterorum mentione habita, quod videlicet, ut Epiphanius ait, *ſine Diacono Epiſcopus eſſe non poteſt, quumque haud magna multitudo eſſet, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur, aut ob exiguum credentium numerum Epiſcopus cum Diaconis regendæ Eccleſiæ ſufficiebat*. Sed, qui nodum in ſcirpo quærunt, Presbyteriani, cur ea diſſimulant, quæ Clemens paulo ante præmiſerat, quibus nihil in rem noſtram validius eſt, & diſertius? *Cuncta*, ait Clemens, *ordine debemus facere, quæ nos Dominus juſſit peragere, nam qui ſequuntur leges Domini, non aberrant, ſummo quippe Sacerdoti ſua munia tributa ſunt, & Sacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt, & Levitis ſua miniſteria incumbunt, homo Laicus præceptis Laicis conſtringitur*, in quæ Clementis verba adnotat Clariſſimus Cotelerius: „ Non adeo laudaret Apo„ ſtolicus noſter ordinem, ac diverſa offi„ cia Pontificis, Sacerdotum, Levitarum, „ atque Laicorum, ſi quemadmodum He„ thærodoxis placet, Religio Chriſtiana „ Pontificatum ſuſtuliſſet, nullumque vo„ luiſſet eſſe munus peculiare Pontificis, „ quod non omnibus competeret Sacerdo„ tibus, qui ſunt ipſi quoque Pontifices. „ Laudat, quia docente Hieronymo, in „ utroque Teſtamento alium ordinem te„ net Pontifex, alium Sacerdotes, alium „ Levitæ, atque traditionibus Apoſtolicis „ de veteri lege deſcendentibus ſucceſſe„ runt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi „ Aaroni, & filiis ejus atque Levi„ tis. "

XII. Inſulſum quoque illud eſt, quod ex S. Polycarpo objiciunt ad Philippenſes ſcribente, *ſubjecti eſtote Presbyteris, & Diaconis ſicut Deo & Chriſto*, nulla Epiſcopi mentione injecta, quaſi vero Polycarpus nonniſi duos Cleri gradus agnoverit. Nonne etenim Polycarpus ipſe Epiſtolæ auctor, quemadmodum ex Smirnenſis Eccleſiæ, cui præerat, litteris, atque Irenæi, Euſebii, & Hieronymi teſtimonio patet, Joannis Apoſtoli Diſcipulus, & ab eo Smirnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ Princeps fuit? Sapere ne ergo dicendi ſunt, qui ab Epiſcopo totius Aſiæ præcipuo, Apoſtolico, ac Prophetico Doctore nullum Epiſcopatui locum tributum aſſerant, quod diſerte gradum hunc in laudata Epiſtola non memorarit? Quum in Oriente tunc temporis ferveret acerba in Chriſticolas perſecutio, qua & ipſe Polycarpus paulo poſt ſublatus eſt, quæque præſertim Eccleſiæ Præſules impetebat, maxime pronum eſt, credere, Philippis nullum tunc fuiſſe Epiſcopum, ut conjicit Pearſonius, quod jam perſecutione fuiſſet extinctus. Sed utut eſt, valde mirari ſubit feſtivum Dallæi, & Blondelli ingenium, qui hoc Polycarpi teſtimonio volunt nobis exhibere negotium, cujus Epiſtolam ſuis erroribus exitialem ſpuriam eſſe, indignamque Apoſtolico Viro contendunt. In laudando quoque Juſtino operam ludunt, qui in Apologia Chriſtianorum Synaxes, peragendique Sacrificii ritus exponens Præpoſiti idcirco tantum meminit, & Diaconorum, quod conficiendæ Synaxi duo hi Miniſtrorum ordines neceſſarii eſſent, Præpoſitus nimirum, ſive eſſet ille Epiſcopus, ſive ſecundi ordinis Sacerdos, conficiendo ſacrificio, Diaconi vero diſpenſandæ præſentibus, & ad abſentes deferendæ Euchariſtiæ. Idem ſibi voluit Tertullianus *in Apologetico*, & in lib. *de corona militis* ſcribens, *præſidere Synaxi probatos quoſque ſeniores, & de Præſidentium manu Euchariſtiam a fidelibus ſumi*; quandoque enim ea ætate Synaxi præerant Presbyteri, abſente Epiſcopo, quandoque Epiſcopus abſque Presbyteris. Quis porro ferat, Presbyterianos audere Tertullianum ſibi vindicare, quo nemo longius abſuit ab hoc errore? Unum illud promere ſatis, ſuperque fuerit, quod habet in lib. de *Baptiſmo*: *dandi quidem jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt*.

XIII. Adnotandum 2. cum Pearſonio, aliquos ſecundi, tertiique ſæculi Patres, etſi quandoque Epiſcopis Presbyterorum, & Sacerdotum nomen attribuant, quod utrumque nomen ſit honoris, & dignitatis, qua vere pollent Epiſcopi, quotieſcumque tamen vel gradus Eccleſiæ recenſent, vel de ſingularibus Viris Epiſcopatum in Eccleſia gerentibus agunt, ad eos deſignandos, ſecernendoſque ab inferioris gradus Presbyteris, Epiſcopi nomine uti; Quare etſi Irenæus ad Victorem Papam ſcribens deſ-

deceſſores ejus Presbyteros vocet, veros tamen eos fuiſſe Epiſcopos Presbyteris loco, & auctoritate præſtantes, ſæpe indicat apertiſſime libro præſertim 3. c. 3. ajens: *Fundantes igitur Apoſtoli Eccleſiam, Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt: ſuccedit autem ei Anacletus, poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens*, & reliquis enumeratis, *quum autem ſucceſſiſſet Aniceto Soter nunc duodecimo loco ab Apoſtolis Epiſcopatum habet Eleutherus*, Victoremque ipſum, ad quem ſcribit, non Presbyterum, ſed Epiſcopum vocat. Ineptivit ergo Salmaſius, dum *in apparatu* ſibi viſus eſt conteciſſe, nec muneris, nec dignitatis inter Epiſcopum, & Presbyterum diſcrimen tempore Victoris Papæ fuiſſe, quia non ſolum ipſum, ſed & anteriores Romanos Epiſcopos conſtat, ab Irenæo Presbyterorum nomine appellatos.

XIV. Adnotatum 3. ſtultam Presbyterianos operam poſuiſſe in corradendis undequaque ſive ex Patribus, ſive ex Eccleſiaſticis monumentis quibuſdam loquendi formulis, quibus Sacerdotum dignitas appellatur *ſupremi honoris apex*, *una* dicitur Epiſcopi, & Sacerdotis eſſe *ordinatio*, eadem a Paulo Epiſcopis, & Presbyteris impoſita mandata traduntur, atque Presbyteri Epiſcoporum *Compresbyteri*, *Comminiſtri*, *Collegæ*, & *Fratres* vocantur, qui *& ipſi Laicis præſideant*, quorum etiam ſit *gregem Dei cuſtodire*, graviſſima quæque negotia non modo examini ſubjicere, ſed & de iis ſententiam dicere, atque decretum ferre; quorſum enim hæc omnia, & ſexcenta alia ejuſdem commatis, quæ præterimus? Falſum eſt ab Euſebio Cæſarienſi Sacerdotium dictum eſſe ſupremum honoris apicem, eamque ex verbis Euſebii conſecutionem Dallæus elicit, cujus vel dialecticæ tyrunculos puderet. Unum id ſcribit Euſebius, Origenem ob ſanctitatis, doctrinæque præſtantiam Cæſarienſi, & Hieroſolymitano Epiſcopis viſum eſſe *ſupremo honore dignum*, manumque impoſitione ab eis ordinatum fuiſſe Presbyterum; Cæterum etſi Antiſtites ii Origenem ſupremo honore dignum haberent, non illum tamen Sacerdotio initiantes in ſupremi honoris apice collocarunt, quaſi vero alius in Eccleſia gradus non eſſet Sacerdotio ſuperior, quum Euſebius idem adnotat, eoſdem Epiſcopos interpretationem ſacræ Scripturæ, ac reliquum omne Eccleſiaſticæ doctrinæ officium Origeni Presbytero permiſiſſe, quod argumento eſt, non fuiſſe illum in ſummo honoris apice poſitum, qui abſque Epiſcoporum facultate populum publice docere non poterat. Quamquam vero deſpici a nobis poſſet Auctor Commentariorum in Epiſtolas Pauli inter opera D. Ambroſii, cujus eſt effatum illud, *Una eſt Epiſcopi, & Presbyteri ordinatio*, quum Anonymum hunc Hilarium Sardum eſſe Luciferianum Hæreticum Blondellus ipſe concedat, reponimus tamen, unam Epiſcopi & Presbyteri ordinationem eſſe relate ad verum Chriſti corpus, quum ſit, ut ait idem Ambroſiaſter, *uterque Sacerdos*, abſolute tamen, & quoad omnia unam, eandemque eſſe negamus, quum *non omnis Presbyter*, ut auctor idem ait, *ſit Epiſcopus*. Quid vero ſi Baſilius eadem præcepiſſe Epiſcopis, ac Presbyteris Apoſtolum ſcribit? Ergo ne eadem utrorumque dignitas eſt, & poteſtas? Ad utroſque Baſilius refert ea Pauli verba, quibus in priori ad Timotheum, & in altera ad Titum Epiſtola, docet, a quibus vitiis abſtinere Epiſcopum, quibuſque virtutibus prædit um illum eſſe, oporteat, quam Pauli juſſionem rectiſſime & ad Presbyteros Baſilius extendit; inde porro conficere, viſos Baſilio pares Epiſcopos, ac Presbyteros, delirantium eſt, quum & Diaconi imo & Laici ſenes, & viduæ æquari hoc titulo Presbyteris, & Epiſcopis poſſent, quod & iis eadem legantur a Paulo præcepta.

XV. Quid vero, ſi Epiſcopi ſecundi ordinis Sacerdotes *Compresbyteros*, *Collegas*, *fratreſque* vocant? Si heinc inferre liceat, pares eſſe illos Epiſcopis, & Chriſtus Diſcipulis ſuis æquandus erit, quos ipſe non *amicos* ſolum, ſed & *fratres* appellare dignatus eſt, nullum quoque inter Paulum, & Philemonem, Archippum, atque Epaphroditum, quos ipſe *adjutores*, *cooperatores*, & *commilitones* ſuos haud ſemel vocat, imo nec ipſum inter, ac reliquos fideles Laicos, ad quos ſuas dedit Epiſtolas, quoſque fratrum nomine ſæpe compellat, ſtatuendum erit diſcrimen. Tædet tam frivola ſerio refellere, quæ ab iis tamen magno verborum apparatu urgentur, qui in reformata Eccleſia primas obtinent, quos etiam debuiſſet pudere permaxime, illud Origenis arripere, quod hom. 7. in Jeremiam habet, *Nos, qui putamur aliquid eſſe, ideſt qui in Clericali*

ci-

Digitized by Google

vobis Ordine præſidemus &c. Ecquis enim noſtrum negavit umquam, Clericos Laicis præſidere, ideſt ordine, & gradu præſtare, Presbyteros etiam, cujuſmodi erat Origenes, ad Hierarchicum ordinem pertinere, ideſt aliquam Eccleſiæ curam gerere, ſuaſque in Eccleſiæ regimine partes habere? Quei autem poterat ex Origene Blondellus inferre, Presbyteros ſupremos eſſe Eccleſiæ præſides, atque univerſam Chriſti familiam ſumma auctoritate regere, quum diſtortam hanc ejus conſecutionem Origenes ipſe explodat continenter adjiciens: *plus a me exigitur, quam a Diacono, Plus a Diacono, quam a Laico, qui vero totius Eccleſiæ artem obtinet, ideſt Epiſcopus, pro omni Eccleſia reddet rationem*? Incredibilem denique Presbyterianorum ſtupiditatem cognoſcite, quaſi confecta re ſibi plaudentium, quod Cyprianum legerint, quidpiam grave numquam moliri conſueviſſe abſque Presbyterii ſuffragio, atque conſenſu, Romanum quoque Clerum ſibi Eccleſiæ regimen, Domini gregis cuſtodiam, graviorumque cauſarum judicium vindicaſſe. Lepide vero: at ſi Cypriani teſtimonio quidpiam efficitur, fatendum erit, non Presbyteros ſolum, ſed & quoſcumque inferioris ordinis Clericos, imo & univerſam fidelium plebem dignitate, atque auctoritate Cypriano Epiſcopo fuiſſe parem, quandoquidem ſolebat ipſe pro recepto tunc in Aphrica more in ordinandis Clericis, recipiendis Lapſis, gravioribuſque Eccleſiæ negotiis tranſigendis non Clerum ſolum, ſed & plebem in conſilium adhibere, idque perficere, quod fuerat Cleri, plebiſque ſuffragio conſtitutum. Dabunt ne porro Presbyteriani Cyprianum, alioſque Aphricæ Epiſcopos nullo diſcrimine a quibuſque inferiorum ordinum Clericis, atque a Chriſtiana plebe fuiſſe diſcretos, quod pro illius ævi diſciplina ea adverſus Clerum, & populum indulgentia uterentur? Quum una hæc animadverſio refellendis Novatoribus ſatis ſuperque ſit, mittimus innumera Cypriani teſtimonia, quibus Epiſcoporum dignitas, & auctoritas Presbyterorum gradu divino jure, ac Chriſti inſtitutione multo potior tam luculenter adſtruitur; ut ipſum communem ſenſum exuerit, qui de Cypriani mente velit ambigere. Quæ tandem Romani Cleri verba nobis obiiciunt, ne minimum quidem nos movent, qui ex Cypriano, & Epiphanio, ex quibus illa decerpta ſunt, probe novimus, Romanum Clerum eas ſibi in Eccleſiæ regimine partes tribuiſſe, dum ob Higini, atque Fabiani Romanorum Pontificum obitum Eccleſia Petri ſucceſſore, & Dominici gregis Paſtore carebat, in quo rerum ſtatu recte illos dixiſſe fatemur, quod Epiſt. 3. apud S. Cyprianum legimus, *incumbit nobis, qui videmur eſſe Præpoſiti, & vice Paſtoris demortui*, nempe Pontificis, *cuſtodire gregem* &c. quum denato Epiſcopo aliqua auctoritatis ejus, quæ ad Eccleſiaſticum regimen ſpectat, portio devolvatur ad Clerum.

XVI. Quum præcipua Novatorum argumenta e Patribus petita retuderimus, alia vero, quæ torquent, ſuis quæque locis ſolvenda ſint, quum de Hieronymi mente, & de legitimo ſacræ Ordinationis Miniſtro erit ſermo, illud poſtremo excutiendum eſt, quod Lambertus Danæus opponit, non convenire inter Pontificios Theologos, & Canoniſtas, an Epiſcopi jure divino, an vero humana tantum inſtitutione, atque conſuetudine Presbyteris præſtent. Etſi pauci quidam Scholaſtici teſtimonia inferius expendenda præpoſtere interpretati docuerint, Epiſcopum humano tantum, non divino jure Presbytero majorem eſſe, poſt Tridentini tamen celebrationem, quem proferre poteſt Danæus Catholicum canonici juris Interpretem, aut Scholæ Magiſtrum, qui id affirmet? Quum Tridentina Synodus declaraverit, Epiſcopos ad Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam præcipue pertinere, & poſitos, ſicut ait Apoſtolus, a Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores, Catholici omnes intelligunt, ex laudata Tridentini declaratione legitima, & neceſſaria conſecutione deduci, eoſdem divina illa auctoritate, qua regunt Eccleſiam Dei, ad quam profecto pertinent & Presbyteri, a Spiritu ſancto quoque conſtitutos eſſe Presbyteris ſuperiores; quare ſententia hæc Catholicis omnibus communis eſt, mentiturque Danæus ſcribens, de capite hoc Canoniſtas, & Theologos diſputare. Diſputant ii quidem (ad hoc forte Danæus rerum noſtrarum imperitus alluſit) an Epiſcopatus ordo ſit a Presbyteratu diſtinctus, verique nominis Sacramentum, & quatuor noſtra etiam ætate opiniones circumferuntur, quarum duæ directe contrariæ ſunt, aliæ vero medium locum tenent, ſuntque priorum ve-

luti temperamentum. Epiſcopatum Ordinem a Sacerdotio diſtinctum eſſe, novumque characterem imprimere, negant ſcholaſticorum Doctorum Principes Hugo Victorinus, Lombardus, Alenſis, Albertus M., S. Thomas, & Scotus, & ex utriuſque ſchola permulti, inter canonici vero juris conſultos Turrecremata, Panormitanus, Covaruvias, aliique: Adſerunt alii bene multi, quin Petrus de Soro, & Gregorius de Valentia ſentiunt, id non poſſe, intacta fide, negari. Sunt tertio alii, ique nec ignobiles neque pauci, qui priorem ſententiam cum poſteriore ita temperant, ut videantur ſibi Epiſcopatum a Presbyteratu præclare diſtinguere, nec tamen duos Ordines conſtituere, unum eundemque docentes utriuſque gradus characterem eſſe, qui in Epiſcopatu extenditur, nec duos, ſed unum Ordinem, qui in Presbyteratu inchoatus, in Epiſcopatu perficitur, & undequaque completur: Ita Paludanus, Durandus, Dominicus Soto, aliique plures. Vaſquez denique, cujus opinio eximiis Theologis admodum probabilis viſa eſt, negat, Epiſcopali conſecratione novum imprimi characterem, aut jam impreſſum extendi, ſed permanente eo invariato, ſentit novam Epiſcopo, & a Sacerdotali plane diſtinctam poteſtatem conferri, quæ poteſtas relatio quædam eſt ex divina ad certa miniſteria obeunda, quæ ſimplicis Presbyteri facultatem excedunt, deſtinatione conſurgens; Quare Vaſquezio judice nihil intrinſecum Epiſcopo, dum conſecratur, adjicitur, ſed nova quædam deputatio illi divinitus advenit, qua quorumdam obeundorum munerum capax fit, ad quæ nondum erat idoneus. Quamquam vero de re hac inter ſe Theologi, & Canoniſtæ diſſideant, in toto eſt divina Epiſcoporum ſupra Presbyteros excellentia, neque ulla ex recitatis ſententiis vel leviter violatur; Auctores etenim primæ, quæ ſola dogmati huic videri poteſt infeſta, ita ad Catholicæ Eccleſiæ mentem egregie differentes Morinus exhibet: „ Etſi „ quidquid Ordinis proprie dicti, qua ra„ tione dicuntur ſeptem Ordines, quid„ quid Sacramenti & characteris habet „ Epiſcopus, illud a Sacerdotio hauriat, „ quo neceſſario ante Epiſcopatum imbu„ tus eſſe debet, epiſcopali tamen conſe„ cratione data eſt illi dignitas, poteſtas, „ auctoritas multo amplior, & auguſtior „ ea, qua per Sacerdotii characterem do„ natus fuerat, quæ dignitas, ac poteſtas „ antiquitus, ut & nunc, in quatuor gra„ dus dividebatur, in Patriarchas, Ar„ chiepiſcopos ſeu Primates, Metropolitas „ & Epiſcopos. "

§. VI.

De S. Hieronymi mente.

I. Calvinus, atque Presbyteriani Hieronymum ſuum eſſe jactitant tam confidenter, ut errorem in Aerio ab Eccleſia damnatum puram, putamque Hieronymi doctrinam eſſe contendant. Utinam id ſoli auſi fuiſſent Hæretici! Dolendum ſummopere, Catholicos aliquot, Michaelem Medinam in primis, genuinam Hieronymi mentem non adſecutos illum adverſariis imprudentiſſime conceſſiſſe, & ſcriptitaſſe, in Aerii luto hæſiſſe Hieronymum. Tantam ne porro Doctori Maximo patiemur calumniam imputari? Quamquam ex unius, vel alterius Patris doctrina fides Eccleſiæ non pendeat, nec nutet illa, etſi hic, vel alter oppoſitum docuiſſe deprehendatur, non eſt tamen præpoſtera facilitate permittendum Hæreticis, ut propter ambigua quædam teſtimonia Patres a ſe ſtare glorientur; alioqui & cauſſæ Eccleſiæ, & Patrum famæ peſſime conſultum erit. Tanti ergo Viri in crimen a Catholicorum nonnullis incaute vocati, atque in ſuas partes a Presbyterianis inique tracti vindicias ſuſcipimus, eoque libentius, quo nobis in hoc opere prævierunt maximi apud Calvinianos nominis Scriptores Beveregius, & Pearſonius, neque in hac ejus adornanda apologia aliunde momenta ducemus, quam ex ipſis Hieronymi libris, qui uberem adeo teſtimoniorum in rem noſtram facientium ſegetem exhibent, ut ſi vellemus indulgere calamo, ſermo profecto noſter modum excederet. Pauca ſeligemus, ſed nitidiſſima, quibus compertum fiet, de Epiſcopatus a Presbyteratu diſtinctione, de divina ejuſdem præeminentia ac poteſtate, de neceſſitate quoque, atque antiquitate tam luculenter diſſeruiſſe Hieronymum, ut nulla rationis ſpecie fingi poſſit, receſſiſſe illum a receptiſſima Eccleſiæ doctrina, & Aeriano dogmati conſenſiſſe.

II. Ab ea ipſa, quam tantopere Adverſarii ſollicitant, & in qua erroris ſui arcem collocant, Epiſtola ad Evagrium ini-

tium petimus, in qua finem verſus hæc habet Hieronymus: *Ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & Filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Nonne paucis his verbis Hieronymus Catholicæ doctrinæ ſummam complexus eſt? Alius enim Aaronis, ſive ſummi Sacerdotis ordo, qui excellentiæ gratia *Coen Naggid*, ſeu Sacerdos principalis dicitur, alius filiorum ejus, ſeu ſecundi ordinis Sacerdotum, alius Levitarum, quorum ordinum varia munera, & diſpares dignitates Scriptura deſcribit; Aaroni autem ſive Sacerdoti ſummo Epiſcopum, ſecundariis Sacerdotibus Presbyteros, Levitis vero Diaconos in Eccleſia Hieronymus aſſerit reſpondere, neque hanc ordinum diſtinctionem humana inſtitutione, atque conſuetudine inductam eſſe, ſed Apoſtolica traditione ex veteri Teſtamento deſumpta, id eſt divina auctoritate inſtitutam, quum alienum omnino a fide ſit, Apoſtolos in conſtituenda Eccleſiaſtici regiminis forma quidquam arbitratu, ac jure ſuo molitos eſſe; quare quum Deus ipſe ſummum Sacerdotem ab inferioris ordinis Sacerdotibus, hoſque a Levitis ſecreviſſe, præpoſuiſſe illum iſtis, hos vero Levitarum choro, ſuaque ſingulis pro graduum varietate munera, imo & ſtationes aſſignaſſe legatur, multo magis in Eccleſia novi fœderis idem conſtituiſſe credendus eſt, hujuſque inſtituti ſui executionem Apoſtolis demandaſſe, ut, quemadmodum ait Hieronymus idem in epiſt. ad Nepotianum, *quod Aaronem, & filios ejus, hoc Epiſcopum, & Presbyteros eſſe, noverimus*, attributam ſcilicet huic divinitus eam dignitatis, & poteſtatis in Presbyteros præeminentiam, qua Aaron, ejuſque in ſummo Sacerdotio ſucceſſores in reliquos Sacerdotes divina inſtitutione pollebant. Quum argumentum hoc a Franciſco Turriano eximio Soc. Jeſu Theologo valide intortum Presbyterianis plurimum negotii faceſſeret, Blondellus in ſua Hieronymi apologia promiſit, ſe laudato teſtimonio idoneam, & legitimam explicationem ſexta operis ſui ſectione adhibiturum; verba tamen lectoribus dedit, quum tribus ſectionibus libellum ſuum abſolverit. Verum „ quid ad hæc reſpondere po„ tuerit, ait Pearſonius, ſatis ex iis per„ ſpicitur, quæ in Prolegomenis ad Pſeu„ do - Iſidorum ſcripſit, miſera, & infe„ licia, & homine vel probo, vel docto „ prorſus indigna; Turriani etenim verba „ inique detorſit, ut iis quidpiam ſaltem „ reponere videretur."

III. Hinc Hieronymus ſibi perpetuo conſtans, probeque intelligens, Judæorum Eccleſiam fuiſſe Evangelicæ figuram, & typum, ex Prophetarum teſtimoniis eximiam Epiſcoporum noſtrorum ſupra cæteros dignitatem eliciens illud Ieſaiæ cap. 60. *ponam Principes tuos in pacem, & Epiſcopos tuos in juſtitiam* exponens, hæc habet: *In hoc Scripturæ ſanctæ admiranda majeſtas, quod Principes futuros Eccleſiæ Epiſcopos nominavit*; quum ergo apud Judæos ipſos in confeſſo ſit, Deum toto eo capite futurum Eccleſiæ ſtatum ſub Meſſia prædicere, laudata autem Dei verba ad Eccleſiæ Epiſcopos ab Hieronymo referantur, nonne evidens eſt, docuiſſe illum, conſtitutos a Deo ipſo Epiſcopos Eccleſiæ Principes, qui cæteris dignitate, & poteſtate præcellant? Illud quoque interpretans, quod Ieſaiæ cap. 3. legitur, *auferet Dominus Principem* &c. *& ad noſtros Eccleſiæ Principes*, ait, *referri poteſt, ſi atterant ſubjectam ſibi plebem, & pauperes delinquentes publice arguant, & confundant, divitibus autem majora peccantibus ne nutum quidem facere audeant*. Adferri in hanc rem poſſent, quæ in quintum Jeſaiæ caput, & Micheæ ſeptimum habet, *Principum, & Ducum* nomina, quæ apud hoc Prophetas occurrunt, ad Epiſcopos referens, quos ubique terrarum Principes Eccleſiæ conſtitutos eſſe fatetur, quibus Eccleſia commiſſa eſt; ſed illud eſt omnium locupletiſſimum, quod ea Pauli verba ad Titum 1. *Oportet, Epiſcopum ſine crimine eſſe* &c. interpretans ait: *Non enim Apoſtolus Eccleſiæ Principem formans vetat eſſe pugilem, & pancratiaſten* &c. Hieronymo itaque ſolemne fuit, Epiſcopos *Eccleſiæ Principes* appellare, quibus *Eccleſia commiſſa eſt*, qui *omnibus æqualiter imperant*, & *univerſorum ſaluti ex æquo ſerviunt*, ut ait ipſe in epiſt. ad Theophilum, *quibus Presbyteri quique ſubjecti ſint, oportet, eoſque tamquam animæ Parentes ſuſpiciant*, quemadmodum ad Nepotianum Presbyterum idem ſcribit. Hæccine vero ſcripſiſſet homo, qui cum Aerio ſentiens, nullam prorſus Epiſcopos inter, ac Presbyteros ordinis, ac dignitatis differentiam agnoviſſet?

IV. Illud poſtremo decretorium eſt, &

 invi-

invictum, quod legere eſt in ejuſdem Dialogo adverſus Luciferianos: *Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes.* Si unum hoc nobis ſententiæ ſuæ teſtimonium Hieronymus præbuiſſet, ſatis illud, ſuperque eſſet, ut de recta ejus fide certiores effecti impactam ei Aeriani erroris notam pleniſſime abſtergeremus; quid enim a pravo Aerii dogmate alienum magis, quid ad perpetuam Eccleſiæ doctrinam adſtruendam, & confirmandam diſertius, & validius, ut fidenter adfirmare quis poſſit, nullum forte Patrem de præcellenti Epiſcoporum dignitate, & in Presbyteros auctoritate, non ea quidem, quam humana in illos conſuetudo tranſtulerit, ſed divinitus attributa magnificentius ſcripſiſſe Hieronymo? Non ſolum enim Presbyteros, quos *Epiſcoporum filios, & inferioris gradus Sacerdotes* perſæpe vocat, ab Epiſcopis aperte diſtinguit, quos ſplendido *Eccleſiæ Principum, Pontificum, ſummorumque Sacerdotum* vocabulo inſignit, quos & *Apoſtolorum locum apud nos obtinere, ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri*, frequenter ſcribit, non ſolum Epiſcopos ordine, & poteſtate Presbyteris anteponit, ſed exſortem illam, & ſummam, qua ſupra cæteros eminent, poteſtatem a divina inſtitutione repetit manifeſtiſſime; nam ſi Hieronymo humani *tantum* juris, uſuſque erat exſors hæc Epiſcoporum ſupra homines eminentia, qui ſcribere potuit, *ſalutem Eccleſiæ in ſummi Sacerdotis dignitate pendere, totque futura Schiſmata, quot Sacerdotes, niſi unus cæteris ordine, & poteſtate antecelleret?* Chriſtus ergo peſſime Eccleſiæ ſuæ conſuluit, ſi non eam ipſe fixit regiminis formam, in qua ſalus Eccleſiæ pendet, quæque Hieronymo viſa eſt avertendo Schiſmati perneceſſaria, ſapuiſſe vero præ Chriſto, meliuſque de Eccleſia meriti dicendi erunt Apoſtoli, vel eorum Diſcipuli, ſi hanc præter Chriſti inſtitutum, propria auctoritate inſtituerunt, ſine qua nec Eccleſiæ ſalus in tuto erat, nec ab ea arceri Schiſmata potuiſſent. Quis confectarium adeo immane non horreat? Finit illud tamen neceſſario ex Hieronymi verbis, ſi hanc ei mentem tribuas, Epiſcopatum nonniſi humano conſilio, atque uſu invaluiſſe; quum enim Chriſto ſalutem Eccleſiæ, unitatemque myſtici ſui corporis maxime cordi fuiſſe, nemo dubitet Chriſtianorum, quis dubitare poſſit, an contulerit ille in hunc finem potiora media, quibus & Eccleſiæ ſalus, & myſtici corporis unitas continebatur? Aut Epiſcopatum ergo inſtituit Chriſtus, e quo pendet, auctore Hieronymo, Eccleſiæ ſalus, & unitas, aut, ſi velis, ſerius a Chriſto in cœlos evecto, non eo jubente, & inſpirante, ſed humana tantum providentia gradum hunc emerſiſſe, hancque Hieronymo inſediſſe ſententiam, alterutrum fatearis, neceſſe eſt, aut deſipuiſſe Hieronymum, qui in humano invento ſalutem, unitatemque Eccleſiæ potiſſimum collocavit, aut minus ſapientem fuiſſe Chriſtum, qui perneceſſarium Eccleſiaſticæ unitati ac ſaluti medium neglexerit.

V. Hæc quum ita ſint, unde factum eſt, ut Hieronymus in ſuſpicionem Aeriani dogmatis venerit? In pluribus operum ejus locis quædam ſane occurrunt, quæ videntur ſuſpicioni huic anſam præbuiſſe non levem, quæque intellecta præpoſtere in cauſſa fuerunt, ut Catholici aliquot illum Presbyterianis adjunxerint, hi vero illum ut ſuum avidiſſime exceperint, retineantque; omne enim ſæpe viſus eſt Epiſcopos inter ac Presbyteros ſuſtuliſſe diſcrimen, & *ad conſuetudinem magis, quam ad diſpoſitionis Dominicæ veritatem* Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentiam retuliſſe. Ita in celebri illa epiſtola 101. ad Evangelum, quæ olim erat 85. ad Evagrium, ait: *Quum Apoſtolus doceat, eoſdem eſſe Presbyteros, quos Epiſcopos, quis patiatur, ut menſarum & viduarum Miniſter ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur?* Nullum vero olim Epiſcopos inter ac Presbyteros interceſſiſſe diſcrimen, iiſdem ſacrarum litterarum teſtimoniis probare nititur, quæ a Calvino, ejuſque gregalibus objecta paragrapho præcedente diluimus, quibus expenſis pergit Hieronymus: *Quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet*; pauciſque interjectis addit: *quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Eadem repetit commentario in primum Epiſtolæ caput ad Titum: *Idem eſt ergo Presbyter qui Epiſcopus, & antequam Diaboli inſtinctu diſſidia in religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli,*

li , ego ſum Cephæ , ego autem Apollo , communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur ; poſtquam vero unusquiſque eos, quos baptizaverat , ſuos putabat eſſe , non Chriſti , in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret , & Schiſmatum ſemina tollerentur. Moleſtiora ſunt , quæ poſt recitata Scripturarum teſtimonia continenter adjungit : *Hæc propterea, ut oſtenderemus , apud veteres eoſdem fuiſſe Presbyteros , quos & Epiſcopos , paulatim vero ut diſſenſionum plantaria evellerentur , ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam . Sicut ergo Presbyteri ſciunt , ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei , qui ſibi præpoſitus fuerit , eſſe ſubjectos , ita Epiſcopi noverint , ſe magis conſuetudine , quam diſpoſitionis Dominicæ veritatis Presbyteris eſſe majores , & in commune debere Eccleſiam regere .*

VI. Mirum , quantum hæc Hieronymi teſtimonia Theologorum noſtrorum ingenia torſerint , quotque illos excogitare reſponſa coegerint . Michaelem Medinam non moramur , qui Hieronymum hac de cauſſa Aeriani dogmatis inſimulavit , cujus de tanto Doctore judicium Doctiſſimus Petavius falſiſſimum jure vocat , & *Catholico Scriptore prorſus indignum* . Sunt , qui implexum adeo nodum inextricabilem rati , non expedire illum aggreſſi ſunt , ſed confidentiſſime diſciderunt , reponentes cum Cellorio , recitatos Hieronymi textus ſpurios eſſe , & ab Hæreticis aſſutos , qui Doctoris Maximi , ut plurium aliorum Patrum ſcripta ſacrilege temerarunt . Quo tamen momento ſuam hanc conjecturam fulcient Boni iſti ? Senſiſſe quidem Hieronymum , humano ſolum , non divino inſtituto Epiſcopos inter ac Presbyteros inductum fuiſſe diſcrimen , quin tamen eo nomine vocari poſſit in culpam , notarique hæreſeos , quod veritas hæc tunc non eſſet ſolemni Eccleſiæ declaratione ad liquidum deducta , opinantur Durandus , Dominicus Soto , Vaſquez , qui ſane reſponſo hoc ſatis Hieronymi famæ non conſulunt . Guillelmus Eſtius animadvertens , Hieronymum ordinandi poteſtatem ceu propriam , peculiaremque Epiſcopo tribuiſſe , reliqua vero Presbyteris , & Epiſcopo conſtituiſſe communia , arbitratus eſt , Doctorem Maximum inter poteſtatem juriſdictionis , & poteſtatem ordinis internoviſſe , hancque divini juris eſſe , illam vero Eccleſiaſticæ tantum inſtitutionis exiſtimaſſe : At geminæ hujus poteſtatis diſtinctio Hieronymi ætate multo recentior eſt , quam primi in lucem ediderunt duodecimo ſæculo Scholæ Magiſtri , eaque fuit de capite hoc , an utraque poteſtas iſta divini ſit juris , inter Tridentinos Patres ac Theologos concertatio , ut Concilium ſatius duxerit , a quæſtione hac definienda abſtinere , quod argumento eſt , non fuiſſe Patribus exploratum , eum Hieronymi verborum ſenſum eſſe , quem Eſtius excogitat . Quid ergo ? Difficultati ne ſuccumbendum erit , & dandæ adverſariis manus ? Quæ ſummi Viri Petavius , Morinus , & Natalis Alexander fuſiori calamo repoſuerunt , contrahentes , & pro virili illuſtrantes , ſatis difficultati , quæ ex his teſtimoniis exurgit , facturos nos eſſe , ſperamus .

VII. Quamquam nobis magis probetur Epiphanii ſententia , nullam in Apoſtolicis ſcriptis nominum confuſionem eſſe , nec promiſcue Epiſcopos pro Presbyteris , hoſque pro iis poni , eaque quæ ex Actorum 20. , ex epiſt. ad Philippenſes , ad Titum , & ad Hebræos collegit Hieronymus , teſtimonia , percommode cum eodem Epiphanio , aliiſque vetuſtioribus Patribus expoſuerimus , ſinimus tamen Hieronymum in ſuo ſenſu abundare , permittimuſque ei hanc , quam ipſe ſibi viſus eſt in libris novi fœderis deprehendiſſe , nominum communionem . Unus ergo , idemque in Eccleſiæ primordiis fuerit Epiſcopus , qui & Presbyter , quod ſæpe ait Hieronymus , nominis tamen ſocietate , non vero dignitatis , atque ordinis æqualitate . De ſola hac nominum communione ſe loqui , Hieronymus ibidem indicat apertiſſime ſubdens : *Quia eoſdem Epiſcopos illo tempore , quos & Presbyteros appellabat , propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris Apoſtolus eſt locutus* . Appellatione itaque eoſdem tunc temporis Epiſcopos fuiſſe , quos & Presbyteros , ſcribit Hieronymus , non vero re , atque gradu . Sane niſi quis velit , Hieronymum futilia ſcripſiſſe , imo & pugnantia , fateatur oportet , ſpectaſſe illum unice indifferentem hunc nominum uſum , inter eos vero , quos communi nomine tunc appellatos fuiſſe contendit , dignitatis , atque ordinis agnoviſſe diſcrimen . Quorſum enim , ut eoſdem in Eccleſiæ crepundiis Epiſcopos fuiſſe , ac Presbyteros demonſtraret , momentum urgens petitum ex Paulo ad Philippenſes ſcribente,

Pau-

Paulus & Timotheus omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconis &c. concludit, *Paulum indifferenter de Epiſcopis quaſi Presbyteris locutum eſſe, quia Philippi una eſt urbs Macedoniæ, in una autem Civitate plures, ut nuncupantur, Epiſcopi eſſe non poterant?* Si Epiſcoporum, atque Presbyterorum ut tunc erat promiſcuum nomen, ita una, eademque Hieronymo fuiſſet dignitas, & poteſtas, nonne ineptiviſſet, eundem eſſe Epiſcopum ac Presbyterum probans, quod plures compellet Apoſtolus unius urbis Epiſcopos, uuius vero urbis nonniſi unus eſſe poſſet Epiſcopus? Nonne plures Philippis Presbiteri erant, quos Hieronymus ab Apoſtolo Epiſcopos vocatos eſſe contendit? Si ergo ii dignitate & loco pares omnino erant, neque nomine ſolum, ſed gradu omnes Epiſcopi, unius profecto civitatis plures Epiſcopi tunc fuiſsent, Hieronymique argumento nihil eſset inſulſius, eoſdem tunc fuiſse Epiſcopos ac Presbyteros, quia plures in una Civitate Epiſcopi eſse non poterant. Id ſibi itaque Hieronymus voluiſse dicendus eſt, Apoſtolum plurali nomine multos Philippenſium Epiſcopos ſalutantem Epiſcopi nomen & ad Presbyteros extendiſse, quamquam & nomine, & re nec ibi eſset, nec eſse poſset niſi unus Epiſcopus.

VIII. Sequentia tamen Hieronymi verba interpretationem hanc videntur explodere; ait enim, *antequam diſſidia in religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur; poſtea in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur;* Palam itaque, aperteque docet, in ipſo Chriſtianæ religionis exordio eoſdem nomine, atque re Epiſcopos fuiſse, ac Presbyteros, qui communi conſilio Eccleſiam gubernabant, capta vero ex Schiſmate Corinthi orto occaſione unum cæteris ſuiſse prælatum, omnemque illi Eccleſiæ curam concreditam. Demus vera eſse quæ Hieronymus ſcribit: quid illi, amabo, cum Aerio commune? Etſi ante enatum Corinthi Schiſma communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernarentur, indeque factum eſset ſic, ut Hieronymo viſum eſt, ut unus de Presbyteris cæteris præponeretur &c., non illud tamen humano arbitrio factum eſse (quod Aerii, & Aſseclarum ejus delirium fuit) ſed divina auctoritate, Hieronymus aperte tradit, ajens, *mox ut ſchiſma illud erupit, in toto orbe decretum eſſe, ut unus* &c. Quo autem tempore ea in religione diſſidia Corinthi facta ſunt, nonne omnes præter Jacobum Fratrem Joannis, in vivis erant Apoſtoli, atque Evangeliſtæ? Non alii ergo potuerunt toto orbe decernere, ad unum e Presbyteris cæteris ſuperpoſitum omnem ſingularis alicujus Eccleſiæ ſollicitudinem deferendam, quandoquidem Epiſcopatus jam inſtituti diſertiſſime meminerunt Clemens Romanus, Ignatius Martyr, & Polycapus Apoſtolorum Diſcipuli, ordinatique ab iiſdem Epiſcopi: idne vero ſuo illi marte moliti ſunt? Tantumne illos ſibi ſumpſiſse dicemus, ut quum noſsent, juſſiſse Chriſtum, ſingulares Eccleſias communi conſilio a Presbyterio gubernari, ſicut Presbyteriani contendunt, unum ipſi cæteris ſuperponendum eſse decernerent, non cujus in Presbyterio eæ dumtaxat partes eſsent, quæ olim Conſulis in Romana Rep., ut ait Calvinus, referendi nimirum, & proponendi, non vero quidpiam decernendi, ſed qui loco, & auctoritate reliquis præſtans omnem Eccleſiæ curam gereret? Hieronymus itaque inſtituti Epiſcopatus epocham figens paullo poſt Corinthiacum ſchiſma, divinam profecto ejus originem haud obſcure ſignificavit: quum enim nulli tunc potuerint in toto orbe decernere, unum e Presbyteris dignitate, atque juriſdictione cæteris ſuperponendum, quam Apoſtoli tunc viventes, qui ut fundare Eccleſiam Evangelii prædicatione, ita & eam diſponere, & certis legibus communire a Chriſto juſſi, idonea in hunc finem auctoritate ab ipſo donati fuerant, quam ab iiſdem inductam Eccleſiaſtici regiminis formam totoque orbe decretam tradit Hieronymus, ad Chriſtum auctorem referamus, oportet.

IX. Quo autem evidentius pateat, nihil ſcripſiſſe Hieronymum dogmati huic infeſtum, nonnulla ex Clariſſimo Morino decerpam, quibus jam dicta illuſtrentur. Adnotat Epiphanius, non omnia ſtatim Apoſtolos executos, quæ a Chriſto in mandatis habebant, præſertim quæ ad ſacrorum Miniſtrorum electionem, & politiam Eccleſiæ pertinebant. Quorſum enim naſcente tunc primum Eccleſia, longam ſacrorum Miniſtrorum aciem inſtruxiſſent,

quor-

quorſum Epiſcopos ſtatim inſtituiſſent, quum nullæ adhuc eſſent regendæ plebes, iiſque in locis, in quibus fidelium numerus jam excreverat, adeſſent ipſi, & Epiſcopi munere fungerentur, aut in principe aliqua civitate moram ducentes, vicinas ſubjectarum urbium Eccleſias per Presbyteros regerent? Aucta vero plurimum credentium multitudine, illatoque jam in varias orbis regiones Evangelii lumine, quum ſoli jam non poſſent tot, tamque diſſitas Eccleſias regere, variis in locis Epiſcopos conſtituerunt, quibus ipſi præerant, ut Archiepiſcopi, & Primates. Apoſtoli itaque, ut ſapientes œconomi mandatum Chriſti de inſtituendis Epiſcopis, aliiſque Eccleſiæ miniſtris non intempeſtive, & præpoſtere, ſed opportune executi ſunt & prudenter. Sane ſi quis expenderit, quæ de tempore, quo primum gentibus prædicari cæptum eſt Evangelium, & quo Corinthi ſchiſma enatum eſt, Hiſtorici & Chronologi tradunt, deprehendet, ex quo primum cæpit Eccleſia etiam ex gentibus ædificari, an. ſcilicet vulgaris æræ 46., ad memoratum Corinthiacum ſchiſma vix decennium effluxiſſe, hocque tempus illud eſt, quo nondum inſtitutis Epiſcopis, ut Hieronymo placet, Eccleſiæ gentium communi Presbyterorum conſilio gubernabantur. Quæ porro neceſſitas, Epiſcopos intra breve illud tempus ſtatim inſtituendi, quum Apoſtoli tunc viventes Epiſcopale munus per ſe ipſos obirent, conflatas ex gentibus recentes Eccleſias ipſi viſitarent, diſponerentque, alicubi vero Presbyteros conſtituerent ſui Vicarios, ac Miniſtros, quorum opera ad peculiarium Eccleſiarum regimen utebantur? Nonne & juſtæ illæ cauſſæ ſunt, quibus idem Epiphanius conjicit permotos fuiſſe Apoſtolos, ne Chriſti juſſionem de inſtituendis Epiſcopis illico executioni mandarent, puta quod nondum ea eſſet fidelium multitudo, quæ egeret Epiſcopo, quod Neophytos ex Gentibus præponere aliis non auderent, ne in ſuperbiam elati, ut ait Paulus, in judicium diaboli inciderent, quod nulli quandoque iis in promptu eſſent ſatis inſtructi, atque in fide firmi, quos Eccleſiæ præficerent? Præcepiſſe ergo Chriſtum Apoſtolis, ut Epiſcopos in Eccleſia conſtituerent, exploratæ rei loco habet Hieronymus, quod vero ait, nonniſi poſt Corinthiacum ſchiſma in toto orbe decretum eſſe &c., unum id adſtruit, quod libentiſſime damus, Chriſtum Apoſtolorum prudentiæ reliquiſſe, ut juſſionis implendæ tempus illud eligerent, quod eis opportunius, ſuæque Eccleſiæ utilius videretur, hos vero moras omnes rupiſſe, neque poſt diſſenſiones Corinthi pullulantes diutius id differendum prudentiſſime judicaſſe, ne quid detrimenti Eccleſia caperet ex dilata Dominici mandati executione.

X. Eſt tamen in Hieronymi verbis una periodus, quæ videtur in gratiam cum interpretatione hac redire non poſſe: *Sicut ergo Presbyteri*, ait Hieronymus, *ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi Præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores*. Nonne verbis his videtur Hieronymus, totam ſubjectionis Presbyterorum, & Epiſcoporum præcellentiæ cauſſam, atque originem ad conſuetudinem Eccleſiæ referre? Videtur referre quidem, ſed revera non refert; quid enim ſibi ea volunt, quæ continenter adjungit: *imitantes Moſen, qui quum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret?* Solane humana conſuetudine, non vero Dominicæ diſpoſitionis veritate, Moſes Iſraeliticæ genti præfectus erat, iiſque ipſis ſeptuaginta Optimatibus, quos ipſe Deo jubente elegerat, & quibus Deus ſpiritum Moſis diviſit, ut cum eo onus populi ſuſtentarent, ſoluſque Moſes non gravaretur? Soli id aſſerant, qui undecimum præcipue Numerorum caput non legerint, ignorentque quo jure ſubeſſet univerſus Iſrael Moſi, ipſeque omnibus præſideret. Si ergo Epiſcopos hortatur Hieronymus, ut cum Presbyteris regimen Eccleſiæ dividant, eoſque in conſortium poteſtatis, ſeu juriſdictionis admittant, *imitantes Moſen* &c., docet profecto, eodem divino jure Presbyteros Epiſcopis ſubjectos eſſe, hoſque iis præeſſe, quo Moſi ſuberat Iſrael, huicque ille prælatus erat. At ait Hieronymus, *ſcire Presbyteros, ſe conſuetudine Epiſcopis ſubjectos eſſe, debere iccirco & Epiſcopos noſſe, ſe conſuetudine magis, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores*. Recte quidem; ab ipſa enim Apoſtolorum ætate in univerſa Eccleſia uſus obtinet, ut ſimplices Presbyteri intra Epiſcopos ſint; quum autem vetuſtiſſima illa con-

conſuetudo tunc primum invaluerit, quum, ipſo Hieronymo teſte, ab Apoſtolis in toto orbe decretum eſt, ut unus e Presbyteris electus cæteris præponeretur, omniſque ad eum Eccleſiæ cura devolveretur, conſuetudo illa, quæ Presbyterorum ſubjectionem induxit, non humana eſt, ſed divina, ideſt a divina inſtitutione ducens originem, quum nonniſi Chriſti mandato atque auctoritate eam regiminis formam Apoſtoli ſanxerint toto orbe inviolate ſervandam; quare dum Hieronymus ſubdit, *delere & Epiſcopos ſcire, ſe conſuetudine magis, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores*, conſuetudinis nomine non humanum quidpiam, ſed divinam ipſam traditionem ab Apoſtolis Eccleſiæ commendatam ſignificat, quam Dominicæ diſpoſitionis veritati opponens, non eam excludit, ut effutiunt Presbyteriani, ſed unum id vult, traditione magis, quam verbo Dei ſcripto Epiſcoporum excellentiam comprobari; nullum enim eſt diſertum, perſpicuumque divini eloquii teſtimonium, quo poſſit divina Epiſcopatus inſtitutio, hujuſque Dominicæ diſpoſitionis veritas demonſtrari; traditionis Apoſtolicæ tamen, qua id conficimus, innumera, eaque luculentiſſima ſunt argumenta, quæ nobis ſuppeditant præcipui Apoſtolorum Diſcipuli, & Succeſſores, Clemens Romanus, Ignatius Martyr, Polycarpus, omneſque ſequioris ævi Doctores, necnon ipſe Hieronymus.

XI. Quam Hieronymi verbis ex commentario in Epiſt. ad Titum adhibuimus interpretationem, iis quoque adhibeamus, quæ habet in Epiſt. ad Evangelum; gemina enim ſunt, eandemque inferunt difficultatem. Unum tamen addit in memorata Epiſtola, quod mirifice jactitant Presbyteriani. Poſtquam iiſdem iis teſtimoniis, quæ in laudato commentario fuſe verſaverat, probare conatus eſt, eoſdem apud Paulum eſſe Epiſcopos, ac Presbyteros, atque in ſchiſmatis remedium factum eſſe, ut unus electus ſit, qui cæteris præponeretur, id argumento ex Eccleſiaſtica hiſtoria petito confirmans ait: *Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Presbyteri unum ſemper ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant ex ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent*; quare ſi a Marco Evangeliſta, ideſt ab ipſa Apoſtolorum ætate, uſque ad Heraclam & Dionyſium, nimirum uſque ad tertii ſæculi medietatem, non aliter in Alexandrina Eccleſia electos fuiſſe Epiſcopos, ait Hieronymus, quam ab exercitu Romanos Imperatores, aut a Diaconis Archidiaconum, nihil ſane Epiſcopis tribuit, quo Presbyteris divina inſtitutione præcellant. Verum quid ex his Hieronymi verbis extundere poſſint Presbyteriani, plane non video. Vult quidem Seldenus „ primus hujus argumenti archi-
„ tectus, ait Pearſonius, ex Hieronymi
„ verbis colligi debere, Patriarcham Ale-
„ xandrinum a Presbyteris electum, &
„ ordinatum, neutrum tamen Hierony-
„ mus docet, qui tantum ait, Epiſco-
„ pum illum ex Presbyteris electum,
„ non vero a Presbyteris; quidni enim
„ potuit ex Presbyterorum cætu ab aliis
„ eligi, vel a populo, vel ab Epiſcopis
„ comprovincialibus? Antiquam ſane Ale-
„ xandriæ viguiſſe conſuetudinem, ut
„ Epiſcopi electio populi ſuffragio fieret,
„ adnotat Epiphanius hæreſi *69.*, innnunt-
„ que Epiſcopi Ægyptii in Epiſt. Synodi-
„ ca ad omnes Catholicæ communionis
„ Epiſcopos, qua S. Athanaſii electio-
„ nem ab Arianorum calumniis vindi-
„ cant, ideinque teſtatur Nazianzenus
„ orat. 21. Hieronymus vero neque mo-
„ dum electionis quoad ſuffragia, neque
„ ceremonias in creatione adhibitas, ne-
„ que jus ullum præ cæteris Presbyterio
„ Alexandrino tributum commemorar,
„ ſed ex veteri quadam incerta tamen
„ traditione, id unum Presbyteris Ale-
„ xandrinis attribuit, nimirum quod ex
„ eorum collegio uſque ad Heraclæ tem-
„ pora Epiſcopus electus ſit, & ab eis
„ renuntiatus. “ Hæc ex Pearſonio.

XII. Verum quia ea Hieronymi verba, *quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat* &c. videntur innuere, toto eo tempore non ex Presbyteris ſolum, ſed & a Presbyteris Alexandrinis electum Epiſcopum, demus Dallæo, & Seldeno, quod volunt: Quid porro? Numquid eum, quem ex cætu ſuo elegerant, Presbyteri Epiſcopum ordinabant, quemadmodum Seldenus, aliique Presbyteriani commenti ſunt? Quoniam de Hieronymi mente unice nobis eſt quæſtio, res eſt plane portento ſimilis, auſos fuiſſe Dallæum, & Sel-

Seldenum aſſerere, certo patere ex his Hieronymi verbis, Presbyreros Alexaudrinos abſque Epiſcopo non ſolum Presbyterum, ſed, quod maximum eſt, Patriarcham conſtituere, & ordinare conſueviſſe. Quis pacate ferat, tam immanem Hieronymo errorem liceutiſſime affingi, quem ipſe verbis immediate ſequentibus explodit, ajens: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Si ergo ordinandi poteſtatem peculiarem Epiſcopo adſtruit, removetque a Presbyteris, niſi Dallæum & Seldenum mente emotos fuiſſe dicamus, dum ea ſcriberent, quæ retulimus, fatendum erit, eos non veritatis amorem ſolum, ſed pudorem omnem penitus abjeciſſe. At regerit Seldenus: „ Hieronymus probe no-
„ rat, nullum in Ægypto præter quam
„ Alexandriæ ante Demetrium Heraclæ
„ Deceſſorem fuiſſe Epiſcopum; Deme-
„ trius enim primus tres in Ægypto legi-
„ tur Epiſcopos conſtituiſſe. “ Verum qui id ſcire potuit Hieronymus, quum primus fabulam hanc procuderit, & vulgaverit Eutychius Alexandrinus Patriarcha ſexcentis ferme annis Hieronymo ipſo poſterior? Ne vero Novatores Eutychii ſaltem auctoritate abuti poſſint, mittimus, quæ Pearſonius ad elevandam Scriptoris hujus fidem fuſiori calamo perſecutus eſt, verbaque tantum damus doctiſſimi Renaudotii, quibus argumentum ex Eutychio a Novatoribus ductum feliciſſime eliſit. „ Mirandum ſane, gallice ait
„ Vir Clariſſimus, Proteſtantium nonnul-
„ los voluiſſe orbi imponere, & vulgare
„ auſos, Scriptorum Orientalium teſtifica-
„ tione probari poſſe, olim apud Alexan-
„ drinos Patriarcham a ſimplicibus Pres-
„ byteris ordinatum. Paradoxum hoc tue-
„ ri conatus eſt Seldenus, quo tempore
„ Presbyterianorum factio Angliam mi-
„ ſerrime divexabat, alioque quolibet ar-
„ gumento carens, id ſibi videbatur evin-
„ cere textu quodam, quem ex hiſtoria
„ Eutychii Alexandrini Patriarchæ non-
„ dum typis edita exſcripſerat; ſed homo
„ linguarum Orientalium ferme rudis in
„ Eutychiani teſtimonii intellectu turpiſſi-
„ me lapſus eſt, ad Patriarchæ ordinatio-
„ nem referens, quod de ejus tantum electio-
„ ne Eutychius ſcripſerat. “ Hunc Seldeni errorem perſpicue adeo convicit Abraam Echellenſis in libro, cui titulus, *Eutychius vindicatus*, ut nihil ſolidi hactenus reponere potuerint Presbyteriani, poſſetque idem error innumeris aliis argumentis manifeſte coargui, ſi id neceſſitas poſtularet.

XIII. Etſi in purgando ab Aeriana labe Hieronymo non pœnitendam operam poſuerimus, adoptare tamen nolumus, nec vero poſſumus, quæcumque in locis mox explicatis incauto forte illi, & æſtu contentionis abrepto exciderunt e calamo. Summus ille fuit, omnique iccirco dignus obſequio, homo tamen errori obnoxius, quem ſi aliquid non ſcienter quidem, ſed oſcitanter fugiſſe dicamus, nemo minoris adverſus eum reverentiæ culpare nos poſſit; quotus enim quiſque eſt, qui non aliquando fallatur? Illud autem primo probare non poſſumus, quod ait utrobique Hieronymus, tunc primum creatos Epiſcopos, quum *ſtudia in religione inſtinctu diaboli Corinthi fieri cæpta ſunt*. Illud certum eſt, & diſertiſſimis Auctoris *conſtitutionum Apoſtolicarum*, qui ante Nicænum Concilium floruit, Euſebii Cæſarienſis, ipſiuſque Hieronymi in lib. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, teſtimoniis comprobatur, paulo poſt Chriſti in cælos aſcenſum, diuque iccirco ante Corinthianum ſchiſma, Jacobum minorem ab Apoſtolis Hieroſolymitanum Epiſcopum ordinatum. Nonne & quatuordecim circiter annis ante prædictum ſchiſma Petrus Apoſtolorum Princeps Antiochiæ ſedem figens Eccleſiam illam ut Epiſcopus rexit, indeque Romam diſcedens Evodium ſibi in ea Epiſcopali ſede ſuffecit, Roma vero Marcum Evangeliſtam Alexandriam miſit conſecratum a ſe primum illius urbis Epiſcopum, quorum ordinatio Corinthiaco ſchiſmate novennio circiter anterior eſt? Nonne anno uno aut altero prior memorato ſchiſmate fuit Dionyſii Areopagitæ in Athenienſium, Timothei vero in Epheſiorum Epiſcopos initiatio? Patent hæc ex vetuſtis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis, Chronico præſertim Euſebii, quod Hieronymus edidit, ampliavitque, ex libro ejuſdem de Scriptoribus Eccleſiaſticis; quare ad ea, quæ alibi ſcripſerat, animum non advertiſſe Hieronymum dicamus, oportet, dum nonniſi ad Corinthiacum ſchiſma primam Epiſcoporum retulit inſtitutionem.

XIV. Illud quoque Doctori Maximo dare non poſſumus, quod in laudata ad Evangelum Epiſtola ait, *quid facit Epi-*

ſcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non facit? Abſit, ut de hoc Hieronymi effacto pronuntiemus, quod celeberrimus Scriptor, iſque Catholicus, & Religioſus, cujus nomini parcimus ob Viri famam, licentiſſime ſcripſit: „ Si quis hanc Hieronymi interrogationem velit ad libellam „ exigere, temeritatis, mendacii, & oſci- „ tantiæ non abs re Hieronymum accuſa- „ bit. “ Spectatiſſima Hieronymi pietas, & ſapientia facit, ut modeſtius, & reverentius interroganti illi, quid faciat Epiſcopus, *excepta ordinatione*, quod Presbyter æque non faciat, reſpondeamus, permulta illum facere maximique momenti, quæ ſi uſurpet Presbyter inaniter agit. Ex conſtanti enim, & perpetua Occidentalis Eccleſiæ traditione confirmationis Sacramentum ſolus ordinario jure miniſtrat, chriſma conficit, Virgines benedicit, templa, altaria, & calices conſecrat, aliaque plura, quæ juriſdictionis ſunt, ſolus exercet, quæ niſi fuerint Presbyteris extra ordinem commiſſa, irrita certiſſime ſunt. Perpetuæ hujus traditionis in toto ferme Occidente, ac in Romana præſertim Eccleſia vulgatiſſimæ excerpere momenta poſſemus ex Romanorum Pontificum Innocentii I. atque Damaſi Hieronymo coævorum epiſtolis, & ex Conciliorum Carthaginenſis ſecundi, & Toletani primi, quæ Hieronymo vivente celebrata ſunt, canonibus; Verum quid neceſſe eſt, veritatis hujus argumenta tam procul arceſſere, quum Hieronymus ipſe in Dialogo adverſus Luciferianos eam teſtimonio ſuo confirmet locupletiſſime? *Eccleſiæ ſalus, inquit, in ſummi Sacerdotis dignitate pendet* &c. *Inde venit, ut ſine chriſmate, & Epiſcopi juſſione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi . . . . Si quæramus, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, diſce hanc obſervationem ex ea auctoritate deſcendere, quod Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit. Non equidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui in longe minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Sancti Spiritus manum impoſiturus excurrit.*

XV. Hæc quum ita ſint, qui fieri potuit, ut Hieronymus ſui oblitus fuerit, & in manifeſtam contradictionem abjerit? Dicam ingenue, quod rei eſt, quodque Viri Clariſſimi jam adnotarunt. In epiſtola *ad Evangelum* præſertim totus eſt Hieronymus in retundenda Falcidii Diaconi Romani ſuperbia, qui eo ſarrogantiæ, ac impudentiæ venerat, ut ſeſe Presbyteris non æquaret ſolum, ſed & præferret. Stomachatus Hieronymus, ceteroqui ingenio acer, & fervidus, hominis improbitatem, omni argumentorum genere Presbyterorum dignitatem adeo extulit, quo validius intolerandam Falcidii temeritatem obtereret, ut viſus ſit, Epiſcopos ferme loco moviſſe, dum eos Presbyteris exæquavit. Ecquis enim ignorat, Hieronymum in Ciceronis lectione diu, multumque verſatum, & Rhetorices perititiſſimum, in diſputationis æſtu rhetoricas auxeſes, & hyperboles conſectari, ut cauſæ quam agit, omni, quo poteſt, modo multum momenti addat? Non vacat hic ex Hieronymo ipſo exempla conſerre, quibus palam fiat, actum illum non ſemel eo contentionis ardore, ut in amplificationes, atque exaggerationes, quas veritas minus patitur, abreptus ſit. Dandum ergo zelo, quo in Diaconum petulantem exarſit, quod calamo paulo liberius indulſerit, ſtudioque caſtigandi procaciſſimi hominis incitatior ad veritatis normam non ſatis exegerit, quæ ſcribebat, neque ejus, ut graviſſime commonet Melchior Cano, eſt inſultandum erroribus, cujus miramur ingenium, ſed aliis ejuſdem teſtimoniis modeſte corrigendum, emolliendumque, quidquid aſperius, minuſque limatum a Hieronymo fervor animi, & diſputationis impetus quaſi per inconſiderantiam expreſſit.

§. ULTIMUS.

De Chorepiſcopis.

I. QUoniam Presbyteriani argumentum quoque a Chorepiſcopis ductum adverſus divinam Epiſcoporum eminentiam intorquent, operæ pretium eſt, priuſquam manum ab hoc articulo ſubducamus, aliqua de hoc Eccleſiaſtico gradu tradere, quibus offuſæ Catholico dogmati, quod hactenus propugnavimus, a Novatoribus tenebræ diſpellantur. De nominis Etymologia curioſius veſtiganda minus ſolliciti in rem ipſam hoc nomine a Veteribus ſignificatam intendimus, quam in ſuo Gloſſario Clariſſimus Du - Cangius e priſcis Eccleſiæ monumentis excerptam exhibet, primo animadvertens, Honorium Au-

guſto

guſtodunenſem, & Rabanum perperam cenſuiſſe, dictos ideo Corepiſcopos, quod de Choro Sacerdotum eſſent, quum Chorepiſcopus non latina, ſed græca vox ſit, ex duabus conflata, ſignificetque *ruris Epiſcopos*; quare in *Capitularibus* Caroli Magni *Villani*, ideſt villarum, & ab Hincmaro *Vicani*, ſeu vicorum Epiſcopi nuncupantur. Quum fuerint primitus Chorepiſcopi conſtituti, ut Epiſcoporum vices in oppidis, atque pagis obirent, & quibuſdam levioris momenti muneribus fungerentur, quemadmodum ex cap. 8. Nicæni Concilii, aliiſque vetuſtis monumentis elicitur, hinc in Conciliis Anciriano, Neocæſarienſi, atque Antiocheno quarto ſæculo habitis, & ab Eccleſiaſticis ſequioris ævi tractatoribus, Iſidoro, Ferrando Diacono, Hincmaro, aliiſque *Vicarii Epiſcoporum, eorumque Miniſterii adjutores* dicti leguntur, & in Arabicis Concilii Nicæni canonibus a Franciſco Turriano vulgatis hæc eorum notio traditur: *Chorepiſcopus eſt loco Epiſcopi ſuper Villas, & Monaſteria, & Sacerdotes villarum, quæ ſub ejus poteſtate ſunt tamquam duæ manus, & duæ alæ, quibus Epiſcopus volat*. Probatur nobis conjectura Morini opinantis, ex aucta mirifice credentium multitudine, progreſſuque Evangelii non in civitatibus ſolum, ſed & in oppidis, pagis, ac vicis deſſeminati, occaſionem captaſſe Epiſcopos, hos ſui Vicarios, Adjutoreſque, quos Chorepiſcopos dicimus, inſtituendi; quum enim pervetuſto Eccleſiæ more ab Apoſtolorum exemplo, & traditione ducto, & antiquiſſimis canonibus roborato non niſi in civitatibus conſtituerentur Epiſcopi, & plerumque urbium territoria fidelium numero referta latiſſime porrigerentur, non niſi ægre potuiſſet Epiſcopus in tot ſuæ Diæceſeos locis Paſtoris munera obire; quid enim ſi in ſingulis pagis Presbyteri erant, aut ſaltem Diaconi, qui urgente neceſſitate baptiſma conferrent, & in Eccleſiæ diſciplina populum continerent? Alia plura erant, quæ ſolus præſtare poterat Epiſcopus: ad hæc vero obeunda Epiſcopum ſemper accerſere, aut ipſum ſemper adire, Epiſcopo, & populo longe diſſitis quam moleſtum? E re quoque Eccleſiæ eſſe videbatur, ut Presbyteris, Clericiſque pagorum aliqui majori auctoritate præditi præficerentur, qui illos in officio continerent, ne aut impoſitam ſibi perſonam negligentius ſuſtinerent, aut forte vitiis fræna laxarent, quod ab Epiſcopo longius abeſſent. His aliiſque ſimilibus cauſis Morinus conjicit, permota fuiſſe Provincialia Concilia, ut in oppidis ab Epiſcopi ſede remotis Chorepiſcopos inſtituerent, Epiſcopo quidem obnoxios, nonnullis tamen Epiſcopi prærogativis ob Diæceſeos commodum inſignitos, de quibus infra.

Quamquam novi Aeriani, Salmaſius præſertim, & Baſnagius, ut errorem ſuum quavis ratione ſuffulciant, improvidique quidam Catholici, quos inter Dominus Tournely, Chorepiſcoporum originem ipſa ferme Apoſtolorum ætate, ac in Eccleſiæ primordiis figant, præpoſtera quorumdam S. Clementis in epiſt. 1. ad Corinthios, Euſebii in hiſt. Eccleſ., & S. Epiphanii in lib. de hæreſibus, teſtimoniorum intelligentia deluſi, quod etſi Presbyterianis daremus, nihilo melior fieret eorum cauſa; falli eos tamen, & Chorepiſcoporum inſtitutionem Apoſtolico ævo recentiorem eſſe, fidenter aſſerimus, quod prima eorum mentio in Conciliis Anciriano, & Neocæſarienſi occurrat, quorum celebratio anno Chriſti 314. conſignatur. Codex canonum Eccleſiæ primitivæ, quos etſi perperam Apoſtolis tribui, ultro damus, antiquiſſimos tamen eſſe, & a Conciliis ſecundo, & tertio ſæculo celebratis editos, Beveregius adverſus Dallæum plane confecit, ne verbum quidem habet de Chorepiſcopis, etſi Eccleſiaſticos gradus omnes ſingillatim recenſeat: altum de iiſdem ſilentium apud Tertullianum, Cornelium Papam, & Cyprianum, licet cæteros Eccleſiæ ordines minutatim enumerent, hunc certe non prætermiſſuri, ſi fuiſſet ea ætate uſitatus, quum gradus eſſet ſupra Presbyteros eminens, & proxime ad Epiſcopatum accedens. Quoniam vero memorata Concilia initio quarti ſæculi habita non de inſtituendis Chorepiſcopis agant, ſed de eorumdem auctoritate, quam ii paulo licentius efferebant, certis limitibus circumſcribenda canones ferant, creditu pronum eſt, paulo anteriorem eſſe memoratis Conciliis Chorepiſcoporum inſtitutionem, atque vel exeunte tertio ſæculo, vel quarto ineunte gradum hunc emerſiſſe. Vero quoque propius eſt, dignitatem hanc in Oriente prius ſumpſiſſe initium, ſerius vero in Occidentem invectam, quum præter laudatorum Orientalium Conciliorum canones, Nicæno primo, Epheſino, atque Chalcedonenſi Conciliis ſubſcripſiſſe legantur poſt Epiſcopos Chorepiſcopi plures, qui omnes in

variis Orientis Provinciis id munus obibant; apud Occidentales vero prima horum mentio in Rhegienſi Synodo an. 439. celebrata occurrat; neque totum Occidentem gradus iſte æque pervaſit; nullum eorum veſtigium in Aphrica, & licer in Galliis, & in Germania frequentes admodum olim fuerint, perrari tamen in Hiſpania, aliiſque Occidentis regionibus Chorepiſcopi deprehenduntur. Jamdudum gradus iſte ab Eccleſia ſublatus eſt, & vertente nono ſæculo tam in Oriente, quam in Occidente penitus abrogatus.

III. Supereſt, ut de Chorepiſcoporum privilegiis nonnulla tradamus, quæ ex veterum canonum collectione, aliiſque priſcis Eccleſiæ monumentis elicimus: Ordines omnes infra Diaconatum conferendi, quin & Sacramentum confirmationis adminiſtrandi erat iis in Oriente paſſim delegata poteſtas: Generalibus Conciliis adfuiſſe illos, ſententiam dixiſſe, & poſt Epiſcopos ſubſcripſiſſe, explorata res eſt, licet incertum ſit, an id eis fuerit a Conciliis titulo dignitatis ſuæ tributum, an vere ob peculiarem Epiſcoporum, quibus ſuberant, delegationem. Quum e pagis, quibus præerant, deligendi eſſent ſacris Ordinibus initiandi, Chorepiſcoporum erat, Cleri, & populi de iis teſtimonia excipere, excutere, & referre ad Epiſcopos: Solis licebat, præſente Epiſcopo, ſacrificium offerre, aut eulogias diſtribuere, quum id Vicanis Urbiciſque Presbyteris non liceret. In ditione iis attributa ab Epiſcopis, jus illis erat viſitandi Eccleſias, & Monaſteria, bis quot annis Presbyteros, ſemel antem Monachos congregandi, præficiendi Eccleſiis, & Monaſteriis, qui eorumdem curam gererent, operamque darent, ut, quæ divini cultus erant, peragerentur ex ordine. Hoc etiam ſenſu Chorepiſcopus, & Archidiaconus ab Orientalibus *duæ Epiſcopi alæ* dicuntur, quod ſive intra, ſive extra templum Chorepiſcopus ad ſiniſtram Epiſcopi, Archidiaconus vero ad ejus dexteram ſedeant, reliqui autem Presbyteri, & Clerici infra ipſos. Quum ſplendida adeo olim eſſent Chorepiſcoporum privilegia, dubitari a canonici juris, & Scholæ Magiſtris ſolet, an Chorepiſcopi veri nominis Epiſcopi eſſent, an ſimplices Presbyteri in aliquod Epiſcopalis juriſdictionis conſortium aſciti. Non poſſumus a quæſtione hac definienda abſtinere, quæ cum ea, quamadverſus recentes Aerianos conſtabilivimus, & cum altera, quam de Ordinationis Miniſtro mox ſubjecturi ſumus, neceſſario connexa eſt.

Chorepiſcoporum gradus re ipſa ab Epiſcopali diverſus erat.

I. Si quæ de nominis ſignificatione, & de fine, cujus gratia inſtituti ſunt Chorepiſcopi, deque exercendæ ditionis loco iis antiquitus attributo diximus, quis diligenter expenderit, nullo negotio intelliget, Chorepiſcopos ab Epiſcopis longo intervallo diſtaſſe; alia tamen nobis momenta ſuppetunt, quibus id evidentius demonſtremus. Si vetera Eccleſiæ monumenta conſulimus, celeberrimum in primis Leonis tertii ad Galliarum, Germaniæque Epiſcopos reſcriptum, Caroli Magni Capitularia, & Conciliorum, Hiſpalenſis, Ratiſponenſis, Pariſienſis, Meldenſis, & Metenſis, nono ſæculo habitorum ſanctiones, quid frequentius, diſertiuſque teſtatum, quam Chorepiſcopos, & Presbyteros ſecundum canones unum eſſe, eos Pontificatus apicem non habere, & non niſi ſeptuaginta Diſcipulorum formam gerere, ad quorum imitationem inſtituti ſunt, quum Epiſcopi Apoſtolos referant, quorum ſucceſſores a Patribus, & Conciliis appellantur? Hinc ſæpiſſime Chorepiſcopi non ſolum vetiti, manuum impoſitione Spiritum Sanctum tradere, ideſt confirmationis Sacramentum adminiſtrare, ſanctum chriſma conficere, Sacerdotes, Levitas, ac Subdiaconos ordinare, velare virgines, templa, & altaria conſecrare, aliaque Pontificum munia obire, ſed a laudato Pontifice, atque Conciliis irritum vacuumque decretum, quidquid ejuſmodi agere Chorepiſcopi præſumpſiſſent, declaratumque ſolemniter, nec ordinatos, nec confirmatos, nec ſacratos habendos eſſe, quotquot fuerant a Chorepiſcopis conſecrati, juſſi quoque Epiſcopi, omnia ex integro agere, & reformare, quia, *quod non oſtenditur geſtum*, ait Leo III., *ratio non ſinit, ut videatur iteratum, nec enim quidquam de Epiſcopali miniſterio agere Chorepiſcopis licebat, quia, quæ non habebant, dare non potuerunt*. Quæ porro horum omnium ratio? *Quidquid a Chorepiſcopis*, verba Leonis tertii, & Conciliorum exſcribimus, *epiſcopaliter præſumptum eſt, nullum eſſe agnoſcitur, nam Epiſcopi non erant, nec quidquam ex his agere eis* li-

licet, quæ omnia Summis Pontificibus debentur, non Chorepiſcopis, qui nec Summi Pontifices, nec Epiſcopi fuerant, eoſdem enim eſſe Chorepiſcopos, & Presbyteros, ſufficienter in monumentis Eccleſiæ invenitur. Quidpiam ne vero deſiderari poteſt illuſtrius, quo Chorepiſcopos inſtitutione, atque gradu ſuo meros ſuiſſe Presbyteros demonſtretur?

Diluuntur objecta.

I. Arguit primo Baſnagius: Magna Chalcedonenſis Synodus can. 12. anathemate plectit eos, qui ordinaverint per pecunias Epiſcopum, aut Chorepiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his, qui connumerantur in Clero; quorſum vero Synodus Chorepiſcopum a Presbytero diſtinxiſſet, ſi Chorepiſcopus idem omnino erat ac Presbyter? Inter Epiſcopum ergo & Presbyterum Chorepiſcopum collocans Synodus innuit, Chorepiſcopum non ſimplicem eſſe Presbyterum, ſed ruralem, ac minorem Epiſcopum, urbis Epiſcopo, poſt quem eum nominat, obnoxium. Quum etiam Chorepiſcopi ordinationem ab ea, quæ Presbyteri eſt, internoſcat, plane ſignificat, Chorepiſcopos ad ordinem pertinuiſſe Presbyteratu majorem, ſeu Epiſcopali dignitate, quæ ſola Presbyteratu major eſt, illos ſuiſſe inſignitos.

II. Nihil tamen eſt in hoc canone, quod poſitioni Baſnagii faveat; ex quo enim Synodus infra Epiſcopos, & ſupra Presbyteros Chorepiſcopos ſtatuit, duo nobis diſerte inſinuat, ordine videlicet, & dignitate fuiſſe illos Epiſcopis inferiores, præeminuiſſe eos tamen ſimplicibus Presbyteris, non ordine quidem, ſed poteſtate, eaque non ordinaria, ſed delegata, quam videlicet ea ætate ſolebant Epiſcopi iis attribuere, dum eos oppidis, atque pagis ceu ſui Vicarios præficiebant; quare quum ea juriſdictionis portio, quam Epiſcopi in Chorepiſcopos derivabant, quidpiam ſpiritale eſſet, quod abſque ſacrilegio emi, vendique pecunia non poterat, Concilium jure cenſuit, graviſſime in eos animadvertendum, qui non ſacros ordines ſolum, ſed & Chorepiſcopatum, ſeu ſpiritualis juriſdictionis ampliorem delegationem pecunia vendidiſſent. Nec quemquam moveat, quod Synodus de Chorepiſcopis agens, vocabulum idem ordinationis uſurpet, quo Epiſcopi, & Presbyteri exprimit initiationem; quid enim ſi communi vocabulo utitur? Quum non niſi tertio exeunte, aut quarto ineunte ſæculo Chorepiſcopos humana inſtitutione emerſiſſe, communi vero Orientis, & Occidentis conſenſione nono vertente ſæculo ſuiſſe ſublatos, explorata res ſit, ut ſomniare nemo poteſt, Chorepiſcopatum eſſe ordinem divini juris, & veri nominis, ita quis inepte cenſuerit, Chorepiſcopi inſtitutionem veræ ordinationis nomine a Chalcedonenſi Concilio deſignari. Chorepiſcopi itaque ordinatio non ceremonia Sacramentalis erat, qua peculiaris quidam ordo Presbyteratu eminentior Chorepiſcopo conferretur, ſed religioſus duntaxat ritus precibus comitatus, quo Epiſcopus poteſtatem ſuam Chorepiſcopo delegabat, cujus ritus in priſcis Eccleſiæ monumentis nullum veſtigium extat, præterquam in libro *conſumationis Chirotoniæ* ſeu ordinationis cujuſcumque gradus, quo Syri Maronitæ utebantur; quare Morinus conjicit, nullum in Occidente peculiarem umquam ritum in Chorepiſcopi deſignatione adhibitum, quum antiquiſſimi rituales libri, nullos nobis exhibeant ritus conſecrationis dignitatum Eccleſiaſticarum, ſi Epiſcopalem excipias. Fac tamen, in Oriente præſertim, licet in Græcorum Euchologiis nihil ejuſmodi deprehendatur, manuum impoſitione, junctiſque precibus Chorepiſcopos conſecratos; ſi eorum conſecrationem veræ ordinationis loco habere velis, neceſſe eſt, ut idem de Archidiaconis, Archipresbyteris, Æconomis, Archimandritis, imo & Abbatiſſis ſentias, quum & ritus ad eos conſecrandos adhibitus *Chirotonia*, ſeu ordinatio paſſim in Euchologiis appelletur.

Inſtat: Quis negare velit, aut poſſit, Chorepiſcopos ordinatione ſua veros fuiſſe Epiſcopos, quos ex perveteſtis Conciliis, & Patribus novimus, poteſtate polluiſſe Presbyteros, & Diaconos ordinandi, modo Diæceſanus Epiſcopus juſſiſſet, aut annuiſſet? Quid luculentius canone decimo Antiocheni Concilii decernentis: *Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem, manuumque impoſitionem perceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent: Conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment; nec Presbyterum, nec Diaconum ordi-*

dinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe, & regio? Quid tertiodecimo Ancirani Concilii canone illuſtrius, non licere ſcilicet Chorepiſcopis *Presbyteros, aut Diaconos ordinare ſine precepto Epiſcopi, vel litteris in unaquaque Parochia?* Quid poſtremo iis apertius, quæ in Epiſtola ad ſuæ Diœceſeos Chorepiſcopos ſcribit Baſilius Magnus, eos primo redarguens, quod in delectu eorum, qui in Presbyteros, vel Diaconos initiandi erant, non ea ſervarent, quæ canonicis ſanctionibus præſcripta erant, *ex quo neglectu, inquit, multi quidem miniſtri numerantur in unoquoque pago, ſed nemo eſt dignus altaris miniſterio*. Pergit Baſilius, Chorepiſcoporum officii ſui memorum, & canonicæ regulæ renacium exemplum eis proponens: *Hæc quidem examinabant Presbyteri, & Diaconi, qui cum eis verſabantur, referebant autem ad Chorepiſcopos, qui a vere teſtificantibus ſuſceptis ſuffragiis, eorum Epiſcopum admonebant, miniſtrumque poſtmodum in Sacerdotalem numerum adoptabant*. Nonne Baſilius his declarat, Chorepiſcopos poteſtate donatos Presbyteros, & Diaconos conſecrandi, unumque id ab obnoxiis ſibi Chorepiſcopis exigit, ut ea ſecundum canonicas ſanctiones utantur?

III. Priuſquam argumento huic reſpondeamus, quod non Baſnagius ſolum, ſed & Chriſtianus Lupus, & Tournelly magnificant, quodque præcipue Morinus urget, ut ſimplici Presbytero auctoritatem Presbyteros, & Diaconos ordinandi delegari poſſe, conficiat, breviter adnotamus, etſi ſpectato Chorepiſcopatus officio, nonniſi inferioris ordinis Sacerdotes Chorepiſcopi eſſent, aliquando tamen miniſterio huic admotos, qui veri nominis Epiſcopi erant. Plura nobis exempla vetera Eccleſiæ monumenta ſuppeditant: locupletiſſimum illud in primis eſt, quod nobis Magna Nicæna Synodus exhibet, can. 8. ſanciens, ut *Epiſcopi Cathari, ſeu Novatiani ab hæreſi ad Catholicæ Eccleſiæ fidem, unitatemque reverſi, ab Orthodoxis Epiſcopis ſaltem Chorepiſcopi conſtituantur*: aliud occurrit in Rejenſi Synodo an. 439. in Galliis habita, in qua Armentarius Epiſcopus loco dejectus eſt, quod fuiſſet a duobus tantum Epiſcopis conſecratus, valide iccirco, etſi præter canonicam regulam, atque indulgentia Synodi ei permiſſum, Chorepiſcopum agere. Non vacat alia exempla congerere, quibus veritatem hanc adſtruamus, pro qua ſtant Viri Clariſſimi, Bellarminus, Petrus de Marca, Morinus, Thomaſinus, Natalis Alexander, Renaudotius, aliique plurimi, eam duntaxat illuſtramus exemplo, quod noſtra etiam ætate eſt vulgatiſſimum; etſi Generales Epiſcoporum Vicarios, quam perſonam antiquitus in pagis, & oppidis Chorepiſcopi ſuſtinebant, ſi dignitatis eorum ratio habeatur, ſatis ſit, Clericos eſſe prima tonſura inſignitos, haud raro tamen contingit, illos veri nominis Epiſcopos eſſe, titulares licet, & ut vocant, *in partibus*, quibus Epiſcopi ad omnium ordinum etiam majorum collationem miniſtris utuntur, qua dignitate, & poteſtate nemo eos pollere dixerit, quod Diœceſani Antiſtitis Vicarii ſint, ſed quia alias jam in Epiſcopos conſecrati attributam ſibi Diœceſim adire nequeunt; ita quo tempore Chorepiſcopi in Eccleſia vigebant, etſi communiter meri Presbyteri eſſent cæteris pagorum Presbyteris demandata ſibi Epiſcopis juriſdictione præpoſiti, quandoque tamen id muneris veris Epiſcopis attributum qui Diœceſi carebant, vel quia ob violatos canones loco moveri meruerant, vel quia ab Hæreticis, & infidelibus fuerant e ſuis ſedibus deturbati.

IV. Hoc prænotato, facillima eſt Antiocheni canonis interpretatio; quum enim illum Dionyſius Exiguus ita verterit, *qui in vicis, & poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, ſanctæ Synodo tamen placuit, ut modum proprium recognoſcant* &c. intelligimus, Synodi canone non omnes generatim Chorepiſcopos comprehendi, ſed eos duntaxat, quos ex Epiſcopatus apice, ad quem legitima conſecratione evecti fuerant, ad Chorepiſcopatus miniſterium, vel in pœnam, vel in ſolatium admoveri contigerat. Hoc rectiſſime juber Synodus modum ſuum agnoſcere, atque intra præſcriptos a canonibus limites ſe continere, ideſt Lectorum, Exorciſtarum, & Hipodiaconorum ordinatione contentos eſſe, quam iis in aliena Diœceſi canones permittebant, abſtinere vero a Diaconorum, aut Presbyterorum conſecratione, niſi Diœceſani Epiſcopi annuerent, aut juberent, ne videlicet aliena jura turbarent, inferrentque injuriam Epiſcopis, quorum

in vicis, & pagis Vicarii erant. Etſi autem Morinus interpretationem iſtam oppugnet, contendiaque, laudatum canonem ad omnes generatim Chorepiſcopos directum eſſe, quod ejus titulus ſit *de Chorepiſcopis univerſim*, quodque poſtrema canonis pericope modum univerſos Chorepiſcopos inſtituendi præſcribat Synodus ajens: *fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo Civitatis, cui ſubjicitur*, nimio tamen opinionis ſuæ amore in tranſverſum actus eſt Vir Doctiſſimus. Eſt quidem canonis titulus *de Chorepiſcopis univerſe*, ideſt canon nullam præfert in titulo limitationem, ex verbis tamen, quibus contextus eſt, clare percipimus, in Chorepiſcopos ſpeciatim intortum eſſe, qui in Epiſcopos aliunde conſecrati, non inferiorum duntaxat ordinum, ſed & majorum collationem ſibi in aliena Diœceſi uſurpabant, quoſque modi ſui, & canonicæ regulæ memores eſſe, Synodus jubet. Morini erat, ſolido aliquo momento probare, licuiſſe olim Chorepiſcopis omnibus, ordines quoſcumque, facta ſibi ab Epiſcopis facultate, conferre, ut inde noſſemus, Chorepiſcopos univerſos canone Antiocheno percelli, quod id ſibi, etiam inconſultis Epiſcopis, arrogarent. Verum quum placiti ſui, quod ab omnibus melioris notæ Theologis improbatur, fundamentum in hoc præcipue, quem marte ſuo interpretatur, canone collocet, arbitrariam hanc ejus commentationem, quæ a canonis ſenſu nobis videtur abludere, explodimus, Morini quoque non ingenium ſolum, ſed & judicium deſideramus in eo, quod ſubdit: *Canonis concluſio de iis Chorepiſcopis eſt, qui fiunt ab Epiſcopo Civitatis, cui ſubjiciuntur, ſicut & cæteri Presbyteri, iſti autem non poſſunt eſſe Epiſcopi, quum ſecundum canones a tribus ſaltem Epiſcopis ordinari debeant: mens igitur canonis eſt potiſſimum Chorepiſcopis Presbyteris hoc privilegium indulgere*. Quid, amabo, inſtitutioni Chorepiſcopi, de qua canon, cum ordinatione Epiſcopi a tribus ſaltem ſecundum canones Epiſcopis peragenda? Quicumque ille eſſet, cui Chorepiſcopi provincia demandaretur, ſive ſecundi ordinis Sacerdos, ſive alias Epiſcopus conſecratus, non ab alio ſane, quam ab Epiſcopo, cujus vices obiturus erat, eligi ad id muneris poterat, quam electionem, atque inſtitutionem ſola delegatione, aut aliquo religioſo ritu, non tamen Sacramentali ab Epiſcopo peragi conſueviſſe, Morinus ipſe paulo ſuperius ſcripſerat; quorſum ergo Morinus canones de Epiſcopo a tribus ſaltem Epiſcopis ordinando interſerit, quum hic non de Epiſcopi, ſed de Chorepiſcopi inſtitutione ſit ſermo?

V. Quum Morinus ipſe concedat, Anciranum canonem a Dionyſio Exiguo editum ambiguum eſſe, & pluribus interpretationibus obnoxium, quarum aliquæ quidpiam evincerent, quod non ſolum incertum eſt, ſed nemini hactenus in mentem venit, fatendum eſt cum Natali Alexandro, aliiſque perdoctis Viris, Dionyſianam canonis hujus editionem mutilam eſſe, ideoque, ut integrum canonis textum habeamus, ita ſupplendam, *Chorepiſcopis non licere Presbyteros, aut Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris Civitatis aliquid agere ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris in unaquaque Parochia*. Ita reſtitutum hunc canonem legit ſexto ſæculo Ferrandus Diaconus Carthaginenſis in ſuo canonum Breviario, & prope octavi ſæculi exitum Adrianus I. Romanus Pontifex in canonum Epirome, quam ex Dionyſii verſione adornaverat, eodemque plane ſenſu, licet verbis paulo amplioribus, eundem canonem exhibet Capitulare Aquiſgranenſe Caroli Magni eodem circiter tempore concinnatum. Ita vero expleta canonis lacuna, facile ejus ſenſum aſſequimur, diſcimuſque, canonem bipartitum eſſe, in cujus priori parte Anciranі Patres abſolute, & abſque ulla exceptione declarant, Chorepiſcopis nefas eſſe, Presbyteros, & Diaconos ordinare, in altera vero Urbanis Presbyteris non licere quidpiam moliri abſque Epiſcopi vel juſſu, vel facultate; quare quum in prima canonis parte, quæ Chorepiſcopos ſpectat, nulla juſſionis, aut facultatis Epiſcopi mentio habeatur, perperam canonem iſtum urgent Baſnagius, Lupus, & Tournelly, necnon Morinus, illi quidem ut probent, Chorepiſcopos omnes fuiſſe Epiſcopos, iſte vero ut demonſtret, ſimplicibus Presbyteris Chorepiſcopatus dignitate auctis olim licuiſſe Presbyteros, & Diaconos ordinare, modo Epiſcopi juſſio, aut aſſenſio acceſſiſſet. Nec minus præpoſtere Baſilii verba interpretantur; quod enim Baſilius ait, Chorepiſcopos munere ſuo ſancte fungentes poſt relata ad Epiſcopum ſuffragia Presbyterorum, & Diacono-

conorum Eccleſiaſticæ militiæ candidatis teſtimonium perhibentium, annuente Epiſcopo, illos in Sacerdotalem numerum cooptaſſe, non eum habet ſenſum, quem poſtremis his verbis adverſarii ſubjiciunt, Chorepiſcopos nempe, præhabito Epiſcopi aſſenſu, Sacerdotes ordinaſſe. Præterquamquod enim Doctiſſimis Viris animadverſum eſt, Gentianum Hervetum minus ſcite textum Baſilii reddidiſſe, & Sacerdotalem numerum potuiſſe pro Clericali, ipſa quoque Epiſtolæ Baſilii ſeries oſtendit, de ſola in Clerum cooptatione, non vero de Presbyteratus, aut Diaconatus collatione illum agere; Poſtquam enim graviter conqueſtus eſt, quod præter veteris diſciplinæ inſtituta plurimi in unoquoque pago abſque delectu, & examine in Clerum allecti fuerint, omnes non canonice Clero adſcriptos ad Laicorum conditionem redegit, & ſevere Chorepiſcopis interdicit, ne quam deinceps inferioris ordinis Clericum conſtituant, priuſquam certior factus Epiſcopus initiationi ejus annuerit: *Ne quem adſcribatis in Clerum, antequam ad nos retuleritis, aut ſciatis, quod Laicus cenſebitur, qui præter ſententiam noſtram in miniſterium receptus fuerit*. Patet ergo, Baſilio ſermonem eſſe de ſolis allegendis in Clerum, quos, ſi Gentiani Herveti lectionem quis tenere velit, recte dixerit, in Sacerdotalem numerum cooptari, ut videlicet in Clericali militia Sacerdotii tyrocinium ponant, & Sacerdotio ex officio deſerviant.

Urget: Nicolaus I. Romanus Pontifex, cui ob res præclare geſtas *Magni* agnomen adhæſit, Rodulpho Bituricenſi Archiepiſcopo reſpondens, celebratas a Chorepiſcopis Sacerdotum, & Diaconorum ordinationes iterandas non eſſe decernit, quia *ad formam ſeptuaginta Diſcipulorum Chriſti Chorepiſcopi facti* ſunt, quos quis dubitet Epiſcoporum habuiſſe officium? Rabanus item Maurus Moguntinus Archiepiſcopus eximius noni ſæculi Scriptor, in ea, quam ad Drogonem Metenſem Antiſtitem de Chorepiſcopis ſcripſit, epiſtola totus eſt, ut Chorepiſcoporum dignitatem a Galliarum, & Germaniæ Epiſcopis ea ætate vexatam, depreſſamque ſuſtentet, & erigat, Epiſcoporum invidiæ, ac ambitioni tribuens, quod Chorepiſcopos Presbyteris exæquarent, irritaſque haberent, quas ii celebraverant, Sacerdotum, Diaconorumque conſecrationes.

VI. Eam, quæ de Chorepiſcopis agit, Epiſtolæ Nicolai partem illegitimam eſſe, atque aliena manu aſſutam, plures cum Thomaſino Eruditi Viri putant, & non abs re; quis enim credat, voluiſſe Nicolaum recentem Leonis tertii Deceſſoris ſui definitionem contrario decreto refigere? Cui etiam probabile videatur, paucis ab hujus Epiſtolæ epocha exactis annis Galliarum Epiſcopos in Metenſi Concilio congregatos hoc Nicolai decretum poſthabere auſos oppoſitum canonem edidiſſe? Si quis vero etiam hanc Epiſtolæ partem genuinam eſſe contendat, hoc ſibi habeat ex Natali Alexandro reſponſum, ſanxiſſe Nicolaum, non iterari ordinationes a Chorepiſcopis factas, qui fuiſſent in Epiſcopos conſecrati; quum enim hanc decreti ſui rationem adſerat, quia nimirum Chorepiſcopi ſeptuaginta Diſcipulorum formam gerunt, *quos nemo dubitat habuiſſe Epiſcoporum officium*, quemadmodum etſi Diſcipulorum aliqui Diaconi tantum fuerint, alii vero ſecundi ordinis Sacerdotes, certum tamen eſt, eorum plures fuiſſe ab Apoſtolis ad Epiſcopatum evectos, ita etſi Chorepiſcopi nonniſi ſimplices eſſent inſtitutione, & gradu ſuo Presbyteri, explorata tamen res eſt, munus hoc ſuiſſe concreditum etiam iis, qui Epiſcopali dignitate pollebant, quorum ordinationes Nicolaus rectiſſime edixit non iterandas, etſi præter canonum ſtatuta peractas.

VII. Rabanum ſcimus in oppoſita ſententia fuiſse, ejus tamen auctoritate non permovemur, tum quod momentis opinionem ſuam fulciat falſis, atque futilibus, quorum aliqua ex apocryphis libris hauſerat, aliqua ex legitimis documentis ducta præpoſtere interpretatus eſt, tum præcipue quod ejus opinio decreto Leonis tertii, & plurium in Galliis, & Germania habitarum Synodorum canonibus adverſetur; eadem itaque libertate placitum ejus explodimus, qua ille Summi Pontificis, & tot Conciliorum decreta poſthabuit. Quamquam & addi poteſt, Rabanum ei ſententiæ firmiter non adhæſiſse, quum omnia, quæ libello ſuo complexus fuerat, Metenſis Epiſcopi, cui illum inſcripſerat, cenſuræ ſubjecerit ajens: „ In „ brevi libello hæc omnia comprehenden- „ tes, ſanctitati veſtræ dirigere curavi- „ mus, petentes, ut ſi dignum ducatis „ hunc relegere, quæ ibi recte poſita ſint, „ veſtra auctoritate confirmetis; ſi quæ

„ ſu-

„ autem reprehenſione ibi digna videan-
„ tur, ignorantem veſtra prudentia inſtrua-
„ tis. “

ARTICULUS IV.

De ſacræ Ordinationis Miniſtro.

I. Etſi Theologorum plerique longam de Ordinis ſubjecto inſtituere ſoleant diſputationem, conſultius tamen ducimus ab hac quæſtione abſtinere; quorſum enim tempus impenderemus in refellendis deliriis Hæreticorum, quorum vix ulla ſupereſt memoria, illud neceſſario ſubtracturi rebus ſcitu dignioribus, atque utilioribus? Nemo jam Chriſtianorum ſibilis non excipit antiquiſſimas illas Eccleſiæ peſtes, Marcoſianos, Pepuzianos, atque Colliridianos, qui ad offerendam Euchariſtiam, & reliqua Sacramenta adminiſtranda Fœminas initiabant, nemini jam perſuaſum non eſt, ſolos mares, eoſque baptizatos poteſtate hujuſmodi donari poſſe, ſciunt quoque vel ipſi Eccleſiaſticæ militiæ tyrunculi, quæ neceſſitate, ut ajunt, Sacramenti, quæ vero neceſſitate præcepti ad ſacram ordinationem ſint adferenda. Hac itaque quæſtione miſſa, alteram hanc, quæ latiſſime patet, multoque majoris momenti eſt, & in qua tota hæc de Ordine tractatio deſinet, excutiendam aggredimur, eritque nobis plurimum negotii & in refutandis Novatoribus, & in variis canonici juris, & Scholæ doctorum convellendis opinionibus, quæ nobis videntur procul a vero abeſſe: Ut vero a Catholicæ doctrinæ vindiciis, prout rei dignitas poſtulat, ordiamur, Presbyteriani, eorumque Coryphæus Blondellus, hoc potiſſimum telo divinam Epiſcoporum ſupra Presbyteros excellentiam petunt, quod Presbyter quilibet poteſtate divinitus inſtructus ſit Presbyteros, & Diaconos ordinandi, nullique pepercerunt labori, ut ex Eccleſiaſtica Hiſtoria ordinationum hujuſmodi exempla corraderent; quam porro infeliciter labor hic eis ceſſerit, noſtrum erit oſtendere.

Solus Epiſcopus eſt ordinarius ſacræ Ordinationis miniſter.

II. Quoniam hoc fidei caput cum altero illo arctiſſime conjunctum eſt, quod jam demonſtravimus, Epiſcopos ſcilicet Presbyteris ordine, & poteſtate divino jure præſtare, iiſdem ferme momentis conſtabiliendum eſt, quæ in alterius confirmationem adtulimus; ac primo quidem Beveregium Calvinianum preſſe, & nervoſe in rem noſtram diſſerentem audiamus: „ Etſi quamdiu Chriſtus in terris
„ verſaretur, Apoſtoli Presbyteri duntaxat eſſent excellentiſſimo illi animarum
„ noſtrarum Epiſcopo ſubditi, poſt ejus
„ tamen reſurrectionem in Epiſcopatum
„ evecti ſunt, & Domini in Eccleſiæ ad-
„ miniſtratione Vicarii conſtituti, quam
„ eorum ordinationem Joannes cap. 20.
„ tradit, referens Chriſtum e mortuis re-
„ divivum in Apoſtolos inſufflantem di-
„ xiſſe, *ſicut miſit me Pater, & ego mit-
„ to vos* &c. Ut Chriſtus igitur a Patre,
„ ſic a Chriſto Apoſtoli miſſi, & ad eun-
„ dem, ut ita loquar, gradum promoti,
„ quantum ſcilicet ad ordinandi, & Eccle-
„ ſiaſticam diſciplinam adminiſtrandi, &
„ ſtabiliendi auctoritatem ſpectat. Ipſi er-
„ go a Chriſto miſſi, ut ille a Patre, a-
„ lios eodem modo mittendi poteſtate do-
„ nati ſunt, qui Apoſtolis ſuccederent:
„ ut ejuſmodi autem ſucceſſores haberent,
„ eundem, quem in ipſos Chriſtus, ipſi in
„ alios ſpiritum contulerunt, non eodem
„ quidem modo, inſufflando videlicet, ſed in
„ alio, quem a Spiritu Chriſti edocti ſunt,
„ manuum ſcilicet impoſitione, quo mo-
„ do Spiritus a Chriſto in Apoſtolos in-
„ ſufflatus ab Apoſtolis in proximos ſuos
„ ſucceſſores, & ab iis in alios diffuſus eſt.
„ Quos autem ſuos ſucceſſores elegerunt
„ Apoſtoli, in quos Spiritum Chriſti, &
„ & poteſtatem ordinandi transfunderent?
„ Num Presbyterium, ſeu Presbyterorum
„ collegium, an ſingulares perſonas, quas
„ ſingularium Eccleſiarum Præſides con-
„ ſtituerint? Ut jure potuerunt, atque a
„ Chriſto edocti Apoſtoli debuerunt, hanc
„ ordinandi poteſtatem re ipſa perſonis
„ ſingularibus tribuerunt: Sic Apoſtolus
„ Paulus Timotheo, quem commonet,
„ ne *manus cito cuiquam imponat*, quæ
„ quidem admonitio fruſtra ac inaniter,
„ imo & ridicule fieret, niſi Paulus ma-
„ nuum ſuarum impoſitione ordinandi po-
„ teſtatem Timotheo contuliſſet. Ean-
„ dem in Creta inſula ordinandi poteſta-
„ tem ſibi a Paulo collatam Titus ha-
„ buit, ut ex iis patet, quæ ad eum ſcri-
„ bit Apoſtolus: *Hujus rei gratia reliqui
„ te in Creta, ut conſtituas per Civitates*

„ *Presbyteros*; neque ullibi legere eſt, Pau-
„ lum, aut alium quemlibet Apoſtolorum
„ poteſtate hac Presbyterorum collegium
„ inſtruxiſſe. Ex quo autem Timotheus
„ in Aſia, & Titus in Creta auctorita-
„ tem hanc ſibi ſingillatim concreditam
„ habuerint, eandem uni ſingulari Viro
„ cæteris Præpoſito ubique ab Apoſtolis
„ demandatam fuiſſe, legitime concluda-
„ mus: Præterquam enim quod ratio ipſa
„ poſtularet, ut eodem ubique modo, quo
„ eam acceperant, illam in alios deriva-
„ rent, dubitare nemo poteſt, quin omnes
„ ubique Eccleſias uniformiter inſtituerint,
„ quod Paulus 1. ad Cor. 4. diſerte teſtatur
„ ajens, *miſi ad vos Timotheum, qui vos*
„ *commonefaciat vias meas, quæ ſunt in*
„ *Chriſto Jeſu, ſicut ubique in omni Eccleſia*
„ *doceo*, ex quo patet, Apoſtolos laboraſſe,
„ ut Eccleſiæ omnes uniformiter adminiſtra-
„ rentur, quod fieri non potuit, niſi ipſi a
„ Domino inſtructi eandem Eccleſiaſticæ
„ adminiſtrationis formam ubique inſtitue-
„ rint; quare ex quo Paulus ordinandi
„ poteſtatem in Timotheum, & Titum
„ ſingulatim contulerit, legitima ac neceſ-
„ ſaria inferatur concluſio, Apoſtolos in
„ mandatis a Chriſto habuiſſe, ut omnis
„ ordinationes celebrandi poteſtas in una-
„ quaque Eccleſia apud unum aliquem
„ probatum virum, ceu ejuſdem Præſidem,
„ & Epiſcopum reſideret.

III. Alterum momentum ex Pearſonio itidem Calviniano depromimus, qui in lib. *de primorum Romæ Epiſcoporum ſucceſſione*, ut adverſus Salmaſium Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, Presbyteris omnibus ſuperiores, & ordinandi poteſtate præditos demonſtret, hoc utitur argumento: „ An communis ſententia Patrum „ fuit communis error? “ Quoniam vero brevitati ſtudendum eſt, miſſis Ignatii Martyris in epiſt. ad Smirnæos, Clementis Romani in epiſt. prima ad Corinthios, Tertulliani, Cypriani, Cornelii Papæ, Epiphanii, Chryſoſtomi, & Hieronymi teſtimoniis, Catholicæ Eccleſiæ quarto ſæculo conſtantiſſime fuiſſe perſuaſum, ſolos Epiſcopos ſacræ ordinationis Miniſtros eſſe, uno hoc momento conficimus, quod in ſecunda Magni Athanaſii Apologia occurrit, ex qua paucula hæc delibamus. Impacias ſibi ab Arianis calumnias diluens Athanaſius, hanc præ cæteris nervoſiſſime a ſe depellit, quod calicem ſacrum, quo Iſchiras Presbyter ad ſacrificium utebatur, opera Macarii Diaconi confregiſſet &c. atque Alexandrinæ Synodi decretum, & Cleri Mareotici verba in litteris ad Philagrium Ægypti Præfectum exſcribens, evidenter oſtendit, Iſchiram, etſi Presbyterum ſe vulgaret, eum revera non eſſe, quippequi a Collutho imaginarium ſibi Epiſcopatum vendicante fuerat ordinatus, *quem Oſius, & ceteri cum eo collecti Epiſcopi in Generali Synodo juſſerant pro Presbytero ſe habere, omneſque, qui ab eo ordinati erant, ad eumdem locum redigi, in quo antea cenſebantur, quemadmodum & Iſchiras ipſe inter Laicos relatus eſt*. Duarum itaque Synodorum judicio, quarum priorem Athanaſius *generalem* vocat, cui præfuit Oſius S. Silveſtri Papæ in Oriente Legatus, irrita & nulla fuit Iſchiræ ordinatio, aliorumque omnium, quibus Colluthus manus impoſuerat, quod hic videlicet Presbyter, non Epiſcopus eſſet, idemque de iis ordinationibus judicium latum eſt a Sardicenſi Concilio, quod Magni Nicæni appendix dicitur, atque a Romano a Julio primo habito, idque ait Athanaſius, *omnibus notum eſſe, nec ulli omnino dubium*. Si ergo communis fuit totius Orientis, eaque non recenter invecta, ſed ex conſtanti Majorum traditione præjudicata ſententia, irritas eſſe ordinationes, quas ſibi Presbyter Epiſcopali dignitate non auctus temere arrogarit, niſi quis velit, communi eoque graviſſimo errore Eccleſiam quarto ſæculo laboraſſe, & jam tum, ideſt ante & paullo poſt Nicænæ Synodi celebrationem veram Chriſti Eccleſiam deſiiſſe, & Satanæ Synagogam effectam, fateatur neceſſe eſt, ordinandi poteſtatem ſolis Epiſcopis divina inſtitutione attributam.

IV. Poſtremum denique momentum ex unanimi omnium Chriſtiani nominis ſocietatum conſenſione petitum egregie verſat Clariſſimus Renaudotius, qui poſt excuſſa probatiſſima quæque Eccleſiarum Orientalium monumenta, his quintum libri quinti, qui *de extrema unctione, & ordine* eſt, caput abſolvit: „ Quidquid itaque maxi-
„ me authenticum Orientales Eccleſiæ re-
„ liquum habent, certo demonſtrat, ordi-
„ nationem ſemper ab eis habitam ceu
„ Catholicæ Eccleſiæ fundamentum, quan-
„ doquidem abſque ea nullum eſſet in Ec-
„ cleſia Sacerdotium, ſacrificium nullum,
„ nulla per pœnitentiam peccatorum re-
„ miſſio, quæ ipſa eſt Tridentini Conci-
„ lii doctrina. Omnium Orientis Eccle-

„ ſiarum

„ ſiarum forma ſub oculis ferme ponit, „ earum regimen perpetuo penes Epiſcopos fuiſse ab aliis item Epiſcopis ordi„ natos, qui ſoli ſemper Presbyteros con„ ſecrarunt, & legitima ordinatione offe„ rendi novæ legis Sacrificium, remitten„ di ac retinendi peccata, benedicendi nu„ ptias, & extreme laborantes oleo ſan„ cto inungendi poteſtate donarunt. Nuſ„ quam apud Orientales auditum, ſatis „ eſse, quemquam plebi proponere, ejuſ„ que ſuffragiis probato dicere, *Eſto Epi„ ſcopus*, *Presbyter*, *aut Diaconus*; hæc „ Novatorum deliria ſunt. Cæterum O„ rientalium ſemper hæc fides fuit, nul„ lum vere Presbyterum, aut vere Dia„ conum eſse, qui ab Epiſcopo ſibi ma„ nus imponente eam non acceperit pote„ ſtatem, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ „ tradidit certo ritu communicandam. Si „ quis apud Orientales Epiſcopum auſus eſt „ agere, quum nonniſi Presbyter eſset, „ omnibus horrori fuit, peractæque ab eo „ ordinationes omnium judicio irritæ ha„ bitæ ſunt, & infectæ, neque alia de „ cauſsa Lutheranus Prædicator, Calvi„ nianus Miniſter ac Paſtor, necnon An„ glicanus Presbyter Orientalibus omnibus „ puri Laici ſunt, quam quod optime no„ rint, nullum in Lutheri, & Calvini ſe„ cta Epiſcopatum eſse, atque apud An„ glos Epiſcopales nonniſi vanam Epiſco„ patus umbram, nullam iccirco apud No„ vatores quoslibet legitimam ordinatio„ nem." Hæc porro ſatis ſuperque evincunt, Pſeudo-Reformatos omnium Chriſtiani nominis ſocietatum traditionem, doctrinamque abjeciſse, dum nonniſi Romanæ Eccleſiæ doctrinæ nuntium ſe remittere perperam exiſtimarunt. Antichriſtiani itaque ſunt, qui doctrinam in Eccleſiis omnibus, quæ Chriſto auctore gloriantur, perpetuo creditam & retentam palam aperteque ejurarunt.

Blondelli argumenta ſolvuntur.

V. Nolumus fuſe perſequi argumenta omnia, quæ Blondelius, aliique Presbyteriani adverſus veritatem hanc e Scripturis, ex Eccleſiæ monumentis, atque e ratione conflarunt, ſummatim omnia perſtringemus, refellemuſque, in id potiſſimum incumbentes, ut ſolide licet, breviter tamen omnia diſsolvamus. Ac primo inane eſt, quod ex Paulo petunt Timotheum commonente, *ne gratiam ſibi datam cum impoſitione manuum Presbyterii negligeret*; jam enim cum Matthæo Polo adnotavimus, *Presbyterii* nomine non Presbyterorum cætum, ſed ipſam Sacerdotii dignitatem, auctoritatemque una cum gratia Timotheo manuum impoſitione collatam deſignari, non Chryſoſtomo ſolum, Ambroſio, Hieronymo, Euſebio, Socrati, omnibuſque Ancirani, & Nicæni primi Concilii Patribus viſum eſse, ſed Calvino ipſi, atque Sculteto; etſi vero dederimus, & Presbyterorum collegium una cum Paulo manus impoſuiſse Timotheo, quum in Presbyterum conſecraretur, perperam Presbyteriani colligerent, alios ab Epiſcopis ordinationis ſacræ miniſtros eſſe; quum enim Calvinus ipſe exploratæ rei loco conſtituat, ſolos Paſtores manus Eccleſiæ miniſtris impoſuiſse, incertumque eſse, an plures ſemper manus impoſuerint, necne, nam Paulus ipſe alibi non alios complures, ſed ſe ſolum manus impoſuiſse Timotheo, diſerte commemorat, eumque monet, ne *ulli cito manus imponat*, plane intelligimus, ritum, quo jamdudum Eccleſia Latina utitur, ſi forte in ordinatione Timothei uſurpatus eſt, ut nimirum plures Presbyteri una cum Paulo illi manus imponerent, ad ordinationis ſolemnitatem, non vero ad ſubſtantiam pertinuiſse, neque Presbyteris ordinandi poteſtatem, ſed ſolis Paſtoribus, ſeu Epiſcopis attributam. Quæ vero Presbyteriani ex Ancirano, & Antiocheno Conciliis urgent, ſatis ſuperque ſunt diluta in poſtremo ſuperioris articuli paragrapho, in quo egimus de Chorepiſcopis.

VI. Inſulſa quoque illa ſunt, quæ ex Synodica Nicæni Concilii Epiſtola promunt, in qua Presbyteris, qui *procul ab omni ſchiſmate intra Cathol.cam Eccleſiam ſe continuerant impollutos*, *jus* adſeritur, ut authumant Presbyteriani, *ordinandi*, & *eos*, *qui Clero digni ſunt*, *nominandi*; perverſe enim ad ordinationem detorquent græcæ vocis poteſtatem, quæ ſolam reddit deſignationem, ſeu electionem, quemadmodum poſt Chriſtophorſonum, alioſque græcæ linguæ periciſſimos Viros adnotat Henricus Valeſius, qui hanc laudatæ Epiſtolæ a Socrate & Theodoreto recitatæ periodum, ita latine vertit: *Illi vero, qui Dei juvante gratia intra Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam abſque ulla labe perſeverant*, *poteſtatem habeant*, *eligendi*, & pro-

proponendi nomina eorum , qui in Clerum allegi meruerint ; quare non aliud Catholicis Presbyteris jus tributum , ſeu potius confirmatum, quam deſignandi, proponendique eos , qui digni eſsent , ut legitima ordinatione ab Epiſcopis referrentur in Clerum , quo jure Meletiani Presbyteri , ob ſchiſma , cui adhæſerant , a Concilio mulctati ſunt. Quid etiam, ſi idem Concilium , teſte Nicephoro , ordinationes a Meletio celebratas iterandas non eſse decrevit , etſi uſurpatum ab illo Epiſcopatum iniquo & temerario auſu conſtaret ? Quid ſi Leo Magnus in epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum declaravit, ratas haberi poſse Clericorum Ordinationes a Pſeudo-Epiſcopis celebratas ? Hinc inferre , ut Presbyteriani faciunt , probatas olim ab Eccleſia ordinationes , quas ſimplices Presbyteri perfeciſsent , hominum eſt ſupina Eccleſiaſticæ hiſtoriæ , & veterum canonum ignorantia laborantium . Meletius enim Lycopolis in Ægypto Epiſcopus rite fuerat conſecratus , Epiſcopatum autem injuſte & temere dicitur uſurpaſse, quod ſchiſmate adverſus S. Petrum Alexandrinum , a quo ob idololatriæ crimen fuerat loco motus , conflato , ordinationes in Ægypto , Libia , & Pentapoli , quæ ſolius Alexandrini Patriarchæ erant , ſibi nefario auſu arrogaſset . S. Leonem vero de iis Pſeudo-Epiſcopis loqui , qui valide licet , præter canonicam tamen regulam fuerant conſecrati , perſpicue adeo ex antecedentibus & conſequentibus patet, ut deliraſse Presbyterianos neceſse ſit , dum in S. Pontificis verbis ſibi viſi ſunt erroris ſui præſidium inveniſse .

VII. In urgendis vero Ordinationum a Presbyteris, ut ipſe putat , peractarum exemplis , quam eſt Blondellus vecors? Novatum , ait , S. Cypriani Presbyterum , etſi Fæliciſſimum Diaconum conſtituiſſet , ſanctiſſimi tamen Episcopi gratia non protinus excidiſſe , neque ordinationem ejuſmodi a Cypriano fuiſſe reſciſſam . At Blondelli erat , oſtendere , non niſi unum in Aphrica Cypriani ævo fuiſſe Novatum , eundemque illum , qui tantum nefas auſus fuerat , a Cypriano fuiſſe honorifice habitum , vel ſi unus idemque ille fuerit , etiam poſt perpetratum facinus tam immane , apud Cyprianum in honore & gratia fuiſſe . Qua fronte vero audet Blondellus efferre , ordinationem illam non fuiſſe a Cypriano refixam , quam eadem in epiſtola S. Martyr *adverſus Eccleſiam* factam fuiſſe pronuntiat ? Etſi uno hoc reſponſo Blondelli argumentum obtritum ſit , aliud tamen ex Cypriano ipſo depromitus de eodem Novato hæc ſcribente : *Qui iſthic adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat , illic* , nempe Romæ, *Epiſcopum fecit* ; ergo Cypriano teſte , Novatus eodem modo in Aphrica Diaconum , quo Epiſcopum Romæ conſtituit , quum res ſit omnibus exploratiſſima , Novatianum non a Novato conſecratum Romæ Epiſcopum , ſed Novato ipſo agente , a tribus in errorem inductis , & temulentis Epiſcopis , idem de Fæliciſſimi in Diaconum initiatione cenſendum eſt , quem Cyprianus ait , a Novato *factione & ambitione Diaconum conſtitutum* , non quod eum Novatus ipſe ſacrarit , ſed quod ab aliquo ſuarum partium Epiſcopo id curarit agendum , quod jure Cyprianus adverſus Eccleſiam factum eſſe conqueritur , quia Apoſtolorum traditioni , & receptiſſimæ Eccleſiæ regulæ adverſabatur . Idem eſt eorum , quæ imperite a Blondello jactantur , verborum ſenſus , quæ Caſſianus Collat. 4. c. 1. habet : Abbatem quoque vidimus Danielem &c. qui a B. Paphnutio ejuſdem ſolitudinis Preſbytero *ad Diaconi eſt prælatus officium* ; pauciſque interiectis , *Paphnutius optans ſucceſſorem ſibi digniſſimum providere , ſuperſtes Danielem Sacerdotii honore provexit* ; Non enim Caſſianus ait , Paphnutium Presbyterum Danieli manus impoſuiſſe , eumque in Diaconum vel Presbyterum conſecraſſe , ſed ad Diaconii officium honoremque Sacerdotii provexiſſe . Nonne autem id veriſſime dictum eſt, etſi Paphnutius Danielem dignum habens , qui ad eos ordines proveheretur , graviſſimo ſuo ſuffragio probatum commendarit , obtuleritque (quod ex pervetuſta Eccleſiæ lege quilibet Monaſteriorum præſides faciunt (Catholico Epiſcopo , a quo legitima ordinatione initiatus eo honore donaretur , quo viſus fuerat Abbati ſuo digniſſimus ?

VIII. Quam eſt poſtremo inepta Blondelli argutatio ex communi illo adagio ducta , *Qui poteſt majus , poteſt & minus* ? Pluribus oſtendi poſſet , verum non eſſe univerſim effatum illud , ſed duntaxat , dum de rebus ejuſdem ordinis ſermo eſt , ineptire iccirco Blondellum , qui axiomate illo ſibi videtur evincere , poſſe a Presbyteris ordinem quemque conferri , quod eis excellentiſſimi omnium operis peragendi ,

con-

conficiendi nimirum Dominici corporis poteſtas ſua ordinatione tributa ſit; etſi enim, ait Angelicus, „ Euchariſtiæ Sacramentum „ in ſe ſit omnium Sacramentorum maximum, & Ordine ipſo potius, tamen „ non collocar in aliquo officio, quod ad „ commune Eccleſiæ bonum refertur, ideo„ que non eſt ſimilis ratio. " Aliter tamen hanc Blondelli argutiolam ducimus elidendam: Qui ſuapte natura ſuiſque viribus majus poteſt, & minus profecto poteſt, quod ſuæ naturæ, ſuæque virtutis ſit: at ſi operum, quorum aliud majus, aliud eſt minus, neutrum poſſit niſi virtute ſibi divinitus attributa, ſtulte quis arguar, minora quælibet ab eo præſtari poſſe, qui majora præſtandi virtute cælitus inſtructus eſt. In oculos ſponte incurrit hæc veritas, neque opus eſt, ut illuſtretur exemplis. Ad rem itaque: virtute divinitus communicata Sacerdos Dominicum corpus conſecrat, & ordinationis miniſter certo quodam ritu ſpiritualem poteſtatem in alios traducit. Quid porro ſi poſterius hoc opus priori multo inferius eſt? Supremus rerum arbiter Deus non eoſdem, quos conſecrandi corporis ſui Miniſtros inſtituit, ordinarionis peragendæ poteſtate donare voluit. Cur ita diſpoſuerit, penes ipſum eſt: ita vero ſanxiſſe illum, ſacræ novi fœderis paginæ docent, traditio teſtatur, Eccleſiarum omnium perpetua conſenſio demonſtrat; neque enim Eccleſia Catholica Aerium, qui omnium primus quibuſque Presbyteris ordinationis miniſterium attribuit, inter Hæreticos retuliſſet, irriraſque habuiſſet celebratas a Presbyteris ordinationes, niſi a Spiritu ſancto edocta Chriſtum ipſum intellexiſſet legis hujus auctorem.

§. II.

De extraordinario ſacræ Ordinationis Miniſtro.

„ I. NOn equidem ignoro, ait Clariſſimus Habertus in ſuis in „ Græcorum Pontificale annotationibus, „ miror magis multorum juris ac Theo„ logiæ peritorum hac in re curioſiſſimas „ diſceptationes, quorum perplurimi au„ thumant, Presbyterum ex diſpenſatio„ ne Summi Pontificis cum adminiculo „ ordinis, legitima & valida manuum im„ poſitione alium etiam Presbyterum or„ dinare poſſe. Id omnium primus docuit „ circa an. Chriſti 1240. Guillelmus Au„ tiſſiodorenſis Epiſcopus, idemque ſentit „ Innocentius IV. cum Veteribus bene„ multis, ex recentioribus vero Vaſquez, „ atque Meratius; quin etiam in almæ „ Theologorum Parentis Sorbonæ ſumma „ diſceptatione a docto juxta, ac pio Pro„ feſſore ſententia hæc de ſuperiore loco „ nuper pronuntiata eſt. Verum, ut inge„ nue dicam, Aerii ſæculo Orthodoxorum „ nemini id in mentem veniſſe, perſua„ ſum habeo; præterquam quod enim ad „ ad has ſimileſque diſpenſationes via num„ quam aperta legitur, omnes profecto, „ qui Presbyteros fecerunt Epiſcopis vici„ niores, Chryſoſtomus præſertim ac Hie„ ronymus, manuum impoſitionem, ſeu „ ordinationem ſemper excepere, in quam „ nullum Presbyteris jus, nullam juris „ ſpem, nullam ſpei tam abſurdæ ratio„ nem relatam patet. Non ignoro, Scho„ laſticos, quibus aliud animo ſedet, hæc „ omnia de ordinario Miniſtro ſtatim in„ terpretantes poſt carecta latitatutos; ſed „ quum illi nullum extraordinarii hierar„ chicorum Ordinum Miniſtri, Presbyte„ ratus præſertim exemplum proferre poſ„ ſint, cogitent, amabo, & ex æquo & „ bono judicent. " Hæc Habertus graviſſime, & prudentiſſime, in cujus ſententiam, quæ, ut pleriſque Theologorum, ita & nobis, vera eſt, & theologica certitudine manifeſta, deſcendimus, eamque pro virili tutamur.

Diaconatus & Presbyteratus collatio nequit ab Eccleſia non Epiſcopis delegari.

II. Quum nonniſi prope tertiidecimi ſæculi medietatem, ſeu paulo poſt Scholaſticæ Theologiæ ortum eruperit oppoſita Theologorum, & juris Canonici Magiſtrorum opinio, eo primum argumento refelli poteſt, quo novitia quæque placita omni venerandæ antiquitatis ſuffragio deſtituta a Melchiore Cano graviſſime refutatur: „ In his, ait, quæ vel apud ho„ mines fide creduntur, non nihil facere „ ſolet teſtium multitudo, maxime ſenio„ rum, nam veterrimi quique ſolent eſſe „ graviſſimi, juniores autem quaſi pueri, „ ſi ſpeciem afferant veritatis, non eſt illa „ quidem protinus repudianda, vetuſtas „ tamen ſuo loco conſervanda eſt, maxi-

„ ma

„ ma enim eſt vis, & auctoritas vetuſta-
„ tis, & ubi cum novitate certet, eſt il-
„ la ſine dubio præferenda; nam, ut e-
„ gregie Tertullianus, *id verum, quod*
„ *antiquius*, & Vincentius Lirinenſis, *id*
„ *Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis eſt pro-*
„ *prium, non ſua poſteris tradere, ſed a*
„ *Majoribus accepta ſervare; ducatum quip-*
„ *pe præbet nobis religio, non nos religio-*
„ *ni, nec majorum ſenſa, qua volumus,*
„ *trahemus, ſed potius, qua illa trahunt,*
„ *retrahuntque, ſequemur.* " Hæccine ſecum animo reputarunt priſci ii Scholaſtici & canonici juris Interpretes, dum ſuum illud commentum producerent ab Apoſtolorum ævo ad tertiumdecimum ſæculum uſque Latinis omnibus inauditum, quodque ab Eccleſiæ exordio ad noſtram ætatem uſque Græcis omnibus incognitum eſt? Quum veteres Patres ordinationis jus ſolis Epiſcopis adſerant, ſequenda erant eorum ſenſa, qua illa trahunt, retrahuntque, non ad male partas propriæ mentis chimeras trahenda. Argutanti Aerio, & Presbyteros Epiſcopis hoc etiam titulo coæquanti, quod *manus imponat Presbyter, ut & Epiſcopus*, quam facile reponere Epiphanius potuiſſet, id a Presbyteris agi extra ordinem, delegata auctoritate? At non erat tam acutus Epiphanius, qui præclaram hanc ordinariæ & extraordinariæ poteſtatis diſtinctionem atripiens Aerii argumentum attereret: ita ſane Aerium retudiſſent ſubtiliſſimi ſequioris ævi Scholaſtici, juriſque Pontificii conſulti. Itane vero Epiphanius? Homo in Scripturarum teſtimonia, & majorum traditionem unice intentus Aerium mendacii poſtulat, negatque, ut ab Epiſcopo, ita a Presbytero manus imponi: *Qui fieri id poteſt? Siquidem Epiſcoporum Ordo ad gignendos præcipue Patres pertinet; hujus eſt enim Patrum in Eccleſia propagatio; alter quum Patres non poſſit, filios Eccleſiæ per lavacri regenerationem progignit, non tamen Patres, aut Magiſtros: quinam fieri vero poteſt, ut is Presbyterum conſtituat, ad quem creandum manus impoſitionem non habet?* Porro ſi Epiphanius diſerte docet, fieri non poſſe, ut a Presbytero Presbyter conſtituatur, quia manuum impoſitione non eſt in Epiſcopum conſecratus, manifeſtum eſt, perſuaſum fuiſſe Eccleſiæ, hujus manuum impoſitionis defectum, nec Papæ delegatione, nec alia quavis ratione ſuppleri poſſe.

III. Verum etſi Juniores iſti præ antiquis Patribus ſint quaſi pueri, eorum tamen opinionem non protinus repudiaremus, ſi aliquam ſaltem ſpeciem veritatis afferrent. At quæ, Deus optime, opinioni huic vel leviſſima ſpecies veritatis? Plerique ejus auctores veluti rei jamdudum præjudicatæ loco conſtituunt, *ex demandatione Papæ quemlibet conferre poſſe quod habet, unde ordinatus ordinem, quo inſignitus eſt, & confirmatus confirmationem in alium derivare poſſet*. Si propoſitionis monſtroſæ adeo, & inſolentis rationem quæras, nullam invenies, quaſi vero ſit illa geometricum axioma aliquod, quod evidens quum ſit, demonſtratione non indiget: quod ſi aliquos eorum puduit novum hoc placitum abſque ratione proferre, noniſi erroribus, aut paradoxis, aut ineptiis illud conſtabilierunt. Quid eo errore pinguius, in quo opinionis hujus fundamentum Gloſſa in caput *porro*, Guillelmus antiquus S. Raimundi Gloſſator, Nicolaus de Orbellis, aliique a Panormitano memorati locarunt, olim videlicet nullum Epiſcopos inter ac Presbyteros fuiſſe diſcrimen, Apoſtolos, quum Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum conſecrarunt, ſimplices fuiſſe Sacerdotes, conſecrare tamen Epiſcopum potuiſſe, exemplo Moſis, qui quum Sacerdos eſſet, Aaronem Pontificem initiavit, vel Jacobi in Epiſcopum conſecrationem divina inſpiratione aggreſſos eſſe, Presbyteros in Eccleſiæ primordiis communi conſilio rexiſſe Eccleſiam, & Sacerdotes ordinaſſe, poſſe iccirco Papam iis delegando concedere, quod olim poterant? Quis hæc in Catholicis Viris ferat veterum Aerianorum errori adeo affinia & ferme gemina? Quid etiam eo futilius & falſius, quod Meratius aliique male materiatæ opinionis hujus veluti fundamentum jaciunt, jure ſcilicet divino, & Chriſti inſtitutione tributam eſſe Papæ, aut Generali Concilio poteſtatem delegandi omnium Ordinum collationem non Presbytero ſolum, ſed & inferiorum Ordinum Clericis, etſi ordinibus iis initiati non ſint, ad quos conferendos Pontificia diſpenſatione redduntur idonei? Quid poſtremo ea Nicolai de Orbellis poſitione chimericum magis atque ridiculum, Papam poſſe Sacerdotem quemlibet quoad ordinationis actum Epiſcopum inſtituere, licet quoad alios actus illum ad Epiſcopalem gradum abſolute non evehat? Repudianda itaque jure eſt memorata opinio, quia præter novita-

vitatem cum vetuſtate pugnantem, nonniſi erroribus aut figmentis ſuperextructa eſt.

IV. Poſtremo opinionem hanc altero illo momento oppugnamus, quod idem Melchior Cano lib. 6. de Romani Pontificis auctoritate cap. 7. nervoſe urget: „ Legum „ Chriſti nullus ſanior interpres eſt, quam „ perpetuus Eccleſiæ uſus; " Quum ergo explorata res ſit, ordinandi jus Epiſcopis a Chriſto tributum eſſe, & tertio decimo ſæculo in quæſtionem vocari cœperit, an ita Chriſtus Diaconatus, & Presbyteratus conferendorum jus Epiſcoporum proprium eſſe voluerit, ut nequeat Eccleſiæ auctoritate ad inferioris Ordinis Sacerdotes extendi, immota quædam regula figenda eſt, ad quam excitatæ quæſtionis definitio exigatur. Chriſtus non ſolum verbum ſuum, ſed & verbi ſui ſpiritum Eccleſiæ concredidit, eumque certo ſcimus, divini eloquii quandoque obſcuri aut ambigui germanum eſſe intellectum, quem Eccleſia a Spiritu ſancto in omnem veritatem inducta aſſecuta eſt, perpetuoque ſuo uſu declaravit. Age vero, & evoluta ſæcula percurrentes inquiramus, an ullus fuerit in re hac extraordinariæ huic, ut ajunt, delegationi Eccleſiæ locus. Si authenticum aliquod exemplum occurrat factæ ejuſmodi extra ordinem a Romano Pontifice, aut a legitimo Generali Concilio poteſtatis, fatendum erit, Eccleſiam ab Apoſtolis accepiſſe, Chriſti lege ita Epiſcopos ſacræ ordinationis Miniſtros inſtitutos eſſe, ut miniſterium hujuſmodi aliis quoque extra ordinem committi poſſit: at ſi fruſtra delegationis hujus quærantur exempla, nonne evidens eſt, intellexiſſe perpetuo Eccleſiam, poteſtatem hanc ita a Chriſto ſolis Epiſcopis demandatam, ut humana auctoritate ad alios ab Epiſcopis nequeat derivari? Quonam vero legitimo exemplo demonſtrare adverſarii poſſunt, Eccleſiam uſu ſuo in eum, quem ipſi commenti ſunt, ſenſum legem Chriſti interpretatam eſſe? Si Orientales omnes interroges, quæſtionem hanc a juris & Scholæ Magiſtris inſtitutam ignorarunt hactenus, ignorantque, nec quidpiam eis eſt perſuaſum magis, quam effici Eccleſiæ poteſtate non poſſe, ut Presbyter Diaconos & Sacerdotes manuum impoſitione conſtituat: Si legitima Occidentalis Eccleſiæ monumenta evolvas, nullum exploratum, atque irrefragabile diſpenſationis hujuſmodi veſtigium deprehendes; Reliquum ergo eſt, ut dicamus, hanc, de qua agimus, Chriſti legem ratam adeo fixamque eſſe, ut convelli nullius hominis auctoritate liceat, quum Eccleſia, cujus eſt Chriſti & Apoſtolorum ſcita interpretari, nihil unquam in eam relaxandam ſibi ſumpſerit, tribueritque.

Diluuntur objecta.

V. Si poſtremo loco mox dicta ſcite verſentur, refellendo argumento ſatis ſuperque ſunt, quod ex Baptiſmi, & Confirmationis adminiſtratione, atque Subdiaconatus minorumque Ordinum collatione Adverſarii procudunt; etſi aliter alii huic argumento reſpondeant, mihi omnium optimum, & ad convellendas ipſas argumenti fibras perquam idoneum videtur reſponſum, quod ex poſteriori illo Melchioris Cano principio elicimus, ratum eſſe Baptiſma a Laico, atque ab Infideli rite collatum, ſimplices Presbyteros Confirmationem, memoratoſque Ordines conferendi extraordinaria poteſtate donari poſſe, Ordinum vero hierarchicorum collationem non poſſe illis ab Eccleſia delegari, quia Chriſti legem ita perpetuo ſuo uſu interpretata eſt Eccleſia; Quid enim ſi a Chriſto baptizandi mandatum ad Apoſtolos, eorumque ſucceſſores latum eſt, quid ſi ſolos Epiſcopos ordinarios eſſe Confirmationis Miniſtros Tridentina Synodus definivit, quid ſi Theologi bene multi Subdiaconatum inferioreſque Ordines divinæ inſtitutionis eſſe propugnant? Optima illa & legitima Chriſti legum Interpres, Eccleſiaſtica conſuetudo, germanum nobis protulit legum Chriſti intellectum, atque ab ipſa ferme Apoſtolorum ætate Baptiſma ratum habens a Laico, etiam infideli, neceſſitate urgente, collatum, Confirmationis adminiſtrandæ, in Oriente præſertim, Presbyteris facultatem faciens, & paulo poſt quarti ſæculi exordium Chorepiſcopis, quos inferioris Ordinis Sacerdotes fuiſſe, docuimus, paſſim indulgens, ut Hypodiaconatus, minorumque Ordinum Miniſtri eſſent, uſu hoc ſuo plane declaravit, quæ in iis ferendis legibus Chriſti voluntas fuerit, quam dubitare non poſſumus, quin probe perſpectam habuerit, & exploratam. Ex quo itaque Eccleſia eadem nunquam hierarchicorum Ordinum adminiſtrationem Presbyteris demandarit, argumento eſt, edoctam illam a Spiritu Sancto

ćto fuiſſe, jus ejuſmodi ita fuiſſe ſolis Epiſcopis a Chriſto adſertum, ut nequeat ad alios extendi: ineptiunt ergo Adverſarii, qui ex eo, quod in decreto pro Armenorum inſtructione Eugenius IV. habet, *Ordinarium* ſcilicet *Sacramenti hujus Miniſtrum Epiſcopum eſſe*, ſibi videntur evincere, docuiſſe Pontificem, alios ab Epiſcopis extraordinarios eſſe poſſe ordinum quorumcumque Miniſtros, quum de Ordine generatim loquatur, ſub quo & Hierarchici continentur. Ut ſua Eugenii verbis veritas conſtet, annon ſatis eſt, inferiorum Ordinum conferendorum poteſtatem in Presbyteros ab Eccleſia transferri poſſe, quin neceſſe ſit, ut ſuperiorum quoque collationem intelligamus iis committi poſſe? Non aliud ſane ſignificare voluit Eugenius oculos in perpetuum Eccleſiæ uſum intendens, inferuntque illi vim, qui verba ejus in alium ſenſum detorquent.

VI. Epiphanium, & Philoſtorgium objiciunt, quorum prior refert, Valente Imperatore acerbiſſime Catholicos infeſtante, Flavianum & Diodorum Presbyteros Nicænæ fidei ſtrenuiſſimos aſſertores, Epiſcopis Orthodoxis in exilium actis alios ſuffeciſſe, alter vero memorat, Clericos quoſdam an. circiter 260. a Scythis in captivitatem abſtractos Gothorum Eccleſias inſtituiſſe, & ſeptuaginta circiter annorum ſpatio illas abſque Epiſcopo adminiſtraſſe; quare pronum eſt credere, toto eo tempore penes Presbyteros illos ordinationum quarumlibet uſum, & totius Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſummam fuiſſe. Vana tamen hæc ſunt, viriſque Catholicis minus digna, quandoquidem & iiſdem his armis pugnant Presbyteriani, infeliciſſime porro utrique; nam Epiphanius ſcribit quidem, a Flaviano & Diodoro Presbyteris, & Nicænæ fidei tenacibus conſtitutos Epiſcopos, ideſt pro illius ſæculi more deſignatos electoſque, non vero conſecratos, aut abſque peculiari initiatione regimini Eccleſiarum admotos, ſed Catholicis Epiſcopis oblatos, qui illos inaugurarent. At procul aberant Catholici quique Epiſcopi, reponet aliquis, in longinquas regiones Valentis juſſu abducti: Verum tanto fidelium malo opportune Deum conſuluiſſe graviſſimus teſtis eſt Theodoretus lib. 4. hiſt. cap. 13. ſcribens, S. Euſebium Samoſatenſem Epiſcopum, quem Valens in Thraciam juſſerat deportari, militari habitu ſumpto, Syriam, Paleſtinam, & Phœniciam peragraſſe, & ubi Eccleſias Paſtoribus viduatas eſſe compererat, Presbyteros ac Diaconos ordinaſſe, & alios Eccleſiæ ordines ſuppleviſſe, ac ſi quando profitentes eandem fidem Epiſcopos reperiſſet, eos Eccleſiis indigentibus præfeciſſe. Ex hac Theodoreti narratione validum adverſus opinionem, quam refellimus, argumentum exurgit: Quid enim opus fuiſſet, ut ſimulato habitu in varias Provincias ſacrarum ordinationum gratia Euſebius excurreret, ſi in gravi illo neceſſitatis articulo Presbyteri extraordinaria Ordines quoslibet conferendi auctoritate pollebant? Quid vero ex Philoſtorgii narratione exculpere Adverſarii poſſint, plane non video; unum id refert Philoſtorgius, Clericos & fideles in Scythia captivos Chriſti nomen & fidem barbaræ illi genti invexiſſe, de Presbyterorum vero ordinatione ne verbum quidem habet; quare niſi ii velint, Ethnicos fidei rudimentis imbuere, & ad Chriſtianam pietatem adducere, idem eſſe ac Eccleſiam pleno jure adminiſtrare, atque omnia abſque Epiſcopis agere, quæ Epiſcoporum ſunt, inepte Philoſtorgii teſtimonium obtrudunt.

VII. At nulla, inquiet aliquis, habenda erit ratio tot juris Pontificii, & Scholæ Doctorum, quos in ea opinione conſtanter fuiſſe patet? Nulla; etſi enim illi ita ſenſerint, quibus tamen hoc verum eſſe argumentis idoneis oſtenderunt? Commonet graviſſime Melchior Cano, Theologorum & Juriſconſultorum etiam plurium teſtimonium, ſi alii contra pugnant Viri Docti, non plus valere ad faciendam fidem, quam vel ratio ipſorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit; quare quum ii nihil ſolidum, nihil grave, ſed errores tantum, aut ineptias attulerint, & ſi multitudine atque auctoritate certandum ſit, a ſententiæ noſtræ patronis numero atque fama plurimum diſtent, non eſt, cur eorum auctoritate vel paululum moveamur. Innocentium vero IV. in eundem cenſum pari ne facilitate conjicimus? Regerimus primo, Innocentium IV. nihil de re iſta ſcripſiſſe, ex quo dignoſci poſſit, in quam ipſe partem propendeat; Silveſtri enim cujuſdam veteris Canoniſtæ placitum duntaxat recitans ait: „ Silveſter dixit, „ quod ex delegatione Domini Papæ, & „ adminiculo Sacramenti habiti, quilibet „ Cle-

„ Clericus poteſt, quidquid habet ipſe, conferre, quod vero non habet, minime.“ Verum quia Morinus hanc Innocentii quoque ſententiam eſſe contendit, quia ſecundum Canoniſtarum de eo animadverſionem, Silveſtri ſententiam ultimo refert, & argumentis confirmat, falli Virum Clariſſimum auctoritate Doctiſſimi Haberti convincimus, qui de Innocentio hæc ſcribit: „ Monebo tamen, Innocentium IV., qui ab iis inducitur, nullum de ordinatione verbum facere, ſed ſolum ex quæſtione de Confirmatione, hanc Silveſtri propoſitionem generalem afferre, Silveſter dixit &c.“ Quod ſi his quiſquam necdum acquieſcit, habeat ſibi poſtremo, quod de Innocentii IV. commentariis Melchior Cano generatim pronuntiat: „ Edidit Innocentius hujus nominis IV. in libros decretalium commentaria: ſi in his quidquam erratum eſt, hominis nimirum eſt, non Pontificis, quamvis ea commentaria edita ſint a Pontifice, quare eodem illic loco & gradu habendus eſt, quo alius quilibet ſive juris, ſive Scholæ Magiſter.“

VIII. Neque aliter de Petro Aureolo ex Minorum Ordine Aquenſi Archiepiſcopo, & Cardinali cenſemus, etſi *Doctor eloquens* ille audiat, magnumque ſibi nomen ſcriptis ſuis ſæculo quartodecimo ineunte pepererit; non enim hominum fama, ſed rationum pondere theologicas res æſtimamus. Quis porro argumentum illud non flocci faciat, quo demonſtrare nititur, Sacerdotem quemlibet alium Sacerdotio initiare poſſe, poteſtatem tamen hujuſmodi ligatam eſſe, quæ tunc ſolvitur, & expeditur, vel ſi Sacerdos in Epiſcopum conſecretur, vel ſi a Romano Pontifice id ei muneris delegetur? Agite, & argumentum ſubtiliſſimi hominis iiſdem pene verbis exſcriptum excutiamus: „ Gradus Epiſcopalis & Sacerdotium non ſunt diſtinctæ poteſtates: hanc concluſionem probo ſic: quando alicui formæ multi actus debentur, ſi alter eorum impeditur, & poſtea contingat removeri impediens, non datur nova forma, ſed manet eadem invariata, & ſolum removetur alicujus actus impedimentum; ſed ordinare Sacerdotem eſt actus Sacerdoti conveniens, quatenus Sacerdos eſt, & tantum eſt actus impeditus in eo: Probatur, quia nemo dat, quod non habet; ergo non Sacerdotis non eſt ordinare in Sacerdotem, ſed hoc pertinet ad Sacerdotem, qui habet illam formam potentem transfundere ſe ipſam, ergo videtur, quod conferre Ordines ſit pertinens ad Sacerdotem: Probo, quia pone, quod ſit Sacerdos, omni alio circumſcripto, poteſt Papa committere ei ordines &c.“ Sponte tamen concidit tota hujus argumenti moles, quippe quæ ruinoſo nititur fundamento. Quam falſum ſit, quod ſibi probandum ſumit Aureolus, Epiſcopatum & Sacerdotium diſtinctas poteſtates non eſſe, neque, ut inferius addit, Epiſcopatum Sacerdotio gradum altiorem eſſe ac *intenſiorem*, ſed tantum aliud ejuſdem poteſtatis officium, ex iis abunde conſtat, quæ adverſus Presbyterianos articulo tertio diſputavimus. Quam vero futile eſt, quod ad hoc paradoxum probandum aſſumit Aureolus, Sacerdotis cujuſque eſſe, alium ordinare, quia nemo dat, quod non habet? Lepide vero: Ergo poteſt quicumque alteri dare, quod habet? Epiſcopum quemlibet Sacerdotem eſſe oportere, ultro concedimus, Sacerdotem vero poſſe alium ordinare, ſeu, ut Aureoli verbis utamur, formam habere, quæ poſſit ſe ipſam transfundere, & ſola Pontificis delegatione impedimento ſoluta, in actum prodire, falſum omnino eſſe & erroneum pronuntiamus, tum quia Patrum dictis, & Eccleſiæ doctrinæ ac perpetuæ praxi repugnat, tum *quia*, ut ſcite adnotat D. Thomas, *ad communicandum alteri, quod quis habet, non ſatis eſt propinquitas, ſed requiritur completio poteſtatis; quare quum Sacerdos non habeat completam poteſtatem in hierarchicis officiis, ſicut Epiſcopus, non ſequitur, quod poſſit alios ordinare.*

IX. Supereſt graviſſima difficultas, qua poſtremum noſtræ adſertionis momentum ex perpetuo Eccleſiæ uſu petitum quatitur, & conteritur. Exurgit illa ex privilegio, quod Abbatibus Ciſtercienſibus labente quintodecimo ſæculo indulſiſſe traditur Innocentius octavus, religioſos Viros ſibi ſubditos Diaconatu initiandi, quo privilegio memorati Abbates hactenus uſi eſſe, atque etiam num uti feruntur. Itane vero? Ita reſpondet fidenter P. Berti, qui privilegii hujus vindicias adornavit. Privilegii hujus diſerte meminerunt Major, Navarrus, Henriquez, aliique, il-

illudque in Complutenſi Collegio aſſervatum ſe legiſſe teſtatur Vaſquez. Hoc privilegio fretum Generalem Ciſtercii Abbatem Romæ an. 1662., & Gandavi 1663. Monachos ſuos Diaconos ordinaſſe, nonnulli ſcribunt. Verum niſi meliora, & ſolidiora promantur, prudens nemo de ſententia decedet, neque privilegium hujuſmodi genuinum eſſe conſentiet; Quis enim animum inducat, ut credat, id ſibi ſumpſiſſe Innocentium, cujus exemplum nullum in Eccleſia Dei præceſſerat, quodque a Romano Pontifice concedi non poſſe, diſerte docent Sancti Thomas, & Bonaventura, & plerique Theologorum? Quis etiam eam, quæ concedendi privilegii hujus in commentitio diplomate adfertur, rationem ineptam eſſe non ſentit? Fingitur Pontifex, Ciſtercii, & aliorum quatuor Monaſteriorum Abbates eo privilegio hac de cauſſa donare, ne Monachi ſuſcipiendorum Ordinum cauſſa cogantur extra clauſtra diſcurrere: Egregiam mehercule rationem? Eccur omnibus Ciſtercienſis Ordinis Abbatibus id non indulſit, quum eadem cauſſa Monachis omnibus communis eſſet? Nonne & Presbyteratus ſuſcipiendi cauſſa coguntur extra clauſtra diſcurrere Ciſtercienſes? Quare Innocentius de eorum ſolitudine tam ſollicitus non permiſit item Abbatibus, ut Monachos ſuos eadem hac de cauſſa Presbyteros ordinarent?

X. Meminiſſe porro debuerat P. Berti eorum, quæ ſcite ſcripſerat de altero privilegio ab eodem Innocentio octavo Norvegis conceſſo, ut abſque vino ſacrificarent, quod ob immenſa frigora vinum illuc importatum aceſcat; ſua in illum arma torquemus, & falſitatis & fraudis utrumque privilegium poſtulamus. Rainaldi, Bzovii, Sandini, aliorumque teſtimoniis innixus Berti probat, duos projectæ conſcientiæ Sacerdotes, qui erant Innocentio ab Epiſtolis, Pontificis litteras vitiaſſe, & falſa privilegia vendidiſſe, Sacerdotio iccirco dejectos, & extremo ſupplicio damnatos. Quidni ergo hujus, quod exagitamus, ut & alterius Norvegis indulti, aliorumque plurium mendacium privilegiorum eoſdem credamus artifices? Qui Norvegis illud venditarunt, hoc quoque Ciſtercienſibus obtruſiſſe dicendi ſunt, quum omnino a fide abhorreat, Pontificem ſcientia rebuſque præclare geſtis inſignem, quidpiam ſimile conceſſiſſe. At poſterioris hujus privilegii mentionem habent Theologi haud pauci: Quid porro? Et alterum memorarunt, & legitimum cenſuerunt Raphael Volateranus, Bartholomæus Fumus, aliique. Poſterius hoc ſe legiſſe teſtatur Vaſquez, idemque enuntiat Berti: Eſto; ne unus tamen hactenus repertus eſt, qui autographum, vel autenthicum aliquod, & ab omni fraudis ſuſpicione remotum exemplar ſe legiſſe gloriari poſſit. Nullum privilegii hujus in Pontificiorum Diplomatum collectione veſtigium, neque in legitimis iis monumentis, quæ regeſta dicuntur, quibus conſtitutiones Pontificiæ continentur, ſed hujus duntaxat excerpta quædam apud domeſticos Ciſtercienſium rerum Scriptores, ex quibus alii privilegii hujus ſummam hauſerunt, quodque omnium validiſſimum eſt, &, ni fallor, decretorium, S. Pius V. in diplomate ad Præmonſtratenſes Abbates directo ejuſdem hujus Innocentiani privilegii mentionem injiciens, ſolum memorat Subdiaconatum, cujus ſuis Monachis conferendi Ciſtercienſibus Abbatibus facta fuerit ab Apoſtolica ſede facultas; quare pronuntiare tuto poſſumus, nequiſſimos illos homines, quibus ad conſcribendas Epiſtolas Innocentius utebatur, ſacrilego auſu Hypodiaconatui Diaconatum addidiſſe, præſertim quum certum ſit, Ciſtercienſem Abbatem nihil umquam ejuſmodi a Pontifice poſtulaſſe. Æqui denique bonique habeat P. Berti, fabellæ loco a nobis haberi, quod de collato a Ciſtercii Abbate Romæ & Gangavi ſuis Monachis Diaconatu, Patrum Vanroy, & Henno teſtimonio fultus enuntiat; ad faciendam rei omnino novæ, inauditæ, & Eccleſiæ traditioni contrariæ fidem alio ſane opus eſt, quam teſtificatione duorum Auctorum, qui neque omni exceptione majores ſunt, neque rem ſuis hauſerunt oculis, aut a fide dignis acceptam tradiderunt, ſed incerto rumore decepti incaute vulgarunt.

§. III.

§. III.

De legitimo ſacrarum Ordinationum Miniſtro.

I. SI hodiernam Eccleſiæ diſciplinam ſpectemus, legitimus ordinationis Miniſter eſt Epiſcopus Catholicus, canonice electus, & proprius, quemadmodum Tridentina Synodus declaravit: Quis vero proprius Epiſcopus ſit, docet Bonifacius VIII.: *Quum nullus Clericum alienæ Paræciæ præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare, ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus Diœceſi is, qui ordinari deſiderat, eſt oriundus, ſive in cujus Diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu in eadem, licet alibi natus fuerit, Domicilium habet*. Illegitimus itaque ille Ordinationis Miniſter erit, qui vel præter canonicam regulam ad Epiſcopatum irrepſerit, vel ab Eccleſia Catholica hæreſi, aut ſchiſmate, aut excommunicatione præciſus fuerit, vel definitos juriſdictionis limites tranſiliverit. Dubitarunt olim nonnulli, an ordinationes ab hujuſmodi Miniſtris peractæ non illicitæ ac ſacrilegæ ſolum, verum etiam inanes ac nullæ eſſent. Cæterum quum Morino teſte jam a quatuor & amplius ſæculis D. Thomæ de hac quæſtione ſententia non præcipua modo ſit, ſed ſola regnet in Scholis, a qua neminem unum Theologorum recedere Bertius ſcribit, ſummatim eam exhibemus: „ Omnis poteſtas, ait Angelicus, quæ „ datur cum aliqua conſecratione, nullo „ caſu contingente tolli poteſt re ipſa durante, ſicut nec ipſa conſecratio .... „ unde quum Epiſcopalis poteſtas cum „ quadam conſecratione detur, oportet, „ ut perpetuo maneat, quantumcumque „ aliquis peccet, vel ab Eccleſia præcidatur .... Ejuſmodi ergo Epiſcopi vera Sacramenta conferunt, ſed cum iis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Eccleſiæ. " Cæterum quum D. Thomas, omneſque Theologi ratas habeant ejuſmodi ordinationes, modo peractæ fuerint *ſecundum formam Eccleſiæ*, permoleſta hinc oritur difficultas, quid de Anglicanis ordinationibus cenſendum ſit.

II. Etſi quæſtio hæc ſacrilegæ reformationi, quam Eduardus VI. Magnæ Britaniæ Rex in Angliam invexit, coæva, ſtatim ab ejus obitu, ineunte ſcilicet regnum Maria ſorore ejus, omniaque in priſtinum reſtituente, definita fuerit, judiciumque de Anglicanis ordinationibus, quæ juxta formam a ſecundo rituali libro Eduardi ejuſdem auctoritate edito peractæ fuerant, a Cardinali Reginaldo Polo Apoſtolicæ Sedis in Anglia Legato latum non a Romana ſolum, ſed & ab omnibus Catholici orbis Eccleſiis probatum fuerit, etſi Clariſſimus Renaudotius locupletiſſimis monumentis oſtenderit, Græcos, & quaslibet alias in Oriente Chriſtiani nominis ſectas in idem de hujuſmodi ordinationibus judicium cum Romana Eccleſia conſpirare, neque Anglicanum Presbyterum, aut Epiſcopum Græcis, aliiſque Orientalibus alium eſſe, quam Laicum falſo & chimerico Presbyteri, vel Epiſcopi nomine gloriantem, etſi denique veritatem iſtam ad liquidum plane deduxerint plurimi Scriptores egregii, non e Catholicis ſolum, ſed & ex Lutheri, atque Calvini grege, nuper tamen emerſit Catholicus, & Religioſus homo, qui ordinationes has ab omnibus, quotquot in Oriente & Occidente Chriſtiani audiunt, improbatas vindicandas aggreſſus eſt, prolixa in hunc finem edita diſſertatione. Quam male libello ſuo improvidus ille Scriptor Catholicæ Eccleſiæ conſuluerit, declaravit eventus, quem præſtat non memorare, ne doloris cauſſam refricemus, quam vero infeliciter operam illam poſuerit in defendenda peſſima Anglorum Epiſcopalium cauſa, perſpicue demonſtrabimus, momenta præcipua mutuantes a P. Michaele Lequien, qui omnium validiſſime ineptum Diſſertatorem retudit, & Catholicæ Eccleſiæ cauſſam egregie tutatus eſt, omniumque judicio obtinuit.

III. Priuſquam vero id agamus, operæ pretium eſt, declarare, cur Anglicanæ ordinationes inanitatis a Catholicis hactenus poſtulatæ fuerint, & poſtulentur; non enim hoc titulo habentur illæ nullæ prorſus atque irritæ, quod extra Catholicam Eccleſiam peractæ fuerint, quemadmodum blaterat Gallicæ Diſſertationis Auctor, qui earum vindicias adornavit, ſed quod celebratæ illæ non fuerint juxta legitimam Catholicæ Eccleſiæ formam. Cur vero hæc iis lis inferatur, breviter explicamus. Quamquam Henricus VIII. ſe in ſu-

ſupremum Anglicanæ Eccleſiæ caput erexerit, a quo velut a totius poteſtatis fonte non laicalis ſolum, ut ajunt, ſed Eccleſiaſtica quæque dignitas, auctoritas, & juriſdictio originem duceret, regnumque ſuum funeſtiſſimo ſchiſmate a Catholicæ Eccleſiæ communione divulſerit, eoque regnante Thomas Cramnerus Cantuarienſis Antiſtes, aliique Epiſcopi Calvini & Zuinglii erroribus clam infecti nihil non egerint, ut Ordinis Sacramentum, ſacras ordinationes, & Miſſæ Sacrificium ab Anglia exterminarent, irrito tamen conatu id moliti ſunt; quandiu enim Henricus vixit, cavendum cuique maxime erat, ne ſex articulos Regis & ſupremæ Curiæ auctoritate munitos, tranſubſtantiationis videlicet fidem, communionem ſub altera duntaxat ſpecie, Sacerdotum cælibatum, caſtitatis, & vidualis continentiæ vota, non ſolemnes ſolum, ſed & privatas Miſſas, & auricularis confeſſionis neceſſitatem oppugnaſſe revinceretur. Cogitaverat quidem Henricus, ſi Burneto ſit fides, de Ordinis Sacramento tollendo, abolendaque Miſſa, trahendoque in hujus conſilii ſocietatem Franciſco I. Galliarum Rege; nefario tamen auſui obſtitit mors ejuſdem, quem excepit filius ejus decennis Eduardus VI., quo regnum capeſſente omnia in pejus ruerunt, regni habenas moderantibus Viris ab Henrico ſelectis, qui omnes intus & in cute Calviniani erant, & Zuingliani. Non vacat, ſingula perſequi, quæ nequiſſimi ii, Cramnerus inprimis, puerili Regis auctoritate abutentes adverſus Catholicæ Eccleſiæ fidem & diſciplinam aggreſſi ſunt. Ad rem noſtram adnotare fas fuerit, jubente Rege editam primo fuiſſe vulgari idiomate novam Liturgiam, diurnarum videlicet precum libellum Breviario ſuffectum, quamdam Anglicanæ Liturgiæ formam Miſſæ ſubrogatam, & ritualem librum, quo omnes in Sacramentorum adminiſtratione uterentur. In prima hac Liturgia adornanda etſi editores ejus quodlibet oblationis, & ſacrificii nomen ſtudioſe vitarint, æmulati ſunt tamen venerandam antiquitatem, & nonnullam veteris Miſſæ ſimilitudinem.

IV. Liturgia hæc, quæ Eduardi VI. prima dicitur, an. 1550. vulgata, quum Petro Martyri, Bucero, Ochino, Fagio aliiſque ad conſumandum pſeudo-reformationis opus accitis in Angliam, & Calvino ipſi ſummopere diſpliceret, quod nimiam retineret Pontificiæ Miſsæ imitationem, & quibuſdam verbis contexta eſset, quæ oblationem, tranſubſtantiationem, & realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam redolerent, ſupremæ Curiæ decreto ſuppreſſa fuit, novæque cudendæ provincia Cramnero eidem, aliiſque Hæreticis hominibus demandata. Dum in nova hac Liturgia condenda operam ponerent Cramnerus aliique ad id opus ſelecti homines, quibus aderant ſuaſores, & incentores Petrus Martyr, & Bucerus, formamque Calvinus ſuis præſcribebat Epiſtolis, Romanum Pontificale ceu fabellis & ſuperſtitione redundans publico edicto antiquatum, ſublata e templis ornamenta omnia, quæ in Sacrificii uſum erant, everſa altaria, & in ſingulis templis locatæ Menſæ ad celebrandam Calvinianorum more cænam idoneæ, neve populus ſuſpicari poſſet, Miniſtrum in menſa idem peragere, quod olim Presbyteri altari adſtantes, juſſi communionis miniſtri non medium menſæ locum tenere, ſed in latere, quod ſeptentrionem reſpicit, verſa ad meridiem facie conſiſtere, quæ omnia, ait Helyn Anglo-Calvinianus, „ eo ſpectabant, ut ſacrificii obli„terata memoria, abjectaque ſuperſtitio„ſa Miſſæ idea, populus meliorem com„munionis uſum addiſceret. " Prodiit denique adornata ſecundis curis Liturgia, una cum rituali *ordinationum* libro, compactoque in volumen unum utrique operi titulus iſte præfixus eſt: *Formulæ communium precum, adminiſtrationis Sacramentorum, aliarumque ceremoniarum, & rituum juxta Anglicanæ Eccleſiæ morem*. Opus hoc, quod univerſam in Anglia religionem peſſumdedit, & omnia ſuſdeque miſcuit, probavit ſuprema Regni Curia, ſuaque auctoritate roboratum vulgari juſſit, omnibus deinceps, & ubique uſui futurum. Edita ſubinde fidei confeſſio erroribus a capite ad calcem ſcatens, editus Eccleſiaſticarum legum codex, in quo, abrogata veteri, nova inducta eſt diſciplina; etſi vero regnum obtinente Maria, nova rebus facies inducta fuerit, brevi tamen ea fato functa, regnumque obtinente Eliſabeth, eo reciderunt res, eoque loco hactenus perſtiterunt, quo regnante Eduardo VI. infeliciſſime fuerant. Nihil ferme mutatum: eadem in Anglia obtinet Liturgia, idem ritualis ordinationum liber, eadem fidei confeſſio, idem diſciplinæ codex ab

Eduar-

Eduardo VI. ad hæc noſtra uſque tempora.

V. Quum Scriptores Angli ex Epiſcopalium ſecta, qui pro ordinationibus ſuis acerrime depugnarunt, quique eis ſuppetias tulit, Catholicus Diſſertator, tria ſibi potiſſimum probanda ſumpſerint, primo Matthæum Parkerum ab Eliſabeth Angliæ Regina Cantuarienſem Archiepiſcopum conſtitutum, quem ipſi Anglicani Epiſcopatus radicis, & ſtipitis loco habent, fuiſſe vere, & ſolemniter conſecratum; Secundo Guillelmum Barlouu, qui Parkero manus impoſuit, legitimum verique nominis fuiſſe Epiſcopum; tertio Parkeri ordinationem fuiſſe numeris omnibus abſolutam, atque omnia complexam eſſe, quæ neceſſaria cenſentur, ut rata illa habeatur, Pater Le-Quien in adverſariorum veſtigiis inſiſtens, tria hæc eidem capita fuſe & nervoſe refellit, omnique argumentorum genere oppoſitum conficit, & ad evidentiam ferme deducit. Quoniam vero nobis tantum non ſuppetit temporis, ut duo priora capita, quæ *facti*, ut ajunt, *quæſtionem* reſpiciunt, perſequamur, in ſola *quæſtione juris* finienda calamum exercebimus. Quid enim ſi Parkerus in Lambethenſis Palatii ſacello, quemadmodum cum Epiſcopalium pleriſque P. Courayer in ſua diſſertatione contendit, pluribus adhibitis veteris Pontificalis ceremoniis ſolemniter ſuit in Epiſcopum conſecratus? Quid ſi Guillelmus Barlouu præcipuus ejus conſecrator, Epiſcopus ipſe fuerit, non electus ſolum, ſed & ſacratus? Quum non alios ad utrinſque conſecrationem ritus fuiſſe adhibitos, quam a ſecundo Eduardi VI. ordinationum libro præſcriptos, nec alios a quarto ejuſdem Eduardi anno ad hæc noſtra tempora in Epiſcoporum, aliorumque inferioris gradus miniſtrorum ordinatione uſurpatos, Epiſcopales omnes, quique eorum cauſam egit, infelix diſputator, ultro concedant, neceſſario conſequitur, omnes ordinationes ejuſmodi irritas eſſe, nullam in Anglia fore Epiſcoporum, quam jactitant, legitimam ſucceſſionem, nullam Eccleſiaſticam Hierarchiam, ideoque nullam Chriſti Eccleſiam, quam Epiſcopales ipſi conſentiunt, ſtrenueque demonſtrant adverſus Lutheri & Calvini diſcipulos, non poſſe abſque Epiſcopatu, & legitima Paſtorum ſucceſſione conſiſtere.

Anglicanæ Ordinationes irritæ & nullæ ſunt.

VI. Ex principiis fidei, quæ Tridentina Synodus definivit, quæque nos hactenus expoſuimus, liquido patet, ordinis Sacramentum ad Euchariſticum Sacrificium neceſſario, & immediate referri, Diaconos iccirco, Presbyteros, & Epiſcopos, de quibus tota Anglis eſt quæſtio, ad novæ legis Sacrificium ritu perpetuo peragendum primo & principaliter inſtitutos, Diaconos quidem, ut altari miniſtrent, in quo novi fœderis victima offerenda eſt, Presbyteros, ut vero Sacerdotio fungentes, Chriſtique corpus & ſanguinem offerentes, hoc celebrent Sacrificium, Epiſcopos tandem præter ſacrificandi poteſtatem, quæ illis cum inferioris ordinis Sacerdotibus communis eſt, ampliori auctoritate donatos, alios ſcilicet Sacerdotes & Pontifices conſecrandi: Sacrificium itaque præcipuum ſacræ Ordinationis objectum eſt, quæque ſupra myſticum Chriſti corpus ordinato confertur poteſtas, conſectarium eſt multo excellentioris ſanctioriſque poteſtatis, qua ille ſupra verum Chriſti corpus inſtruitur; quare ſublato Sacrificio, Sacerdotium tolli neceſſe eſt, quum utraque adeo connexa ſint, ut unum nequeat ſine altero conſiſtere. Qui ergo potuit Catholicus Scriptor apologiam edere pro Anglorum ordinationibus, quos explorata res eſt, jamdudum Sacrificium Euchariſticum & Sacerdotium eliminaſſe, quodlibet altaris miniſterium Diaconis abjudicaſſe, utque miniſterii hujus, & Sacrificii memoria penitus aboleretur, altaria ipſa evertiſſe, menſaſque cænæ altaribus ſubrogaſſe? Si enim ſacræ ordinationis eſſentia in poteſtate potiſſimum ſita eſt, qua Diaconi miniſtrandi Presbyteris offerentibus, Sacerdotes ſacrificandi, Epiſcopi vero Sacerdotes & Pontifices perpetuo ritu initiandi donantur, ii ne veri Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi, quorum jactata ordinatio, verius prophanatio, non interiori ſolum ordinantium errore, ſed exteriori ipſo ritu (quod præcipue demonſtrandum eſt) nihil habet, quod primario huic ſacræ ordinationis fini reſpondeat? Rem autem preſſius urgeamus.

VII. Ordinationis ſubſtantia exteriori quadam ceremoniam verbis & comitata perficitur, quam ceremoniam & verba Theologi

logi ordinationis *materiam*, & *formam* appellant. De ceremonia ſenſibili, ſeu manuum impoſitione, quam ad trium hierarchicorum Ordinum collationis ſubſtantiam pertinere, nemo ambigit Theologorum, nulla nobis cum Anglis eſt quæſtio, quum & ipſi eam uſurparint hactenus, retineantque juxta præſcriptam a ſecundo Eduardi VI. rituali libro ordinationis formam; tota de verbis, quæ formæ locum obtinent, eſt controverſia. Neceſſaria illa eſſe, ut manuum impoſitio, quæ & in Confirmatione, pluribuſque aliis religioſis ritibus adhiberi ſolet, determinetur, fiatque ordinationis ſacræ materies, extra omnem ambagem eſt; quemadmodum ergo aliorum Sacramentorum formæ iis verbis contextæ ſint, oportet, quibus peculiaris & proprius cujuſque Sacramenri effectus ſignificetur, præcipuus vero Sacramenti Ordinis effectus & finis ſit, Sacerdotes inſtituere, atque Miniſtros, quorum princeps munus in altaris, & Sacrificii novæ legis miniſterio ſitum eſt, ita ordinationis forma id exprimi, neceſſe eſt, quod de Sacramento Ordinis fides docet, atque ea memorari Sacerdotium, & Sacrificium, quod ordinationis ſacræ præcipuum objectum eſt. Id videre eſt in omnibus Latinæ Eccleſiæ Pontificalibus libris, idemque præferunt omnia Græcorum Euchologia, atque omnes *conſummationis*, ſeu *perfectionis Chirotoniæ* libelli, qui apud quaslibet Orientales Chriſtiani nominis ſectas in uſu ſunt; etſi enim Orientalium inter & Occidentalium ordinationis formulas nonnihil diſcriminis, verbis tenus, interſit, idem tamen omnium ſenſus eſt, eadem Eccleſiæ fides in omnibus deprehenditur, idemque præcipuum Diaconorum, Presbyterorum, atque Epiſcoporum munus, ad quod ſua quiſque ordinatione aſſumitur, omnibus diſerte ſignificatur. Quidpiam ne vero ſimile in Anglicanis ordinationibus? Qui damnato Regia auctoritate Romano Pontificali, damnatiſque iccirco cum illo ſimul omnibus cujuſcumque Chriſtianæ ſocietatis ordinationum libris, quum ſit omnium unus ſpiritus, una ſubſtantia, novo ſuperinducto, & paſſim in uſum aſſumpto, omnia, ſuggerente Calvino, ſtudioſiſſime reſecuerunt, quæ vel remotam ſolum altaris, Sacrificii, Sacerdotii, Pontificatus ideam ingerere poſſent, ii ne formulam ordinationis retinere dicendi ſunt, qua Catholicæ Eccleſiæ doctrina de Ordine, præcipuus Ordinum finis, & peculiaris ſingulorum, qui ordinantur, miniſtrorum poteſtas ſignificentur, & qua manuum impoſitio determinetur?

VIII. Præſtat rem veluti oculis ſubiicere, & Anglicanæ ordinationis formam, prout in ſecundo Eduardi rituali jacet, exponere: Ordiamur a Diacono, a quo Pſeudo - Epiſcopus primo Sacramentum exigit fidelitatis Regi ſupremo Anglicanæ Eccleſiæ capiti, deinde illum interrogat, quid de muneribus Diaconi ſentiat, quæ illa cenſeantur, *Miniſtro liturgiam agenti adſtare, cœnam diſtribuenti auxilio eſſe, Biblia & homilias in cætu legere, catechiſmum tradere, baptizare, & annuente Epiſcopo prædicare, atque eleemoſinas colligere Paræciæ ægris, & pauperibus erogandas:* Ut ordinandus his reſpondit, nulla præmiſſa oratione, Epiſcopus ei manus imponens ait: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, & prædicandi, ſi id ſibi ordinaria auctoritate injunctum fuerit*: poſtremo Epiſcopus communionis ſeu cœnæ officium peragit, proque novo Diacono orationem recitans ceremoniam abſolvit. Quum Diaconatus juxta Eccleſiæ doctrinam ad ſacrificium eſſentialiter referatur, ideoque Altaris miniſterium ceu præcipuum Diaconi munus non in Occidentalis ſolum Eccleſiæ, ſed & in Orientalium omnium ſectarum libris diſerte memoretur, Pſeudo - Reformati Angli, quibus ipſum altaris, & Sacrificii nomen horrori eſt, rejecta veteri ordinationis Diaconi formula, quæ altaris, & Sacrificii mentionem iniicit, aliam procuderunt, in qua præcipuum Diaconi munus ſtudioſe reticetur. Quid vero ea mutatione immanius, quam in ordinationis Presbyterorum formulam invexerunt? Juxta Romani Pontificalis ritum, cujus ſubſtantia penes omnes Chriſtiani nominis ſocietates eadem eſt, Epiſcopus Presbyteratu initiandis declarat Sacerdotis munera, ajens, *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, baptizare, prædicare*, mox extenſis ſuper ordinandum manibus Deum in hæc verba precatur: *Exaudi nos, quæſumus, Domine Deus noſter, & ſuper hunc famulum tuum benedictionem Sancti ſpiritus, & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem* &c. Orationi huic Epiſcopus quamdam Præfationem continenter adjungit, in qua Sacerdotii dignitatem, & Sacrificium, cujus offerendi poteſtas ordinato fit, exprimit, hacque præ-

præfatione atque oratione manuum impoſitioni juncta Presbyter ordinetur, offertque una cum Epiſcopo Miſſæ ſacrificium, poſtquam Epiſcopus calicem vino aqua mixto plenum, & patenam cum pane illi porrigens ait: accipe poteſtatem offerre ſacrificium &c. In Anglicano vero rituali Epiſcopi ad initiandos de Sacerdotum muneribus allocutio tota ſublata eſt, ſublata oratio ac præfatio, quam una cum manuum impoſitione ad ordinationis eſſentiam pertinere, nemo unus Theologorum repugnet, ſubſtituta vero precatio quædam, qua Pſeudo-Epiſcopus Deum rogat, ut ordinando gratiam largiatur, qua munere ſuo recte defungi poſſit, nec tamen, quale ſit ejuſmodi munus, exprimit, neque Presbyteri aut Presbyteratus, ſed Miniſtri ſolum & Miniſterii mentionem fecit. Mox ei manus imponens ait: Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c. Eſto fidelis verbi Dei, & Sacramentorum Diſpenſator in nomine Patris &c. Subinde Bibliorum librum ei tradens inquit: *Accipe poteſtatem prædicandi Verbum Dei, & Sacramenta adminiſtrandi in Eccleſia, quæ Tibi committetur*. Poſtmodum recitato Symbolo, diſtribute cœna, editaque altera pro novo Miniſtro oratione officium ordinationis abſolvitur.

IX. In Epiſcopi conſecratione Epiſcopus conſecrans juxta formam a Romano Pontificali præſcriptam, cui certum eſt, alias omnes in Oriente uſitatas plane congruere, manus cum duobus aliis Epiſcopis electo imponens, ita Deum orat: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem* &c.; eandemque præfationis inſtar orationem proſequens Deum precatur, ut ei, *quem ad ſummi Sacerdotium miniſterium elegit, gratiæ copiam largiatur, compleatque in Sacerdote ſuo miniſteri ſummam* &c. Viſa hæc novi ritualis editoribus impia, blaſpheme, & Chriſto contumelioſa, ideoque iis eraſis aliæ ſuffectæ preces ab Archiepiſcopo manus initiando imponente recitendæ, quibus rogatur Deus, *ut ſervum ſuum ad Miniſterium Epiſcopatus vocatum doctrinæ ſuæ veritate inſtruat, vita innocentia adornet, eamque largiatur gratiam, ut ſemper ad Evangelium promulgandum paratus ſit* &c. Mox conſecrator, quique ei adſunt Epiſcopi, manus ordinando imponentes ajunt: *Accipe Spiritum ſanctum, & excitare mineris gratiam, quæ in eſt per manuum impoſitionem; non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris* &c. E veſtigio conſecrator illi Biblia porrigens ait: *Atende lectioni, exhortationi, & inſtructioni: ſerio meditare omnia, quæ hoc libro continentur* &c. Cœnæ officium deinde Archiepiſcopus peragit, porrectaque novo Epiſcopo communione, aliam pro eo orationem habens ceremoniæ finem imponit: Hic Anglicanarum ordinationum ritus, hæc veterum precum & formularum exterminatio nonne peſſimum eorum, qui Anglorum Eccleſiam perverterunt, conſilium aperte prodit? Lutheri, & Calvini errore infecti nullum in Diaconis alterius miniſterium, nullum in Presbyteris Sacerdotium, nullum in Epiſcopis Pontificatum ac Sacerdotii plenitudinem agnoſcentes, quid mirum ſi omnem Altaris, Sacrificii, oblationis, gratiæ Sacerdotalis, ſummi Sacerdotii mentionem penitus ſuſtulerunt? Novum itaque quum induxerint Diaconorum, Presbyterorum, atque Epiſcoporum genus, quorum munera in divini verbi prædicatione, baptiſmi & cœnæ adminiſtratione, & Parœciæ, vel Diœceſeos regimine unice collocarunt, erroremque hunc ſuum ipſis ſuarum ordinationum formulis exprimant, quis ordinationes ejuſmodi non execretur?

X. Ex hactenus recitatis tres adverſus P. Courayer harum ordinationum vindicem demonſtrationes inſtruimus: *Qui corrupte profert verba Sacramentalia*, ait D. Thomas, a quo nemo Catholicorum diſſentit, *ſi hoc ex induſtria facit, intendere non videtur facere, quod facit Eccleſia, & ita non videtur perfici Sacramentum .... & ideo ſi intendat per ejuſmodi additionem, vel diminutionem alium ritum inducere, qui non ſit ab Eccleſia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere, quod facit Eccleſia*; ſed Anglicanæ Reformationis auctores ſublatis ſacræ ordinationis formulis in Occidente receptiſſimis & vetuſtiſſimis, novas invexerunt ſuis erroribus congruentes, novumque ritum Catholicæ Eccleſiæ non ignotum ſolum, ſed fidei ejus, doctrinæque contrarium induxerunt; iis ergo recentibus formulis verum non perficitur Sacramentum. Alteram ſic efformamus: irritas fore Ordinationes, quarum ordinarius Miniſter veri nominis Epiſcopus non ſit, apud Theologos omnes in confeſſo eſt, ne-

neque abnuit Courayer ; Quei ergo poteſt pro Anglicanis ordinationibus dimicare, quas plane conſtat, a veri nominis Epiſcopis non fuiſſe peractas? Matthæus Parkerus Cantuarienſis Antiſtes novi Anglicani miniſterii radix & ſtipes, ex quo propagatus in Anglia Epiſcopatus, non alia forma in Epiſcopum conſecratus eſt, non alia ipſe cæteros conſecravit, quam ea, quam ex ſecundo Eduardi rituali nuper excripſimus, verbis nimirum iis, *Accipe Spiritum ſanctum, & excitare memineris gratiam, quæ in te eſt per manuum impoſitionem* &c. In verbis his Anglicanam Epiſcopi Ordinationis formam ſitam eſſe, res eſt vulgatiſſima non ſolum ritualis ejuſdem teſtimonio, ſed & Epiſcopalium omnium confeſſione ; Si ergo formam hanc abſolute irritam, & nullam eſſe ipſe Courayer ingenue confitetur, quod ſit illa omnino nova, Occidentali & Orientali Eccleſiæ prorſus ignota, cujus in vetuſtis Pontificalibus veſtigium nullum, quod ſit illa nimis indifferens, & ſpectata verborum ſerie Presbyteratui, & Diaconatui æque ac Epiſcopatui aptari poſſit, neceſſario conſequitur, eos omnes, ad quorum conſecrationem uſurpata illa fuit, Epiſcopatu vere non fuiſſe initiatos ; Quare quum unanimi Anglorum omnium teſtificatione compertum ſit, a quarto Eduardi anno in Parkeri, aliorumque ſubinde Epiſcoporum ordinationibus unam hanc fuiſſe adhibitam, nulli ex hinc in Anglia veri nominis Epiſcopi, nullæ iccirco peractæ ab eis Ordinationes.

XI. Demonſtratione hac, quam Renandotius præſertim, & Auctor libri, cui titulus *Eraſtus ſenior*, validiſſime urgent, peſſime torti Epiſcopales, Maſſonus præcipue, Bramhal, & latinæ ad amicum Epiſtolæ Auctor, difficultatem eludere conati ſunt, reponentes, & nonnullos e noſtris Epiſcopalis conſecrationis formam in verbis iis unice conſtituere, quæ a tribus Epiſcopis conſecrantibus, manuſque ſimul electo imponentibus enuntiantur : *Accipe Spiritum Sanctum*, quia etſi illa indifferentia ſint, neque ſummum exprimant Sacerdotium, quod Epiſcopali conſecratione confertur, talis tamen eorumden ſenſus ad id ſignificandum determinatur adjunctis ceremoniæ circumſtantiis ; quidni ergo idem de Anglicana Epiſcopatus formula cenſeatur, cujus etſi verba ſint vaga, ſenſus tamen figitur circumſtantiis? Perperam tamen, quum non poſſit error errore fulciri ; falli enim inſigniter pauculos illos Theologos, qui de Epiſcopatus forma ita opinati ſunt, neque poſſe illos privata ſua opinione, quæ vetuſtiſſimis omnibus monumentis, & communiori Theologorum ſententiæ refragatur, legem univerſæ Eccleſiæ præſcribere, extra controverſiam eſt; nullum ſiquidem in Oriente Epiſcopatum fuiſſe umquam, nullum & nunc eſſe, nullum quoque in Latina Eccleſia ad quatuordecim ferme ſæcula fuiſſe dicamus, oporet, ſi Epiſcopatus illa ſit forma, quam Recentes quidam commenti ſunt ; quandoquidem ignorarunt illam omnes hactenus Orientales, neque apud Latinos tribus ſæculis antiquior eſt. Quid etiam eo certius, quod Theologi loco principii habent, ſacramentalem ſcilicet formam verbis iis contextam eſſe oportere, quæ præcipuum Sacramenti effectum exprimant, atque a legitimo Miniſtro enuntiata id efficiant, quod ſignificant, quin opus ſit, earum ſenſum a circumſtantiis pendere, quas nemo ignorat, ſolemnitatis eſſe, non abſolutæ neceſſitatis, neque ad Sacramenti ſubſtantiam attinere? Quamquam & nihil ex hac opinione præſidii ducere poſſunt Epiſcopales; Præmittuntur quidem in Latina Eccleſia verbis iis: *Accipite Spiritum ſanctum*, plura, quæ ſummum Sacerdotium, Pontificalem honorem, conſecrandi, offerendi, & ordinandi munera expreſſe memorant, quare nonnulli adducti ſunt, ut crederent, etſi falſo, Ordinationis Epiſcopi formulam in iis duntaxat verbis locandam eſſe, quæ antecedentibus ad ſummum Sacerdotium deſignandum ſatis determinari putabant. Quiopiam ne vero hujuſmodi in toto rituali Anglicano, cujus Editores ad his, ſimilibuſque verbis velut a peſte caverunt, quod iis non Chriſti ſed Antichriſti Miniſtros inſtitui crederent, quemadmodum Maſſonus ipſe fatetur?

XII. Quum Angli Præſules probe intelligerent, invictam eſſe conflatam ab Eraſti Senioris Auctore demonſtrationem, manus dederunt, atque uſitatas hactenus juxta ſecundum Eduardi rituale Presbyteratus & Epiſcopatus formas ineptas vere eſſe, & *ſubſtantialiter* imperfectas, etſi non verbis, opere ipſo ſolemniter teſtati ſunt; anno enim 1662. totius Anglicani Cleri conventum habentes, ſerio præmiſſo examine, memoratas formulas, quas

va-

Digitized by Google

vagas, & indeterminatas eſſe, ſentiebant, his verbis augendas eſſe ſanxerunt : *Epiſcopus, quum Presbyterum ordinat, manus illi imponens dicat : Accipe Spiritum Sanctum ad officium & functionem Presbyteri in Eccleſia, quæ ſibi committitur per impoſitionem manuum mearum in nomine Patris* &c., *quorum remiſeris peccata* &c. *In Epiſcopi ordinatione Archiepiſcopus conſecrator electo manus imponens dicat : Accipe Spiritum Sanctum ad officium & functionem Epiſcopi exercendam in Eccleſia Dei, quæ tibi traditur per impoſitionem manuum mearum in nomine Patris* &c., *& excitare memineris gratiam* &c. Verum quid ipſo, quod nobis Anglicani Epiſcopi ſuppeditarunt, argumento validius adverſus eorum ordinationes? Si Eduardi formulis memorata verba adjecerunt, quod abſque iis indeterminatus & vagus eſſet earum ſenſus, neque collati Ordinis poteſtatem exprimeret, ideoque non eſſent illæ ad perficiendam ordinationem aptæ, ſe Epiſcopos ergo non eſſe palam aperteque teſtati ſunt, qui non alia forma conſecrati fuerant, quam veteri illa ante annos amplius centum Eduardi auctoritate vulgata : Ipſi vero quum nec Presbyteri, nec Epiſcopi eſſent, qui potuerunt Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ordinare? Etſi nobis alia argumenta deeſſent, uno hoc ſatis ſuperque revinceretur, nullam in Anglia Epiſcoporum ſucceſſionem eſſe, ideoque nullas veri nominis ordinationes; nam & Catholicus Auctor libri, cui titulum fecit *Eraſtus Junior* hoc argumento Anglos eodem illo novi decreti anno ita redegit ad incitas, ut nihil potuerint ſubinde reponere. Hæſerunt illi hoc laqueo inextricabiliter implicati, in quem eos doctiſſimus Auctor induxerat, donec expedire illos aggreſſus eſt, ſed infelici molimine, Courayer.

XIII. Male feriatus hic Scriptor hanc diſſolvendæ difficultatis rationem inivit : contendit, Anglicanæ ordinationis formulas non in iis, quæ ſæpe retulimus, verbis: *accipe Spiritum Sanctum* &c. ſed in oratione locandas eſſe, quæ ab Epiſcopo recitatur diu, antequam manus imponat, atque, velut obtenta cauſa, concludit, non poſſe quemquam prudenter de Anglicanis ordinationibus dubitare, quarum preces Sacramenti hujus finem, effectum, ac naturam perfecte exhibent, quum nihil amplius, quoties, de Sacramentorum formis eſt ſermo, a Theologis exigatur. Itane vero? Imponere illum Lectoribus, dum hæc ſcribit, omnibuſque Anglicanæ communionis Scriptoribus contradicere, quibus non alia fuit olim, eſtque adhuc ſuarum ordinationum forma, quam verba illa, *accipe Spiritum Sanctum* &c. facillime demonſtraremus, ſi tantum nobis ſuppeteret temporis, ut undequaque teſtimonia corraderemus. Demus tamen diſſertatori, quod præpoſtere, & falſo ait : nihilo melior fiet Anglorum cauſa; poſtrema enim hac demonſtratione evidentiſſime conficiemus, eorum ordinationes irritas fore, etſi earumdem forma in Anglicani ritualis precibus collocetur. „ In Sacramentis, ait Clariſſimus Habertus, quorum materies & forma in Scripturis expreſſa non eſt, ſupponendum plane, Chriſtum utramque in genere ſolum Apoſtolis inſtituiſſe, relicta Eccleſiæ poteſtate, eas variis, ut liberet, modis deſignandi, conſtituendi, & determinandi, dummodo præcipuum inſtitutum caput, intentio, ſcopuſque ſervetur, ac generalis quædam aptitudo & analogia ad ſignificandum Sacramenti effectum, gratiam, & characterem, quæ quidem analogia par omnino eſt, & integra in utroque ritu Romano, & Græco; " neceſſe ergo eſt, oratione, quæ ordinationis eſt forma, ſignificari naturam Ordinis, qui confertur, principem ejus finem, effectumque præcipuum; quare quum certum ſit, Chriſtum primo & principaliter Sacramentum Ordinis inſtituiſſe ad peragendum ritu perpetuo uſque ad conſummationem ſæculi Euchariſticum ſacrificium, ſecundo vero, minuſque præcipue ad Eccleſiæ ſuæ regimen, poteſtatem quoque, quæ ſacra ordinatione confertur, verum Chriſti corpus primo reſpicere, myſticum autem ſecundo ſolum & conſequenter, relinquitur, opus eſſe, ut preces, quibus veluti forma ordinatio perficitur, primarium hunc ejus finem, & præcipuam poteſtatem, quacumque demum illæ verborum ſyntaxi efferantur, expreſſe ſignificent, irritæ alioqui futuræ, & ineptæ, quæ ordinationis formam conſtituant. Hæc ita eſſe, & ab omnibus Theologis exigi, quum de formis Sacramentorum eſt quæſtio, annuens Courayer, quæ fronte ſcriptitare ipſe potuit, Anglicani ritualis orationes Sacramenti hu-

hujus naturam, effectum & finem perfecte repræſentare, quas probe norat, ita ab Hæreticis Editoribus fuiſſe contextas, ut reſectis omnibus, quæ primarium ordinis finem effectumque innuere vel remote poſſent, in commemorandis minus præcipuis ordinationis effectibus, & ordinatorum officiis totæ eſſent? Is ne vero rei cujuſpiam naturam, effectum, & finem perfecte deſcriberet, qui potiſſima & eſſentialia rei meditato prætermitteret, totuſque in adjunctis & ſecundariis verſaretur? In quibuſcumque ergo verbis harum ordinationum forma locetur, in iis vindicandis operam poſuiſſe, operam ipſam oleumque perdidiſſe, eſt; præſertim quum diſſertator ipſe conſentiat, ordinationis eſſentiam perfici precibus perpetuo & invariabili Eccleſiarum omnium uſu ſacratis; qui ergo poſſunt Anglicani ritualis preces ratæ & legitimæ ordinationis forma haberi, quæ formulis conſtanti & perpetuo Eccleſiarum omnium uſu conſecratis in eo, quod omnium præcipuum eſt, non conſentiunt?

Courayeri argumenta ſolvuntur.

Arguit Courayer: Anglicanæ ordinationis formulæ nihil habent Scripturæ fideique contrarium; neque enim expreſſe, atque, ut Theologi de Schola loquuntur, formaliter altare, oblationem, ſacrificium, & Sacerdotium excludunt, ſed his duntaxat miſſis alia, quæ dubitare nemo poteſt, quin vera ſint Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum officia, commemorant; non eſt ergo, cur de earum validitate ambigamus. Immutarunt quidem Angli Liturgiam, & ordinationum ritus, ſed ſummo illo jure, quo Eccleſia quælibet nationalis diſciplinam rituſque ſuos in præcipuis etiam capitibus variare poteſt, quin neceſſe ſit, ut aliarum, ex quibus corpus univerſalis Eccleſiæ coaleſcit, conſenſus accedat.

XIV. Reponere Courayero poſſemus, quod dudum Thomas Stapletonus Jevello Anglo ſimiliter argutanti repoſuit, de Anglicanis ordinationum formulis idem ferendum eſſe judicium, quod de variis fidei confeſſionibus ab Arianis quarto ſæculo editis tulit Eccleſia, quæ illas ut hæreſi ſcatentes damnavit rejecitque, non quod verbis contextæ eſſent hæreſim præferentibus, ſed quia ab Hæreticis Auctoribus editæ *conſubſtantialitatis* vocabulum reticebant, neque in alium finem fuerant a ſuis Auctoribus adornatæ, quam ut illas Nicæno ſymbolo, quod tunc erat unica Catholicorum teſſera, ſubrogarent. Ita quum Cramnerus aliique Anglicanæ reformationis artifices proſcriptis Sacerdotio, & Sacrificio, everſis altaribus, eliminato procul ab Anglia eo omni, quod ad ſacrificium quoquo modo referri poſſet, veteres ordinationum formulas non alia de cauſſa perverterint, quam ob Sacrificium & Sacerdotium in iiſdem expreſſe commemorata, caverintque quam maxime, ne in novas, quas procuderunt, quidpiam irreperet, quod vel leviter hæc Catholicæ Eccleſiæ dogmata redoleret, cenſendæ ſunt hujuſmodi formulæ *formaliter*, ut ajunt, fidei repugnare, ideoque damnabiles atque irritæ. Miſſo hoc tamen Stapletoni reſponſo, ecquæ Courayerum dialectica docuit, Anglicanas ordinationes validas propugnare, quod earum formulæ nihil habeant Scripturæ, fideique contrarium? Nihil fidei, Scripturæque proferret adverſum, qui ad conſecrandum panem forma hac uteretur, *hoc*, quod nimirum ſub ſpeciebus his latet, *eſt caro mea*, quum Chriſtus ipſe diſerte dixerit, *caro mea vere eſt cibus*: numquid porro valida hæc erit Courayero conſecrationis formula, quam Chriſtiani omnes abjiciunt? Regeret ipſe forte, nullam eam eſſe, quod ab ea diverſa ſit, quam Chriſtus ipſe præſcripſit: regerimus & nos, irritas eſſe Anglorum formulas, quod toto cælo ab iis diſtent, quæ perpetuo & invariabili Eccleſiarum omnium uſu ſunt conſecratæ, quas etſi *in ſpecie*, ut ajunt, Chriſtus ipſe non fixerit, ſeu totidem conceptis verbis non edixerit, ſed earum inſtitutionem, atque determinationem Eccleſiæ poteſtati permiſerit, juſſit tamen ſervari in iis, quacumque demum verborum ſerie contextæ fuerint, præcipuum Sacramenti hujus inſtitutum, intentionem & ſcopum. Num vero hæc in Anglicanis formis appareant, abunde patet ex dictis.

XV. Quod vero addit, & principii loco poſitum frequenter obtrudit, nihil ab Anglis in Liturgiæ & rituum mutatione peccatum, quod cujuslibet nationis Eccleſia potiora etiam diſciplinæ & rituum capita etſi ubique receptiſſima innoxie mutare poſſit, in Catholico & Religioſo ho-

mine

mine intolerandum eſt. Si id quiſpiam e Novatorum grege effutiret, plura nobis ad manum eſſent, quibus illum temeritatis, & erroris revinceremus. Courayero tamen unum reſponſi loco reponimus Tridentini canonem ſeſ. 7. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit.* Neque in poſtremis his canonis verbis cavilletur Courayer, blaterans, cujuslibet Eccleſiæ Paſtori diviſim, non vero totius nationis Eccleſiæ in concilium coeunti interdictum, quin communi decreto veteres ritus oblitterare, & novos inducere poſſit; nolumus enim quæſtionem juris excutere, quia in immenſum abiret oratio: in ſola facti quæſtione hærentes, negamus conſtanter, Anglicanæ Eccleſiæ etſi ab Henrici VIII. tempore ſchiſmate jam a Romana divulſæ, ſeu Paſtorum & Clericorum cœtui tribuendam eſſe lamentabilem illam, quæ anno Eduardi quarto facta eſt, non diſciplinæ ſolum, & rituum, ſed & reliquorum, quæ hactenus intacta fuerant, fidei capitum mutationem. Teſtibus Heylino, & Burneto, aliiſque omnibus Angliæ rerum Scriptoribus Heterodoxis, juſſu duntaxat Regis ceu ſupremi Anglicanæ Eccleſiæ capitis, necnon Curiæ regni nefarium hoc opus inceptum, elaboratum, perfectum, uniuſque Regis, & Curiæ auctoritate munitum. Adhibiti quidem ad id operis duodecim e Clero Apoſtatæ, Libertini, & medullitus Calviniani, qui tamen in eo elaborando non alias agerent partes, quam Miniſtrorum Regis, cujus ferebatur eſſe ſuprema in ſpiritualibus quibuſque rebus auctoritas. Ingemuiſſe tunc, reclamaſſe, & mutationi illi reſtitiſſe plures Epiſcopos, iidem Hiſtorici referunt, fruſtra tamen; loco etenim moti ſunt, atque vel in exilium acti, vel in carcerem truſi. Hoccine pueruli Regis ab Hæreticis dementati opus Courayerus adſcribet nationali Eccleſiæ conventum agenti, quæ in immutandis antiquis ritibus & diſciplina ſuo jure uſa fuerit?

XVI. Quorſum vero varias ordinationum formas appellat, quæ apud ſingulas Orientis Eccleſias ſchiſmate dudum a Latina ſejunctas in uſu ſunt, ut earum exemplo probet, potuiſſe & Anglos novas cudere, quas veteribus ſubrogarent? Omnes enim Orientalium formæ non ſolum cum Romana, ſi ſpectetur eſſentia, conveniunt, non ſolum intentionem Catholicæ Eccleſiæ perfecte exprimunt, ſed eam ſapiunt vetuſtatem, ut dicere nemo poſſit, illas poſt Orientalium ſchiſma fuiſſe conflatas. Etſi autem ſingulæ Orientis ſectæ ſuas habeant Liturgias, quarum plures ſchiſmate ſunt poſteriores, in nulla tamen reperire eſt immutatas ordinationis formas, quas a primis Eccleſiarum ſuarum auctoribus invariata traditione acceperant. Poſt ſchiſma quidem præmiſſæ ac ſubjectæ manuum impoſitioni preces, ac ceremoniæ, quibus cum ordinationis ſubſtantia nihil commune eſt: Ordinationum tamen forma, ſeu preces manuum impoſitioni junctæ, quibus ipſa ordinatio perficitur, nullam omnino paſſæ ſunt mutationem, quemadmodum a Viris ſummis Orientalium rerum conſultiſſimis evidenter oſtenſum eſt; quare luſit operam Courayerus ad Orientalium provocans Liturgias, neque minus erravit, quum indubitatæ veritatis loco conſtituit, Anglos in precibus manuum impoſitioni præmiſſis inviolatam ſervaſſe ordinationis formæ ſubſtantiam; quum enim ipſe in Anglicani ritualis precibus, quæ manuum impoſitioni præeunt, formæ eſſentiam figat, erit itaque ordinationis forma fuſa ad Deum oratio, cujus non aliud objectum ſit, quam prædicatio, populi regimen, & juriſdictionis uſus, nihil aliud namque Anglicanis his precibus continetur. Itane vero unicus ordinationis finis, unicum ejus objectum prædicatio eſt, & regimen Eccleſiaſticum? Quis hoc efferre audens erroris & mendacii non ſtatim ab omnibus poſtuletur Chriſtianorum Eccleſiis, quibus hæc in myſticum Chriſti corpus poteſtas nonniſi ſecundarium, minuſque præcipuum ſemper fuit, eſtque adhuc ordinationis ſubjectum, auguſtiorem illam poteſtatem conſequens, qua conficiendi, offerendique veri Dominici corporis ordinatione ſua Presbyter inſignitur? Siccine ergo ab Anglicani ritualis artificum manibus intacta fuit ordinationis formæ ſubſtantia?

Reponit: Quum Anglicani ritualis precibus rogetur Deus, *ut gratiam ordinando neceſſariam largitur, qua miniſterii ſui mu-*

neribus ſanctè defungi poſſit, neque formæ eſſentiale ſit, ut hoc potius munus, quam illud exprimat, quidni generali illa locutione, quæ omnia miniſterii munia complectitur, miniſtri altaris, Sacerdotis ac Pontificis munera dicamus *virtualiter* comprehendi?

XVII. Verum quum Courayerus ipſe doceat, neceſſe fore, ut ordinationis formula naturam, effectumque Sacramenti expreſſe ſignificet, expreſſa ne horum ſignificatio iis dicetur ineſſe precibus, quibus generatim rogatur Deus, ut gratia ordinatum donet, qua fideliter obeat, quæ ſui ſunt muneris? Nonne indifferens & vaga hæc formula inferioribus æque ac ſuperioribus Ordinibus promiſcue aptari poteſt, quum nihil in ea ſit, quo ordo unus ab altero, a ſuperiori inferior diſtinguatur? Nonne Epiſcopales ipſi hoc Catholicorum argumento devicti formulis Presbyteratus atque Epiſcopatus a quarto Eduardi anno ad ſecundum uſque Caroli ſecundi, ſolido nimirum ſæculo in Anglia uſitatis, ea quæ ſupra memoravimus, neceſſario addenda ſanxerunt, quod illæ verbis contextæ eſſent flexiloquis atque vagis, quæ ad hunc æque ad alium Ordinem poterant accommodari? Neque meminit Courayer ejus, quod recte, nec ſemel ſcripſerat, irritas eſſe ineptaſque ordinationis formulas, quæ ab earum ſubſtantia ſenſuque diſcrepant, quæ perpetuo & invariato Eccleſiarum omnium uſu ſunt conſecratæ; quum ergo hæ omnes determinatæ ſint, non generalibus verbis conceptæ, ſed peculiaribus atque certis, præcipua ſingulorum hierarchicorum ordinum munera diſerte exprimunt, Anglicanæ vero indifferentes, & vagæ, qui poſſunt cum eis in ſubſtantia convenire, haberique ratæ & legitimæ? Quamquam vero eſſentiale formæ non ſit, ut omnes exprimat dearticulate Sacramenti effectus, omniaque ordinatorum munia ſingillatim enunciet, neceſſe tamen eſt, ipſo Couravero judice, explicari illa Sacramenti naturam & finem, inſtitutumque præcipuum, quibus inde expreſſis, cætera, quæ eorum conſectaria ſunt, & adjuncta, recte intelligimus virtualiter comprehenſa. Idne habent Anglicanæ formulæ? Quum nefariis earum auctoribus propoſitum unice fuiſſe conſtet, ſpecioſam eorum, quæ miniſtrorum Eccleſiæ minus præcipua officia ſunt, pompam inſtituere, primaria vero, quæ in Eccleſiarum omnium ritualibus memorantur, eradere & abolere, qui poſſunt hæc Anglicanis formulis contenta jactari? Præter quam quod enim a recta ratione alienum eſt, ut prius poſteriori, principale ſecundario dicatur virtualiter contineri, eorumne formulæ Sacrificium, & Sacerdotium virtualiter innuent, quorum artifices palam aperteque hæc exterminanda curarunt, ceu *blaſphemam fabulam, pernicioſam hominum ſeductionem, & impietatem ſummo Sacerdoti Chriſto extreme contumelioſam?*

Urget: Si de Epiſcoporum præſertim conſecratione loquamur, perfecta eſt Anglicanum rituale inter, & Romanum Pontificale conformitas; quid enim habet Romani Pontificalis oratio ac præfatio in Epiſcopi conſecratione adhibenda, niſi Spiritus Sancti invocationem, ut *neceſſaria ad fideliter miniſterium ſuum implendum electum Epiſcopum gratia perfundat?* En integrum orationis hujus ſenſum in rituali Anglicano: *Omnipotens Deus famulum tuum ad miniſterium Epiſcopi nunc vocatum benigne reſpice, eumque ita reple doctrinæ veritate, vitæque innocentia exorna, ut tibi in hoc officio dictis factiſque fidelem navet operam &c.* Dearticulatior quidem Epiſcopalium munerum in Romano Pontificali recenſio fit, expreſſa poteſtatis clavium, & Pontificalis auctoritatis mentio, unctionis quoque atque indumentorum, quæ ſunt Epiſcopi propria, ex quibus tropologica documenta ducuntur. Poſtrema hæc in Anglicano rituali ſuppreſſa, quod ad ordinationis eſſentiam non pertineant, clavium tamen poteſtatem, & juriſdictionis amplitudinem aperte præferunt ea orationis verba, quam Archiepiſcopus conſecrator manuum impoſitioni præmittit ajens: *Huic famulo tuo gratiam eam largire, qua ſemper paratus ſit, Evangelium tuum annuntiare, & ea uti auctoritate, quæ ipſi conceſſa eſt, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem &c.* Nonne preces iſtæ iis plane reſpondent, quas in Romano Pontificali legimus, *Da ei Domine claves regni cœlorum; non glorietur poteſtate, quam tribuis, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem? &c.*

XVIII. Si de Epiſcoporum Angliæ ordinationibus ex Anglicani ritualis cum Romano Pontificali conſenſione judicium eſt ferendum, actum de iis eſt, atque obtenta cauſa. Conſecrationis Epiſcoporum noſtrorum forma in brevi illa manuum impoſi-

poſi-

poſitione juncta oratione poſita eſt, quæ cum altera, quæ in præfationis modum, dum e veſtigio ab Epiſcopo conſecrante profertur, unam integrat, atque conflat formulam ordinationis. Eam iterum exſcribere neceſſe eſt, ut Courayeri procacitas caſtigetur: *Propitiare quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinato ſuper famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eum effunde virtutem*, &c. Orationis hujus ſpiritus atque ſenſus nitidiſſimus eſt, & nemo non percipit, unctionis ſeu gratiæ Sacerdotalis plenitudinem unicum ejus objectum eſſe, quod quum tota, quæ ſequitur, præfatio reſpiciat, reliquum eſt, ordinationis Epiſcoporum ſubſtantiam in Sacerdotalis gratiæ plenitudine totam eſſe, quum oratio & præfatio id unum exprimant, neque æquivocum aliquod aut ambiguum verbum habeant, quo alius quiſpiam indicari poſſit præcipuus ordinationis effectus. Ubinam vero in Anglicano rituali ſi non geminum atque idem, æquivalens ſaltem verbum, ex quo hanc ſacerdotalis gratiæ plenitudinem intelligamus? Omiſſa non ſolum omnia, quæ quidpiam ſimile efferrent, ſed meditato etiam abraſa omnia, quæ vel leviſſimam poſſent Sacerdotii, vel cujuslibet ad Sacrificium relationis ſuſpicionem inicere, neque in alium finem, quam ad abolendum Pontificalis Romani ſenſum, & exterminandum Sacerdotium, quod hactenus Angli ejurarunt. Hæccine autem eſt mira illa a Courayero jactata Anglicani ritualis cum Pontificali noſtro conſenſio, quum non tam inferi a ſuperis, quam illud ab illo diſtet?

XIX. Quanta vero ille peccat in paucis iis, quæ ſubdit? Errat primo immaniter, & legentibus fucum facit, in hoc diſcriminis ſummam utrumque inter rituale conſtituens, quod Anglicanum unctionis, & Epiſcopalium ornamentorum, quæ præter ordinationis ſubſtantiam ſunt, mentionem excluſerit, & præfationem ſuppreſſerit, quæ in Romano Pontificali orationi mox recitatæ ſubjecta eſt, in qua unctio hæc atque indumenta commemorantur; non enim, ut ille exiſtimare ſe fingit, ſceleſtiſſimi Reformationis auctores illam ſacrilege ſuſtulerunt, quod unctionem memoraret, & Epiſcopi veſtes, ſed quia idem erat ejus, ac præcedentis orationis ſenſus, eadem ſummi Sacerdotii commemoratio his verbis: *Et idcirco huic famulo tuo, quem ad ſummi Sacerdotii ſummam elegiſti* &c. *Comple in Sacerdote tuo miniſterii tui ſummam* &c. Sacerdotii horror, ejuſdemque publica, & ſæpius iterata damnatio, ſi Anglis Scriptoribus Hæreticis habenda fides, unice in cauſſa fuerunt, cur omnia penitus ſublata ſint, quæ in veteri Pontificali vel illud aperte ſignificabant, vel ſubobſcure innuebant. Impingit ſecundo turpiſſime, an apertis oculis, alii judicent, hæc Pontificalis Romani verba, *Comple in Sacerdote tuo miniſterii tui ſummam, & ornamentis totius glorificationis inſtructum cæleſtis unguenti rore ſanctifica*, in præpoſterum falſumque ſenſum inflectens; non enim hæc unctio exterior illa eſt, quam in Epiſcoporum conſecratione Latina Eccleſia jamdudum adhibet, ſed interior, & cæleſtis, ſeu ipſa Sacerdotalis gratiæ plenitudo, qua Epiſcopus ſua ordinatione perfunditur, quæque exteriori chryſmatis unctione veluti ſymbolo deſignatur. Etſi nullus ſit apud Orientales omnes in Epiſcoporum ordinatione materialis unctionis uſus, neque ille ſemper in Latina Eccleſia obtinuerit, eadem tamen ſemper fuit, eſtque adhuc Orientalium, & Occidentalium fides, Epiſcopos, dum conſecrantur, cæleſtis unguenti rore ſanctificari, ideſt Sacerdotalis gratiæ plenitudine perfundi. Cur vero ab Anglicani ritualis editoribus cæleſtis hujus unctionis mentio ſublata? Idne auſi fuiſſent, ſi idem de ordinationis Epiſcoporum ſubſtantia, de primario Epiſcoporum munere, ac omnes Chriſtiani Orbis Eccleſiæ ſenſiſſent? Quum hæc Pontificalis noſtri verba ad ſummi Sacerdotis Aaron, cujus erat, ſacrificia offerre, unctionem alluderent, referrenturque ad Epiſcoporum, Sacerdotumque noſtrorum unctionem, qui ad offerendum incruentum Sacrificium cæleſti ac interiori unguento perunguntur, ſive charactere ſacerdotali donantur, quid mirum, ſi ab Anglicani Pontificalis conſarcinatoribus penitus deleta ſunt, quibus eſt Sacerdotium noſtrum *mera ſuperſtitio*, *blaſphemia*, & *impietas?*

XX. Tertio mentitur in ea, quam verſamus, Pontificalis noſtri præfatione, de indumentis agi, quibus Epiſcopi noſtri jamdudum ornantur, neque alio quam oculis, opus eſt, ut quiſque certior fiat, de iis duntaxat verba fieri, quibus Moſes, jubente Deo, Aaronem ſummum Sacerdotem orna-

ornaverat, atque ab Epiſcopo conſecrante rogari Deum, ut iis virtutibus atque donis novum ornet Epiſcopum, quæ fuerant Aaronicis veſtibus præfigurata. Quid ejuſdem præfationis verbis clarius & apertius? *Deus, qui per Moſem famulum tuum de habitu quoque indumenti Sacerdotalis inſtituens electum Aaron myſtico amictu inter ſacra veſtiri juſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis priorum caperet ſecutura poſteritas . . . . Famulo tuo, quem ad ſummi Sacerdotii miniſterium elegiſti, gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate ſignabant, hoc in ejus actibus moribuſque clareſcat* &c. Quare vero hæc ab Anglicani Pontificalis architectis abraſa? Jugis illa, quæ in laudata præfatione inſtituitur, Aaronici Pontificatus cum eo, quem novæ legis Epiſcopi gerunt, comparatio permoleſta iis erat, meruebantque, ne ſi Pontificis nomen Epiſcopis attribuerent, eos vero Sacerdotio pollere, concederent, quum ſcribat Apoſtolus, *omnem Pontificem pro hominibus conſtitui in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccato*, neque illud ferre poterant, quod in eadem præfatione repetitur, Epiſcopos a Deo ad ſummum Sacerdotium electos eſſe, quare integram præfationem de medio ſuſtulerunt.

Inſtat Courayer, quumque nihil ex Anglicani ritualis precibus poſſit extundere, quo poteſtas clavium, quam Pontificalis noſtri oratione exprimi certum eſt, ſignificetur, ad eas interrogationes confugit, quibus Archiepiſcopus Etherodoxus electum percunctatur, *an peccantes, & a veritatis tramite deflectentes corripiet, an auctoritate, qua juxta Dei verbum pollet, in eos animadvertet*. Quæ porro eſt hæc corripiendi & plectendi reos auctoritas, niſi poteſtas clavium juriſdictionis amplitudinem comprehendens, quæ Epiſcopis ab Eccleſia conceditur?

XXI. Etſi Novatores quique clavium poteſtatem in peccantium correptione, ac punitione conſtituant, alia tamen longe eſt poteſtatis hujus notio apud omnes Chriſtiani nominis ſocietates, quarum omnium una hæc ſemper fuit, eſtque adhuc doctrina, quæ in Romano Pontificali diſerte traditur, clavium poteſtatem ligandi ac ſolvendi, remittendi ac retinendi peccata non in externo ſolum, ſed præſertim in interiori conſcientiæ foro, atque in Sacramenti pœnitentiæ adminiſtratione auctoritatem eſſe. Hanc clavium poteſtatem aſſerere Courayerus audebit Anglicani ritualis verbis ſignificari, quum explorata res ſit, editores ejus memoratas Archiepiſcopi conſecrantis interrogationes iis iccirco verbis efformaſſe ac præſcripſiſſe, quod non aliam agnoſcerent traditam Epiſcopis verbo Dei auctoritatem, quam corrigendi, & puniendi cenſuris, & pœnitentiam e Sacramentorum albo expunxiſſent? Neque advertit improvidus diſputator, poſtremis harum interrogationum verbis errorem intolerabilem contineri; interrogat enim Archiepiſcopus electum, num auctoritate utetur, *qua juxta Dei verbum donatus eſt, quæque illi regni legibus, & ſtatutis conferri debet*. Quorſum additio hæc Eccleſiæ Dei hactenus inaudita? Hujus artifex Cramnerus eſt, qui verba hæc rituali inferenda curavit, ut exitialem errorem illum confirmaret, cujus vulgandi, & publico edicto ſanciendi Eduardo Regi auctor fuerat, Epiſcopos nempe non alios eſſe, quam puros Regis miniſtros, quos *Commiſſarios* vulgus appellat, qui nonniſi vice, nomine, & auctoritate Regis Epiſcopali auctoritate uterentur, non abſoluta illa quidem, ſed precaria, & in Regis arbitrio poſita, qui ſolus ut illam in hos novi generis Epiſcopos transfundebat, ita contrahere illam, aut extendere poterat, temporariam, aut perpetuam largiri. Quum ergo hæc clavium poteſtas, & Epiſcopalis juriſdictio, quam ſibi viſus eſt Courayerus in recitatis Anglicani ritualis interrogationibus deprehendiſſe, mera hactenus fuerit, ſitque apud Anglos juſſio, qua Rex ceu ſupremum Eccleſiæ caput aliquem ridiculo Epiſcopi nomine inſignitum deputat, ut in certa aliqua Diœceſi vices ſuas obeat in corripiendis plectendiſque peccantibus, non poteſt ineptiſſimum diſputatorem, hanc cum illa conferre, quam omnes Chriſtiani nominis Eccleſiæ ſentiunt, Epiſcopis rite ordinatis ſua conſecratione conferri?

Inſiſtit: Anglicana Eccleſia in novo ſuo rituali condendo non ordinationum formas antiquis Eccleſiæ formis opponere meditata eſt, ſed illas priſtinæ reddere ſimplicitati; quæ olim in Sacramentorum adminiſtratione obtinebat, eoque ſpectavit unice, ut ſublatis omnibus, quæ recentiora erant, & inutilia, quidquid antiquius erat, & proprie ad Sacramentorum ſubſtantiam pertinebat, religioſe ſervaret.

Digitized by Google

vatet. Id novi ritualis auctoribus fuiſſe propoſitum, eorumdem confeſſione compertum ſit; ſancte enim teſtati ſunt, ſe in Carthaginenſis quarti Concilii canones ceu in legitimam reformationis hujus regulam oculos intendiſſe. Quiſpiam ne vero aſſeret, venerandum illud Concilium idoneam non fuiſſe regulam, ad quam ordinationum ſuarum formas Eccleſia nationalis exigeret?

XXII. Quot immania errata, bone Deus, in brevi oratione! Pinguiora jam refutata ſunt, puta novi ritualis editionem Eccleſiæ Anglicanæ opus eſſe, nationali Eccleſiæ poteſtatem conſtare legitimam, diſciplinæ rituumque præcipua capita in univerſali Eccleſia recepta ſuo jure immutandi, in id præſertim incubuiſſe novi ritualis Auctores, ut intactam veterum formularum ſubſtantiam retinerent. Quam vero ingens eſt paradoxum, quod fidenter obtrudit, ajens, totos unice fuiſſe ritualis Opifices in corrigendis abuſibus, ſuperſtitione abolenda, ſuperfluis reſecandis, & primitivæ Eccleſiæ moribus ac ritibus fideliter exprimendis, ac revocandis! Ita ſane blaterabant, jactitabantque nefarii illi Lutheri, Calvini, Zuinglii, aliorumque Novatorum more, qui dum Eccleſiam funditus ſubvertere molirentur, paſſim rudi popello venditare ſolebant, ſe reformationem Eccleſiæ, & puritatis Evangelicæ reſtitutionem aggreſſos eſſe. Num vero dictis eorum habenda fides? Si priſtinam Eccleſiæ ſimplicitatem æmulabantur, cur Pontificalis noſtri orationes & præfationes in Sacerdotum, atque Epiſcoporum ordinatione adhibitas, quibus nihil eſt revera ſimplicius, ſuſtulerunt? Jam falſum eſt, duntaxat antiquæ ſimplicitatis ſtudio adornatas ab eis fuiſſe novas Ordinationum formulas, quam verum eſt, & Anglorum ipſorum teſtificatione compertum, delatas ab eis fuiſſe veteres atque uſitatas, quod gratiæ Sacerdotalis, oblationis, Sacrificii, ſummi Sacerdotii, & Pontificatus expreſſam mentionem haberent, quæ omnia cane pejus & angue oderant. Si reſtituendæ antiquæ ſimplicitatis amore unice tenebantur, quorſum i ntum illum ceremoniarum apparatum Presbyterorum atque Epiſcoporum ordinationi jungendum præſcripſerunt hymnum Veni Creator, Litanias, orationes plures, Sacramentum fidelitatis Regi ceu Summo Eccleſiæ capiti ab ordinando edendum, interrogationes, monita, Bibliorum porrectionem, aliaque hujus generis plura? Quum ex Romano Pontificali in novitium ſuum plurima derivarint, quæ nemo ignorat, ſolemnitatis duntaxat eſſe, & recentioris inſtitutionis, alia vero deleverint, quibus vera ordinationum forma Eccleſiarum omnium conſenſione perficitur, quibus perſuadere poterit Courayer, illos ſtuduiſſe duntaxat antiquæ ſimplicitati inſtaurandæ? Ut in retinendis illis ſubdolam Pontificalis noſtri imitationem ad faciendum incautis fucum affectarunt, ita in reſecandis his, manifeſtiſſime prodiderunt, non ſimplicitatis ſtudio, ſed catholicæ veritatis odio omnia ſe amputaſſe, quæ ad Sacrificium, & Sacerdotium quoquo modo referri poſſent, aliam ſe mentem geſſiſſe, & ab univerſalis Eccleſiæ mente diverſam, neque aliud novis iis formulis ſe voluiſſe, quam Miniſtros ſine Sacerdotio inſtituere, quorum non alia eſſent munera, quam regendi, docendi, baptizandi, & cœnam adminiſtrandi.

XXIII. Credat nunc Judæus Apella, Anglicanum Pontificale ad Carthaginenſis quarti Concilii exemplar effictum expreſſumque fuiſſe. Si delecti ad hoc opus ab Eduardo Præſules, & Doctores publice id falſi, teſtatique ſunt, ecquod profert Courayerus publicæ hujus teſtificationis authenticum documentum? Heylinum Scriptorem Anglum id referentem appellat: at mentitur Heylinus, nec dicto ſuo potuit umquam fidem facere, eſtque Courayerus leviſſimus, qui Calviniano homini rem narranti, nec idoneo ullo monumento probanti fidem adjungit. Hominem laudat integro ſæculo ab Eduardi ætate diſtantem, neque Hardingo Scriptori ſyctono attendit, ex cujus cum Jevello concertationibus liquido conſtat, Jevellum, qui in Anglicani ritualis editione cum aliis undecim adlaboraverat, numquam Carthaginenſis quarti canones legiſſe, & plane ignoraſſe, quid de Epiſcopi conſecratione ſancitent. Cæterum id mittamus, perſequamurque graviora. Quiſquis Courayerum audit, facile crediderit, a Carthaginenſi quarto præſcriptas fuiſſe formulas in hierarchicorum Ordinum collatione uſurpandas, noſque perlibenter annuimus, potuiſſe illud optimæ regulæ loco haberi atque ſuſcipi, ſi ut manuum impoſitionem ejuſque circumſtantias & mo-

modum, ita benedictionis, ſeu orationis manuum impoſitioni jungendæ ſenſum & certa verba edidiſſet. At nonniſi benedictionis, quæ impoſitionem manuum comitatur, ſeu orationis, quam Auguſtinus, qui eidem Concilio adfuerat, *benedictionem ordinationis* appellat, generatim meminit, neque ſpeciatim edicit, quibus illa verbis ſit efferenda. Alibi ergo quærenda ſunt verba, quibus oratio, ſeu benedictio manuum impoſitioni ſocianda texenda eſt. Ubinam vero & fælicius quærenda illa, quam in veteri Romanæ Eccleſiæ Pontificali, a qua teſte D. Gregorio Magno Aphricana Eccleſia fidem, diſciplinam, ordinationem, & ordinationis ritus acceperat? Quum itaque Pontificalis Romani, cujus eſt vetuſtiſſimus in toto Occidente uſus, ordinationum formulas Synodus illa Aphricana reſpexerit, retinendæ illæ fuerant, quæ eximiam præferunt ſimplicitatem, neque iis tanta novarum precum aggeries ſubroganda, ſi vere, ut Courayerus blaterat, Angli Reformatores non aliud mente volverunt, quam recentium & inutilium amputationem, & primævæ ſimplicitatis reſtitutionem.

Regerit: Si de altaris Sacrificio ſit ſermo, prout ab optimæ notæ Theologis intelligitur, falſo creduntur Angli, Sacrificium altaris excludere, & ſacrificandi poteſtatem Presbyteris denegare, qua vere ſua conſecratione donentur.

XXIV. Deregenda prius pinguis Courayeri hallucinatio, qua in eam perſuaſionem adductus eſt, non alia de cauſſa irritas nobis nullaſque eſſe Anglorum ordinationes, quam quod ii a novo ſuo rituali formulam illam excluſerint, quæ jam pridem in Presbyterorum ordinatione apud Latinos in uſu eſt, quamque Epiſcopus inſtrumenta ordinando porrigens profert: *Accipe poteſtatem, offerre Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*. Etſi plures veterum Theologorum verba hæc eſſentialem ordinationis Presbyterorum formam eſſe contenderint, poſt evoluta tamen, ac diligenter expenſa a Doctiſſimis Viris vetuſtiora utriuſque Eccleſiæ monumenta, pleraque Theologorum in hanc ſententiam adducti ſunt, non poſſe in iis verbis ordinationis ſubſtantiam collocari, quod verba illa, ut & calicis ac patenæ traditio, cui reſpondent, hactenus Orientalibus omnibus, quorum tamen ordinationes Latina Eccleſia ratas habuit, atque habet, ignota fuerint, atque inuſitata, atque in ipſa Latina Eccleſia non niſi undecimo ſæculo cæperint uſurpari; quare niſi velimus annos mille in Latina Eccleſia abſque vero Sacerdotio fluxiſſe, eoque caruiſſe hactenus & carere Orientalem Eccleſiam, fatendum ajunt, eam inſtrumentorum porrectionem, atque verba ei juncta eſſentialem non eſſe Presbyreratus materiem & formam. Errat itaque Courayerus effutiens, una hac de cauſſa litem a nobis Anglicanis ordinationibus intentari, quas noſſe poterat uno præſertim hoc titulo a Catholicis Scriptoribus exagitari, quod novi ritualis Auctores vetuſtiſſimas illas preces perpetuo Eccleſiarum omnium uſu conſecratas, quibus manuum impoſitioni junctis ordinatio perficitur, meditato ſuſtulerint, quia præcipua Sacerdotum & Epiſcoporum munera declarabant, atque expreſſam Sacrificii & Sacerdotii mentionem habebant.

XXV. Hac hallucinatione detecta, facillime revincemus errati ineptum diſputatorem, ejuſque momenta nullo negotio diſpellemus, ſi duas in Anglicana reformatione epochas diſtinguamus. Prima a quarto Eduardi IV. anno, quo Anglicana reformatio abſoluta eſt, ad Caroli I. regnum, & Guillelmi Laudi ab eodem Carolo Cantuarienſi Eccleſiæ præpoſiti tempora ducitur, annoſque circiter octoginta complectitur: altera ab ejuſdem Caroli regno ad noſtram ætatem uſque deducitur. De prima Epocha præſertim eſt ſermo; intra enim tempus illud ſecunda Liturgia, novus ordinationum ritualis liber, confeſſiones fidei, & diſciplinæ codex in lucem prodierunt, atque Courayeri erat, ex eo tempore momenta petere, quibus oſtenderet, Anglos verum Sacrificium confeſſos eſſe, veramque ſacrificandi poteſtatem ſuis Presbyteris conceſſiſſe. Stulte tamen ea Courayerus inquireret, quum publica omnia Anglorum monumenta oppoſitum diſerte teſtentur. Ideo in Liturgia ſecunda & rituali quælibet Sacrificii & Sacerdotii, altaris & oblationis ſuppreſſa nomina, quod in 25. confeſſionis fidei articulo credendum omnibus proponatur, *falſo ordinem inter Sacramenta jactari, nec aliunde apud Romanos natum, quam ex præpoſtera Apoſtolorum imitatione*, in 30. ejuſdem articulo, *Miſſæ Sacrificium fabulam*

lam blaſphemam eſſe, & periculi pleniſſimam ſeductionem, in codice denique diſciplinæ, *eos Chriſto ſummam injuriam inferre, qui Sacerdotium, quod ejus tantum eſt proprium, ad miſerabilem hominum conditionem devolvunt*. Numquid aliquem ſaltem Scriptorem Anglum non Catholicum proferre poterit Courayerus, cui ſententia illa inſederit de vero Sacrificio & Sacerdotio, quam ipſe omnibus Anglis affingit? Si omnes a Cramnero primo reformationis auctore velimus uſque ad Caroli I. tempora recenſere, in hanc omnes blaſphemiam conſenſiſſe, ex eorumdem libris haurimus, *Sacerdotii genus, quod inter Papiſtas eſt, nonniſi ad apoſtaticum Antichriſti Clerum ſpectare, Miniſtris opus eſſe non ad Sacrificium offerendum, ſed ad publicum Miniſterium, quod in verbi prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione conſiſtit, ridiculum, & ineptum, imo ethnicum eſſe, Miſſas a Sacrificulis celebrari, nullum a Chriſto inſtitutum in cæna Sacrificium, nullos hujus Sacrificii Sacerdotes, iniquiſſime iccirco Pontificios, quod omnibus Chriſtianis æquali jure conceſſum eſt, ſibi ſolis ſingulari ratione vindicare, quum Joannes & Petrus omnes Chriſtianos Sacerdotes appellent*: ita præ cæteris Hornius, Vitacherus, Maſſonus, & Jevellus communem toti genti ſuæ, in qua regnantibus Eduardo, Eliſabetha, & Jacobo I. Calviniana lues licentiſſime graſſabatur, errorem palam aperteque vulgantes.

XXVI. Eo loci res erant in Anglia, quum regnante Carolo I. Guillelmus Laudus Cantuarienſis Antiſtes ritus, aut ſaltem antiquitatis voces jamdudum ab Anglia eliminatas reſtituere aggreſſus, Sacrificii nomen in Cantuarienſem Eccleſiam quaſi poſtliminii jure reduxit, menſas, quæ ab Eduardi ævo celebrandæ cœnæ in templis addictæ erant, in altaria commutavit, nihilque non egit, ut primam Eduardi Liturgiam induceret, quæ non multum a Romana Miſſa diſtabant. Favebat conatibus Laudi Carolus Rex, peſſime tamen utrique res ceſſit; ea enim veterum rituum & nominum reſtitutio tantas in Anglia turbas excivit, ut conſpirantibus in extremam Regis & Laudi perniciem Anglis, & Scotis, uterque oppreſſus fuerit, & in ferali pegmate mulctatus capite, nova etiam Liturgia publice in Foro Edimburgi combuſta, omneſque Epiſcopi ſuis ſedibus pulſi, quibus demum, auſpicante regnum Carolo Secundo, ſuis ſedibus redditis, ablegatum iterum quodlibet Sacrificii atque altaris nomen, ſecunda Liturgia in uſum ubique revocata, omniaque ad fidei Confeſſiones, & Anglicani codicis doctrinam exacta, atque compoſita. Neque vero quis putet, Laudum eique addictos Epiſcopos rectam imbuiſſe de novæ legis Sacrificio doctrinam; eo etenim ipſo tempore, quo in reſtituendis antiquis ritibus atque vocibus totus erat Laudus, in Generali Anglicani Cleri conventu hæc declaratio procuſa eſt, qua palam omnibus fieret, quid de altari, & Sacrificio novi ii Reformatores cenſerent: *Declaramus, eo Sacræ menſæ ritu minime innui eam, eſſe vere & proprie dictum altare, aut habendam eſſe pro vero altari, in quo Chriſtus in Sacrificium realiter offeratur; verum & nobis quidem altare dici poteſt, quo ſenſu a primitiva Eccleſia altare dicebatur, & non alio*. Thomas quoque Mortonus in ſuo controverſiarum de Euchariſtia libro, quem ferventibus memorata de cauſſa turbis in Anglia Carolo I. dicavit, ut ſedaret Presbyterianorum animos ea vocum novitate exaſperatos, teſtatus eſt, ſe, aſſeclaſque ſuos non *veri, ſed metaphorici Sacrificii rationem Euchariſtiæ tribuere, neque veteres Eccleſiæ Patres aliter Euchariſtiam Sacrificium appellaſſe*.

XXVII. A Caroli regno ad tempora uſque Guillelmi Arauſiaci Principis in Anglicana Epiſcopalium ſecta nullum Sacrificii veſtigium, niſi forte in quorumdam Doctorum ſcriptis, qui tamen ab aliis veterum errorum tenacioribus, ipſumque Sacrificii nomen execrantibus valide refutati ſunt. Exauctorato, pulſoque ab Anglia Jacobo ſecundo Stuarto Catholico Rege, qui Carolum Fratrem proxime in regno exceperat, Guillelmus Arauſiacus Jacobi Gener ad regnum accitus, Cantuarienſem Antiſtitem, alioſque ſex Angliæ Præſules loco movit, quod nollent Sacramento ſuam novo Regi fidem obſtringere. Hi ſedibus ſuis dejecti, peculiarem, atque a tot iis, quæ in Anglia vigent, diverſam conflarunt ſectam, quæ iccirco *Primitivorum* dicitur, quod ejus Auctores in primitivæ Eccleſiæ ritus reſtituendos intenti, primam Eduardi Liturgiam a Laudo correctam, auctamque in uſum aſſumpſerint. Hos quoddam Sacrificii genus admittere, quod etiam propitiatorium dicunt, verum ſibi Sacerdotium arrogare, ſuæque cœnæ menſas veri no-

nominis altaria vocitare, fatemur: at quodnam illud Sacrificium eſt, quod Sacerdotium, quæ altaria? Toti medullitus Calviniani, realis Chriſti in Eucharistia præſentiæ hoſtes, atque a Lutheranorum conſubſtantiatione, ac a Catholicorum tranſubſtantiatione æque abhorrentes, panem vinumque aqua mixtum offerunt ceu terreſtrium bonorum nobis divinitus conceſſorum primitias, ad commemorandum unice magnum illud, atque cruentum ſacrificium ſemel a Chriſto peractum, cujus meritis, ac Sancti Spiritus invocatione, Sacrificii Crucis ea panis vinique oblatione in memoriam revocati virtus & efficacitas communicatur non viventibus ſolum, ſed & defunctis, quamvis, Purgatorio quovis excluſo, Primitivi omnes in hoc errore verſarentur, Deiparæ, Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, ac generatim juſtorum omnium ſpiritus carne ſolutos cæcis quibuſdam, atque abditis receptaculis contineri, nec niſi poſt extremam mundi diem cæleſti beatitate donandos. Hoc ne vero Chriſtianum Sacrificium eſt, an verius Judaicum uno hoc nomine ab illo differens, quod Judaicæ oblationes futurum Chriſti Sacrificium præfigurarent, Primitivorum vero oblatio illud unice rememorat jam peractum?

XXVIII. His breviter delibatis, quis mirari ſatis poſſit eximiam Courayeri fidentiam efferentis, idem in Anglicana religione Sacrificium recipi, idemque omnino Sacerdotium, quod veterum Patrum plerique tradiderunt, docentque ii, qui apud nos inter controverſiarum tractatores primas obtinent? Numquid ex recentium quorumdam peculiari opinione de totius Anglicanæ ſectæ fide judicium ferendum eſt? Quiſquis vel modice ſapit, ex primis doctrinæ articulis, quos Reformationis Auctores ceu præcipua religionis capita toti genti propoſuerunt, ex fidei Confeſſionibus in tota Anglia receptis, ex Cleri conventuum decretis, ex publicis denique monumentis, Liturgia, rituali, officiorum libris, & diſciplinæ codice, quibus veluti fundamentis Anglicana religio jam pridem ſuperextructa, noſtra adhuc ætate nititur, illam eſſe æſtimandam intelligit; nonne autem hæc omnia ad abolendum penitus novæ legis Sacrificium, delendumque omne ejus veſtigium conſpirant? Ii ipſi Primitivi, quos pro vero Anglicano Sacrificio Courayerus imprudentiſſime laudat, argumentum nobis ſuppeditant, quo illum validiſſime perſtringamus. Ecquæ Primitivis conflandi in Anglia ſchiſmatis cauſſa, niſi agnita ab eis reſtituendi Sacrificii neceſſitas, quod ſecunda Eduardi Liturgia ſuſtulerat? In hac vero reſtitutione ſacrificii promovenda, quid ſibi voluerunt Schiſmatici Epiſcopales? Etſi quoddam ſacrificii genus induxerint, quod verum, exterius, proprieque dictum appellant, eique celebrando altaria & Sacerdotes addixerint, non illud tamen, quod Catholica Eccleſia ſemper confeſſa eſt, ſed quod unice in Sacrificii Crucis commemoratione, atque repræſentatione abſque ulla nova, vera & reali, etſi myſtica & incruenta, victimæ immolatione, ſit poſitum, & Sacrificium verum ſit, ut ipſi ajunt, *commemorative tantum*, *& objective*. Quum etiam compertum ſit, Primitivos hos ob jactatam hanc Sacrificii, & Sacerdotii ſpeciem reliquis Anglis maxime exoſos eſſe, neque cum iis, ſi deprehenſi fuerint, mitius agi, quam cum Catholicis Sacerdotibus, neceſſario conficitur, nec leve eſſe in Anglicana Eccleſia veri Sacrificii, & Sacerdotii veſtigium. Eccur enim Primitivos ob inſtauratum ſacrificium, quod tamen ii a Papali Miſſa, ſeu vero Catholicæ Eccleſiæ ſacrificio procul abeſſe conclamant, acriter perſequeretur? Conſtitutum itaque, certumque eſt, in ſecunda illa Liturgia, novoque ordinationum libro Cramnerum, alioſque, qui in iis edendis operam poſuerunt, a Calvino, Petro Martyre, & Bucero permotos, Sacrificium exterius, quodcumque demum illud eſſe fingatur, & viſibile Sacerdotium, cujuſcumque tandem generis illud ſit, funditus exterminaſſe; quare quum Anglicana Eccleſia non aliam in uſu habeat Liturgiam, quam ſecundam Eduardi, non alium ordinationum librum, quam qui ejuſdem Eduardi juſſu atque auctoritate ſecundis curis recuſus eſt, mentitur Courayerus, abſolute pronuntians, Anglicanam Eccleſiam ſacrificium exterius agnoſcere, ejuſque offerendi poteſtatem ſuis Presbyteris adjudicare.

Arguit poſtremo Courayerus: Anglicana Eccleſia manus ordinandis imponens, editaſque a ſe preces recitans non aliud agere intendit, quam quod agit univerſalis Eccleſia, quodque ipſa etiam egerat, priuſquam Calvini, & Zuinglii adoptaret errores. Quid ergo ſi de præcipuo ordinationis effectu, deque potiori Miniſtrorum, quos

quos ordinat, munere perverſe ſentit? Error hic etſi patens, etſi communis, etſi in fidei Confeſſionibus aliiſque monumentis authenticis teſtatiſſimus irritare nequit Anglicanas ordinationes. Nonne etenim Baptiſma a Pelagiano rite collatum ratum ſemper habuit Eccleſia, etſi omnibus ſit compertiſſimum, in primario Baptiſmi fine, effectuque præcipuo immaniter Pelagianos errare? Etſi conſtet, Pelagianum baptizantem peſſime de baptiſmi forma ſentire, probat tamen Eccleſia adminiſtratum ab eo Baptiſmum, quia in ceremonia legitima, quam ille uſurpat, intentionem faciendi, quod ipſa facit, agnoſcit. Quidni itaque feratur idem de Anglorum ordinatione judicium? Quamquam laborent ii immanibus circa ordinationem erroribus, quum tamen manuum retineant impoſitionem, eique preces jungant, quibus Deum rogant, ut ordinatos gratia ſua corroboret, qua fideliter implere poſſint, quæ ſui ſunt muneris, atque ſolæ hæ ceremoniæ ad ordinationis eſſentiam pertineant, ſicut aqua & Evangelica verba ad Baptiſmi ſubſtantiam, quibuſcumque demum ducantur ii erroribus, legitimi habendi ſunt Eccleſiæ Miniſtri, idemque cenſendi velle facere, quod ipſa facit.

XXIX. Extra oleas tamen ineptiſſimus Diſputator excurrit. Quis enim Anglorum ordinationes umquam vocavit in crimen, quod earum Miniſtri erroneis de Sacramento Ordinis opinionibus imbuti ſint? Quis ordinationum formulas a ſecundo Eduardi rituali præſcriptas, atque in Anglia hactenus uſurpatas hoc ſolo titulo exagitavit, quod procuſæ illæ fuerint ab Epiſcopis, & Doctoribus, qui peſtilens Calvini, & Zuinglii virus ebiberant? Temperare ſibi potuiſſet a quæſtione hac inutili Courayerus, quum nulla umquam fuerit nos inter, & Angliæ Reformatores de capite hoc concertatio; inter omnes enim Theologos convenit, ex Miniſtri fide non pendere Sacramenti validitatem. Uno hoc nomine Anglorum ordinationes irritas eſſe decernimus, quod ii antiquas formulas immutarint, quod reſectis omnibus, quibus Sacramenti natura, præcipuum inſtitutum, & finis deſignabantur, novas procuderint ad illud Presbyterorum, & Epiſcoporum genus inſtituendum accommodatas, ad conſecrandos nimirum Presbyteros abſque Sacerdotio, & abſque Pontificatu Epiſcopos. Quam vero inepta eſt comparatio ordinationis a Præſule Anglo peractæ cum adminiſtrato a Pelagiano baptiſmate? Etſi de primario Sacramentorum, quæ conferunt, fine, & effectu potiſſimo hæretica ſit utrinſque ſententia, Pelagianus intactam, Sacramenti ſubſtantiam ſervat, formamque retinens inviolatam, eadem ſuper baptizatum verba profert, quæ Chriſtus ipſe præſcripſit, quæque univerſalis Eccleſia ſemper adhibuit; quare in hac recte obeunda ceremonia Miniſtrum agit Eccleſiæ, idemque cenſetur velle facere, quod illa facit, quia exterius peragit, quidquid agit Eccleſia, & quidquid illa Miniſtris ſuis agendum edicit. Idem ne vero de Anglicanæ religionis Epiſcopis aſſerere Courayerus audebit? Quum hæc perpetua fuerit Catholicæ Eccleſiæ fides, voluiſſe Chriſtum Sacramento Ordinis Sacerdotes inſtitui, qui Sacrificium crucis perenni ritu peragerent, precibus iccirco, quibus manuum impoſitioni junctis ordinario perficitur, oblationem, Sacrificium, & Sacerdotium ſemper expreſſit, ſique harum precum ſubſtantiam ſpectes, has in omnibus Chriſtiani nominis ſocietatibus deprehendes uſu invariato, ac perpetuo conſecratas. Si ad ejurandam ſolum, abiiciendamque Sacrificii & Sacerdotii fidem Anglicanæ reformationis Auctorum proceſſiſſet impietas, nec ipſas ordinationum formulas ſacrilege temeraſſet, poſſent Anglorum Epiſcopi in Ordinum collatione Eccleſiæ Miniſtri haberi, quia idem pergerent exterius agere, quod agit Eccleſia.

XXX. Verum heu, quo longius ſceleſtiſſimi homines progreſſi ſunt! Novo edito ordinationum rituali libro, novas ediderunt formulas ad errorem, quem palam profitebantur, plane accommodatas, & ſi quidpiam veteris Pontificalis, affectata antiquitatis imitatione, reſtituerunt, omnia tamen, quæ ad Catholicum dogma quomodolibet referri poſſent, & Sacrificium ac Sacerdotium indicarent, ſtudioſiſſime reſecuerunt. A recepto novi hujus ritualis uſu deſiiſſe in Anglia Pontificum, ac Sacerdotum ordinationem, jure contendimus, quia illius uſus apud omnes obtinuit, obtinetque, eoque iccirco utentes agere expreſſe nolunt exterius, quod agit Eccleſia, idemque enuntiare, quod illa enuntiat; quas enim in ordinatione recitant preces, diſſimiles omnino earum ſunt, quas Eccleſia ubique, & ſemper adhibuit. Quid vero de Epiſcopalibus Primitivis dicendum

ſit, qui Sacrificii, altaris, Sacerdotii nomina in uſum revocarunt, ex iis abnnde conſtat, qnæ cum Eraſti Juuioris Anſtore adverſus Epiſcopales illos intorſimus, qui an. 1662. ordinationum ſuarum ſormulas, quas noverant indeterminatas, & vagas eſſe, cæterorum verborum additione determinandas eſſe ſauxerunt. Abeat nunc Courayerus, atque ratione penitus deſtitutus in peſſimæ canſæ præſidium poſtremo advocet Clariſſimum Boſſuetum Meldenſium Antiſtitem, qui in ſuis ad Mabillonium litteris an. 1665. datis ſcripſit, contendere Anglos, in *ſchiſmatis exordio Epiſcoporum ſucceſſionem non fuiſſe interruptam, viderique eos, id recte dicere*. Mirandnm ſane potuiſſe Courayerum tanti Viri teſtimonio abuti, ejuſque epiſtolam jactitare tam impotenter, in qna ille de capite hoc, an ordinationes Anglicanæ ſint ratæ, ne verbnm quidem habet. Duo ſolum ibi diſtinguit Boſſuetus tempora, quibus interrupta apud Anglos Epiſcoporum ſucceſſio ferebatur, alterum a ſchiſmatis exordio, ab Oliverio Cromuello alterum. Non deſiiſſe illam priori tempore, conſtituta res eſt, quum Epiſcopi a Cranmero ſchiſmatico licet ac Hæretico, antiquo tamen Eccleſiæ ritu ordinati, veri nominis Epiſcopi habiti fuerint Reginæ Mariæ temporibns. De eadem vero Epiſcoporum ſucceſſione ab Eliſabethæ regno uſque ad Cromuelli, & Caroli ſecundi regnum, ſuam Vir doctiſſimus ſententiam non fert, ſcribitque unice, ex facto id pendere, atque ex rei geſtæ veritate judicium ferendum eſſe, quum certum ſit, Cromuelli tyrannide Epiſcopatum non fuiſſe interruptum. In rei vero ſummam, nempe in Matthæi Parkeri, aliorumque, quos Eliſabetha Epiſcopos inſtituerat, ordinationem juxta ſecundum Ednardi rituale peractam Vir ſummus ea in Epiſtola non inquirit, de qua poſt aliquot annos diligenter expenſa, audiat Courayerus quid in ſua Variationum hiſtoria Scriptor graviſſimus pronuntiarit: „ Iguavos Epi-
„ ſcopos, infelicem Clerum! (Parkerum
„ aliosque ab Eliſabetha Epiſcopatu dona-
„ tos appellat) maluerunt conſecrationis
„ ſuæ formam ex libro ante annos decem
„ Eduardi ſexti juſſu adornato, & ſupre-
„ mæ Curiæ auctoritate firmato repetere,
„ quam ex S. Gregorii Magni Anglorum
„ ad Chriſti fidem converſionis Auctoris
„ Sacramentario, in quo legere adhuc for-
„ mam poterant, qua Deceſſores Epiſco-
„ pi, & primus Anglorum Epiſcopus ſan-
„ ctus Monachus Auguſtinus fuerant con-
„ ſecrati, etſi Sacramentarium illud non
„ ſæcularis Curiæ auctoritate, ſed conſtan-
„ ti ac perpetua Eccleſiarum omnium tra-
„ ditione niteretur. " His præclariſſimi Doctoris verbis quæſtionem hanc, & totam de ſacris ordinationibus tractationem abſolvimus.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

ARTICULUS I.

An Matrimonium verum ſit Legis Evangelicæ Sacramentum.

I. AGunt alii, quibus plus otii eſt, de Matrimonii etymo, ſuamque eruditionem oſtentent in conquirendo, exponendoque, unde Matrimonio *conjugii* quoque, & *connubii* nomen acceſſerit, ut & *nuptiarum*, unde etiam *mariti* & *uxoris*, *viri* & *fœminæ* nomina derivata. Ad graviora properantibus nobis in minutulis his hærere non licet, atque delibata obiter gemina illa ac vulgatiſſima Matrimonii partitione, quatenus nimirum naturæ officium eſt, civiliſque contractus, quo *fit*, ſicut novella 22. ait Juſtinianus, *ut artificioſam quamdam immortalitatem genus humanum acquirat, renoveturque ex filiorum procreatione*, & quatenus novæ legis Sacramentum eſt, gratiam conferens, qua *naturalis conjugum amor perficitur*, ut Tridentinum docet, *indiſſolubilis unitas confirmatur, ipſique conjuges ſanctificantur*, in poſteriori hac Matrimonii notione noſtra hæc diſputatio tota verſabitur. Quoniam vero, ut idem Tridentinum ſeſ. 14. ait, *impii hujus ſæculi homines*, Novatores videlicet, *adverſus univerſalis Eccleſiæ de hoc Sacramento doctrinam inſanientes, non ſolum perperam de eo ſenſerunt, ſed Evangelii reſtituendi prætextu libertatem carnis introducentes, multa a Catholicæ Eccleſiæ ſenſu, & probata ab Apoſtolorum temporibus conſuetudine prorſus aliena, non ſine magna fidelium jactura, ſcripto & verbo effuderunt*, in demonſtrandis præcipuis ab eodem Tridentino definitis Catholicæ doctrinæ capitibus ſtylum utiliter exercebimus, & inſigniores, ut idem Concilium loquitur, prædictorum Schiſmaticorum hæreſes & errores exterminare conabimur. Licet autem Tridentini Concilii Catechiſmus hanc Matrimonii finitionem ediderit, *Matrimonium eſt Viri & Mulieris maritalis conjunctio inter legitimas Perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*, quum ea tamen in Matrimonium quatenus naturæ officium eſt, cadere videatur, illud, ut ad Sacramenti dignitatem evectum fuit, deſcribere apte poſſumus cum Angelico 4. cont. gent. cap. 78. *Sacramentum eſt novæ Legis in legitima conjunctione conſiſtens unius cum una indiviſibiliter habenda ad ſuſcipiendam ac educandam prolem ad cultum Dei*.

II. „ Poſtremum eſt Matrimonium, „ ait Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 19. „ num. 34., quod ut a Deo inſtitutum „ fatentur omnes, ita pro Sacramento „ datum nemo uſque ad Gregorii tempo„ ra viderat: & cui umquam ſobrio in „ mentem veniſſet? " Hæc Calvini verba perpendens, ſatis mirari nequeo recentium plurium, eorumque haud infimæ notæ Theologorum ingenium. Multi ii ſunt in demonſtranda veritate jamdudum omnibus vulgatiſſima & maxime conſtituta, nuptias videlicet ſuapte natura bonas eſſe, & a ſupremo ipſo naturæ Auctore inſtitutas; in altera vero, quæ totius diſputationis hujus fundamentum, & caput eſt, quam ſunt ii pauci, quam tenues! Quorſum vero obterendo errori Eccleſiæ ipſi coævo, quem naturæ ipſi, & communi hominum ſenſui plane contrarium nemo unus Chriſtianorum non execratur, tot paginæ deputantur, ad firmandam vero Sacramenti dignitatem, qua nuptias a Chriſto auctas eſſe, docet Eccleſia, frangendumque Novatorum impetum, qui omnes velut agmine facto in hanc veritatem irrumpunt, vel momenta conferuntur infirma, vel levi manu torquentur? At ſentiant ii, agantque quod malunt: nos morari nolumus priſcos illos Hæreticos, qui

qui

qui Apoſtolorum ætate, & proxime ſecutis ſæculis nuptias ceu a Deo malo profectas exagitarunt; jamdudum enim error hic cum ſuis Auctoribus in Erebum detruſus eſt: In convellendos errores ætate noſtra circumquaque graſſantes intenti, videmur nobis tempore, quo ſane non affluimus, opportunius uſuri, ſi illud in oppugnandis hodiernis Eccleſiæ hoſtibus pro modulo noſtro teramus.

Matrimonium verum & proprium eſt Legis Evangelicæ Sacramentum.

III. Veritatem hanc primo Tridentini canone definitam non iis momentis adſtruimus, quibus niti nos Calvinus effutit, ut inde nobis inſultandi anſam arripiat, iiſque facile exploſis, quaſi confecta egregie re, de Romana Eccleſia triumphum ducat. Non uſque adeo deſipimus, ut Matrimonio Sacramenti dignitatem adſeramus, quod ſit illud a Deo inſtitutum ordinatumque, neque inepte adeo argumentamur, ut ille nobis affingit: *Ordinatio Dei bona & ſancta eſt; Sacramentum igitur.* Calvino ultro damus, id non tantum in Sacramento quæri, ut Dei ſit opus, alioqui nimis Sacramentorum ſeges exereſceret, ſed ut ſit ceremonia exterior a Deo poſita gratiæ promiſſionem adjunctam habens. Neque etiam Sacramentis Matrimonium unice annumeramus, quod ſignum ſit rei ſacræ, ſpiritualis videlicet Chriſti cum Eccleſia conjunctionis; probe enim intelligimus, ſi uno hoc titulo Matrimonium dixerimus Sacramentum, tot fore Sacramenta, quot ſunt in Scriptura parabolæ, atque ſimilitudines. Non erat ergo, cur nos Calvinus mitteret *in Anticyram curandos hellebore*, quum nemo noſtrum ita a mente deſertus fuerit, ut id efferret. Etſi vero plerique e noſtris veritatem hanc conſtabilire conati ſint iis Apoſtoli verbis ad Epheſios 5. *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſe ipſum pro ea... Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*, nolumus hoc teſtimonio pugnare, quum Tridentini Patres optimi ii differendi Magiſtri prudenter, cauteque aſſerant, Paulum eo loci veritatem hanc innuiſſe, non demonſtraſſe. Immaniter tamen Calvinus exceſſit, univerſos Romanæ communionis homines tot maledictis inceſſens, quod linguarum peritiam clamoſe inſectantes, earumdem poſtea ignorantia in re tam facili, & cuivis obvia fædiſſime hallucinati, ex græco verbo, quod *myſterium* ſonat, Sacramentum inepte conflarint, effecerintque iniquiſſime, ut eorum inſcitiæ pœnas tota Eccleſia penderet. Quid enim ſi pluribus Sacramenti vocula impoſuit? Omnibus ne iccirco amphibologia fuit erroris occaſio? Numquid Eccleſiæ fides uno hoc flexiloquo ita nititur teſtimonio, ut concidere illam neceſſe ſit, ſi hoc ei ſubtrahas fundamentum! Sed phanaticum hominem deſirare ſinamus, & præcipua Catholicæ veritatis momenta jam perſequamur.

IV. Ex iis fontibus illa ducimus, quos nobis Tridentinum aperuit, ajens: *Quum Matrimonium veteribus connubiis in lege Evangelica per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum Sancti Patres noſtri, Concilia, & univeſalis Eccleſiæ traditio ſemper docuerunt.* Age vero, & primum ex veterum Patrum doctrina promptum ſic urgeamus: Tertullianus de initis inter fideles nuptiis in lib. 2. ad Uxorem hæc habet: *Unde ſufficiamus ad enarrandam fælicitatem hujus Matrimonii, quod Eccleſia conciliat, confirmat oblatio, obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet?* In quæ Tertulliani verba Rigaltius adnotat, alludera illum ad ſanctiſſimum ſua ætate celebrandi nuptias vigentem apud fideles morem, quo conciliatum ab Eccleſiæ Præpoſitis conjugium, ſolemni die Eccleſiæ ſiſtebatur inter ſacrificiorum oblationes benedicendum, quo & oblatis conjugibus Ecelesia conceptis ad Deum precibus benedicebat, quod erat Sacramenti ſignaculum, ſequentibus autem verbis, *Angeli renuntiant*, Angelos conjugalis Sacramenti teſtes innuere, quos & *adſtare* ait *orationibus Chriſtianorum*, & *arbitros eſſe Baptiſmi*. S. Epiphanius hæreſi 77. ſcribit: *Venerabiles eſſe nuptias, & Dei aſpirante gratia regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoſcat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret?* Quid eo diſertius, quod S. Innocentius I. ait: *ſtatuimus fide Catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia divina fundatum, conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nullo pacto poſſe eſſe legitimum?* Quid eo locupletius quod in 2. Joannis

ca-

caput commentatus eſt S. Cyrillus Alexandrinus ? *Honeſte celebratis nuptiis Jeſus adeſt, ut natıvitatis noſtræ principium, quantum ad carnem attinet, ſanctificaret. Oportebat certe, quoniam totam hominis naturam in melius reſtaurabat, non ſolum natis jam hominibus benedicere, verum etiam naſcituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam præſentia ſua ſanctum efficere.* Nitidiſſima ſunt Ambroſii verba, quibus in lib. de Abraham perſtringit Adulteros: *Cognoſcimus velut Præſulem cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui, & ſi qui fecerit, peccare in Deum, cujus legem violet, gratiam ſolvat, & ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium.* Nimii eſſemus, ſi vellemus omnia colligere, quæ de veritate hac Auguſtinus perſpicue tradit in libris *de Geneſi ad litteram, de ſancta virginitate, de peccato originali, de fide & operibus, de nuptiis & concupiſcentia*, ac præſertim *de bono conjugali*, ubi fidelium connubia ab infidelium nuptiis hoc præſertim nomine diſgregat, quod *bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in cauſſa generandi eſt, & in fide caſtitatis, quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate Sacramenti, & in noſtrarum*, ideſt fidelium, *mulierum nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri.*

V. Ex his aliorumque, quos brevitatis ſtudio præterimus, Patrum teſtimoniis multiplex argumentum exurgit: Primo, Matrimonium pro Sacramento datum, a nemine ante Gregorii tempora traditum ac vulgatum, ſcribit Calvinus confidentiſſime; id tamen perſpicue adſtruunt laudati Patres, quos omnes aureo illo, ut Calvinus ait, illibatæ Eccleſiæ ævo floruiſſe indubium eſt, quorum alii quatuor, alii duobus ſæculis Gregorio Magno anteriores ſunt; mentitur ergo Calvinus, nonniſi Gregorii primi tempore, quo vera Chriſti Eccleſia, ipſo quidem judice, jam deſierat, ad Sacramenti dignitatem aſſurrexiſſe; Videant ergo Calviniani, cui fidunt, & quo titulo e novæ Legis Sacramentis Matrimonium expungunt. Secundo, nemini ſobrio poterat umquam, ſi Calvinum audimus, in mentem venire, Matrimonium pro Sacramento divinitus datum; quum ergo id Tertulliano, aliiſque, quos laudavimus, Patribus non in mentem venerit ſolum, ſed ab eis fuerit fidelibus traditum, vulgatumque, alterutrum dicendum erit, aut non fuiſſe eos ſobrios, ſuique compotes, etſi vitæ ſanctimonia, doctrina, & præclaris in Eccleſiam meritis eam ſibi, Calvino fatente, auctoritatem conciliarint, ut nihil eorum deſpici a nobis abſque piaculo poſſit, aut ebrium certe fuiſſe Calvinum, & mente motum, dum hæc temere ſcripturiret. Tertio, Calvinus ſæpe, & tota cum eo Novatorum turba ad tempora Auguſtini nos provocat, aitque, immane adeo noſtra inter & priſca illa fælicia tempora diſcrimen deprehenſum iri, ut nec veteris Eccleſiæ faciem in hodierna agnoſcere ſit, quum noſtra nec ipſa prioris illius lineamenta retineat. De diſciplina non quærimus, quam reformabilem eſſe, docuit Tertullianus; in doctrinam unice intendimus, quam ipſe ait irreformabilem. Nonne autem, ut de aliis omnibus fidei capitibus, ita & de hoc, quod excutimus, eandem omnino hodiernæ eſſe, ac ejus, quæ Auguſtini ætate erat, Eccleſiæ doctrinam, ejuſdem, eoque priorum Patrum teſtimonia comprobant luculentiſſime ? Ævo igitur Auguſtini, eoque tempore, quo Œcumenica quatuor priora Concilia ſunt habita, veri & proprii Sacramenti loco Matrimonium habebat Eccleſia; quum ergo, ut alia dogmata, ita hoc quoque noſtra retineat, atque tradat Eccleſia, tota autem Pſeudo-Evangelicorum Synagoga, ut alia plura, ita hoc conſtanter explodat, provocatione hac nobis cauſa certiſſime adjudicatur, & decretorie conficitur, Romanam cum purioris ævi Eccleſia eandem eſſe, veram idcirco ac Catholicam, ab ea vero diſtare quam longiſſime Novatorum omnium ſectas, quæ inter alias plures hanc quoque ſuæ a Romana Eccleſia ſeceſſioni cauſſam prætexuerunt, quod Matrimonium inter Sacramenta cenſeret. Ita Doctiſſimus Cardinalis Perronius adverſus Jacobum I. Magnæ Britaniæ Regem.

Eadem veritas alio argumento conſtabilitur.

VI. Alterum momentum ex univerſalis Eccleſiæ traditione, ſeu conſenſu a Tridentino peritum in hunc modum inſtruimus; ſicut omni in re conſenſus omnium

vox

vox naturæ eſt, ait Cicero in Tuſculanis, ita in iis, quæ Religionis noſtræ ſunt, conſenſus omnium Chriſtianorum vox Evangelii merito habenda eſt, ait Beveregius, cui ſubſcripſiſſe jam adnotavimus Miniſtrum Claudium, & Calvinianorum præcipuos; „ qui enim fieri potuit, pergit „ Beveregius, ut omnes ubique terrarum „ Eccleſiæ, Romana, Alexandrina, An„ tiochena, Conſtantinopolitana, Hiero„ ſolymitana, & quæcumque demum in „ Europa, Aphrica, & Aſia conſtitutæ „ ſunt, tanto licet a ſe invicem intervallo „ disjunctæ, in unam eamdemque ſenten„ tiam conſpirarint, niſi eam a primis E„ vangelii præconibus, Apoſtolis ſcilicet „ accepiſſent? " Quare, ut omnium ubique gentium in veritatem aliquam naturalem conſenſio nonniſi ſupremo ipſi naturæ Auctori adſcribi debet, qui omnibus communes notiones indidit in natura ipſa penitus inſitas, & conſignatas, ita omnium Chriſtiani nominis ſocietatum in revelatam aliquam veritatem conſpiratio, ad ipſum Evangelii Auctorem Chriſtum referri debet, qui per Apoſtolos, quos in univerſo mundo Evangelium prædicare, & Eccleſias conſtituere juſſerat, veritatem illam ubique gentium promulgarit. Matrimonium porro inter novæ Legis Sacramenta relatum a Chriſto, nonne una voce profeſſæ ſunt antiquiſſimæ in omnibus tunc dierum cognitis terræ habitabilis partibus conſtitutæ ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis Chriſtianorum Eccleſiæ? Id in Aphrica creditum, teſtes ſunt Tertullianus, Cyrillus Alexandrinus, & Auguſtinus, idem in Aſia Epiphanius, in Europa vero Innocentius I. & Ambroſius. In hoc ergo Religionis noſtræ capite Eccleſiarum omnium conſenſus Evangelii vox eſt, quam qui ſpernunt, reiiciuntque, ii Antichriſtiani ſunt, & Evangelii corruptores, ſicut humanitatis hoſtes ii cenſentur, qui naturæ vocem omnium conſenſu editam aſpernantur.

VII. Quo vero momenti hujus, quod in idem cum eo recidit, quod ſæpe prompſimus ex Tertulliano, quod videlicet *apud omnes unum invenitur, non erratum eſſe, ſed traditum*, efficaciam Novatoribus permoleſtam validius exeramus, locupletiora promenda ſunt conſenſus hujus documenta, quibus palam fiat, omnes Orientis Eccleſias, etiam poſt conflatum ſchiſma, idem de Sacramento hoc cum Romana Eccleſia ſentire. Non huc conferam Simeonis Theſſalonicenſis in libro de Fide & ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, Meletii Syrigi in articulorum Cyrilli Lucaris refutatione, Coreſſii, & Gregorii Protoſincelli, confeſſionis orthodoxæ Græcorum, & Synodorum a Cyrillo Beroenſi, & Partenio Seniore adverſus Lucarim habitarum teſtimonia, quibus perſpicue declaratur, Eccleſias omnes Apoſtolorum traditione edoctas fuiſſe, honorabile connubium inter novæ legis Sacramenta cenſendum eſſe. Cum Clariſſimo Renaudotio adnotare ſat fuerit, quum Novatores poſt editum elapſo ſæculo opus illud egregium, quo perpetua univerſalis Eccleſiæ doctrina de Euchariſtia, aliiſque evangelicis Sacramentis Orientalium omnium conſenſione demonſtrata fuit evidentiſſime, nullum non moviſſent lapidem, ut argumentum, quo ſibi crucem figi ſentiebant, declinarent, & documentorum ex Oriente petitorum auctoritatem aut eliderent, aut infirmarent, rogatos iterum a Latinis Orientis Epiſcopos, ac Patriarchas, ut authentica Eccleſiarum ſuarum fidei teſtimonia perhiberent, ſancte teſtatos eſſe, inter cætera fidei Chriſtianæ dogmata hoc quoque ſibi ſuiſque ratum fixumque eſſe, & Matrimonium eodem loco, & gradu haberi, quo alia ſex legis Evangelicæ Sacramenta. Quid locupletius opere, quod poſt Hieroſolymitanam Synodum ea de cauſſa habitam Doſithæus Patriarcha vulgavit, cui titulus, *Enchiridion adverſus Lutheranos, & Calvinianos*? Quid altero illo disertius, quod idem Patriarcha an. 1694. adverſus Joannem Caryophylum Apoſtatæ Lucaris aſſeclam edidit, in quo anathemate eos plectit, qui ab avita, & communi Orientalis Eccleſiæ Fide devii e Sacramentorum albo Matrimonium expungunt? His addi poſſunt probatiſſima Græcorum Euchologia, & ritua les aliorum Orientalium libri, ſumma diligentia atque fide ab eodem Renaudotio, aliiſque præclariſſimis Viris collecti & exhibiti, quorum eſt in Oriente uſus vetuſtiſſimus, atque immemorabilis. Clamant omnia hæc fide digniſſima monumenta; Matrimonium verum & proprium eſſe novæ legis Sacramentum, conferre digne ſuſcipientibus gratiam, qua in individua viri & mulieris conſociatione vitam conjuges ſancte tranſigant, liberos gignant Eccleſiæ potius & cœlo, quam ſibi, atque mundo, ſuſceptoſque ad Dei cultum & pietatem

tem inſtituant; quumque antiquiſſimis Occidentalis Eccleſiæ monumentis, atque Tridentini doctrinæ mirifice concinant, nonne in hoc Chriſtianorum omnium de Matrimonii dignitate conſenſu ipſa Chriſti, & Evangelii vox auditur?

Novatorum argumentis occurritur.

VIII. Etſi Calvinus, quaſi confecta præclariſſime re, inſolentiſſime geſtiens, hac traſonica clauſula in eo capite finem ſcribendi faciat: ,, Ex Papiſtarum cæno aliquando emergendum eſt, in quo etiam ,, diutius hæſit oratio, quam animus ferebat; aliquantulum tamen mihi videor ,, profeciſſe, quod leonis pellem iſtis aſinis aliqua ex parte detraxi; " nec hilum tamen profecit homo inſaniſſimus, nec Catholicæ Eccleſiæ doctrinam ſuis ineptiis vel minimum labefactavit; ſolam etenim, ut in proverbio eſt, aſini umbram inſectatus, commenta ſibi finxit, atque phantaſmata, adverſus quæ ſtulte latraret. Quid eo falſius, quod Magiſtro ſententiarum, & auctori Gloſſæ decretorum imponit, quos *vertiginoſæ levitatis* accuſat, quod Matrimonium Sacramenti titulo commendatum *immunditiem* vocent, atque *carnales ſordes?* Maledici calumniatoris erat, eorum verba referre, quibus palam fieret, turpem hanc notam ab iis inuri non fornicario aut adulterino commercio, ſed Matrimonio inter fideles legitime inito, quodque ipſi Sacramentum eſſe cenſerent; quamquam etſi Calvinus in immani adeo contradictione manifeſte illos deprehendiſſet, declamaſſet inſane adverſus Romanam Eccleſiam, quæ numquam doctrinæ ſuæ arcem in hujus vel alterius Scholaſtici, aut canonum Interpretis ſenſu locavit. Quid eſt eo futilius, quod Calvinus nonnullis e noſtris affingit, quos adeo ſtupidos exhibet, ut duo Sacramenta in Matrimonio confingant, alterum Dei, & animæ in ſponſo & ſponſa, alterum Chriſti & Eccleſiæ in marito & uxore? Quem laudare poterit, qui uſque adeo deſipuerit? Deſipuit ipſe porro, qui ex duplici illa ſignificatione, quæ ab omnibus Catholicis Matrimonio tribuitur, duplex a nobis Sacramentum conſtitui perperam exiſtimavit. Quotquot vere Theologi ſunt, cum D. Thoma in hoc Sacramento diſtinguunt rem ſignificatam ſimul atque contentam, ſive Sacramenti efficacitate productam, gratiam videlicet, atque rem unice ſignificatam, ſed non effectam neque contentam, unionem ſcilicet Chriſti cum Eccleſia; quoniam vero, ut Magiſter ait, a quo nemo reſilit Theologorum, copulata eſt Eccleſia Chriſto, ut ſponſa ſponſo, ſpiritualiter, & corporaliter, ideſt charitate, & conformitate naturæ, hujus utriuſque conjunctionis figura eſt in conjugio, prioris quidem in rato, poſterioris in conſumato. Multiplex autem ejuſmodi ſignificatio Sacramenti hujus unitatem non violat, ut Baptiſmatis & Euchariſtiæ unitas multiplici illa ſignificatione non tollitur, quam in utroque hoc Sacramento ipſe Calvinus agnoſcit.

IX. Intolerandum poſtremo eſt, quod nobis Calvinus opponit: ,, eſt & altera in ,, eorum dogmatibus abſurditas: In Sacramento conferri gratiam Spiritus Sancti ,, affirmant, conjugii actum tradunt eſſe ,, Sacramentum, in conjugii autem actu ,, negant, umquam Spiritum Sanctum adeſſe ". O nequiſſimum caput, totum ex maledicentia, & mendacio compoſitum! Cui umquam communionis noſtræ hominum, ſi Gratianum excipias, in mentem venit tanta hæc, quam nobis opponit, abſurditas? Nonne omnium hæc una ſententia eſt, conjugii actum ad matrimonii ſubſtantiam non pertinere? Nonne omnes Auguſtino ſubſcribunt tum in libris adverſus Julianum, tum in 2. de conſenſu Evangeliſtarum libro docenti, etiam ſervata pari conſenſu continentia poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu? Nonne errorem hunc a Juliano Pelagiano primum invectum, ſubinde a Wiclepho in Trialogo ſuſcitatum, abſque uxoria re ſcilicet Matrimonium ſtare non poſſe, ſacri Eccleſiæ canones proſcripſerunt, matrimonium conſenſu, non concubitu perfici decernentes, cap. *Ex publico* extra *de converſione conjugatorum*, Eugenius IV. in inſtructione Armenorum, & Tridentinum ſeſ. 24. can. 6.? Eſt quidem in conjugii actu ſignificatio rei ſacræ, conjunctionis videlicet Chriſti cum Eccleſia non charitate ſolum, ſed & conformitate naturæ, nec tamen a Catholico quoquam Sacramentum veri nominis eſſe docetur, quum, ut ait D. Thomas, *ſignificatio rei contentæ de neceſſitate Sacramenti ſit, ad quam non pertinet carnalis commixtio.* Quiſquam ne vero Pontificiorum tantum a mente receſſit, ut in-

conjugii actu Spiritum Sanctum umquam adeſſe negaret? Nemo unus eſt, ſi quoſdam Theologaſtros excipias, quorum hæc pridem ab Apoſtolica Sede confixa adſertio fuit, *conjugii actum ſolius voluptatis gratia exercitum omni prorſus culpa vacare*, nemo inquam unus Theologorum eſt, qui in ſolidiſſimam D. Thomæ ſententiam non concedat: *Actus conjugii ex deliberata voluntate procedens ſemper eſt peccatum, vel meritorius in eo, qui gratiam habet; ſi enim ad actum hunc virtus inducat, vel juſtitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, eſt meritorius: ſi autem moveat libido ſiſtens intra bona matrimonii, ut ſcilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, eſt peccatum veniale, ſi autem extra bona matrimonii efferatur, eſt peccatum mortale.*

IX. Calvino non habenti amplius, quod opponat, ſuppetias fert Forbeſius, cujus hæc præcipua ſunt adverſus Sacramentum hoc argumenta. Primo convellere nititur demonſtrationem ex Veterum Patrum traditione petitam, plures e contra laudans, Juſtinum Martyrem, Gregorium Nazianzenum, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, atque Leonem Magnum, qui etſi Matrimonio Sacramenti nomen attribuant, latiori tamen, minuſque proprio ſenſu eo ſe nomine uti palam, aperteque ſignificant, quum Sacramenti, ſeu ſigni rei ſacræ rationem in Adæ & Evæ nuptiis, neque in Monogamia ſolum, ſed & in Veterum Patriarcharum Polygamia, in Deiparæ Virginis & Joſephi matrimonio, quin & in ipſo infidelium connubio agnoſcant.

Verum hæc perperam jactitantur, vel paululum nobis incommodant, qui jam non uno loco monuimus, multiplicem eſſe Sacramenti acceptionem, multiplicem quoque Matrimonio ſpiritualem ſignificationem ſubeſſe fatemur, neque Matrimonium in Evangelica lege primitus inſtitutum fuiſſe contendimus, ſed auctum duntaxat a Chriſto Sacramenti dignitate, quod in officium naturæ tantum erat antiquitus. In primam Matrimonii inſtitutionem Gen. 2. deſcriptam, Matth. 19. a Chriſto, dum libellum repudii ſuſtulit, commemoratam, atque a Paulo ad Epheſ. 5. indicatam digitum intendentes laudati a Forbeſio Patres, nuptialem Viri cum Fœmina conſociationem latiſſima Sacramenti appellatione donarunt, quod perpetua conjugalis nexus, atque indiſſolubilis firmitas ab Adamo primum divini Spiritus inſtinctu prænuntiata, atque a Chriſto in Evangelio confirmata magnum a Paulo Sacramentum, ſive myſterium dicta fuerit in Chriſto & in Eccleſia, ideſt ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia conjugii figura, atque typus. Verum hæc quid ad nos, qui hæc omnia libentiſſime damus, atque etiam Auguſtino utroque pollice ſubſcribimus docenti, *ſicut plures antiquorum Patrum uxores ſignificaverunt, noſtras ex omnibus gentibus Eccleſias futuras uni Viro Chriſto ſubditas, ita noſter Antiſtes unius uxoris vir ſignificat ex omnibus gentibus unitatem uni Viro ſubditam Chriſto?* Quid enim, ſi laudati Patres ampliſſimam Sacramenti nomenclaturam abuſione quadam ad Adæ & Evæ, Deiparæ & Joſephi, quin & ad infidelium nuptias extenderunt? Probandum Forbeſio fuerat, illos veram etiam & propriam Sacramenti Evangelici notionem a fidelium nuptiis legitime initis removiſſe. Promiſerat ille quidem, ſeſe, Deo favente, vindicaturum Patres, quibus, ut ipſe ait, abutimur: At promiſſis non ſtetit, nec vero ſtare potuit vaniſſimus oſtentator, omnibuſque ſeſe ridendum exhibuit, extra oleas ſaltans, atque aerem verberans, teſtimonia videlicet coacervans, quæ libentiſſime excipimus, ea vero, quæ ad catholicæ hujus veritatis demonſtrationem Catholici conferunt, inique diſſimulans.

X. Sane ut in laudatis a Forbeſio locis Sacramenti vocabulum ampliſſime minuſque proprie a Patribus uſurpatum nemo ſcite negaverit, ita in iis, quæ inter probandum adtulimus, veri Sacramenti rationem ab iis Matrimonio fidelium attributam eorumdem verba dubitare non ſinunt. Eccur enim (ut pauca in ſingulos ſupra memoratos Patres animadvertamus) tantam Matrimonii fidelium fælicitatem deprædicat Tertullianus, ut imparem ſe eſſe ſcribat illi enarrandæ, ſi nihil hoc habet proprium & peculiare, quo Ethnicorum connubiis antecellat? Erat & in illis divina inſtitutio, naturalis honeſtas, myſtica Chriſti cum Eccleſia conjunctionis ſignificatio, ideoque & lata quædam notio Sacramenti, longiſſimo tamen intervallo diſtare illa a Chriſtiani conjugii fælicitate pronuntiat Tertullianus, quod hoc ſolum ſacris ritibus conſecratum, & obſignatum benedictione, eoſdem Angelos teſtes habeat, quos & Baptiſma, & ratum habeatur,

tur, ſeu approbetur a Patre, qui in cœlis eſt, quin etiam & Dei gratia ſanctificetur; paullo ante namque præmiſerat, ut Uxorem ſuam ab ineundo cum infideli conjugio abſtraheret, eos, qui ante nuptias ſanctificati ſunt, ſi extraneæ carni commiſceantur, ſeu infideli jungantur, *ſanctificare eam non poſſe, quia gratia Dei illud ſanctificat; quod invenit*, ſubintellige *ſanctum*; quibus verbis declaravit Tertullianus, fideles legitimas nuptias ineuntes gratia Dei ſanctificari, ſeu gratiæ augmento repleri, quia gratia Dei illos invenit ſanctos; ideſt Baptiſmo munditos. Nonne autem his manifeſte innuit, in conjugio fidelium verum perfici Sacramentum, quum diſerte doceat, fideles nubentes, *Dei gratia ſanctificari?* Quid vero iis illuſtrius, quæ ex Epiphanio recitavimus? Venerabiles ſane fuiſſe nuptias titulo divinæ inſtitutionis, atque benedictionis, nec non myſticæ Chriſti cum Eccleſia connubii ſignificationis, conjugatos etiam in futurum Mediatorem credentes potuiſſe regnum obtinere, ſoli pernegarunt Hæretici, qui Diabolum nuptiarum parentem commenti ſunt. Quid ergo neceſſe erat invitari Chriſtum ad nuptias, *ut iis benediceret*, quemadmodum ait Epiphanius, ſi nihil addere veteri benedictioni debebat inſignius, neque ampliori ritulo eas reddere venerabiles, neque rei ſignificatæ ſolum, ſed non contentæ, rem ſignificatam ſimul atque contentam, gratiam nimirum, adiicere? In nocentii I. verba clariora ſunt, quam ut noſtra egeant gloſſa; ſi enim fide Catholica ſuffragante legitimæ fidelium nuptiæ *divina gratia fundatæ credendæ ſunt*, quis ambigere poſſit, quidpiam eis ad veri Sacramenti rationem deeſſe?

XI. Cyrilli Alexandrini verba quam ſunt illa perſpicua & decretoria! Quodnam eſt nativitatis noſtræ principium, quantum ad carnem adtinet, quinam aditus ad hanc vitam, niſi matrimonium procreandæ prolis gratia divinitus inſtitutum? Carnale hoc porro nativitatis noſtræ principium, aditumque ad hanc vitam docet Cyrillus *ſanctificatum a Chriſto, ſuaque præſentia ſanctum effectum;* quis ergo negare audeat, a Chriſto inter Sacramenta relatum? Quonam etiam medio Chriſtus totam humanam naturam reſtauravit in melius, quomodo natis hominibus ſpecialiter benedixit? Nonne Sacramentis? Quum ergo Cyrillus ſcribat, *oportuiſſe, ut Chriſtus totius humanæ naturæ reſtaurationem aggreſſus, non ſolum natis jam hominibus benediceret, ſed & naſcituris gratiam prepararet*; quis non intelligat, loqui illum de veri nominis Sacramento, quo & conjuges ſanctificantur, & naſcituris gratia præparatur, qua nimirum fit, ut parentes Eccleſiæ potius & cœlo, quam ſibi atque mundo liberos gignant, ſuſceptoſque ad Chriſtianam pietatem informent? In Ambroſii autem genuino promendo ſenſu quorſum hæreamus, quum ſit ille planus, atque obvius? Quam enim Dei *gratiam* ſolvit, cujuſnam *cæleſtis Sacramenti conſortium amittit*, Ambroſio judice, qui alienum thorum invadit? Quum adulterio matrimonii vinculum non dirimatur, quandiu hoc permanet, permanere quoque dicendum eſt conſortium cœleſtis Sacramenti latiſſime ſumpti, ſive ſymbolum perpetuæ Chriſti cum Eccleſia conjunctionis: Quod ergo ab adultero amitti pronuntiat Ambroſius, non minus proprii, ſed veri Sacramenti conſortium eſt, cujus gratiam; rem videlicet ſignificatam ſimul ac contentam, & Sacramento productam alieni thori invaſor ſolvit, atque amittit. Cœterum nihil eſt eo luculentius, quod in Epiſt. ad Vigilium habet adverſus nuptias initas cum infideli: *Quum ipſum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione ſanctificari, oporteat, quomodo poteſt conjugium dici, ubi non eſt fidei concordia?* Niſi quis velit in meridiano lumine cæcutire, aſſentiatur, neceſſe eſt, conjugio fidelium Sacerdotali benedictione ſanctificato veram ab Ambroſio Sacramenti rationem attribui; alioqui Ambroſium immanis erroris damnare cogitur, qui abſque fidei concordia negat eſſe conjugium; nemo enim negare poteſt, ejuſmodi vera eſſe conjugia, ut in officium naturæ ſunt, & civilis humanique contractus rationem habent, ampla quoque, minuſque propria Sacramenti notione inſignita eſſe, quatenus conjugalis vinculi firmitate unionem Chriſti cum Eccleſia ſignificant. Fidei ergo concordia carens matrimonium decernit Ambroſius, nec eſſe, nec dici poſſe conjugium, quod non ſit Sacerdotali benedictione ſanctificatum, atque a veri Sacramenti dignitate deficiat. Iiſdem animadverſionibus Auguſtini teſtimonia illuſtrantur, ac vindicantur.

Altera argumentorum claſſis eliditur.

XII. Ut demonſtrationem, quam ex omnium Chriſtiani nominis ſocietatum conſenſione conflavimus, Forbeſius infringat, eam nobis exprobrat in ipſa Latina Eccleſia linguarum confuſionem, quam Gen. xi. Scriptura memorat. „ Primo, ait,
„ Petrus Lombardus docuit, ante Adæ
„ peccatum inſtitutum fuiſſe conjugium &
„ ad officium, & ad Sacramentum. Alen-
„ ſis Magiſtro ſubſcribens Pœnitentiam,
„ Ordinem, & Matrimonium novæ legis
„ Sacramenta eſſe fatetur, quia in nova
„ lege approbata ſunt, non vero inſtituta.
„ Quid porro ſi poſt Thomam & Scotum,
„ Florentinum & Tridentinum Sacramen-
„ tum hoc a Chriſto inſtitutum fuiſſe de-
„ clarant? Alphonſus a Caſtro, & Petrus
„ a Soto, aliique Romanenſes a Bellar-
„ mino relati, Sacramentum hoc & in
„ veteri lege fuiſſe contendunt, atque a
„ Chriſto non tam inſtitutum, quam con-
„ firmatum. Secundo, Tridentinum Sa-
„ cramentis proprie dictis Matrimonium
„ annumerat; neque Durando tamen, ne-
„ que Alphonſo a Caſtro, Petro a Soto,
„ aliiſque hæc doctrina probatur. Tertio,
„ negant cum Lombardo, Durando, aliiſ-
„ que Scholaſticis Canoniſtæ bene multi,
„ Sacramento hoc conferri gratiam adju-
„ tricem: affirmant Thomas, & Bona-
„ ventura, & anathemate a Tridentino
„ plectuntur, qui audeant id negare. Quar-
„ to, Gratianus, & Gandulphus non eſſe
„ Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum in eo
„ matrimonio ſenſerunt, quod non eſt ſe-
„ xuum commixtione perfectum; Lom-
„ bardus vero & Bonaventura veram ma-
„ trimonio non conſumato Sacramenti ra-
„ tionem adjudicant quoad eſſe neceſſita-
„ tis, non quoad eſſe plenitudinis: Tho-
„ mas autem integritatem quoad eſſe ab
„ integritate diſtinguens, quæ in operatio-
„ ne conſiſtit, deffinit, actum conjugii ad
„ ſecundam pertinere, non vero ad pri-
„ mam Sacramenti hujus integritatem.
„ Quinto; In materia, inquit Melchior
„ Cano, & forma hujus Sacramenti ſta-
„ tuenda adeo ſunt inconſtantes, & varii
„ Theologi, adeo incerti, & ambigui, ut
„ ineptus futurus ſit, qui in tanta illorum
„ diſcrepantia rem aliquam exploratam
„ conetur efficere. Concilium certe Flo-
„ rentinum de materia, forma, & mini-
„ ſtro Sacramenti hujus præſtituit nihil,
„ quod ſine dubio faceret, ſi de iis rebus
„ videret quidpiam eſſe in Schola a Theo-
„ logis definitum. Poſtremo, Sacerdota-
„ lem benedictionem non eſſe Sacramenti
„ hujus formam, ſed Sacramentale quod-
„ piam ab hominibus inſtitutum, docent
„ Thomas & Major, hæcque communior
„ Scholaſticorum ſententia eſt, pro qua
„ fuſe diſputat Bellarminus, benedictionem
„ illam extra Sacramenti hujus ſubſtantiam
„ eſſe, nec alios Sacramenti hujus mini-
„ ſtros, quam ipſos marem & fœminam
„ conjugium ineuntes. At Guillelmus Pa-
„ riſienſis conſtanter negat, matrimonium
„ veri nominis Sacramentum eſſe, & Sa-
„ cramentali virtute pollere, niſi fuerit Sa-
„ cerdotali miniſterio conſecratum. Guil-
„ lelmo adhæſit Melchior-Cano, atque
„ ſententiæ huic ſubſcribere juriſperitos pro-
„ pemodum univerſos, qui in hoc proba-
„ bilius quam Theologi locuti ſunt, etſi
„ mox adiiciat, Theologos etiam doctos
„ ſane & graves inventos eſſe, quibus com-
„ munis reliquorum opinio diſpliceret. Lau-
„ dat Cano ſententiæ ſuæ patronos anti-
„ quos Patres bene multos, & Concilia
„ Generalia, Nationalia, & Provincialia;
„ quare hanc Cano opinionem immerito
„ Bellarminus *novam & ſingularem* appel-
„ lat. “ Hactenus Forbeſius.

XIII. Singula objectionis hujus capita a nobis nitide, ſolideque expeditum, ac refutatum iri confidimus, ſi propoſitam a Melchiore Cano tutiſſimam regulam teneamus: „ Id ago, Scholaſticas opiniones
„ oportere a decretis Scholæ ſejungere,
„ fideique quæſtiones ab iis, quæ modo
„ huc, modo illuc transferuntur, & ſine
„ pietatis jactura poſſunt in utramque par-
„ tem diſputari. Decreta arcte tenere de-
„ bemus, accurateque defendere; opinio-
„ nes non item, at ſi non cum academi-
„ cæ ſed cum Chriſtianæ modeſtiæ tem-
„ peramento: Pro fide, etiam cum vitæ
„ diſcrimine pugna; pro his, quæ fidei
„ non ſunt, ſit pugna, ſi ita placet, in-
„ cruenta ſit tamen. Hæc præſcripta ſer-
„ vantem licet magnifice, graviter, ani-
„ moſeque diſſerere, & Doctis, & indo-
„ ctis utiliter. “ Ad rem itaque: Quamquam poſſemus argumentum tanta verborum pompa a Forbeſio jactatum faciliter exufflare, reponentes, venerari nos conſtantia Scholæ decreta, non item privata quæ-

quæ

Digitized by Google

quæ Scholaſticorum placita, quum nullum proprie decretum ſit totius Scholæ auctoritate firmatum, ut ait Melchior Cano, ad ea pertinens, quæ fidei vel morum ſunt, quod vel ex ſacris litteris, vel ex Pontificum, & Conciliorum definitionibus non habeat certam originem, placita vero neque ex iis fontibus ducta ſint, neque omnium conſenſione nitantur, ideoque nec minimum moveri nos, quod in abſurdas, & plane erroneas opiniones quidam abrepti fuerint, quum Eccleſiæ doctrina non ex hujus, vel alterius Theologi placito ſit æſtimanda, ſed ex ritualibus libris, Pontificum decretis, & Conciliorum ſanctionibus; Si quos tamen Theologos, & juris Pontificii Magiſtros interpretari benigne poſſumus, & cum Tridentini definitionibus conciliare, nolumus huic æquitatis pietatiſque officio deeſſe. Qui ergo ſive ante, ſive poſt Florentini, & Tridentini celebrationem matrimonium & in ſtatu integritatis, & in veteri lege Sacramentum fuiſſe ſenſerunt; neque in nova lege inſtitutum a Chriſto, ſed approbatum, & confirmatum, ii percommode exponi poſſe videntur, ſi dicamus, tribuiſſe illos matrimonio ante Chriſtum ampliſſimam illam, minuſque propriam Sacramenti rationem, quam ſupra adnotavimus eidem tributam a Patribus, eodemque ſenſu pronuntiaſſe non inſtitutum, ſed approbatum, & confirmatum a Chriſto, qui matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia ſymbolum, ſeu Sacramentum a Deo in ipſis mundi primordiis conſtitutum, Matth. 29., ſublato repudii libello, ad primævam originem revocavit atque firmavit. At non hac ratione ſolum matrimonium probavit Chriſtus confirmavitque, ſed *venerabilium ipſe*, ut Tridentinum ait, *Sacramentorum inſtitutor, atque perfector gratiam illi addidit, quæ conjuges ſanctificaret, perfecitque, quod imperfecte ſolum, & improprie Sacramentum erat, illudque adjuncta gratiæ producendæ virtute ad proprii verique Sacramenti conditionem evexit.*

XIV. Etſi veritatem hanc a Florentino & Tridentino Conciliis definitam, Magiſter, Durandus, aliique perpauci his Conciliis anteriores Scholæ & juris Magiſtri vel in dubium verterint, vel negarint, eorum tamen diſſenſu univerſalis Eccleſiæ traditio, omniumque ætatum ac gentium conſenſio tam violari non poteſt, quam perpetua e. g. Eccleſiæ ſententia de non iterando baptiſmate ab Hæreticis rite collato Cypriani, Firmilliani, aliorumque illius ævi virorum illuſtrium contraria opinione labefactari non potuit. Quemadmodum enim errarunt hi, homines ceteroqui ſummi, quod Apoſtolicam traditionem penitius ſcrutati non fuerint, nec tamen hæreſi notari poſſunt, quod nondum fuiſſet ea controverſia, ut ait Auguſtinus, a plenario Concilio ſublata[1], ita Magiſtrum, alioſque erraſſe damus, quod in graviſſima hac quæſtione tranſigenda ad communem atque perpetuum Eccleſiæ ſenſum, atque ad vetera monumenta, unde ille petitur, animum non adverterint, non audemus tamen eos in hæreſeos crimen vocare, quum nondum Eccleſia, quod crediderat ipſa ſemper, credebatque, ſolemni judicio promulgaſſet. Hinc Sancti Thomas atque Bonaventura, licet Matrimonium veri Sacramenti gratiam efficientis loco haberent, nullam tamen Magiſtri opinioni, a qua recedunt, inuſſere notam, quod nollent judicium Eccleſiæ prævertere, quæ nondum decretoriam tulerat de ea quæſtione ſententiam. Falſo tamen D. Thomæ Forbeſius affingit, quod ipſe quoque in ſententiam hanc certo non iverit, quum placitum eorum, qui matrimonium efficiendæ gratiæ virtute pollere docebant, probabilius tantum, non certum appellet; Si D. Thomæ textum animo præjudiciis vacuo Forbeſius lectitaſſet, numquam hanc ei calumniam impegiſſet; quum enim Angelicus duobus argumentis ex Sacramenti definitione, Auguſtini teſtimonio ductis, Matrimonio in fide Chriſti contracto conferri gratiam demonſtraſſet, præpoſteram nonnullorum opinionem, qui omnem efficiendæ gratiæ virtutem matrimonio ſubtrahebant, hoc præſertim momento convellit, quod ea opinione poſita nihil matrimonium haberet præ Sacramentis veteris legis peculiare atque potius, ideoque non eſſet, cur novæ legis Sacramentis accenſeretur, quibus ſane declaravit Angelicus, perſuaſum tunc Catholicæ Eccleſiæ fuiſſe, matrimonium Evangelicæ legis Sacramentum eſſe gratiæ præditum efficientia; conterens ſubinde placitum nonnullorum, docentium matrimonio conferri gratiam, qua juventur conjuges, ut malum vitent, non ut bonum operentur, cum aliorum communiori ſententia utrumque ele-

effectum hunc gratiæ matrimonio contentæ tribuentium, hanc probabiliorem vocat, quod nondum res eſſet ad liquidum plane deducta, & a Scholarum diſputatione ſemota. Poſt hæc autem doctrinæ capita Tridentini declaratione jam eliquata, falſo, & inique Forbeſius Alphonſum a Caſtro, & Petrum Soto aliud docuiſſe venditat, quum nihil in eorum ſcriptis ab hac Tridentini doctrina alienum occurrat, imo Alphonſus a Caſtro hoc quoque nomine Lutherum pronuntiet hæreticum, quod Matrimonium Sacramentum eſſe, & gratiam conferre negaverit.

XV. Jam quartum argumenti a Forbeſio conflati caput elumbe eſt; In eo Gratianum errore fuiſſe, in quem & Gandulphum traxit, non eſſe ſcilicet abſque conjugii actu Matrimonii Sacramentum, negare non poſſumus; homini tamen laborioſiſſimo quidem, ſed judicii non admodum acris atque ſubtilis ignoſcendum eſt, quod ſpuriis quibuſdam Auguſtini teſtimoniis, & vitiato Leonis M. operum codice deceptus incaute fuerit, ut & alias non infrequenter; quum enim incidiſſet in quoſdam codices Auguſtini nomine falſo inſcriptos, in alium quoque vere quidem Leonis M. ſed inſincerum, cujus genuinum ſenſum addita præpoſtere particula *non* amanuenſis incuria vel inſcitia omnino perverterat, viſus ſibi eſt vir imparatus a Critice, in Patrum veſtigiis hærere, commentumque ſuum eorumdem auctoritate fulcire. Si vero Forbeſius non de captandis ad creandam invidiam verbis, ſed de aſſequenda germana Auctorum mente ſollicitus fuiſſet, certo deprehendiſſet, D. Thomam, quem in hoc capite a Magiſtro & S. Bonaventura diſſentientem inducit, ab iis non ſenſu diſcrepare, ſed verbis, unamque eſſe trium horumce Magiſtrorum ſententiam verbis licet diverſis expoſitam.

XVI. Poſtrema duo argumenti capita, quæ Forbeſius ex Melchiore Cano depromſit, ejuſdem graviſſimi Theologi doctrina diluenda ſunt. Nego itaque, tot varias illas Theologorum de Sacramenti hujus materie, forma, ac Miniſtro quæſtiones, ad fidem religioniſque ſubſtantiam adtinere, & conſtantem ac perpetuam Eccleſiæ doctrinam vel leviter violare; Si enim hac opinionum pugna ipſa Eccleſiæ fides, & Sacramenti hujus veritas labefactaretur, actum erit & de Baptiſmo, & de Euchariſtica cæna, quandoquidem de Baptiſmi inſtitutione, ejuſdem ab Apoſtolis vivente Chriſto adminiſtrati virtute, atque legitima ejuſdem forma, non Theologorum ſolum, ſed & Veterum Patrum pugnantia placita Melchior Cano lib. 8. cap. 5. refert, noſque in tract. de Euchariſtia jam diximus, quæ ſit Latinos inter ac Græcos, nec non inter Latinos ipſos de ejus forma diſſenſio. Cur vero fidei firmitas hac opinionum colliſione non quatitur? Quia totæ extra fidei ſubſtantiam, ſummamque ſunt, & unice adjuncta reſpiciunt. Idem in hac, quam nobis temere Forbeſius intentat, lite videre eſt. Quum hæc nitida ſit Catholicæ Eccleſiæ doctrina, omnia novæ legis Sacramenta tribus perfici, rebus tamquam materia, verbis ut forma, & perſona Miniſtri Sacramentum conferentis, neque illud perfici, ſi quidpiam horum deſit, in hanc Catholici omnes Eccleſiæ ſententiam manibus pedibuſque concedunt; verum quum hactenus Eccleſia perſpicue non definierit, quæ res in hoc Sacramento materiæ, quæ verba formæ locum habeant, quiſve Sacramenti Miniſter ſit, hinc tot illæ inter Scholaſticos concertationes, quorum plerique Sacramenti hujus materiem collocant in contractu legitimo, quo conjuges mutuo conſenſu exterius manifeſtato mutuam ſibi faciunt corporum poteſtatem, formam in ipſis nubentium verbis, quibus conſenſus exprimitur, neque alios, quam contrahentes ipſos, Sacramenti hujus Miniſtros agnoſcunt; alii contra, licet his Matrimonium, ut contractus civilis eſt, perfici dent perlibenter, negant tamen his perfici, quatenus eſt Sacramentum, contenduntque, Sacramenti hujus materiem eſſe ipſum legitimum matrimonii contractum, formam vero ipſa Sacerdotis verba, quibus nubentes ritu ſacro conjungit, ipſumque Sacerdotem verum eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum. Hæc Eccleſia ſinit, libere & innoxie in Scholis agitari, quod probe novit doctrinam ſuam ab his quæſtionibus intactam eſſe.

XVII. Licet poſteriorem ſententiam, quæ Melchioris Cano eſt, Bellarminus ceu novam & ſingularem non exagitarit ſolum, ſed paulo licentius ſcripſerit, „ Melchiorem Cano, dum totus eſt in
„ detrahenda Matrimonio Sacramenti di-
„ gnitate, quod abſque Sacerdote certis
„ verbis utente fuerit celebratum, illud.

„ etiam,

„ etiam evincere, quantum in ſe eſt, „ nullum in Eccleſia eſſe Matrimonii Sa„ cramentum, " attamen tantum abeſt, ut ea Cano ſententia Novatoribus faveat, ut potius Eccleſiæ cauſam multo fælicius in tuto ponat, dum quæ inter Theologos meræ opinionis ſunt, a fidei ſumma ſecernens, illis Doctorum arbitrio permiſſis, quod religionis eſt, adverſus Hæreticos tuetur; & quidem matrimonium Eccleſiaſtico ritu celebratum Sacramentum eſſe, fides docet Patrum traditione, omniumque gentium conſenſione firmata, in cujus defenſionem eo, quo poſſumus, ſtudio adverſus Novatores incumbimus: An vero ſacro quovis ritu ſemoto., nullo Sacerdotis accedente miniſterio, ex ſolo conjugum aſſenſu olim fuerit Sacramentum, an ſteterit alias ratum fixumque ratione contractus, non adjecta Sacramenti dignitate, ubi ſine Sacerdotis miniſterio ducebatur, an tunc etiam Miniſtri vices obeant conjuges, non Sacerdos, an conſenſus nubentium forma ſit, an Sacerdotis verba, Theologorum opiniones ſunt a fidei capite ſecernendæ, ne dum hæc inſcite confundimus, eo imbecillius Eccleſiæ cauſam agamus, quo firmius in certis hominum opinionibus adhæremus. Prudentius ergo, ac fælicius Eccleſiæ cauſam Bellarminus egiſſet, ſi Canum imitatus fidei dogma a Scholæ diſputationibus internoſcens, in hoc unum intentus, peregrinas quæſtiones, quæ cauſam plus implicant, obſcurantque, & majorem cavillandi anſam Hæreticis præbent, a polemicis tractationibus longius amandaſſet; Statuta enim Melchioris Cano ſententia, ut prudenter adnotat Eſtius, paradoxa multa vitantur, quæ ex traditione difficiliter adverſus Hæreticos tuearis, puta non unum Sacramenti hujus Miniſtrum eſſe, ſed duos, eoſque non conſecratos, ſed Laicos, eoſdem eſſe, qui conferunt, & ſuſcipiunt Sacramentum, formam Sacramenti hujus abſque verbis eſſe poſſe, nulla denique peculiari ceremonia Sacramentum hoc perfici, quæ profecto ſatius fuiſſet ad Scholaſticos amandare, quam uti fidei capita tueri velle.

XVIII. Quæ poſtremo ad elidendam Orientalium conſenſionem Forbeſius, aliique Novatores opponunt, vel falſa ſunt, vel futilia, & a Clariſſimo Renaudotio, aliiſque Orientalium rerum peritis ſcriptoribus refutata. Primo enim quam inſulſum eſt, quod objiciunt, Græcos Myſterii nomine matrimonium compellare? Lepide vero: At eodem nomine Baptiſmum & Euchariſtiam appellant, nec tamen dubitatum hactenus a quoquam eſt, ea Sacramenti loco, & gradu a Græcis haberi. Quorſum de vocabulo diſputatur, quum res eo ſignificata ſit perſpectiſſima; Clamant Archieratici Græcorum libri? clamant ab Orientis Patriarchis collecta Concilia, clamant vulgaræ in Oriente fidei confeſſiones, atque edita a Græcorum Doctiſſimis adverſus Novatores opera, honorabile connubium non qualecumque myſterium eſſe, ſed divina virtute plenum, per ſpiritum operans, externoque ac ſenſibili ſymbolo arcanum & ſpiritualem effectum continens, quem in conjugibus digne ſuſcipientibus operatur. Nec quemquam inter Orientales reperire erit, præter Cyrillum Lucarim, alioſque perpaucos avitæ religionis nequiſſimos Deſertores, Anglorum, & Batavorum auro corruptos, qui Sacramenti hujus inſtitutionem vocarit in dubium; quamquam enim Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, Baptiſmi, & Euchariſtiæ excellentiam commendans ſcripſerit, reliqua Sacramenta tradita fuiſſe ab Eccleſia, falſo tamen putatur horum Sacramentorum inſtitutionem ad Eccleſiam retuliſſe, quum mox præmiſiſſet, omnia novæ legis Sacramenta a Spiritu Sancto auctore profecta eſſe, atque ab eodem producendi ſpirituales effectus efficacitate donata. Hoc ergo Baptiſmo, & Euchariſtiæ peculiare tribuit Hieremias, quod eorumdem inſtitutionis diſerta in Evangelio ſit mentio, reliquorum vero inſtitutio non adeo perſpicue in ſacris litteris memorata, potiſſimum ex divina traditione petatur, quam ab Apoſtolis acceptam perpetuo ſervavit Eccleſia. Hanc vero de Sacramento hoc, ut & de aliis doctrinam Græcos a Latinis hauſiſſe, quo tempore Orientale imperium in Latinorum ditionem venit, riſu dignius eſt, quam reſponſo; ſatis enim eſt ad revincendam fabellæ hujus inſulſitatem, omnia generatim Euchologia conſulere, quorum plura ante tertiumdecimum ſæculum conſcripta ſunt, ut ſuis quiſque oculis deprehendat, non a connexo illo tempore, ſed ab ipſa Apoſtolorum ætate Orientales Occidentalibus mirifice conſentire.

XIX. Neque conſenſioni huic vel minimum nocet, quod & monaſtica profeſſio, & adhibitæ in efferendis defunctorum cor-

Digitized by Google

corporibus ceremoniæ a Græcis inter Sacramenta referantur; præpoſtera hæc enim fuit nonnullorum inter Græcos, ut Theodori Studitæ, & Jacobi Monachi opinatio, quibus fucum fecit Scriptoris librorum de Eccleſiaſtica Hierarchia Dyoniſio Areopagitæ perperam tributorum auctoritas, non vero communis Orientalis Eccleſiæ doctrina, quemadmodum in egregio ſuo opere *de Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ perpetua conſenſione* Leo Allatius luculentiſſime demonſtravit; ſed de eodem hoc argumento fuſius alibi. Quid vero ſi Theologi plures e noſtris, plures item Divini verbi in Oriente præcones, Orientales accuſarunt, quod nullum inter legis Evangelicæ Sacramenta locum Matrimonio tribuant? Decepti ſunt homines minime quidem mali, minus tamen Theologi quam par eſſet, zelum habentes, ſed *non ſecundum ſcientiam*. Nolumus eos graviſſimis, & paulo acrioribus Melchioris Cano, & Lucæ Holſtenii verbis exagitare; modeſtius cum Renaudotio pronuntiamus, anteceptis opinionibus ſuis illos fuiſſe actos, ut ferrent de cauſa judicium, quam non habebant comprehenſam, & denotatam.

ARTICULUS II.

De Matrimonii unitate.

I. NOn eſt nobis in hoc articulo futura res cum Calvino, qui uſque adeo Polygamiam deteſtatus eſt, ut in ſuis commentariis in vetus Teſtamentum editis nec Sanctis iis Patriarchis pepercerit, quos Scriptura memorat, plures habuiſſe ſimul uxores. Erravit ille quidem immaniter in culpanda Veterum Patrum polygamia; iis tamen illum caſtigandum committimus, quorum eſt, ſactas litteras interpretari. Cum Luthero, ejuſque Aſſeclis congrediendum eſt, quorum errorem can. 2. Synodus Tridentina perculit ajens: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla divina lege eſſe prohibitum, anathema ſit*. Adeone vero Lutherus erravit? Ita ſane: Res eſt omnibus vulgatiſſima, magnum illum Evangelii reſtitutorem, & vindicem habito Theologorum ſuorum conventu, pronuntiaſſe, licere illi, cui ſatis uxor una non ſit, priore ſuperſtite, cum altera nuptias inire, & facultatem feciſſe Philippo Lantgravio Haſſiæ, retenta priore conjuge Chriſtiana e Saxoniæ Ducibus, Margaritam de Saal ſibi Matrimonio jungendi. Monſtroſum errorem hunc, cujus puduit Calvinianos omnes, nec non eos inter Lutheri diſcipulos, qui non omnem modeſtiam, & humanitatis ſenſum exuerant, profligandum aggredimur.

Lege Evangelica vetitum eſt pluribus ſimul uxoribus jungi.

II. Prob. momento illo, cui Tridentina Synodus definitionem ſuam ſuperextruxit ajens: *Matrimonii vinculo duos tantum copulari, & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit, quum poſtrema Adæ verba* Gen. 1. *tamquam a Deo prolata referens dixit, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro, ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit, Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ex quibus verbis hoc argumentum inſtruimus: Chriſtus Matth. 5. & 19., Marci 10. & Lucæ 16. non ſolum libellum repudii Hebræis ob duritiem cordis a Moſe permiſſum expunxit, ſed & polygamiam iiſdem olim conceſſam ſuſtulit, atque non indiſſociabile ſolum matrimonii vinculum, ſed & ejuſdem unitatem ad divinam inſtitutionem, & primævam originem revocavit; tantum ne ergo ſibi ſumet humana temeritas, ut illud rurſus inducat, quod Chriſtus excluſit, illud licere pronuntiet, quod Chriſtus expreſſe vetuit? Quid enim iis diſertius, quæ Chriſtus ait Marci x., *ab initio creaturæ maſculum & fœminam fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem, & adhærebit ad uxorem ſuam, & erunt duo in carne una, itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*? Nonne commemoratam matrimonii conditionem Chriſtus eo loco deinceps eſſe voluit, quo primum a Deo fuerat conſtituta? Quid ſibi ea illatio vult, quam recitatis Geneſeos verbis e veſtigio Chriſtus adjecit ajens, *itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*? Niſi polygamia ſublata, primigeniæ unitati Matrimonium reſtituiſſet, perperam & falſo addidiſſet, conjuges non duos eſſe, ſed unam carnem; relicta enim antiqua polygamiæ indulgentia, jam non duo forent in una carne, ſed tot carnes eſſent, quot uxoribus vir jungeretur. Quid etiam ea conſecu-

cutione evidentius, quam Chriſtus mox ſubintulit ajens, *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet?* Nonne Deus unum cum una ab initio conjunxit? Si ergo ſeparare non debet homo, quod eſt conjunctum a Deo, polygamiam certe Chriſtus exploſit, qua conjunctio unius cum una a Deo primum inſtituta diſſolvitur.

III. Aliud ex iis, quæ Marcus continenter addit, argumentum exurgit: *Et in domo iterum Diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum, qui ait illis, quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Eccur vero Chriſtus adulterii reum illum agit, qui priore dimiſſa uxore alteri nupſerit, ſi etiam priore retenta, licet cum altera nuptias inire? Nonne ab hoc ſcelere facilius purgari poſſe videtur, qui repudiata uxore, in ſecundis nuptiis incontinentiæ remedium quæreret, quam qui uxori, cui junctus eſt, alteram ſuperinducit? Adulter eſt, Chriſto judice, non qui dimittit uxorem, ſed qui, ea ſuperſtite etſi dimiſſa, conjugali fœdere alteri ſociatur; innocens vero erit, decernente Luthero, qui, eadem retenta, alteram ducit? Si credebat Evangelio Lutherus, ex laudatis Chriſti verbis illud debebat inferre, quod perpetuum Univerſalis Eccleſiæ ſenſum exponens Innocentius III. intulit: *Si ergo uxore dimiſſa, duci alia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta, per quod evidenter apparet, pluralitatem in utroque ſexu circa Matrimonium reprobandam.* Quid porro ſi Paulum Chriſti adhibeamus interpretem? I. ad Cor. 7. hæc ſcribit: *Bonum eſt mulierem non tangere, ſed propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Non te puduit, Luthere, cum Gentium Doctore ipſo jam aperte pugnare, & plurium ducendarum uxorum facultatem iis facere, qui in fornicationis periculo verſantur, ad quod evitandum ſatis eſſe duxit Apoſtolus, unumquemque uni uxori jungi? Quid iis illuſtrius, quæ ad Epheſios 5. habet? *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ . . . . . Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum pro ea tradidit;* quum ergo nonniſi unius Eccleſiæ Chriſtus ſit caput, neque ſe ipſum niſi pro una tradiderit, niſi inepte comparationem hanc induxiſſe velimus Apoſtolum, fatendum eſt, ab eo unitatem Matrimonii confirmatam.

IV. Decretoria porro ſunt, quæ idem Apoſtolus addit: *Viri debent diligere uxores ſuas, ſicut corpora ſua; qui ſuam uxorem diligit, ſe ipſum diligit; nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus: propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Duobus argumentis probat Apoſtolus diligendas a viris uxores, altero ex natura ipſa, altero ex myſtica conjugii ſignificatione petito: utrumque vero in Matrimonii unitate inſtaurata a Chriſto, & primævæ inſtitutioni reddita fundatum eſt; demonſtrat enim primo, docere naturam ipſam, diligendam uxorem a viro, quod naturale cuique ſit, carnem ſuam nutrire, ac fovere, uxoris vero, atque viri una ſit caro, quum Gen. 2. legatur, hominem Patre, & Matre relictis, adhæſurum uxori, duoſque in carne una futuros. Quis autem, niſi pro cerebro fungum habeat, non illico intelligit, fluxum fore, atque futile hoc Pauli argumentum Geneſeos auctoritate ſubnixum, niſi probe noviſſet ille, Matrimonium unitati illi reſtitutum a Chriſto, quam in mundi primordiis Deus Matrimonii auctor inſtituerat? Demonſtrat ſecundo Apoſtolus eandem, quam ſibi eo loci propoſuerat, veritatem, quia conjugium magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia Sacramentum. Idne vero pronuntiare potuiſſet Apoſtolus, ſi non habuiſſet plane perſpectum, monogamiam ſancitam a Chriſto? Non eſt profecto polygamia, nec vero eſſe poteſt magnum illud commendatum adeo a Paulo Sacramentum, quum ſignificare nequeat Chriſti cum Eccleſia conjunctionem, de qua ſponſus ajebat in Canticis: *una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt.* At quid ego argumentor, quid plura diſputo? Etiamne in re tam perſpicua, argumentatio quærenda eſt, aut conjectura capienda? Audiamus Apoſtolum hæc e veſtigio ſubdentem: *Verumtamen & vos ſinguli, unuſquiſque uxorem ſuam, ſicut ſe ipſum diligat, uxor autem timeat virum ſuum.* Cur Paulus cuique viro ſingulari nu-

numero unam uxorem tribuit, eamque diligi jubet a viro ut ſeipſum, ſi plures licet habere poſt Chriſtum? Si fas erat, plures ducere, erant & illæ diligendæ a viro, eratque plurium amor unicuique viro commendandus a Paulo: Si ergo juſſit Paulus ab unoquoque viro ſuam uxorem diligi, idque argumentis jam memoratis neceſſarium evicit, exploratæ rei loco ſane conſtitui, in lege Evangelica unum nonniſi uni jungi poſſe.

V. Fac tamen invicta non eſſe, quæ e ſacris litteris argumentando confecimus, fac memoratos Evangelii, & Pauli textus non obvios adeo eſſe & perſpicuos, ut huic definiendæ veritati ſint ſatis; eodem illo Lutherum argumento revincimus, quo in ſermone adverſus Anabaptiſtas uſus ipſe eſt validiſſime. „ Concedimus, „ in ſacra Scriptura nullum eſſe expreſ- „ ſum textum ad refutandum Anabapti- „ ſtarum errorem. Si quis eorum velit, „ ut verba expreſſa proferamus, credi- „ mus; contumacium tamen hæretico- „ rum, non hominum Chriſtianorum eſt, „ tam anguſtis nos terminis circumſcribe- „ re. Illud ſatis cuique eſſe debet, quod „ inſtitutionem Apoſtolorum ſequimur „ per omnia tempora in Eccleſia Dei ob- „ ſervatam, etſi Scriptura id non præci- „ piat. " Qua fronte ergo auſus eſt Lutherus polygamiam invehere, cujus interdictum etſi nullo poſſet novi inſtrumenti teſtimonio demonſtrari (quod tamen prætermittimus, non concedimus) perpetua tamen, & invariata univerſalis Eccleſiæ praxi, quæ optima ſemper fuit legum Chriſti interpres, luculentiſſime confirmatur? „ Eja excutite omnes mundi an- „ gulos (in Lutherum, ejuſque aſſeclas „ torqueo, quæ ipſe, atque Zuinglii, & „ Calvini Diſcipuli Anabaptiſtis oppo- „ nunt) neminem, qui vobiſcum ullo tem- „ pore ſenſerit, invenietis; " ſi quis vero errorem hunc veſtrum retroactis ſæculis præformarunt, ii ſtatim omnium conſenſu damnati, atque Antichriſtiani habiti, qui ſpurciſſimum Mahumediſmum in Eccleſiam Dei conarentur invehere. Oſtendite quando monſtroſa hæc opinio in Eccleſia recepta ſit, neque enim vobis licet illam e cerebro veſtra procudere; nos ex adverſo totius Eccleſiæ conſenſum, & conſuetudinem proferemus, quæ polygamiam ſemper execrata eſt, & præſcripſit, non id profecto factura, niſi ab Apoſtolis acceipiſſet, illam tametſi priſcis Patriarchis, & Hebræorum genti divina indulgentia permiſſam, a Chriſto novæ legis latore fuiſſe reſciſſam.

VI. Non vacat Apoſtolicæ traditionis hujus locupletiſſimos teſtes advocare veteres Patres, Ambroſium præſertim, Chryſoſtomum, Auguſtinum, Siricium, & Innocentium I.: unum ſeligimus Tertullianum, tum quod in eum aptius quadret Æcolampadii argumentum, quo Cypriani Tertulliano poſterioris auctoritatem adverſus Anabaptiſtas urgebat, ajens, „ fie- „ ri non poteſt, ut qui Apoſtolorum tem- „ poribus propinquus fuit, fabulas Chri- „ ſtianis narrare voluerit, quum Eccleſiæ „ traditione mendacii revinci poſſet; " tum etiam quod eadem ille argumenta pertractet, quæ nos e Scripturis exprompſimus: „ Ad legem nubendi dirigen- „ dam, ait ille in lib. de exhortatione „ caſtitatis, ipſa origo humani generis pa- „ trocinatur, conteſtans, quid Deus in „ primordio conſtituerit; nam quum ho- „ minem figulaſſet, eique parem neceſſa- „ riam proſpexiſſet, unam de coſtis ejus „ mutuatus unam illi fœminam finxit... „ & ideo homo Dei Adam, & mulier „ Dei Eva unis inter ſe nuptiis juncti „ formam hominis Dei de originis aucto- „ ritate, & prima Dei voluntate ſanxe- „ runt. Denique erunt duo, inquit, in „ carne una, non tres, neque quatuor, „ alioquin jam non una caro, neque duo „ in unam carnem. At quam Apoſtolus „ interpretatur in Eccleſiam, & Chri- „ ſtum, *erunt duo in unam carnem*, ſe- „ cundum ſpirituales nuptias Chriſti & „ Eccleſiæ, unus enim Chriſtus & una „ ejus Eccleſia, agnoſcere debemus dupli- „ catam & exaggeratam eſſe nobis unius „ Matrimonii legem tam ſecundum ge- „ neris fundamentum, quam ſecundum „ Chriſti Sacramentum.... Sed & be- „ nedicti, inquis, Patriarchæ pluribus „ uxoribus conjugia miſcuerunt: ergo „ propterea nobis quoque licebit, innu- „ merum nubere? Sane licebit.... Si „ etiam nunc locus eſt vocis illius, *cre- „ ſcite & multiplicamini*, & nondum „ alia vox ſupervenit, tempus jam in col- „ lecto eſſe, reſtare, *ut & qui uxores ha- „ bent, tamquam non habentes ſint*. Unius „ Dei utraque pronuntiatio, & diſpoſitio „ eſt, qui tum quidem in primordio emi- „ ſit ſementem generis, indultis conjugio- „ rum

„ rum habenis, donec mundus repleretur, „ nunc vero ſub extremitatibus temporum „ compreſſit, quod emiſerat, & revoca- „ vit, quod indulſerat . . . . . Puto au- „ tem, etiam in humanas conſtitutiones „ atque decreta poſteriora priſtinis præva- „ lere. “ Non eſt cur quidquam in hoc Tertulliani teſtimonium adnotemus; ex dictis enim patet, tot in eo eſſe adverſus Lutherum argumenta, quot verba.

Lutheri argumentis occurritur.

VII. Perperam in erroris ſui præſidium Lutherani veteres Patriarchas accerſunt, quos Polygamos fuiſſe, Scriptura memorat, nec reprehendit, perperam argumenta congerunt, quibus probent, non pugnare cum naturali lege polygamiam, perperam Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimoniis idem conantur evincere; aberrant enim hæc omnia ab inſtituto, neque quæſtionem, quam verſamus, attingunt. Omnine culpa vacarit Veterum polygamia, an accuſari illa poſſit, jurine naturæ adverſetur, an ſecus, intercelleritne divina diſpenſatio, quæ naturæ jus plures ſimul uxores prohibens relaxarit, an nulla opus fuerit Dei diſpenſatione, nihil ad nos, qui pluralitatem uxorum Evangelica lege vetitam eſſe, tuemur, & diſpenſationem quamlibet, ſi quæ olim fuerat, ſublatam a Chriſto, qui, ut Tertullianus ait, ſub extremitatibus temporum compreſſit, quod emiſerat, & quod indulſerat, revocavit. Hoc a Chriſto latum interdictum tres referunt Evangeliſtæ, Paulus loco habet rei certiſſimæ & exploratæ, Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum ævo ad hæc noſtra uſque tempora confeſſa eſt, & religioſe ſervavit; niſi vero momentum hoc, cui Catholica veritas ſubnixa eſt, quatiant Lutherani, aerem verberabunt. Operam mehercule ludunt, dum argutantur, eaſdem nunc eſſe concedendæ polygamiæ cauſſas, quæ olim, fervere ſcilicet, ut olim, concupiſcentiam, & fidelis populi propagationi ſtudendum; falſum enim eſt quam quod maxime, indulſiſſe Deum antiquis, ut ſedandæ concupiſcentiæ cauſſa pluribus uxoribus uterentur, eſtque commentum inſanum Fauſti Manichæi ab Auguſtino validiſſime refutatum. Præcipuam vero permittendæ in veteri fœdere polygamiæ cauſſam, divini ſcilicet cultus propagationem, etiam in lege nova vigere, ineptiſſime Lutherani contendunt; quandoquidem, ut ait egregie D. Thomas, *veniente Chriſto fuit tempus plenitudinis gratiæ, per quam in omnes gentes cultus Dei ſpirituali propagatione diffuſus eſt, ideoque non eſt eadem ratio diſpenſationis, quæ erat ante Chriſti adventum, quando cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur.*

VIII. Neque fælicius regerunt, jugum Chriſti ſuave eſſe, ejuſque onus leve, fieri autem graviſſimum, atque intolerandum, ſi vetita ſit Chriſtianis polygamia; fieri non haud raro poteſt, ut quiſpiam vel uxorem adulterii cauſſa dimittat, vel ea diuturno, ac inſanabili morbo corrupta uti non poſſit. Quid facias homini, cui datum non eſt divinitus continentiæ donum, quem ſi velis innuptum vivere, in fatalem peccandi neceſſitatem inducis? Quid faciam homini ejuſmodi? Illud plane, quod Chriſtus faciendum edixit; neque enim *ad hominum incontinentium arbitrium*, ut ait Auguſtinus, *pervertenda lex Chriſti eſt, aut immutanda*. Si de uxore dimiſſa ſit ſermo, clamat Apoſtolus 1. ad Cor. 7. *Iis qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari, & ſimiliter vir uxorem non dimittat*, tacite quoque ſubinnuens, eum, ſi uxorem dimiſerit, aut illi reconciliari, aut a novo abſtinere conjugio. Si vero morbus, aut alia quævis cauſſa rem uxoriam impediat, continendum omnino eſt, nec iniri novæ nuptiæ poſſunt abſque piaculo. Ecquid enim, ſi ille, cujus eo loco res ſunt, ait, dono continentiæ ſe carere? Numquid in fatalem peccandi neceſſitatem inducitur? Deus, ait egregie Auguſtinus, *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*; quare ſi continentia ille indiget, poſtulet a Deo, ut Jacobi I. legimus, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*. Audiendus Chryſoſtomus hactenus dicta præclare confirmans hom. 63. in Matth. „ Interrogatus Chri- „ ſtus, ſi liceret homini dimittere uxo- „ rem, ne conturbarentur, antequam ſen- „ tentiam proferret, confirmationem a „ Scriptura poſuit, oſtendens Dei & Pa- „ tris omnium id eſſe mandatum. Con-

„ ſiderandum autem eſt, quod non ſolum „ ab opificio, verum etiam ab ipſo præ- „ cepto ſententiam corroborat; non enim „ dixit, quia virum & mulierem unam „ ſolummodo fecit, ſed quia juſſit, ut „ unus uni conjungatur . . . . Nunc ve- „ ro & creationis, & ſanctionis modo, „ unam uni perpetuo conjungi, & num- „ quam debere reſcindi perdocuit. Poſſe „ autem nos ſervare continentiam oſten- „ dit dicens: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos* „ *caſtraverunt propter regnum cælorum* . . . „ poſſibile namque id eſſe, hoc fere mo- „ do confirmat: Cogita tecum, ſi aut a „ natura Eunuchus eſſes, aut hominum „ injuria effectus, quid faceres, quum & „ hujuſmodi voluptate careres, & nul- „ lam carendo mercedem conſequereris? „ Gratias igitur Deo agas, quia magna „ præmia habebis, ſi ita vives, quemad- „ modum ſine aliquo illi præmio, immo „ vero multo facilius, tutius, ac jucun- „ dius: " Hæc Chryſoſtomus, qui inſa- na Lutheri commenta præfocavit, atque retudit.

Adverſus reſponſum hoc tamen Luthe- rus inſurgit: Gregorius I. agnomento Magnus in quadam ad Auguſtinum Ar- chiepiſcopum Cantuarienſem Epiſtola, Gregorius item tertius in Epiſt. ad Boni- facium Epiſcopum, ex Apoſtolicæ & Ro- manæ Eccleſiæ auctoritate pronuntiat, ſi mulier aliqua infirmitate correpta debi- tum reddere marito nequiverit, poſſe hunc aliam uxorem ducere, ea tamen le- ge, ut ſubſidii opem conjugi priori non ſubtrahat. Nonne & Valentinianus ſenior Imperator, lege lata, quam in ſingulis Civitates teſte Socrate, Romani Imperii Civitati- bus divulgavit, cuique permiſit, ut, ſi vellet, duas poſſet habere uxores legiti- mas, ipſe quoque Severæ jam nuptus Ju- ſtinam duxit? Nec tamen tot ii eximii Patres, Græci, Latinique, qui eo impe- rante florebant, reprehendiſſe illum, ejuſ- que legem improbaſſe leguntur, quod ar- gumento eſt, quarto ſæculo non fuiſſe perſuaſum Eccleſiæ, polygamiam legi Evangelicæ repugnare.

IX. Frivola tamen hæc ſunt; „ in pri- „ mi namque argumenti explicationem, „ ait graviſſime Melchior Cano, multa „ quidem dici poſſent, ſed nos in pauca „ conferemus. Sane Gratianus audacius „ multo quam diſertius ait, illam utriuſ- „ que Gregorii ſententiam Evangelicæ, „ & Apoſtolicæ doctrinæ eſſe contrariam, „ a quo ego longe diſſentio; non poſſu- „ mus enim utriuſque Gregorii contemne- „ re definitionem, quum fuerint ambo „ tum Doctiſſimi, tum etiam Sanctiſſimi. „ Itaque non errarunt, quod Gratianus „ falſo exiſtimavit, ſed de muliere potius „ locuti ſunt, quæ ante Matrimonium „ inepta erat ad conjugii actum, ſeu, ut „ Scholæ verbis utamur, quæ impotentia „ ſolvendi debiti laborabat, cujus ſimile „ exemplum habes *de frigidis* cap. *Con-* „ *ſultationi*. Idem ipſe Gregorius ita ſen- „ tentiam ſuam explicat in Epiſt. ad Ra- „ vennatem Archiepiſcopum, refertur que „ a Gratiano diſt. 33. quæſt. 1. c. *Requi-* „ *ſiſti*. " Ideo vero nuſpiam legere eſt, Valentinianum Seniorem reprehenſum a coævis Patribus, quia Socratis narratio fabula eſt totum Eſopum olens; Quoniam vero ſæculo proxime elapſo male feriatus Auctor libri, cui titulus, *polygamia triumphatrix*, hanc Socratis narrationem in cauſæ ſuæ ſubſidium fidenter adduxit, promenda momenta ſunt, quæ ex Baro- nio Henricus Valeſius exſcripſit, ad re- vincendam fabulæ hujus futilitatem.

X. Quod attinet ad Valentiniani cum Juſtina Virgine conjugium, & latam ab eo legem, Baronius totam narrationem velut anilem fabulam ob has rationes ex- ſibilat: Unde id quæſo hauſit Socrates? Zozimus Auctor Ethnicus, iſque coævus nihil hujuſmodi habet, qui certe quo non pretio redemiſſet, ut Chriſtiano Impera- tori proxime ſuccedenti Juliano, quem in Chriſtianæ religionis odium adeo celebrat, potuiſſet tantum facinus exprobrare? Quid de Ammiano Marcellino Gentili, & in Chriſtianos Principes parum æquo, qui tamen nihil adeo in Valentiniano hoc celebrat, ac caſtitatem? Appello nunc rectum Eruditorum omnium, ſanumque judicium: Potuiſſetne hæc de Chriſtiano Principe a Scriptoribus in Chriſtianam re- ligionem adeo infenſis prædicari, ſi fuiſ- ſet ille publica obſcænitate pollutus, quam ſcimus a Romanorum rerum Hi- ſtoricis in Barbaris eſſe deriſam, & in Romano Imperatore olim id tentante magnopere improbatam? Quomodo non magis iidem Scriptores Ethnici pudendum ſcelus in ſingulis urbibus Præconis voce vulgatum invectivis graviſſimis inſectati fuiſſent? Si Valentinianus talia perpe- traſſet, turpior videri potuiſſet Commo- do,

do, & Heliogabolo, qui licet impuriſſimi, numquam tamen hujuſmodi facinus pertentarunt. Et quidem Valentiniano honeſtiores Valerianus & Galienus Imperatores, qui ſuis legibus duas ſimul uxores habentes notarunt infamia, quin & puriores illo atque juſtiores Diocletianus & Maximianus Auguſti, qui ad Sebaſtianum reſcripſerunt, crimen hoc jam in edicto Prætoris notatum infamia non eſſe ferendum inultum. Nullus tamen Ethnicorum id in Valentiniano redarguit, ſed contra potius caſtitatem tanti Principis domi foriſque lucentem, & conſpicuam omnibus factam tanto præconio efferunt, quanto ſciam nec antea nec poſtea quemquam ab iis eo nomine fuiſſe laudatum. Sed & quonam modo res toto Romano Imperio diffamata nonniſi uni, qui poſt hæc tempora vixit, Socrati innotuit? Ex eo enim deſcripſere Paulus Diaconus, Zonaras, Nicephorus, & ſi qui alii, qui inconſulte cæcum ducem ſecuti ſunt. Non hæc Hieronymus, Oroſius, Severus, Sulpitius, & alii plures Latini, qui his temporibus claruere hujus ætatis eventa ſcribentes, neque apud Græcos Sozomenus, & Theodoretus ejuſdem Imperatoris geſta proſecuti. Plus ſane quam millies neceſſitas popoſciſſet, Eccleſiaſticos hujus ſæculi tractatores Latinos, Ambroſium, Hieronymum, & Auguſtinum legis hujus a Valentiniano editæ meminiſſe, quum ſæpe de polygamia tractarint; verum apud eos de lege hac ne verbum quidem. Faceſſat igitur de infami lege ſuſpicio, ſileat de duarum ſimul uxorum nuptiis falſo aſſerta calumnia; duxit quidem Valentinianus Juſtinam, ſed poſt Severæ prioris conjugis obitum: Ita Baronius ad an. Chriſti 370.

ARTICULUS III.

De indiſſolubili Matrimonii nexu.

I. ETſi Calvinus polygamiam horruerit, & pro Matrimonii unitate ſteterit, nexum tamen ejus, quem primus omnium Parens divini Spiritus inſtinctu, ut Tridentinum ait, perpetuum ac indiſſolubilem pronuntiaverat, quemque Chriſtus in Evangelio, ſublato repudii libello, firmavit, ſacrilego auſu violare, ac reſcindere conatus eſt legibus partim in Deum manifeſte impiis, partim in homines iniquiſſimis, quas ille a Romana Eccleſia, ut ſuam tyrannidem confirmaret, de Matrimonio latas eſſe blaſphemat, illam quoque annumerans, ne viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere liceat, atque in lib. de vera Eccleſiæ Reformatione, necnon in Epiſt. ad Valerianum Polanum ſcribens, „ ſi certo „ conſtet, caſte uxorem honeſteque vixiſ„ ſe, maritum vero fracta, & violata „ conjugii fide in locum incognitum „ abiiſſe, cauſa legitime cognita, nuben„ di libertatem, quam Dominus permit„ tit, fas non eſſe negari ab homini„ bus. “ Hinc illa apud Genevenſes conſtituta lex: „ Si maritus nequam ab „ uxore diſcedat, annum integrum mu„ lier expectet: eo exacto, ſi comperia„ tur opus eſſe, ut denuo nubat, licebit „ ei prævIis proclamationibus id facere; „ quod ſi occupato jam loco vir ejus re„ verſus fuerit, mulctabitur, prout vide„ bitur conſentaneum æquitati: “ Ita Floremundus Remundus, qui & formam inquiſitionis novo Matrimonio præmiſſæ deſcribens ait: „ Juſſam comparere co„ ram Conſiſtorio, Miniſter, habita prius „ admonitione, ecquid de viro ſuo inau„ diverit, interrogat, qua jurejurando aſ„ firmante, ſe annum jam totum, ubi „ ſit, ignorare, Miniſter quærit, utrum „ continentiæ donum habeat: Si reſpon„ deat, carnem infirmam eſſe, id dictum „ illis ſapientibus ſat eſt, nec mora, in „ poteſtatem alterius viri veniendi liber„ tatem habet. Præſtat nubere, quam „ uri. “ Abyſſus ſane abyſſum invocat, atque error errore cumulatur: Calvinus diſſolvendi Matrimonii cauſſam adulterium commentus eſt, Diſcipuli ejus affectatam viri abſentiam addiderunt. Uterque a nobis refutandus eſt error, atque in duas adſertiones utrique directe oppoſitas Catholica veritas tribuenda.

ADSERTIO I.

Matrimonii vinculum neque ob hæreſim, neque ob moleſtam cohabitationem, neque ob conjugis abſentiam diſſolvi poteſt.

II. Adſertio hæc iiſdem verbis concepta eſt, quibus Tridentina Synodus canonem quintum edidit, omneſque cauſſas exploſit, quas Novatores adverſus evidentiſſi-

tiſſimam divini eloquii veritatem diſcindendo conjugali nexui prætexuerunt; Ecce vero & hæreſim nominatim expreſſit? Quia hæc communior eſt apud Calvinianos diſſociandi Matrimonii cauſſa; Si enim vir ab uxore digreſſus, Genevam aut alio contenderit, & Pſeudo-reformatæ religioni dederit nomen, nolitque uxor peſſimum imitari mariti exemplum, ob hæreſim (ſic enim Catholicam uxoris religionem vocant) diſſolutum Genevæ & alibi habetur prioris conjugii vinculum, fitque viro facultas aliam ejuſdem ſectæ ducendi: idem de uxore pronuntiatur, quæ virum eadem de cauſſa dimiſerit: ita refert memoratus Remundus Calvinianorum praxis peritiſſimus, quippe qui in eorum luto diu hæſerat. Agite nunc homines, qui ſolo verbo Dei nitimini, omnia eo ſolo tranſigitis, & omnia ferme Catholicæ doctrinæ capita rejicitis, quod videantur illa vobis Dei verbo deſtitui: Ubinam in ſacris novi fœderis paginis legere eſt, factam a Chriſto, intercedente harum cauſſarum aliqua, dirimendi Matrimonii poteſtatem? Si non conceptis verbis id legitur, quodnam teſtimonium occurrit, ex quo poteſtas ejuſmodi legitima, & neceſſaria conſecutione ducatur? Interrogatus a Judæis Chriſtus, an *liceret Viro uxorem ſuam quacumque ex cauſſa dimittere*, nitide & abſolute reſpondit: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur*. Nonne vulgatiſſima & immota juris eſt regula ex ipſis naturæ principiis ducta, fas non eſſe diſtinguere, ubi jura, & juris Conditor non diſtinguunt? Quo ergo rapuit ſacrilegos homines inſana temeritas, ut quandoque ſeparari poſſe decernerent, quod Deus ipſe conjunxit, quodque diſſolvi numquam poſſe, Chriſtus indefinite & generatim edixit? Si enim univerſalis, & abſoluta non ſit Chriſti locutio, ſed confictis a Calvini Diſcipulis exceptionibus ſit coarctanda, immanem hanc blaſphemiam concoquamus neceſſe eſt, Chriſtum ſcilicet fraudulenter, neque ad rem Phariſæis interrogantibus reſpondiſſe; Percunctabantur enim illi, num quavis ex cauſſa liceret ab uxore recedere: annon ſummam Chriſti veracitatem, æquitatemque decebat, tunc maxime cauſſas exprimere, ſi quæ diſcindendi conjugii vere erant? Nullas autem Chriſtus protulit: nullas ergo eſſe, conſequitur.

III. Sed expendenda ſedulo ſunt, quæ Matthæus & Marcus e veſtigio ſubjiciunt: *Dicunt ei diſcipuli, ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*; Matthæi 19. Marci vero x. *Et in domo iterum Diſcipuli ejus de eodem interrogaverunt eum*. Quid autem Chriſtus? *Dixit illis, non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*. Quum etiam Diſcipulos Chriſti haberet ea quæſtio ſollicitos, iiſque paulo aſperior videretur Chriſti ſententia, nonne æquum ſummopere erat, iis dari, ut caperent verbum iſtud, &, ſi quas generalis illa Chriſti ſententia limitationes patiebatur, perſpectas haberent? Et ſi Chriſtus cæteris in parabolis loqueretur, *ut videntes non viderent, & audientes non intelligerent*, nefas eſt ſuſpicari, illum eadem erga Apoſtolos uſum æconomia: Ii enim erant, quibus futuris totius terrarum orbis Doctoribus, & Eccleſiæ fundatoribus Chriſtus apud Lucam ait: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei*, & apud Joan. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a Patre, nota feci vobis*; oportebat ergo, ut, quoniam de re graviſſima, atque ad ſalutem neceſſaria ſermo erat, edocerentur Apoſtoli legitimum verborum Chriſti ſenſum, ne & errarent ipſi, & alios in errorem inducerent: Chriſtus tamen Diſcipulis quoque ſciſcitantibus ea repoſuit, quæ jam ex Marco laudavimus: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam* &c. Verum fac, nec Apoſtolis interrogantibus voluiſſe Chriſtum dicti ſui intelligentiam tunc præbere, quandoquidem propediem moriturus eos ita legitur allocutus, *adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*; dubitare ne quiſdam poteſt, eos a Spiritu Sancto, ut de omni alia, ita & de hac veritate fuiſſe pleniſſime eruditos, quum Chriſtus continenter adjecerit, *Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis?* Num vero Apoſtolos Spiritus Sanctus edocuit, eas Chriſti verbis apponendas exceptiones eſſe, quas novi Evangelici confinxerunt? Paulus, quem Calvinus *cæleſtis Spiritus organum* vocat, *cujus teſtimonio ſtat, & cadit Eccleſia*, Matrimonii vinculum ſola di-

dirimi alterutrius conjugum morte pronunriat ad Rom. 7., itemque 7. primæ ad Cor. *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri: igitur vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*. Quidpiam ne quærimus diſertius, & expreſſius?

Calvinianorum argumenta ſolvuntur.

Arguunt Novatores: Primo Chriſtus jubet, abſcindi manum, aut pedem, erui oculum, atque abs nobis proiici, ſi hujuſmodi membra myſtice ſumpta nobis ſcandalo fuerint; quum ergo aut prava conjugis religio, aut immania vitia, aut affectata & diuturna abſentia, alterum in manifeſtum æternæ ſalutis amittendæ diſcrimen ſæpe conjiciant, quidni dicamus, tunc parendum eſſe jubenti Chriſto, abrumpendum ſcilicet conjugii nexum? Secundo: Nonne Romanenſium omnium doctrina eſt, quam ſibi ex iis, quæ 1. ad Cor. 7. habet Apoſtolus, videntur extundere, matrimonii vinculum vere ſolvi, ſi alterutro conjugum Chriſtianam fidem amplexo, nolit alter ei abſque Creatoris injuria cohabitare? Idem ergo dicendum, ſi alterutro ab hæreſi ad veram religionem adducto, velit alter in ſuo errore perſtare, nec commorari conſentiat alteri abſque veræ religionis contumelia. Tertio, Romanenſibus licuit, quod Deus conjunxit, ſua illa profeſſione Monaſtica ſeparare: eccur id aliis non liceat, propter cauſſas multo graviores, & æquiores? Poſtremo, ſi abſoluta adeo atque indefinita eſt ea, quam tantopere urgent, Chriſti ſententia, nefas ſane erat, & ipſi Romano Papæ quidpiam adverſus eam excipere; Cæleſtinus tamen III. definivit, matrimonium inter fideles initum omnino ſolvi, ſi alter conjugum a fide defecerit, atque ei, qui perſeverat in fide, integrum eſſe, ad alias nuptias convolare, alii vero ab Alexandro III. ſuppreſſo nomine, memorati ſanxerunt, matrimonium ratum cum uno initum conſummato cum altero matrimonio diſſolvi.

IV. Nullius tamen negotii erit ſingula hæc a Novatoribus objecta refellere, ſi in doctrinam Eccleſiæ e Scripturis & traditione manantem oculos intendamus: Juſſionem Chriſti de amputando eo, quod nobis eſt ſcandalo, atque communem Patrum interpretationem ſuſcipit Eccleſia, impletque religioſiſſime; quos enim gravis aliqua, & legitime probata cauſſa in æternæ ſalutis diſcrimen adducit, thoro atque convictu ſeparat, atque inter conjuges, quorum alter alteri cauſſa ſpiritualis ruinæ eſt, temporarium, vel perpetuum divortium, tradita ſibi a Chriſto poteſtate, conſtituit. Quis Chriſti dictis reverentius atque ſanctius auſcultat? Romana Eccleſia ne, an Synagoga Novatorum? Quum Chriſtus expreſſe vetuerit, humana quavis auctoritate ſejungi, quod eſt conjunctum a Deo, mœchumque pronuntiarit, qui, uxore dimiſſa, alteram duxerit; Paulus item doceat, nonniſi mortuo viro, ſolutam uxorem eſſe a lege conjugii, idem vero Chriſtus diſerte aſſeruerit, non poſſe Diſcipulum ſuum eſſe, qui uxorem non oderit, & proiiciendum abs nobis, quod ſpirituale nobis exitium importat, traditione perpetua ab Apoſtolis veluti per manus accepta, pugnantia hæc ſpecie tenus Chriſti præcepta ſancte componere edocta Eccleſia, omnia perficit ad Chriſti mentem; inviolatum enim, perpetuumque docet eſſe vinculum, quo legitimos conjuges Deus ipſe conſtrinxit, reumque adulterii habet, qui audeat ad nova vota tranſire; non laxata tamen divini hujus vinculi firmitate, conjuges thalamo ac conſuetudine diſgregat, ut ſcandalum avertat, quod alter alteri infert, illudque Chriſti impleatur, de ipſa quoque uxore habenda odio, ſi Chriſto fuerit contumelioſa, atque viro exitialis. Quid vero Novatores? Qui adverſus Chriſti & Pauli vetitum inaudita temeritate matrimonii nodum abrumpunt certis de cauſſis, quas perpetua univerſalis Eccleſiæ praxis, omniumque Chriſtiani nominis ſocietatum conſenſus explodit, eaſdem illas, quibus matrimonii vinculum ſolvi contendunt, & alias quaslibet perfracte rejiciunt, ſi de conjugibus thoro & contubernio ſejungendis agatur, & Romanam Eccleſiam erroris accuſant, quod his aliiſque de cauſſis ejuſmodi ſeparationem probet, & ſanciat. Errant tamen ipſi turpiſſime, atque octavo Tridentini canone juſtiſſime proſcripti ſunt: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, quum ob multas cauſſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quod cohabitatio-*

tionem ad certum incertumque tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.

V. Secundum argumenti caput ſolida D. Thomæ doctrina, quæ Catholicæ Eccleſiæ, & omnium Theologorum eſt, facile diluitur: „ Quando alter in conjugum „ ad fidem convertitur, altero in infidelitate „ manente, ait Angelicus, diſtinguendum „ eſt: Si infidelis velit abſque Creatoris „ contumelia cohabitare, neque alterum „ ad infidelitatem inducat, poteſt fidelis „ libere diſcedere, non tamen alteri nubere: Si vero infidelis cohabitare nolit „ abſque Creatoris injuria, in verba blaſphemiæ prorumpens, & nomen Chriſti „ audire nolens, tunc, ſi ad infidelitatem „ pertrahere nitatur, vir fidelis diſcendens „ poteſt alteri matrimonio copulari. “ Doctrinam hanc tum ex eo Pauli 1. ad Cor. 7., *Si fidelis diſcedit, diſcedat, frater enim aut ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi*, tum ex priſcis Eccleſiæ canonibus hauſtam D. Thomas duplici momento confirmat: „ Primo Matrimonium ratum non eſt, abſque Sacramento „ Baptiſmi quod autem ratum non eſt, diſſolvi poteſt, matrimonium ergo in infidelitate contractum dirimi poteſt, atque ſoluto conjugii vinculo, licet viro aliam uxorem ducere: Secundo Vir commanere non „ debet uxori cohabitare nolenti abſque „ contumelia Creatoris; Si ergo non liceret ei aliam ducere, cogeretur continentiam ſervare, quod videtur abſurdum, quia ſic ex converſione ſua incommodum reportaret. “ De matrimonio poſtea quæſtionem inſtituens, quod fide Chriſti, & Sacramento Baptiſmi omnino firmum & ratum effectum eſt, quod docet undequaque perfectum eſſe, & conjugio ante Baptiſma contracto multo firmius, cum Catholica Eccleſia pronuntiat, vinculum ejus neque infidelitate, neque adulterio alterutrius Conjugum ſolvi poſſe. Eccur vero? Quia Paulus aliter de fidelium, ac de infidelium matrimonio ſentiendum eſſe decernit; fideles enim conjugatos alloquens ait: *Iis, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a Viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut Viro ſuo reconciliari, & Vir uxorem non dimittat*: mox de conjugibus infidelibus agens, quorum alteruter poſt initas nuptias Chriſto dat nomen, fidelem hortatur, ut non dimittat infidelem ſecum habitare conſentientem; ſi vero infidelis commanere renuit, & diſcedit, non jubet Apoſtolus fidelem ab infideli dimiſſum manere innuptum, ſed in hujuſmodi, ideſt eo in eventu fratrem aut ſororem fidelem ſervituti non ſubjacere, ſeu prioris conjugii lege non amplius obſtringi declarat: ſi ergo alterutrum Chriſti fidem amplexum, atque ab infideli diſcedente relictum liberum a conjugii lege pronuntiat Apoſtolus, rectiſſime intellexit perpetuo Eccleſia, factam illi iterum nubendi ab Apoſtolo poteſtatem; alioqui frater aut ſoror adhuc ſervituti ſubeſſent.

VI. Tertium quoque caput nullo negotio diſſolvemus, ſi aliam huc conferamus D. Thomæ demonſtrationem, qua probat, matrimonium ratum monaſtica profeſſione diſſolvi: „ Ante conjugii actum, ait, eſt „ inter conjuges tantum vinculum ſpirituale, poſt illum vero etiam carnale, „ ideoque ſicut matrimonium conſummatum corporali morte diſſolvitur, ita religioſa profeſſione dirimitur vinculum, „ quod actum conjugii præcedit, quia religio mors quædam ſpiritualis eſt, qua „ homo ſæculo moriens vivit Deo. „ Neque homo ſeparat, quod Deus conjunxit, ſed hoc a ſupremo juris omnis auctore donata eſt privilegio religioſa profeſſio, ut conjugii rati vinculum dirimat, quod ante Evangelicam legem ſuapte natura arat indiſſolubile. Privilegii ſane hujus nulla in ſacris litteris mentio, ex tradito tamen Dei verbo illud habet Eccleſia; ut enim graviſſime ratiocinatur Melchior Cano; „ Si quidquam in Eccleſia „ eſt communi fidelium conſenſione, perpetuoque uſu probatum, quod tamen „ efficere poteſtas humana non potuit, id „ ex Apoſtolorum traditione neceſſario derivatum eſt: “ Porro morem hunc, ſolemni monaſtico voto matrimonium ratum ſolvendi, ſemper & ubique in Eccleſia viguiſſe, teſtes locupletiſſimi ſunt Epiphanius hæreſi 78., Ambroſius lib. 2. de Virgin., Hieronymus lib. 1. adverſus Jovin., Auguſtinus lib. 8. Confeſ. & lib. 3. contra Fauſtum, Gregorius M. in Dialogis, aliique; quare quum non ſit ille humanæ poteſtatis, conſequens fit, deſcendiſſe ex inſtituto Chriſti, & Apoſtolorum, qui ejuſmodi res ad gubernationem Eccleſiæ neceſſarias ſine dubio tradidere. Quidpiam ne vero ſimile adferre Novatores poſſunt, quo commentitias illas cauſſas tueantur, quibus non ratum ſolum, ſed & conſummatum

tum matrimonium diſiungi poſſe propugnant? Jure itaque Tridentina Synodus, ut illos propter errorem hunc canone jam recitato confixit, ita & privilegium hoc divinitus monaſticæ profeſſioni conceſſum temere negare auſos canone ſexto damnavit: *Si quis dixerit, matrimonium ratum non conſumatum per ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit.*

VII. In poſtremo argumenti capite refellendo ita Novatorum mendacium revincemus, ut tamen graviſſimum Melchioris Cano conſilium teneamus: „ Qui „ Summi Pontificis, ait ille lib. 5. cap. „ 5., omne de re quacumque judicium te„ mere ac ſine delectu defendunt, hi ſe„ dis Apoſtolicæ auctoritatem labefactant, „ non fovent, evertunt, non firmant. „ Quid enim adverſus hæreticos diſputan„ do ille proficiet, quem viderint non ju„ dicio, ſed effectu patrocinium auctorita„ tis Pontificiæ ſuſcipere, nec id agere, „ ut diſputationis ſuæ vi lucem ac verita„ tem eliciat, ſed ut ſe ad alterius ſen„ ſum voluntatemque convertat? Non eget „ Petrus mendacio noſtro, noſtra adulatio„ ne non eget. “ Quid ergo? Cæleſtinum III. & indicatos ad Alexandro III. Pontifices erraſſe cum Melchiore Cano lib. 6. cap. 8. concedimus, privato tamen, ſeu, ut Scholæ loquuntur, perſonali errore, non judiciali, ſeu publico; neque enim Cæleſtinus III. ut publicus Eccleſiæ Cenſor & Doctor quidpiam firmiter definivit, ſicut Novatores falſo ajunt, ſed privatam, in qua erat, protulit opinationem; verba quippe Innocenti III., quibus Novatores inique abutuntur, ſic habent: *Licet quidam Prædeceſſores noſtri ſenſiſſe aliter videantur*. Attendite homines ad mentiendum, & calumniandum prompti: *Senſiſſe* ait, non *definiviſſe*. Nec alium ſenſum habent Alexandri III. verba referentis, quoſdam Prædeceſſores ſuos *aliter judicaſſe*; verbum enim *judico* frequenter in ea ſignificatione uſurpatur, ut idem ſit, quod *ſentio*, ſeu *opinor*, apud Ciceronem præſertim, alioſque optimos Latinæ linguæ magiſtros. Denique, ut alia quælibet, quæ poſſunt Novatores ad erroris ſui præſidium arripere, paucis expediamus, nihili faciendum eſſe fidenter aſſerimus Conciliorum Vermerienſis, & Compendienſis octavo ſæculo regnante in Galliis Pipino Caroli Magni Patre habitorum auctoritatem, quorum prius viro, qui uxorem ſibi negcem molitam dimiſerit, facultatem facit aliam ducendi, ut & illi, qui neceſſitate cogente alio fugerit, quo eum ſequi prior uxor noluit, poſterius vero viro leproſo indulget, ut uxori ſanæ licentiam alteri nubendi tribuat; Non enim canones hi ad divini juris, & Apoſtolicæ doctrinæ, cujus ſupina erat tunc temporis in toto ferme Occidente ignoratio, regulam, ſed ad civiles leges, quibus id aperte permiſſum erat, exacti ſunt, atque proxime ſecuto ſæculo irritati ſunt, cura præſertim ac zelo, ut adnotat Renaudotius, Caroli Magni, qui in tota ferme Europa, quæ ejus imperio ſuberat, ut litterarum ſtudia, ita & diſciplinam Eccleſiaſticam egregie reſtituit, atque Romanas, leges, nec non præpoſterum multarum gentium morem ex divinæ & Apoſtolicæ ſanctionis norma correxit.

ADSERTIO II.

Eccleſia docens, nec adulterio Matrimonii vinculum diſſolvi poſſe, impie a Novatoribus accuſatur erroris.

I. Alia quidem verborum formula conceptus fuerat ſeptimus Tridentini canon in vigeſima quarta ſeſſione promulgandus, paratumque in eos anathema fuerat, qui adulterio ipſum Matrimonii nexum abrumpi docerent; Venetis tamen Oratoribus intercedentibus immutatus eſt, hacque verborum ſerie contextus: *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, quum docuit, & docet juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius Conjugum Matrimonium non poſſe diſſolvi* &c. *anathema ſit*. Quæ intercedendi cauſa iis fuerit, præter Cardinalem Pallavicinum, refert & Paulus Sarpius lib. 8. hiſt. Conc. Trident. ſcribens, reclamaſſe eos priori canoni, ſuaque interceſſione a Patribus obtinuiſſe, ut jam concepto canoni alter ille, quem recitavimus, ſubrogaretur, quia, quum regna Venetæ ditioni ſubdita incolerent Græci, quibus a tempore immemorabili in more erat, adulteram uxorem dimittere, aliamque ducere, qua tamen de cauſſa etiſ Eccleſiæ toti notiſſima nullum eos Concilium vel redarguerat, vel damnaverat, æquum ſane non erat, in eos abſentes, neque ad Concilium vocatos, ideoque inauditos ſententiam ferre, & ana-

thema jaculari. Non eſt ergo intortus in Græcos, aliosque Orientales Tridentini canon, quum ii, etſi a Latinæ Eccleſiæ doctrina atque praxi in hoc capite jamdudum diſſentiant, numquam tamen, nec etiam poſt adoptatam hæreſim, conflatumque ſchiſma, criminari illam auſi ſint, erroriſque accuſate, quod matrimonii vinculum ita doceat firmum, ut nec adulterio relaxetur. Soli Novatores hoc canone percelluntur eo temeritatis abrepti, ut Eccleſiam hoc quoque nomine damnarint erroris, Calvinus imprimis, qui *manifeſte in Deum impiam, & in homines iniquiſſimam legem* illam appellat, qua in Romana Eccleſia cautum eſt, *ne viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere liceat*; quare, in depellenda iniquiſſima hac Eccleſiæ criminatione præcipue ponemus operam, poſtremo commonituri, qua ratione ſit cum Græcis agendum.

II. Ille ſane a pudore omni, & communi ipſo hominum ſenſu deſertus ſit, oportet, qui legem impietatis, & iniquitatis accuſet, quæ ex doctrina Evangelica & Apoſtolica derivatur: quid clarius, quid generale magis, & abſolutum iis, quæ jam ex Marci x. & Lucæ 16. recitavimus: *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam, & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mæchatur*: *Omnis qui dimittit uxorem, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mæchatur?* Quum omnibus legitime nuptis Chriſtus novo conjugio indefinite, & ſine exceptione ulla interdixerit, quidpiam ne docemus in Deum manifeſte impium, & in homines iniquiſſimum, qui exceptionem adulterii rejicimus, quum effatum ſit ipſo rationis lumine perſpectum, ac communi hominum uſu tritum, nihil ab eo excludi, qui totum ſua oratione complectitur? Chriſtone ſummo legis novæ latori contumeliam irrogamus, qui verba ejus juxta generalem, & obvium, quem præferunt ſenſum, reverenter excipimus, neque arbitrariam audemus eis limitationem opponere, noſque ab eorum obſervatione in hoc vel illlo eventu ſubtrahere, quum naturalis ipſa ratio, & gravior philoſophia doceat, ait D. Thomas, *in manifeſtis etiam humanæ legis opus eſſe non interpretatione, ſed executione, in dubiis vero non licere a verbis legis abſque Principis interpretatione recedere*, quare & Juſtinianus in codice de legibus & conſtitutionibus Principum ait: *Inter æquitatem, juſque interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet, & licet inſpicere?* Nonne & Paulus ipſe hoc idem Chriſti præceptum inculcat, illudque generatim urget nulla adiecta adulterii exceptione, *iis qui Matrimonio juncti ſunt*, ajens, *præcipere Dominum, uxorem a Viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut Viro ſuo reconciliari*, atque abſolute pronuntians, *mulierem, vivente viro, alligatam eſſe legi, futuramque adulteram, ſi alii nupſerit, nec niſi defuncto Viro a lege conjugii liberari?* Quid ergo peccamus in Chriſtum, ſi non audemus verbis ejus eam limitationem adjungere, a qua & ipſe Paulus abſtinuit?

III. Quid quod ab ipſa Apoſtolorum ætate graviſſimi Patres in eundem ſenſum laudata Chriſti verba interpretati ſunt, idemque de conjugii vinculo adulterio non abrupto tradiderunt, quod Romana hactenus Eccleſia docuit atque docet? Primum adfero libri Paſtoris auctorem: librum laudo, cujus tanta olim in quibuſdam Eccleſiis erat auctoritas, ut canonicus haberetur, & ab Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, & Tertulliano laudatus fuerit ceu divinus, quem etſi aliæ paſſim Eccleſiæ in ſacrarum Scripturarum canonem non retulerint, conſtat tamen prioribus ſæculis eo in honore fuiſſe, ut ubique in Eccleſiis legeretur ceu fidelium inſtitutioni perutilis. Auctorem vero appello Paulo ipſi coævum, ejuſque Diſcipulum: Hermam enim illum eſſe, cui Paulus ſub finem Epiſtolæ ad Romanos ſalutem dicit, tradunt Origenes, Euſebius, & Hieronymus: hic ergo lib. 2. cap. 4. cui titulus *de dimittenda adultera*, Angelum ſibi interroganti ſic reſpondentem inducit: „ Dixi illi, Domine, ſi quis habuerit uxorem fidelem in Domino, & hanc invenerit in adulterio numquid peccat Vir ſi convivit cum illa? Et dixit mihi, quamdiu neſcit peccatum ejus, ſine crimine eſt Vir vivens cum illa, ſi autem ſcierit eam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione ſua, & convivit cum illa Vir, reus erit peccati ejus, & particeps mæchationis ejus: & dixi illi, quod ergo ſi permanſerit in vitio ſuo mulier? Et dixit, dimittat illam Vir, & ipſe per ſe maneat, quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit,

„ xerit, & ipſe mœchatur . . . .: Hic „ actus ſimilis eſt in Viro, & in mulie- „ re. " „ Habes expreſſam, ait Doctiſ- „ ſimus Cotelerius, verbis Apoſtolici viri „ clariſſimis orthodoxam ſententiam de „ vinculo Matrimonii poſt adulterium „ permanente. " Eandem diſerte docuit Tertullianus in lib. de Monogamia cap. 10. ajens: *Qui dimiſerit uxorem ſuam, inquit Chriſtus, præter quam ex cauſa adulterii, facit eam adulterari, & qui dimiſſam a Viro duxerit, adulterat utique. Non & nubere legitime poteſt repudiata? Deus aliter cenſuit citra quam homines, ut in totum ſive per nuptias, ſive vulgo, alterius Viri admiſſio adulterium pronuntietur*; & cap. 11. *Mulier vincta eſt, quandiu vivit Vir ejus, ſi autem dormierit Vir ejus, libera eſt, cui volet nubat, tantum in Domino: hinc quoque eam demonſtrat intelligendam, quæ inventa fuerit ſoluta a Viro, quomodo & Vir ſolutus ab uxore, per mortem utique, non per repudium facta ſolutione, quia repudiatæ non permitteret nubere contra priſtinum præceptum*. „ Valeant „ itaque, ſcite ait Pamelius, valeant E- „ raſmus, ejuſque aſſeclæ, qui pro ſe „ Tertullianum perperam citant."

IV. In eandem ſententiam ceu Evangelica & Apoſtolica doctrina ſubnixam conceſſerunt e Græcis Hermas in lib. Paſtoris, Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum, Baſilius M. in Regula Morali, Chryſoſtomus hom. 17. in Matthæum, e Latinis vero Hieronymus ſæpe & Auguſtinus cum pluribus aliis in locis, tum præcipue in bino de adulterinis conjugiis libro ad Pollentium, ubi rem ex profeſſo ita agit, ait Cotelerius, ut ad idem ſentiendum omnes propemodum Latinos doctores, antiquos, ac recentiores adduxerit. Quoniam vero Doctiſſimus Renaudotius animadvertit, a ſæculi quinti initio, quo Innocentius I. Romanam ſedem obtinuit, quæſtionem hanc celeberrimam, & difficillimam toties, tantoque æſtu jam olim agitatam fuiſſe definitam, & Patres Innocentio coævos, ac poſteriores hoc Chriſtianæ Ethices caput conſtantiſſime pro pugnaſſe, proferenda ſunt Innocentii verba, quæ in epiſt. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum habet: *De his requiſivit Dilectio tua, qui interveniente repudio alii ſe matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt; Qui ergo vel quæ, viro vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, intantum ut etiam hæc Perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundum illud, quod legimus in Evangelio, qui dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, mæchatur, ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mæchatur, & ideo tales omnes a communione fidelium voluimus abſtinendos*. Jam vero ex his omnibus neceſſario conſequitur, non poſſe Romanam Eccleſiam erroris a Novatoribus inſimulari, quin idem de tot iis, quos laudavimus, purioris ævi Patribus pronuntietur. *Uſque ne* autem (aptiſſime in Novatores cadunt Auguſtini verba adverſus Julianum) *ima ſummis adeo permiſcuit longus dies, ut videant* Lutherus, Melancton, Calvinus, *& cæci ſint* Hermas, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Baſilius, Innocentius, Hieronymus, & Auguſtinus? *Sed qualiſcumque homo ſis*, Calvine, *tamen quia homo es, mihi videre videor verecundiam tuam (ſi tamen non eſt in te ſpes omnis emortua ſanitatis) & quodammodo vocem tuam audio, qua reſpondes: abſit, ut audeam cæcos iſtos Viros vel cogitare, vel dicere*. Si ergo laudati Patres neque cæci fuerunt, te ipſo non uno tuorum operum loco confitente, neque ſtupidi, iniquiſſime Romanam Eccleſiam culpas, quæ idem omnino docet, quod e Sacris litteris juxta eorum interpretationem acceperat.

Diluuntur Novatorum objecta.

Arguunt primo: Chriſtus Matth. 19. Phariſæis ſciſcitantibus, an liceret uxorem quavis ex cauſſa dimittere, reſpondiſſe legitur: *Dico autem vobis, quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem*, ſeu ut Matthæi 5. jam dixerat, *excepta fornicationis cauſſa, & aliam duxerit, mæchatur*; qui ergo uxorem fornicationis cauſſa dimiſerit, & alteri nupſerit, non mæchatur, quum exceptio, ut apud Juriſperitos in proloquio eſt, firmet regulam in contrarium.

V. Ad argumenti hujus diſſolutionem Sanctorum Hieronymi & Auguſtini verba adhibemus, a quorum doctrina pudere debuiſſet Hæreticos reſilire. Prior in epiſt. 147. Amando Presbytero interroganti, an Eccleſiaſtica communione donari poſſet

mulier, quæ viro adultero, & gravioris etiam ſceleris reo dimiſſo alteri nupſerat, ita reſpondet: *omnes cauſationes Apoſtolus amputans apertiſſime definivit, vivente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Quamdiu vivit vir, licet adulter ſit, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apoſtolus hæc propria auctoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquente Chriſti verba ſecutus eſt, qui ait in Evangelio: qui dimittit uxorem ſuam excepta fornicationis cauſſa, facit eam mæchari, & qui dimiſſam acceperit, adulter eſt, ſive ipſa virum dimiſerit, ſive ipſa a viro dimiſſa ſit* &c. Poſterior vero lib. I. de adulterinis conjugiis cap. 8. Matthæi verba cum iis, quæ jam ex Marco & Luca laudavimus, probe componens ait: *Quoniam fas non eſt, ut Evangeliſtas de una re loquentes ab eadem ſententia diſſentire dicamus, reſtat ut Matthæum intelligamus, eandem tenuiſſe ſententiam, ut omnis, qui dimittit uxorem, & alteram ducit, mæchari minime dubitetur; nam & illud, quod etiam ſecundum Lucam ſequitur, quomodo verum eſt, qui dimiſſam duxerit, mæchatur? Quomodo mæchatur, niſi illa, quam duxit eo vivente, a quo dimiſſa eſt, adhuc uxor aliena eſt? Si enim jam ſuæ non alienæ miſcetur uxori, utique non mæchatur: mæchatur autem, aliena ergo eſt, cui miſcetur. Porro ſi aliena eſt, ejus a quo dimiſſa eſt, etiamſi propter fornicationis cauſſam, nondum uxor eſſe, ceſſavit.*

VI. Hieronymus, Auguſtinus, ut & alii Patres, quos ſupra laudavimus, docent, ſubobſcurum Matthæi textum perſpicuis Marci, Lucæ, & Pauli verbis exponendum eſſe, quæ quum abſoluta, atque indefinita ſint, manifeſte indicant, eam adulterii exceptionem, quæ apud Matthæum occurrit, non in ſecundam, & tertiam Dominicæ ſententiæ partem cadere, ſed unice in primam, hoc eſt factam ſolum a Chriſto facultatem viro uxorem adulteram dimittendi, ſeu a thalamo, & contubernio ſeparandi, non item aliam ducendi, neque adulteræ dimiſſæ cum altero nuptias ineundi. Rem declarat egregie Auguſtinus: *Licite dimittitur conjux ob cauſſam fornicationis, ſed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimiſſam duxerit etiam ob cauſſam fornicationis; ſicut enim permanente in ſe Sacramento regenerationis excommunicatur cujuſquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiamſi nunquam reconcilietur Deo, ita manente in ſe vinculo fæderis conjugalis, dimittitur ob fornicationem uxor, nec carebit illo vinculo, etiamſi nunquam reconcilietur Viro.* At inquiet aliquis, quum multæ ſint cauſſæ ſacris canonibus comprehenſæ, & a Tridentina Synodo confirmatæ, ob quas licet uxorem a thalamo, & habitatione rejicere, ſi ad primam duntaxat Dominicæ ſententiæ partem ea Matthæi exceptio referatur, conſequens erit, nullam aliam faciendi divortii cauſſam ſignificatam a Chriſto præter fornicationem, ideoque erraſſe Eccleſiam, quæ præter hanc plures alias olim admiſit, probatque etiam nunc. Verum frivola eſt hæc argutatio; ut enim ait egregie D. Thomas, „ fornicatio directe „ eſt contra bonum Matrimonii, quia „ per eam tollitur certitudo prolis, & fi„ des frangitur, & ſignificatio Sacramenti „ non ſervatur, dum unus conjugum car„ nem ſuam pluribus dividit, *ideoque* „ alia crimina, etſi forte fornicatione ma„ jora ſint, non tamen cauſſant divor„ tium, " ſubintelligite perpetuum; quare hoc fornicationem inter, aliaſque cauſſas, propter quas uxoris dimiſſio in Eccleſia probatur, diſcrimen intereſt, quod Vir uxorem fornicantem dimiſſione perpetua poteſt a thalamo, & convictu ſejungere, neque dimiſſam etſi pænitentia ductam & emendatam tenetur ſtricto jure, ſeu ut canones ajunt, *debito neceſſitatis, & conſcientiæ recipere*, quum dimiſſio fornicationis cauſſa jure conjugali fiat ob violatam nuptiarum fidem, ob alias vero cauſſas nonniſi titulo defenſionis, atque ad tempus dimittatur uxor, donec videlicet reſipuerit, deſieritque periculum aut ſcandalum, quod alteri conjugum timebatur, qua probata reſipiſcentia, aut ſublato periculo, dimiſſam a Viro recipiendam eſſe, canones non ſemel edicunt.

VII. Neque fælicius argutantur ii, qui regerunt, niſi dicamus, declaratum a Chriſto ipſum Matrimonii nexum adulterio diremptum, inepte reſpondiſſe illum Phariſæis interrogantibus, an fas eſſet uxorem quacumque ex cauſſa dimittere, quum ii non de dimiſſione, quæ divortium dicitur, percunctarentur, ſed de illa, quæ libello repudii conſignata, ita

con-

conjuges ſejungebat, ut utrique facultas eſſet novas nuptias quæritandi. Eccur enim Chriſtus minus apte Phariſæorum interrogationi reſpondiſſe dicendus erit, niſi in confictum a Novatoribus ſenſum ejus verba trahantur? Sciſcitantibus iis, an quavis ex cauſſa dimitti uxor poſſit, primævam Matrimonii inſtitutionem eis ante oculos ponens, perpetuam docet conſtitutam fuiſſe conjugalis fæderis firmitatem, nec poſſe jam ab homine ſeparari, quod eſt conjunctum a Deo. Reponentibus iis, ſibi mandatum a Moſe, ut ſcripto repudii libello dimitterent, reſpondit Chriſtus, id permiſſum a Moſe ad duritiem cordis eorum, cæterum ab initio ſic non fuiſſe: Mox ea adjecit, in quibus Novatores erroris ſui arcem perverſe collocant; *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Verba hæc omnem omnino controverſiam dirimunt, quæque apud Judæos (innoxie an ſecus, non diſputamus) in more erant, prorſus expungunt; quum enim Deuter. 24. ampla Judæis facta fuiſſet permiſſio, quavis de cauſſa uxores non gratioſas, vel odio habitas repudiandi, atque e domo perpetuo dimittendi, repudiantibus aliam ducendi, & repudiatis alii nubendi, Chriſtus tria hæc capita Moſaicæ illius indulgentiæ ſibi a Phariſæis objecta abolevit, primum quidem ajens, *quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, facit eam mœchari*, ut Matthæi 5. jam dixerat, declarans reum futurum criminis, quicumque quavis de cauſſa, præter quam ob fornicationem, uxorem perpetuo abjiciens, eam in moralem quamdam mœchandi neceſſitatem conjicit; ſecundum vero quum inquit, *& aliam duxerit*, mœchatur; tertium denique quum adjecit, *& qui dimiſſam duxerit mœchatur.* Quid ergo hoc Chriſti reſponſo abſolutum magis, quid ad diluenda Phariſæorum quæſita accommodatius?

VIII. Perperam vero nonnulli Patres a Novatoribus proferuntur, Origenes nimirum tract. 7. in Matth., Epiphanius hær. 59., Baſilius M. in Epiſt. ad Amphilochium, Lactantius lib. 6. Divin. Inſtit., Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum, qui verba Chriſti de vinculo Matrimonii adulterio diſſoluto interpretantur, ut & nonnulla Concilia, quæ in eandem ſententiam abierunt. Nolumus in iis explicandis, & ad aliorum ſententiam vel obtorto collo trahendis minus fælicem illam operam ponere, quam ingenioſi quidam recentiores Theologi, Patres præſertim Serry, & Berti, aliique locarunt, quod, quam ii adhibent, expoſitionem Patrum verba attentius penſitata non ferant. Quid ergo? Revocandum primo in mentem eſt, quod Auguſtinus in lib. de fide, & operibus cap. 19. ſcribit: *in ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio liceat adulteram dimittere, adulter habeatur, ſi alteram duxerit, ut quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur.* Ad eos plane Auguſtinus alludit, quos noverat aliter Chriſti verba interpretatos, quam ipſe expoſuerat, poſt diligens in eis poſitum ſtudium, & exquiſitam verborum Matthæi cum iis, quæ Marcus, Lucas, & Paulus habent, collationem falli eos pronuntiat, *venialiter*, quod ea ſit divinarum ſententiarum obſcuritas, & ſuperficie tenus ſpectata colliſio, ut errorem faciat venia dignum. „ Quid itaque, ait Vincentius „ Lirinenſis, ſi in ipſa vetuſtate duorum „ aut trium error deprehendatur? Cura„ bimus omnino, ut paucorum inſcitiæ „ decreta univerſalis Concilii præponan„ tur, “ quæ ſi deſint, præſto erit Romani Pontificis e Cathedra ſancientis auctoritas. Jam adnotavimus cum Renaudotio, a S. Innocentio I., qui eo tempore Eccleſiæ præfuit, quo Novatoribus quibuſque fatentibus nedum vera Chriſti Eccleſia eſſe deſierat, controverſiam hanc fuiſſe diremptam; quare in genuino verborum Chriſti intellectu *venialiter* hallucinati ſunt laudati Patres, qui omnes Innocentio rem definiente priores fuerunt, uno dempto Theodoreto, cujus verba in Catholicum ſenſum D. Du-Hamel nec abs re, conatur inflectere. Non tamen *venialis* habendus eſt eorum Conciliorum error, quæ poſt tam nitidam Innocentii definitionem in Occidente habita, viris, qui uxores adulterii revicerant, alias ducendi licentiam paſſim fecerunt; majorem etenim Romanarum legum, quibus id vulgo permiſſum erat, quam divinæ & Apoſtolicæ id palam vetantium quum rationem habuerint, meruerunt, ut præpoſtera eorum decreta Catholicus quiſque poſthabeat; graviſſime enim atque veriſſi-

me

me de Romanis legibus cum divino jure pugnantibus ſcripſerunt Græcorum Doctiſſimi: *Repudium legibus noſtris omnino diſplicet, licet Romanæ aliter decernant*, ita Nazianzenus, Chryſoſtomus vero, *nec mihi recites prophanas & externas leges, quæ libellum repudii dare, ac divortium facere præcipiunt, non enim profecto ſecundum has leges judicaturus eſt Deus, ſed juxta eas, quas ipſe poſuit*.

IX. Paulo difficilius illud videtur eſſe, quod ex veteri Pœnitentiali Romano depromitur, in quo mulieri, quæ nolens ac reluctans, a viro fuerit ad patrandum adulterium adacta, permittitur, ut cui voluerit, nubat, Vir autem nequam omni prorſus novi ineundi conjugii ſpe fraudatur. At non ille eſt Pœnitentialis Romani ſenſus, quem illi Novatores imperite ſubjiciunt, neque mulieri, de qua eſt ſermo, facultas fit, ut, cui voluerit, nubat etiam vivente viro, ſed ſolum eo demortuo. Itane vero, reponet aliquis? Ita plane, quum enim veluti canonico jure interdictum eſſet adulteris, ut & parricidis, atque inceſtus reis, novo ineundo quandocumque connubio, lege hac non teneri declarat Pœnitentiale mulierem, quæ fuerat a viro ipſo coacta mæchari, hujuſque criminis pœnam totam retorquet in virum, qui invitam illam ac repugnantem ad tantum ſcelus adegerat.

X. Jam vero ſubdendum eſt, quid de Græcis, aliiſque Orientalibus ſentiendum, quique cum eis agendum. Pauca dabimus ex Clariſſimo Renaudotio, quo nemo diligentius veterem ac hodiernam Orientalium doctrinam, diſciplinamque ſcrutatus eſt: Etſi ii in adſerenda Matrimonio veri Sacramenti dignitate, & indiſſolubili ejuſdem nexu tuendo nobis egregie conſentiant, ex iis tamen, quæ hactenus expendimus, Chriſti Domini verbis Matth. 5. & 19. conficiunt, licere viro uxorem adulteram repudiare, atque alteri nubere. Hinc eo Evangelico textu freti, necnon ſeptuageſimo quarto inter Apoſtolicos canone, perperam tamen intellecto, nonnullorum Græcorum Patrum, pluriumque gentis ſuæ Scriptorum teſtimoniis, atque civilibus legibus, quas ex Theodoſiano codice, atque Imperatorum reſcriptis excerptas in juris ſui canonici corpus una cum Patrum dictis, & Conciliorum canonibus compegerunt, jamdudum in more habent, uxores ſuas adulterii cauſſa dimittere, aliaſque ducere. Quid vero? Hæretici ne hoc nomine habendi ſunt? Nolite, viri Theologi, judicium Romanæ Eccleſiæ omnium Matris atque Magiſtræ prævertere. Abſtinuit ab hac eis inurenda nota Tridentina Synodus prudentiſſime; abſtinuerunt & poſteriores Tridentino Concilio Romani Pontifices, etſi plura de aliis Græcorum diſciplinæ & rituum capitibus ſanxerint; abſtinuerunt & Cardinales de Torres, & Montaltius Montis-Regalis in Sicilia Archiepiſcopi, etſi a Græcis ſuo regimini ſubditis Matrimonii vinculum adulterii cauſſa palam dirimi noſſent, neque in ſuis Synodis ſæculo elapſo habitis morem illum proſcripſerunt, aut improbarunt, ſed eas duntaxat repudiationes poſterior Synodus irritavit, quæ fuerant abſque judicii forma, & privata auctoritate peractæ.

XI. Cur autem Orientales hoc titulo nec fuerint hactenus habiti Hæretici, nec vero haberi poſſint, in promptu ratio eſt, quam mihi videor ex integra ejuſdem Renaudotii diſputatione colligere, quod nimirum Orientalibus bona, ut ajunt, fide jam pridem perſuaſum ſit, caput hoc non fidei morumque eſſe, ſed diſciplinæ, ideoque integrum cuique morem Eccleſiæ ſuæ ſectari, præſertim quum ſit mos ille pervetuſtus, Evangelii, ut ipſi putant, Patrum, & Canonum auctoritate ſubnixus; quum enim *alia ſint*, ut ait Auguſtinus, *in quibus inter ſe aliquando Doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalva fidei compage, non conſonant, alia, quæ ad ipſa fidei pertinent fundamenta*, hoc Orientales inter & Novatores latiſſimum diſcrimen intereſt, quod ii in prioris generis re a nobis, intacta fide, ſibi videantur diſſentire, Novatores vero ſacrilego auſu ipſa fidei fundamenta ſubruere aggreſſi ſint, Catholicæ ſcilicet Eccleſiæ indeficientiam, & inerrantiam, non erroris ſolum, ſed impietatis in Deum, & iniquitati in homines doctrinam Romanæ Eccleſiæ damnantes. Hinc ſcite adnotat idem Renaudotius, inconſulto agere Theologos illos, qui articulum hunc a Florentino Concilio definitum fuiſſe contendunt, Græcoſque premunt auctoritate decreti, quod jam abſoluto Concilio Eugenius IV. edidit pro inſtructione Armenorum; Zelo enim non ſecundum ſcientiam, nova Græcorum unioni impedimenta imprudenter apponunt, atque in cauſſa ſunt, ut

fiant

fiant in ſchiſmate pervicaciores. Nolumus de poſteris hujus decreti auctoritate contendere, perperam tamen illud ab Arcudio, aliiſque adverſus Græcos urgetur, quum abſoluto Concilio, Græciſque jam ad propria reverſis illud editum fuerit, neque per Nuntios ſuos Conſtantinopolim miſſos, ut Græcos in unione Florentiæ ſolemniter conflata firmarent, Romana Sedes umquam a Græcis exegerit, ut poſteriori decreto ad erudiendos Armenos adornato parerent. Si Græca & Latina Florentini Concilii acta Pontificum juſſu Romanis typis edita conſulamus, conſtat; poſt ſolemnem decreti unionis promulgationem, expoſtulaſſe Pontificem cum Græcis, ut de nonnullis aliis, ita de hoc diſciplinæ capite, Archiepiſcopum vero Mithilinenſem caput hoc præſertim tam appoſite ſolideque eluiſſe, ut Papæ ac Latinis fecerit ſatis; Quare Veneti Oratores Tridentinis Patribus vere dixerunt, Græcos hac de cauſſa nullius Æcumenicæ Synodi cenſura fuiſſe perſtrictos.

XII. Qui ergo in Græcorum, aliarumque Chriſtiani nominis gentium hæreſi aut ſchiſmate a Latina Eccleſia divulſarum converſione utilem locare voluerint operam; eidem Renaudotio auſcultent divini verbi in Oriente præcones prudentiſſime ſic commonenti. Ut abuſum hunc penitus inſitum vetuſtumque evellant, & diſciplinam apud Orientales ſanctiorem inducant, ſolidis monumentis agant, evincantque, morem, quem dudum retinent, quemque ſibi videntur ex ipſis Chriſti verbis haurire, numquam fuiſſe univerſim in Eccleſia probatum, damnatum immo a Sanctiſſimis iis Doctiſſimiſque Latinis Patribus, Innocentio I. præſertim, Hieronymo, & Auguſtino, quorum & in Oriente magnum eſt nomen, neque ſpernenda auctoritas, quos, quum hanc quæſtionem penitius ſcrutati fuerint, & ex inſtituto verſarint, æquum eſt iis anteferri, qui vel obſcure, & ambigue locuti ſunt, vel rem obiter, & perfunctorie attigerunt. Neque auctoritate ſolum, ſed & ratione agendum eſt, atque oſtendendum, ex ea, quam Chriſti verbis adhibent, interpretatione immania conſequi abſurda, quæ recta ratio non fert. Cæterum imprudenter ſolis adverſus Græcos Eccleſiæ Latinæ definitionibus, quas hactenus ii ignorarunt, nonnulli pugnant, qui ſi charitatis Chriſtianæ ſpiritu ducerentur, facile intelligerent, Græcos eadem nunc relate ad hoc caput bona fide eſſe, qua ante duodecim & amplius ſæcula erant, cum quibus tamen Occidentalis Eccleſia unitatem ſpiritus in vinculo pacis perfecte ſervavit, etſi aliam probe noſſet eorum eſſe de hoc capite doctrinam & praxim.

ARTICULUS ULTIMUS.

De Sacrorum Miniſtrorum cælibatu.

I. Nobis per tempus non licet, atrociſſima illa maledicta ſingillatim perſequi, ac refutare, quibus Calvinus Romanæ Eccleſiæ doctrinam de Matrimonio proſcindit, ajens, „ nihil aliud „ quam abominationum latebras quæſiviſ„ ſe illam, dum e Matrimonio Sacra„ mentum fecit, & longam errorum, „ mendaciorum, fraudum, nequitiarum „ ſeriem uni errori attexuiſſe. " Quæ porro hæc longa eſt errorum & nequitiarum ſeries? „ Ubi id ſemel obtinuere, „ Matrimonium nempe Sacramentum eſ„ ſe, pergit illa, conjugalium cauſſarum „ cognitionem ad ſe traxerunt, quippe „ ſpiritualis res non erat a prophanis Ju„ dicibus attrectanda, tum leges iniquiſ„ ſimas ſanxerunt, qui tyrannidem ſuam „ firmarunt, quales ſunt, ut conjugia in„ ter adoleſcentulos parentum injuſſu con„ tracta firma rataque maneant, ne inter „ cognatos uſque ad ſeptimum gradum „ legitima ſint Matrimonia, & quæ con„ tracta ſunt, diſſolvantur, gradus vero „ ipſos contra gentium omnium jura, & „ Moſis quoque politiam confingunt, ne „ ſpirituales cognati Matrimonio copulen„ tur, ne a Septuageſima ad octavam Pa„ ſchæ, tribus hebdomadibus ante nata„ lem Joannis, ab Adventu ad Epipha„ niam nuptiæ celebrentur. " Singulæ hæ Calvini blaſphemiæ a Tridentino anathemate perculſæ ſunt, & Catholicæ doctrinæ capita iis directe oppoſita, ex Apoſtolica traditione, & veteris Eccleſiæ praxi deprompta canonibus tertio, quarto, undecimo, & duodecimo, & cap. 1. *de reformatione matrimonii* definita; quare etſi levioris futurum eſſet operæ, Calvinum refellere, & Tridentini definitiones tueri, ne tamen fraudemur tempore, quod in gravioris momenti quæſtione ponendum eſt, breviter adnotamus, licet ve-

vetus canonicum jus, ad quod digitum Calvinus intendit, cognationis naturalis impedimentum ad ſeptimum uſque gradum extenderet, a Lateranenſi tamen quarto Concilio, cujus decretum in Latina Eccleſia inviolabiliter obſervatum ignorare Calvinus ſane non poterat, ad quartum, ut ajunt, *incluſive*, gradum fuiſſe reſtrictum, ſublatum item a Tridentino fuiſſe interdictum nuptias ſolemniter celebrandi tribus iis hebdomadibus, quæ natalem S. Joannis Baptiſtæ diem præcedunt, & tempus olim a Septuageſima uſque ad Paſchatis octavam excurrens, intra feriam quartam Cinerum & memoratam octavam ab eodem fuiſſe concluſum. His obiter adnotatis, cum univerſo Novatorum grege pro Sacrorum Miniſtrorum cœlibatu conſerendæ ſunt manus, adverſus quem omnium furioſiſſime Calvinus invectus eſt lib. 4. Inſtit. cap. 12. & 13. „ fœtidum illum appellans, quo „ nos miſere freti ad omnia flagitia occalluimus, quique horrendam invexit „ ſcelerum colluviem, & multas animas „ in gurgitem deſperationis projecit.“

ADSERTIO CATHOLICA.

Continentiæ lex Sacris Miniſtris indicta ſancta prorſus, & æqua eſt.

I. Propoſitionem Catholicam meditato his verbis extulimus, quod non vacet, ut iis, quibus pius eſt otii, ad parerga divertere, ſed neceſſe ſit, præcipuum ipſum controverſiæ caput ſtatim aggredi, & Novatorum erroris radicem ipſam convellere. Clamat Calvinus, quod Sacerdotibus interdictum fuit conjugium, id factum eſſe impia tyrannide, non modo contra verbum Dei, ſed etiam contra omnem æquitatem, idemque univerſis ejus diſcipulis, Pictleto præſertim, & Picennino fundamenti loco eſt: quare nobis agendum incumbit, ut fundamentum hoc peſſime jactum pro viribus evertamus. Majorum Clericorum continentiam non divini juris, aut Apoſtolici præcepti, ſed Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput eſſe, illudque non tertio Magni Nicæni Concilii canone ſancitum, ut quidam e noſtris aſſerunt, ſed diuturno uſu ab Apoſtolica ætate ductum, atque Summorum Pontificum Siricii, Innocentii I., & Leonis Magni decretis, pluriumque Conciliorum quarto exeunte ſæculo, & quinto ineunte habitorum canonibus confirmatum, ultro fatemur; inde porro momenta petimus, quibus legis hujus ſanctimoniam, æquitatemque nitidiſſime demonſtremus; neque enim morari volumus Piceninum, qui Calvinum Magiſtrum ſuum exſcribens, hæc audaciſſime prænotat in epiſtola, quam libro ſuo *de matrimonii cum miniſterio concordia* præfixit: „ Si quiſpiam aggredi me ten„ taverit huic libello reſpondens, noverit „ ſe provinciam aſſumere ea probandi, „ quæ numquam probare poterit; Pro„ bandum enim illi erit, legem cœliba„ tus pro Eccleſiaſticis divinam eſſe: di„ cere enim legem humanam, inane ac „ futile eſt.“ Ecquid ſibi vult nugaciſſimus homo hæc ſcribillans? Num iis tantum præceptis obſtringi homines, quæ Deus in veteri, & Chriſtus in novo Teſtamento tulerunt, ideoque futilem eſſe ac inanem cœlibatus legem, quod nullibi in ſacris litteris Deus illam Clericis edixiſſe legatur? Quidpiam poſt Calvinum ſibi probandum Piceninus aſſumit, quod numquam probare poterit, quum nuſpiam in ſcripto Dei verbo, cui ſoli ſtandum eſſe Novatores quique pronuntiant, reperire ſit, his tantum legibus ligari homines, quas a Deo ipſo latas eſſe Scriptura diſerte commemorat. Etſi ergo lex cœlibatus non divina ſit, ſed humana, non futiliter, ſed rectiſſime ab iis omnibus, quibus lata eſt, ſervandam eſſe contendimus.

II. Age ergo, & rem ipſis ſacrarum litterarum teſtimoniis conficiamus. In immenſum abiret oratio, ſi omnia vellemus e divino eloquio colligere, quæ certiſſime evincunt, donatam a Chriſto Eccleſiam poteſtate leges condendi, quæ ita fideles obſtringant, ut eis ſubeſſe, atque parere debeant, neceſſitate, ut Paulus ait, *non ſolum propter iram*, ſeu temporalis animadverſionis metu, *ſed etiam propter conſcientiam, & qui poteſtatibus ſublimioribus, quæ a Deo ordinatæ ſunt, reſiſtunt, quum Dei ordinationi reſiſtant*, Paulo eodem judice, *ipſi damnationem acquirant*. Illud tantum urgemus, quod Chriſtus Matth. 18. ait: *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram &c.* Non

alium

alium loci hujus adhibere interpretem volumus, quam Calvinum eo ipſo in capite, in quo adverſus cælibatus legem tam rabide furit: „ Diſciplina Eccleſiæ, ita
„ caput orditur, maxima ex parte a po-
„ teſtate clavium, & juriſdictione pen-
„ det, quam clavium poteſtatem, & ju-
„ riſdictionem a laudatis Chriſti verbis
„ ibidem arceſcit. Dividamus Eccleſiam,
„ pergit ille, in duos ordines præcipuos,
„ Clerum ſcilicet & plebem. Loquamur
„ primum de communi diſciplina, cui
„ ſubeſſe omnes debent, deinde veniemus
„ ad Clerum, qui præter illam commu-
„ nem, ſuam propriam habet“. Mox in eos invehitur, qui diſciplinam omnem ab Eccleſia ſublatam volunt, aitque, „ eos,
„ ſive data opera, ſive per incogitantiam
„ id faciant, extremam certe Eccleſiæ
„ diſſipationem quærere“, quibus verbis ſe ipſum, & Novatores omnes, qui Evangelicæ libertatis obtentu omnem diſciplinam Eccleſiaſticam peſſumdederunt, aperte damnavit. Poteſtatem ſubinde clavium, & ſpiritualem Eccleſiæ juriſdictionem enucleans inquit: „ Quemadmodum
„ nulla urbs, nulluſque pagus ſine Ma-
„ giſtratu & politia ſtare poteſt, ſic Ec-
„ cleſia Dei ſua quadam ſpirituali politia
„ indiget .... Poteſtas hæc tota pen-
„ det a clavibus, quas Chriſtus Eccleſiæ
„ contulit; quare niſi velimus irritam fa-
„ cere clavium promiſſionem, aliquam
„ Eccleſiæ juriſdictionem demus, neceſſe
„ eſt. Obſervent Lectores, non agi Matth.
„ 28. de generali doctrinæ auctoritate,
„ ſed jus Sinedrii in poſterum tranſferri
„ ad Chriſti gregem: ad illum uſque
„ diem fuerat Judæis ſua gubernandi ra-
„ tio, quam in Eccleſia ſua ſtabilivit
„ Chriſtus, putiori inſtitutione.“ Hæc Calvinus, ex quibus adverſus eum ſequentia argumenta conflamus.

IV. Primo Chriſtus rata fore pronuntiat in cælis, Calvino Interprete, quæcumque vera Eccleſia ſolverit, aut alligarit, ſive decreverit in terra; quum ergo cælibatus legem ea ſanxerit, quo tempore veram illam Chriſti ſponſam fuiſſe, & legitima clavium poteſtate, ac ſpirituali juriſdictione tributa ſibi divinitus uſam, Novatorum turba conſenſit, dubitare jam nemo poteſt, quin legem hanc ratam habuerit Chriſtus in cælis; non pugnat ergo cum verbo Dei, atque cum omni æquitate; alioqui deſiiſſet illa jam tum vera Chriſti Eccleſia eſſe, quidpiam verbo Dei, & æquitati contrarium impia tyrannide ſanciens, quod tamen Novatores ipſos hactenus puduit affirmare; qui ergo huic Eccleſiæ ſanctioni reſiſtant, quum Dei ipſius ordinationi reſiſtant, ipſi ſibi damnationem acquirunt, habendique jure ſunt ſicut Ethnici & Publicani, quum Eccleſiam audire renuant, quæ fæliciſſimo illo tantopere a Novatoribus commendato innocentiæ, ac puritatis ſuæ ævo Clericos majores lege cælibatus obſtrinxit. Secundo: Diſciplinæ communi priſcis Eccleſiæ ſæculis conſtitutæ omnes ſubeſſe debent, auctore Calvino, a qua, ſcribit ipſe, „adeo
„ nemo eximebatur, ut Principes quoque
„ una cum Plebeis ſe ad eam ferendam
„ ſubjicerent, & merito, quum Chriſti
„ eſſe conſtaret, cui omnia Regnum ſce-
„ ptra, & diademata ſubmitti æquum
„ eſt;“ quum ergo præter communem illam diſciplinam, quæ ſpectat ad plebem, aliam Calvinus agnoſcat, quam propriam Clerus habet, priori illo ævo ab Eccleſia eadem clavium poteſtate decretam, inter cujus plura capita non infimum locum obtinet lex continentiæ, hanc quoque conſtat Chriſti eſſe debere, iccirco omnes, quibus lata eſt, ei ſubeſſe, quum eadem illa, quam Chriſtus in Eccleſiam tranſtulit, poteſtate ſcita fuerit, qua diſciplina communis, eodemque illo tempore, quo ſive communis, ſive peculiaris diſciplinæ ſtabiliendæ jus pleniſſimum, atque certiſſimum penes Eccleſiam fuiſſe, Calvinus ipſe fatetur; nequit ergo cælibatus legem impiæ tyrannidis accuſare, niſi omnia expungat, & falſa eſſe pronuntiet, quæ tam magnifice, & vere ſcripſerat de poteſtate clavium, & ſpirituali ſive communis, ſive peculiaris diſciplinæ ſanciendæ auctoritate a Chriſto in Eccleſiam derivata. Tertio, Calvinus Lectores monet, „ ne Chriſti
„ verba; *Quæcumque alligaveritis* &c. de
„ generali docendi auctoritate ſolum in-
„ terpretentur, ſed intelligant, integrum
„ Sinedrii jus inpoſterum ad Chriſtiani
„ gregis Paſtores fuiſſe translatum;“ Recte quidem, quum & nos alibi monuerimus, Chriſtum ligandi, atque ſolvendi vocabulis poteſtatem a ſe Apoſtolis traditam conſulto expreſſiſſe, quod Rabbinis Chriſto prioribus, & coævis ſolemne eſſet, præcipiendi, permittendi, vetandi, leges condendi, aut eas moderandi, immutandi, abrogandi auctoritatem iiſdem verbis ſi-

gnificare; Si ergo, Calvino Conſule, totum Sinedrii jus ad Eccleſiam translatum eſt, edendarum quoque legum poteſtatem Chriſtus a Sinedrio ad Eccleſiam tranſtulit; tyrannidem itaque impiam hæc non arripuit, quum legem de Clericorum continentia tulit, cujus legis ſanctitatem, æquitatemque una hæc generalis ratio commendat, quod edita illa fuerit ab Eccleſia omnis adhuc labis & erroris experte.

V. Sed in promptu ſunt ſpecialia momenta, quibus legis hujus ſanctitatem, æquitatemque a Calvini calumniis vindicemus. Primum nobis Calvinus ipſe ſuppeditat, hæc de altera diſciplinæ parte, quæ ad Clerum peculiariter pertinet, ibidem adjiciens: „ Ea canonibus continetur, „ quos ſibi veteres Epiſcopi, ſuoque Ordini impoſuerunt, quales ſunt, ne quis „ Clericus venationi, ne quis allæ, ne „ quis commeſſationibus vacaret, ne quis „ exerceret fænus, aut mercaturam, ne „ quis laſcivis ſaltationibus intereſſet, aliique hujus generis. Adjiciebantur & pœ„ næ, quibus ipſa canonum auctoritas ſan„ ciebatur, ne quis eos impune violaret. „ In hunc finem cuique Epiſcopo com„ mittebatur Cleri ſui gubernatio, ut ſe„ cundum canones ſuos Clericos regeret, „ & in officio retineret. Quamdiu vige„ bat hæc ſeveritas, non plus exigebant „ Clerici a plebe, quam opere & exem„ plo ipſi præſtarent " &c. Pergit Calvinus diſciplinæ hujus ſanctitatem æquitatemque commendans, dolens, eam hodie miſere obſoleviſſe, „ quum nihil fingi poſ„ ſit, ut ille ait, hoc ordine, nempe Cle„ to, affræne magis ac diſſolutum; „ etſi eorum nonnulla, quæ priſci canones Clericis interdicunt, non iis ſolum, ſed omnibus generatim ſcripto Dei verbo ſint vetita, ut commeſſationibus indulgere, fænus exercere, laſcivis ſaltationibus intereſſe, non uſque eo tamen Calvinus deſipiet, ut venationi, allæ, ac mercaturæ vacare, ſuapte natura malum eſſe, & divino jure interdictum pronuntiet. Potuit ergo, Calvino auctore, Eccleſia divino verbo leges ſuas adjicere, iiſque legitime, & procul ab omni tyrannidis nota efficere, ut Clericis non licerent, quæ non erant divino jure prohibita, in ſeveriori vero illa diſciplian Clerici præſcribenda, quid non omni ex parte ſanctum, quid non ſumme æquum, quum Calvinus ipſe ſubiiciat: „ ſane ita decet, ut humaniore diſciplina „ plebs regatur, Clerici inter ſe acriores „ exerceant cenſuras, & minus longe ſibi, „ quam aliis indulgeant? " Quidni itaque potuit Eccleſia a nuptiis tametſi omnibus divino jure conceſſis certam Cleri partem arcere, eique continentiæ legem, etſi a Chriſto non latam, imponere? Nonne æquius multo ac ſanctius eſt, ſacros Dei miniſtros a nuptiis abſtinere, quam a venatione, alea, & mercatura? Cælibatum multum præſtare conjugio, inficiari ne Calvinus audebit, quum Paulus diſertiſſime ſcribat, *qui matrimonio jungit Virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit . . . Qui vult nubat, tantum in Domino, beatior autem erit, ſi ſic permanſerit*, nimirum inuptus, *ſecundum meum conſilium, puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam?* Si ergo maxime decet, ut Clerici inter ſe acriorem cenſuram exerceant, minuſque longe ſibi quam aliis indulgeant, ideſt, quod ſeverius, quod potius, quod perfectius conſectentur, æquum ſummopere erat, eos lege cælibatus obſtringi, quem Paulus Spiritum Dei habens conjugio præſtantiorem eſſe, magiſque ad Dei cultum accommodatum enuntiat.

VI. Alterum ducimus ex perveтuſtis, graviſſimiſque Patribus, qui magnificentiſſime de legis hujus ſanctitate, ac æquitate ſcripſerunt: Origenes, Epiphanius, & Siricius Papa, qui ante ſæculi quarti exitum univerſali Eccleſiæ præfuit, ſanctum maxime æquumque eſſe, ut a nuptiis, atque uxoria re miniſtri altaris perpetuo abſtineant, hoc potiſſimum argumento demonſtrant. Apoſtolus 1. ad Cor. 7. Laicis ipſis connubio junctis ſuadet, ut ad tempus ex conſenſu contineant, quo liberius, & purius orationi vacent: *Nonne ergo*, infert Origenes, *certum eſt, impediri ſacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt? Unde illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati. Si illis etiam, qui e populo ſunt*, ait Epiphanius, *id Apoſtolus præcipit, ut ad tempus vacent orationi, quanto id magis Sacerdoti præſcribit, nimirum nullis ut impedimentis avocetur, & in ſpiritualibus ſecundum Deum negotiis, in ipſo uſu Sacerdotii, & adminiſtratione ferietur? Ad Corinthios*, concludit Siricius, *ſic Paulus ſcribit, abſtinete vos, ut vacetis orationi: Si ergo Laicis abſtinentia imperatur, ut poſſint de-*

pre-

precantes videri, quanto Sacerdos utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus, ne aut ſacrificium offerre, aut baptizare impediatur? Ex eodem divino miniſterio atque cultu, nec non ex regendæ, docendæque plebis munere Clericis majoribus demandato ſanctimoniam legis hujus petit Euſebius lib. 1. demonſtrationis Evangelicæ cap. 9. ſcribens: *Eos, qui ſacrati ſunt, atque in Dei miniſterio cultuque occupati, continere deinceps ſe a commercio uxoris decet, velut eos, qui divina, & incorporea ſobole propaganda occupati teneantur, & non unius, neque duorum liberorum, ſed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, ſanctamque diſciplinam ac reliquæ inſtituendæ vitæ curam ſuſceperint. Ex quo puriſſimus puritatis Doctor Jeſus ex puris prodivit thalamis, de intemerata ſcilicet Virgine natus.* Cyrillus Hieroſolymitanus probat, decere quam maxime, *ut is, qui apud Jeſum bene fungi ſacerdotio voluerit, abſtineat a muliere*; Ex quo vero *Sacerdos ungatur, ut Dei Sacerdotio fungens, munus Euchariſticum offerat, Deumque ſibi in altari vere præſentem habeat*, Gregorius Nyſſenus in lib. de Virginitate arguit, debere illum eſſe *ab omni macula & ſorde remotum, atque agni inſtar innocentis atque perfecti*, moxque adjicit: *Quomodo hæc ipſa Deo offeres, qui legi non obtemperas præcipienti, ne ſacra impurus faciat? Ac ſi Deum tibi apparere expetis, quid cauſæ eſt, cur Moſen non audias, qui populo edicit, ut a nuptiis, idest a nuptiarum opere, purus ſit, quo Dei aſpectum comprehendas?* Hæc idcirco laudavimus, quod a Patribus e divino eloquio petita fuerint, ut legis hujus æquitatem, ſanctitatemque firmarent, quibus ſi addas eorumdem Euſebii & Epiphanii, nec non Carthaginenſis ſecundi Concilii an. 390. celebrati, atque Hieronymi teſtimonium diſciplinæ hujus initium ad Apoſtolos referentium, ejuſque uſum perpetuo viguiſſe docentium, Calvinus ita premitur, ut de calcaria ad carbonariam tranſiliens hæc concluſionis loco ſubjiciat: „ Quoties cælibatui ſuo prætextum antiquitatis quærent novæ iſtius tyrannidis defenſores, toties excipiendum erit, ut veterem illam caſtimoniam in ſuis Sacerdotibus reſtituant, amoveant adulteros, ac ſcortatores, nec eos, in quibus honeſtum thori uſum non ſuſtinent, in omne libidinis genus ruere impune ſinant. “ Exceptionem tamen hanc jure ridemus, quod a quæſtione procul abludat, ſiſque miſerum hominis victi & confuſi ſolatium, & inane deſperatæ cauſæ præſidium.

Calvini argumentis occurritur.

Objicit Calvinus, „ Primum vetare, quod Dominus liberum reliquiſſet, nulla ratione hominibus licuit: Deinde nominatim Deum caviſſe verbo ſuo, ne hæc libertas infringeretur, clarius eſt, quam ut longa demonſtratione uti, neceſſe ſit. Omitto quod Paulus pluribus in locis Epiſcopum vult unius uxoris virum eſſe: Paulus inter Epiſcopi virtutes conjugium numerat, iſti intolerabile vitium in ordine Eccleſiaſtico eſſe docent: Chriſtus eo honore dignatur conjugium, ut ſignum eſſe velit ſacræ ſuæ cum Eccleſia conjunctionis: Qua igitur fronte immundum, vel pollutum vocabitur, in quo ſimilitudo ſpiritualis Chriſti gratiæ elucet? Apoſtolus citra exceptionem ſecure pronuntiat, honorabile eſſe inter omnes conjugium, ſcortatores autem & adulteros manere Dei judicium! Ipſi Apoſtoli comprobarunt exemplo ſuo, nullius quantumlibet excellentis functionis ſanctitate indignum eſſe conjugium; nam eos non tantum uxores retinuiſſe, ſed ſecum etiam circumduxiſſe, teſtis eſt Paulus. Si Apoſtolos autem nihil morantur, quid, amabo, facient omnibus vetuſtis Patribus, quos certum eſt, non modo conjugium in Epiſcoporum ordine toleraſſe, ſed etiam approbaſſe? Agitatum quidem fuit in Nicæna Synodo de indicendo cælibatu, ſed quid conſtitutum fuit? In ſententiam Paphnutii conceſſum eſt, qui pronuntiavit caſtitatem eſſe cum propria uxore concubitum; manſit ergo inter ipſos ſacrum conjugium, neque aut ipſis dedecori ceſſit, aut maculam ullam miniſterio aſpergere creditum eſt. Sane quid iniquius, quam conjugio interdicere, & neceſſitate ac vi ad continentiam adigere, qui non eſſent ad eam ſervandam idonei? Quid adverſus iniquam hanc legem potuit vehementius dici, quam quod Paulus ex Spiritu Sancto denuntiat, fore noviſſimis temporibus homines impios, qui conjugium prohiberent, eoſque non modo impo-

„ paſtores nominat, ſed dæmones? Hoc „ Spiritus Sancti oraculum eſt, quo Ec- „ cleſiam ab initio adverſus pericula præ- „ munire voluit, commonens doctrinam „ Dæmoniorum eſſe conjugii prohibitio- „ nem. "

VII. Unum cum Doctiſſimis Cardinalibus Perronio & Gothi prænotandum eſt, quo totus Calvini impetus in cælibatum retunditur, atque frangitur. Quam Chriſtus cuique tribuit nubendi libertatem, nemini Eccleſia eripit, ſanctèque veneratur, quod Chriſtus ait, *non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*, neque revinci a quoquam poteſt, non illud probaſſe ſemper, atque probare, quod Paulus enuntiat: *Qui vult nubere, nubat, tantum in Domino, ſi non ſe continent, nubant;* neque enim quemquam cogit, aut monaſticam profeſſionem amplecti, aut ſeſe miniſterio altaris addicere, ideoque vel expreſſum, vel tacitum perpetuæ continentiæ votum emittere. Ipſi ſibi vinculum cælibatus, ut Calvini verbis utar, ſcientes, ac volentes injiciunt, qui quum probe norint, quæ ſit monaſtici inſtituti natura, quæque altaris miniſterio ſit adnexa conditio, alterutrum ſponte eligunt, factaque ſibi nubendi facultate ſe abdicantes, malunt in domo Dei iis annumerari, de quibus Chriſtus ait Matth. 19. *ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum*. Quamquam vero implicitum hoc perrenis continentiæ votum majoribus Ordinibus Eccleſiaſtica ſanctione ſit additum, cujuſquam ne libertatem Eccleſia violat, quæ legitima clavium poteſtate utens, & cauſſis permota ſanctiſſimis ab ipſa ferme Apoſtolorum ætate decrevit, quotquot ſibi Dominum in portionem eligentes ſacro altaris miniſterio ſe mancipare voluerint, fore legi cælibatus obnoxios? Nonne integrum cuique pleruimque eſt, militiam, vel aliud vitæ genus amplecti? Ut vero militiæ quis nomen ultro dedit, fruſtra jam & inique de illata ſibi vi & injuria expoſtulat, quod legibus militiæ, quam elegit, obſtrictus, a pluribus, quæ olim ſibi libera erant, coerceatur. Exemplum hoc, quod Picennino Cardinalis Gothi oppoſuit, tam belle in rem noſtram cadit, ut omnes Novatorum cavillationes elidat, omneſque de violata ab Eccleſia hominum libertate criminationes depellat.

VIII. Hoc prænotato, ſingula Calvini objecta facillime diſſolvemus; ac primo a Calvino petimus, ſi nulla ratione hominibus vetare licuit, quod Dominus liberum reliquiſſet, cur paulo ante probavit, ac magnifice commendavit, immo & graviter ingemuit, obſoleviſſe veterem Eccleſiæ diſciplinam, quæ plura Clericis interdixerat, quæ in cujuſque arbitrio Deus eſſe voluerat? Mentitur deinde Calvinus, vetari abſolute ab Eccleſia, quod eſt in cujuſque libertate a Deo poſitum, quum nemini illa abſolute nuptias interdicat, ſed ea tantum conditione poſita, ſi quiſquam velit, ſacri altaris miniſterio ſe devovere, cujus hypothetici interdicti æquitatem, ac ſanctitatem momenta ſuperius conflata demonſtrant, conficiuntque. Quid ergo ſi Deus nominatim verbo ſuo cavit, ne libertas hæc infringatur? Non eam Eccleſia legibus ſuis infringit: ipſi ſibi libertatem hanc nubendi præcidunt, qui in eum ſeſe ſtatum prudentes inducunt, cui continendi neceſſitas Eccleſiaſtico jure annexa eſt, cui neceſſitati quum ipſi ſe ſponte ſubjiciant melioris boni amore, æternæque retributionis ſpe ducti, perpetuam iccirco caſtimoniam tacite Deo vovere cenſentur. Quorſum etiam ea Pauli teſtimonia, *unuſquiſque propter fornicationem ſuam uxorem habeat, qui vult, nubat* &c.? *Hoc autem dico*, ſubjicit Paulus, *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*, ideoque verba ejus permittentis ſunt, non jubentis; ſicut vero hæc Pauli indulgentia, & nubendi facultas iis non ſit, qui conjugio juncti ſunt, quos ipſe adulterii reos agit, ſi novas nuptias inivetint, quum alligati ſint legi, quamdiu alteruter vivit, ita nec ad eos extenditur, qui tacito vel expreſſo continentiæ voto, *animas ſuas*, ut Num. 30. legimus, *Domino obligaverunt*; de his enim ad Timotheum ſcribit idem Apoſtolus: *Adoleſcentiores viduas devita; quum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*; quæ verba Auguſtinus expendens ait: *Proinde, quæ ſe non continent, nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voveant, poſt votum vero niſi reddant, jure damnantur.*

IX. Quid vero ſi Chriſtus conjugium ad Sacramenti dignitatem evexit? Num honore iſto dignatus eſt quamcumque viri cum muliere conjunctionem? Calvinum

Digitized by Google

num ipſum judicem volumus, qui polygamiam adeo deteſtatur, ut eam in priſcis quoque Patriarchis damnare audeat; nonne immundas, pollutaſque ipſe jure pronuntiat nuptias, quas vir, priore uxore retenta, cum altera inierit? Non in quolibet ergo conjugio ſimilitudo ſpiritualis Chriſti gratiæ elucet, nec maritalis quæque conjunctio Sacramenti honore a Chriſto donata eſt, ſed ea ſolum, quæ legitima fuerit: Hinc quæ de polygamia, & de conjugio inter adoleſcentes Parentum injuſſu inito tradit, in eum apte torquentes, ſuis illum armis proſternimus. Eodem illo jure pollutas, immundaſque habet Eccleſia Monachorum, majorumque Clericorum nuptias, quo viduarum fidem primam Deo obſtrictam irritam facientium Paulus, quo virorum plures ſimul ducentium uxores, & adoleſcentulorum clandeſtina abſque Parentum aſſenſu connubia Calvinus, quod nimirum illegitima ſint, & prorſus indigna, quæ ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia conjunctionis ſimilitudinem referant. Audiendus Chryſoſtomus hom. 21. ad Theodorum lapſum, qui ex Monacho Maritus eſſe volebat: *Legitima res eſt connubium, id ego confiteor; ſed tibi jam non eſt integrum connubii jura ſervare; eum enim qui cæleſti ſponſo junctus eſt, ſi ab eo divellitur, & uxorem duxerit, adulterium admittere, certum eſt, quamvis millies hoc ipſum nuptias voces, imo id tanto gravius adulterio eſt, quanto Deus præſtantior homine. Neque quis te decipiat dicens, uxorem ducere non vetat Deus, id ego quoque novi, ſed adulterium prohibuit, & tu admittere volebas, quod abſit, ut nimirum connubio jungaris umquam. Ecquid miraris, ſi nuptiæ pro adulterio reputantur, quando contemnitur Deus? . . . Si privatus eſſes, nemo te deſertæ militiæ accuſaret, nunc autem tui juris non es amplius, qui tanto Imperatori militare cæpiſti; etenim ſi mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, multo magis qui vivunt in Chriſto, ſui corporis poteſtatem non habent. Qui nunc contemnitur, ipſe eſt, qui tunc judicabit.* Ab his Chryſoſtomi argumentis ex Paulo, & naturali ratione ductis, ſi potis eſt, ſe Calvinus expediat.

X. Mirum porro, Calvinum eo temeritatis abreptum, ut in iis Pauli verbis, *Oportet Epiſcopum eſſe . . . . unius uxoris virum, Diaconi ſint unius uxoris viri* &c. præceptum Apoſtolicum commentus ſit, imo virtutes inter, quibus præditus ſit, oportet, ſacro miniſterio admovendus, nuptias numerarit. Quum ex Joviniano Hæreſiarca hæc Calvinus exſcripſerit, Hieronymo reſpondeat impuriſſimum illum cælibatus hoſtem ſic perſtringenti: *Si juxta ſententiam Apoſtoli, non erunt Epiſcopi niſi Mariti, ipſe Apoſtolus Epiſcopus eſſe non debuit, qui dixit, volo autem omnes ſic eſſe, ſicut ego ſum, & Joannes indignus hoc gradu exiſtimabitur, & omnes virgines, & continentes;* & in libro adverſus Vigilantium, *quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Totam itaque Orientalem, & Occidentalem Eccleſiam ante Hieronymi tempora in hujus textus intellectu cæcutiviſſe, unum vero cum Joviniano Calvinum legitimum ejus ſenſum deprehendiſſe, neceſſe eſt, ſi Pauli verbis ea ſubſit ſignificatio, quam Calvinus invexit. Cæterum quid moramur, quum ipſa Syriaca editio, quam Tremellius Calvinianus vel ab Apoſtolis ipſis, vel Apoſtolorum ævo adornatam fuiſſe concedit, germanam Apoſtolici textus intelligentiam præbeat, Pauli verba ſic reddens: *Epiſcopum eligi oportet, qui unam tantum uxorem habuerit.* Ita quoque Apoſtoli verba legit Euſebius Cæſareæ in Paleſtina Epiſcopus, & Syriacæ linguæ ea in provincia vulgaris peritiſſimus: *Apoſtolus ſcribit, eligi oportere Epiſcopum, qui fuerit unius uxoris vir:* Ita quoque legit Ambroſius: *non ait Apoſtolus, eligendum Epiſcopum, qui fæminam ducat, & liberos ex ea procreet, ſed qui uni duntaxat nupſerit, & filios habeat in omni diſciplina ſubjectos.* En perſpicuam itaque Apoſtoli mentem, quam nobis vetuſtiorum Patrum interpretationem tenens Chryſoſtomus nitidiſſime prodit: *Non hoc veluti ſanciens dicit, quaſi non liceat abſque uxore Epiſcopum fieri, ſed ejus rei modum conſtituens . . . . . . tunc nempe iſtud rite conceſſit, pro tempore, ac pro rei natura, quæ tunc inerat, ideſt,* Timotheum, & Titum commonet, ut ſi tot non ſuppeterent cælibes, aut continentes, quot ſacris altaribus admoveri neceſſe erat, poſtularetque Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas, ut etiam nuptos in ſacrum miniſterium initiarent, nonniſi unius uxoris

ris

Digitized by Google

ris virum aſſumerent, ideſt vel unius uxoris viduum, ut quidam apud eundem Chryſoſtomum interpretantur, vel eum, qui unam illam, quam duxerat, etſi adhuc haberet, deinceps tamen quaſi non habens eſſet, ideſt ab ejus uſu abſtineret. Hinc perpetuus ille Eccleſiæ uſus, quo nemo ſanior eſt divini eloquii interpres, ut bigamis ad altaris miniſterium aditus non pateret, & ſi forte mariti, ut ait Hieronymus, *in Sacerdotium eligerentur, mariti eſſe deſiſterent*, ſeu a conjugali opere omnino ceſſarent.

XI. Si vero legenda ſint Pauli verba ad Hebræos, ut ea Calvinus legit, *Honorabile inter omnes connubium, & thorus immaculatus*, quis immania, quæ inde fluunt, conſectaria non horreat? Honorabile ergo erit inceſtum quodque conjugium, etſi divina & naturali lege vetitum, ipſique gentium juri contrarium, honorabiles quoque nuptiæ, quas vir, cui ſatis uxor una non fuerit, cum altera inierit, eritque thorus immaculatus adoleſcentulorum, qui nupſerint parentibus inſciis & invitis: hæc Calvinus admittat, oportet, ſi initum inter quoſcumque conjugium ab Apoſtolo velit indefinite laudatum; quemadmodum itaque, ne tantam Apoſtolo injuriam inferat, fateri Calvinus cogitur, inter eos ſolum ab Apoſtolo probari conjugium, qui inire illud legitime & ſancte poſſunt, ita neget, neceſſe eſt, honorabile eſſe conjugium eorum, qui votum cælibatus edentes exhibuerunt corpora ſua hoſtiam viventem Deo, quum hos, ſi nubere velint, Paulus ipſe pronuntiet, *damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt*.. Ad depellendam vero atrocem calumniam illam, quam nobis Calvinus importat, illos nos eſſe blaterans homines impios, impoſtores, & dæmones, quos Paulus prædixit fore, ut nuptias prohiberent, non veterum omnium Patrum teſtimonia conferam, uno ore, unaque mente ea Pauli verba interpretantium de Encratitis, Manichæis, & Hieracitis, a quibus Matrimonium damnatum iri Paulus, Spiritu Sancto revelante, prævidit, ſed Hugonis Grotii, quo inter Calvini Diſcipulos nullus doctior, qui & in comment. in Epiſt. Pauli, & in voto pro pace Eccleſiæ, & alibi hæc habet: „ Ad „ Papam non pertinere iſta Pauli moni„ ta ad Timotheum, jam ſupra manife„ ſtum fecimus: nam Papa neque nu„ ptias damnat, neque cibum aliquem „ immundum pronuntiat . . . . Romani „ olim conſcribebant milites tantum cæ„ libes, neque propterea nuptias dehone„ ſtabant; ſic & cælibes caſtos ad munera „ Eccleſiaſtica aſſumi, non eſt interdicere „ nuptias. Præceperunt id Romani non „ caſtitatis ſtudio, ſed ut milites aliis „ curis vacui melius ſuo muneri attende„ rent; Eccleſia vero & hoc ſpectavit, „ & caſtitatis laudem, quæ in caſto cæ„ libe major eſt, quam in caſto marito.“ Ita Grotius.

XII. Eſſemus æquo prolixiores, ſi vellemus Patres omnes adferre, qui argumentum illud Calvini ex Apoſtolorum exemplo ductum, & a ſpurciſſimo homine tam inverecunde jactatum graviſſime refutarunt, & obtriverunt. Unum Calvino Hieronymum opponemus, quod & fuerit ille linguarum Orientalium peritiſſimus, & Jovinianum, ex quo Calvinus omnia ferme argumenta depromſit, omnium validiſſime oppugnarit. *Excepto Apoſtolo Petro*, ait lib. 1. adverſus Jovin., *non eſt manifeſte relatum de aliis Apoſtolis, quod uxores habuerint, & quum de uno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine uxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificat . . . . . Cæteri Apoſtoli (ut ei ex ſuperfluo concedam) habuerunt quidem uxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum reliquerunt officium conjugale: nam quum Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, reſpondit ei Dominus, amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, qui non recipiat multo plura in ſæculo iſto, & in ſæculo futuro vitam æternam. Si autem ad probandum, quod omnes Apoſtoli uxores habuerint, illud Pauli oppoſuerit, numquid non habemus poteſtatem mulieres vel uxores circumducendi (quia girci apud Græcos utrumque ſignificat) ſicut cæteri Apoſtoli, & Cephas, & Fratres Domini, jungat & illud, quod in græcis codicibus eſt, numquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres, vel uxores circumducendi? Ex quo apparet, eum de aliis ſanctis dixiſſe mulieribus, quæ juxta judaicum morem Magiſtris de ſua ſubſtan-*

tia

ſia miniſtrabant, ſicut legimus, ipſi quoque Domino factitatum; nam & ordo verborum id ſignificat: numquid non habemus facultatem manducandi, & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? Ubi de comedendo, & bibendo, ac de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & ſororibus mulieribus infertur, perſpicuum eſt, non uxores debere intelligi, ſed eas, ut diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant. Hactenus Hieronymus.

XIII. Ubinam vero gentium ſumus, ut nobis audeat Calvinus omnes vetuſtos Patres obtrudere, quos certum eſt, ut ille ſcriptitat licentiſſime, non modo conjugium in Epiſcoporum ordine toleraſſe, ſed etiam approbaſſe? Quoniam de re facti agitur, ii advocandi ſunt teſtes, qui non ſolum omni exceptione majores ſunt, ſed rem ſua teſtificatione confirmant, quam & ipſi traditione conſtanti a majoribus hauſerant, quæque ætate ſua vulgatiſſima erat, & receptiſſima. Audi Calvine, & ſi quidquam tibi pudoris eſt reliquum, erubeſce, audi Epiphanium; de diſciplina Eccleſiæ ævo ſuo vigente hæc habentem: *Eum, qui adhuc in Matrimonio ſuo degit, ac liberis dat operam, etſi unius uxoris ſit vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Eccleſia, ſed eum duntaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici canones accurate ſervantur .....* Opponens vero ſibi, Miniſtros ſacros alicubi rei uxoriæ vacare, reſpondet, non illud *ex canonum auctoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam ...... Eccleſia autem utpote a Spiritu Sancto bene ordinata atque conſtituta, quod decentius eſt, omnibus in rebus conſiderans, ei rei, nempe continentiæ potiſſimum ſtudere inſtituit.* Audi Iſidorum Peluſiotam Chryſoſtomi Diſcipulum de Eccleſiaſtico hoc inſtituto ſcribentem: *Si caſtitas & pudicitia ſubditos Sacerdotes ordinat, libido procul dubio Sacerdotibus dignitatem abrogat, atque hoc quidem leges, & Eccleſiaſtica inſtituta ſanciunt.* Verum quid plura referre opus eſt, cum Jovinianus ipſe veritatem hanc omnibus tunc temporis exploratiſſimam fateri coactus ſit? *Certe*, ita illum urget Hieronymus, *certe confiteris, non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat, alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Quid etiam congerere neceſſe eſt canones Conciliorum, quorum aliqua aut quarto ineunte ſæculo, ut Illiberitanum, aut eodem exeunte, ut Taurinenſe, Carthaginenſe ſecundum, & quintum, aut quinto incipiente celebrata, ut Toletanum primum, locupletiſſime probant, Calvinum impudentiſſime mentitum eſſe, dum ſcripſit, certum eſſe, conjugium ab omnibus vetuſtis Patribus non modo in Epiſcoporum ordine toleratum, ſed etiam approbatum? Hæc tantum Carthaginenſis ſecundi verba referre placet, quod nos diſerte doceant, unde cælibatus lex, & diſciplina in Eccleſiam promanarit: *Ab omnibus Epiſcopis dictum eſt, placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, ab uxoribus etiam ſe abſtineant, ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

XIV. Quoniam vero, quod de Paphnutio Socrates refert, Novatoribus omnibus proræ inſtar ac puppis eſt, ut Cardinalis Perronius animadvertit, argumentum inde a Novatoribus ductum paulo fuſius eſt refellendum. Socratem primo mendacii cum Clariſſimo Valeſio poſtulamus; neque enim Rufinus, ex quo priora de Paphnutio hauſit Socrates, ullam hujus rei mentionem facit, nec Paphnutius ullus inter Ægypti Epiſcopos memoratur, qui Nicæno Concilio interfuerit. Secundo quis fabuloſam eſſe Socratis narrationem ex ipſis ejuſdem verbis aperte non colligit? Refert enim, viſum fuiſſe Nicænis Epiſcopis legem novam in Eccleſiam inducere, ut quicumque in ſacrum Ordinem allecti ab uxorum, quas cum Laici eſſent, duxerunt, uſu abſtinerent, Paphnutium vero vociferatum eſſe vehementer, imponendum non eſſe Clericis, & Sacerdotibus hoc grave jugum. Socrates legem novam appellat & grave jugum tunc primo Clericis imponendum continentiæ diſciplinam, quæ ante Niceni celebrationem Eccleſiaſtica ſanctione jam obtinebat? Recolat, quid Origenes tertio ſæculo ſcripſerit, certum nimirum *eſſe, quia impeditur Sacrificium indeſinens iis, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt*, Illiberitani, & Neocæſarienſis Conciliorum decreta in mentem revocet, quorum prior luſtris quatuor, poſterius ſolido decennio Nicænum præceſſit, atque probabile

Digitized by Google

bile admodum eſt, eoſdem Patres, qui Neocæſarienſi interfuerant, & Nicæno adfuiſſe, quum certum ſit, præfuiſſe Nicæno Oſium, qui inter Illiberitanos Patres de Clericorum cælibatu legem edixerat. Hinc intelligat, non potuiſſe a ſe fabulam hanc tam apte contexi, quin ipſa ſponte ſe proderet. Tertio, ſi ab omnibus Nicænis Patribus in Paphnutii ſententiam itum eſt, quum ſumma ſemper fuerit in Eccleſia illius Concilii auctoritas, ejuſque decreta Evangelii inſtar exciperentur ubique, qui fieri potuit, ut poſteriora quæque Concilia nullam ſententiæ Nicænorum Patrum rationem habuerint, ſed ea poſthabita Illiberitani, & Neocæſarienſis Conciliorum decreta inſtaurarint, & grave jugum illud Clericis impoſuerint, a quo imponendo Paphnutii ſermonibus aſſentiens univerſus Nicænorum Sacerdotum cœtus abſtinuit? Denique Scriptores omnes, qui eodem illo Nicæni Concilii ſæculo floruerunt, narrationem hanc Socratis redarguunt falſitatis, Euſebius Cæſarienſis, Epiphanius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Siricius, & Innocentius I. Romani Pontifices, Hieronymus, & Auguſtinus; quis autem prudenter malit Hiſtorico fidem adjungere integro ſæculo a Nicæni celebratione remoto, & in re hiſtorica erroris ſæpe revicto, quam graviſſimis Auctoribus ſynchronis, ſancte teſtantibus in Oriente, in Ægypto, & in Sedis Apoſtolicæ Eccleſiis, ideſt in Occidente, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos ſua ætate eligi, aut Virgines, aut viduos, aut certe poſt Sacerdotium in æternum pudicos?

XV. Quia etiam Calvinus alia ex Eccleſiaſticis monumentis argumenta petit, eaque adverſus ſacrorum hominum continentiam intorquet, ſolvenda illa ſunt breviter, ſed perſpicue. Ex decimo Anciràni Concilii canone, quo ſancitur, Diaconos, qui in ſua ordinatione proteſtati ſunt, velle nuptias inire, quod continere non poſſint, ſi poſtea uxores duxerint, in officio manere, quia Epiſcopus eis nubendi licentiam fecit, quid poteſt ille decerpere? Imo quum juxta commune juriſperitorum effatum, exceptio regulam firmet, inde colligimus, jam tum fuiſſe majoribus Ordinibus continentiam adjunctam, & quotquot iis initiabantur, tacite cælibatum profeſſos eſſe; quorſum enim Epiſcopus hujuſmodi ſpeciatim indulſiſſet, ut nuberent, ſi nulla fuiſſet lex, quæ ſacris Miniſtris conjugia interdiceret? Verum quid argumentis agimus, quum ſequentia canonis verba rem faciant exploratiſſimam? *Quicumque tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, a miniſterio ceſſare debebunt*. Quod vero erga Diaconatu initiandos, nec cælibatum profiteri volentes ea indulgentia uſi fuerint Ancirani Patres, qua numquam erga Epiſcopos & Presbyteros uſa Eccleſia legitur, in cauſſa fuit paucitas eorum, qui furente tunc in Chriſtianos perſecutione eſſent ad officium Diaconatus idonei: cæterum reddita paulo poſt Eccleſiæ tranquillitate, ejuſque indulgentiæ ſublata cauſſa, memoratus Ancirani Canon a poſterioribus Conciliis refixus fuit, nec umquam in Oriente, aut Occidente cuiquam ſacris ordinibus initiato nubere exinde licuit. Stulte quoque Calvinus jactitat Gangrenſis Concilii canonem, quo anathema dicitur ei, qui *diſcernit Presbyterum conjugatum, quaſi vero occaſione nuptiarum offerre non debeat, & ab ejus communione iccirco abſtinet*; quid enim canoni huic cum dogmate quod tuemur? Latus ille fuit adverſus Euſthatianos, qui nuptias univerſim damnabant, omnem æterni regni ſpem conjugatis præcidebant, atque Presbyteros, qui ante ordinationem ſuam nuptias iniviſſent, adeo averſabantur, ut nefas eſſe ducerent, iis rem ſacram agentibus communicare. Canonem ſane non de Presbyteris, qui adhuc connubio juncti ſacris operarentur, ſed de iis, qui conjugium celebraverant, prinſquam ſacris altaribus admoverentur, interpretati ſunt, non ſolum Dyoniſius Exiguus, & Creſconius vetuſtiſſimi canonum collectores, ſed & Geſnerus Lutheranus in ea, quam Tiguri curavit, hujus Concilii editione, in qua canonem hunc ita reddidit: *Si quis abſtinet a Presbytero, qui uxorem habuit*.

XVI. Non vacat, ſecundum critices leges inquirere in tot illa ſanctorum Epiſcoporum, ac Sacerdotum exempla, qui conjugati fuiſſe feruntur. Fuerint illi, dum ad Epiſcopatum, aut Sacerdotium admoti ſunt, connubio juncti: non repugnamus, quum id paſſim permitteret eorum temporum diſciplina; pernegamus tamen, neque id Novatorum quiſpiam hactenus probare potuit, ſanctos illos Epiſcopos Sacer-

cer-

cerdotes poſt conſecrationem ſuam conjugio uſos liberos ſuſcepiſſe ; quare oleum , operamque perdidit Picceninus, tot eos undequaque corradens Romanos Pontifices, & Epiſcopos , qui Sacerdotum filii fuiſſe dicuntur, totque ea Concilia percenſens , quæ Sacrorum miniſtrorum uxores , *Epiſcopam*, *Presbyteram*, *Diaconiſſam*, *ſubdiaconiſſam* memorant, & de Sacerdotum filiis agunt ; ſicut enim non potuit hactenus Hæreticorum ullus evincere, tot eos a Picennino laudatos in Epiſcopatu , aut Presbyteratu fuiſſe genitos , ita comperta res eſt, eas ſacrorum miniſtrorum uxores in priſcis Conciliis ſæpiſſime memoratas Viris ad ſacrum miniſterium admotis ſororem tantum loco fuiſſe, ideoque paſſim in iiſdem Conciliis *Converſas* dici , quia nimirum Virorum conſecrationi aſſentientes ipſæ quoque perpetuam continentiam profeſſæ fuerant . Oſtendendum poſtremo foret, inductam a Luthero, exceptamque avidiſſime a Novatoribus omnibus pſeudo-Evangelicam libertatem a recentiori Orientalium omnium diſciplina immenſo intervallo diſtare ; ſed quum per tempus non liceat in argumento iſto ſpatiari , pauca hæc ſubjiciemus, quibus & articulo huic, & toti de Matrimonio tractationi finis fiet. Etſi ab ipſa Apoſtolorum ætate ad ſeptimi ſæculi exitum eadem in Oriente cælibatus majorum Clericorum diſciplina viguerit, quæ hactenus in Occidente , in Trullana tamen Synodo an. 692. habita , nonnihil immutata fuit , eamque immutationem conſtanter retinent Orientales Eccleſiæ. Si de Epiſcopis ſermo ſit , ii non eliguntur niſi aut Virgines, aut vidui, aut ſi mariti, certe in æternum pudici, neque a thalamo ſolum , ſed & a priorum uxorum contubernio , periculi , & ſcandali vitandi gratia , penitus removentur : Si vero de aliis infra Epiſcopos miniſtris altaris agamus , ii inexorabili poſt conſerationem ſuam nubendi interdicto ligantur , uxore autem ante ordinationem ducta uti per Trullanum canonem poſſunt. Etſi hæc Trullanæ Synodi indulgentia veteri conſuetudini, & priſcis Eccleſiæ Univerſalis legibus adverſetur, tolerat eam tamen pacis ſtudio Romana Eccleſia, quod cælibatus lex non divini ſit juris, ſed diſciplinæ , cujus æquitatem, ſanctitatemque numquam damnare auſi ſunt Orientales , licet jamdudum ſentiant , non omnibus diſciplinæ hujus capitibus ſe teneri. Sed de Matrimonio jam ſatis.

FINIS TOMI OCTAVI.

DE AUGUSTISSIMO
EUCHARISTIÆ SACRAMENTO
RERUM INDEX.

PRÆLOQUIUM.

QUum Euchariſtia Sacramentum ſit, & Sacrificium, duas in partes tractatio ſecatur, quarum prior Euchariſtiæ, ut Sàcramentum eſt, altera eidem, ut Sacrificium, deputatur. pag. 1

DISSERTATIO I.

De Euchariſtia, ut Sacramentum eſt.

Diſſertationis hujus digerendæ ordo præmittitur. 2

QUÆSTIO I.

De Euchariſtiæ inſtitutore.

I. Quum omnibus ratum ſit, eam in poſtrema cæna inſtitutam a Chriſto, in quæſtionem ſolum vocamus, an Chriſtus ejus inſtitutioni Moſaici paſchatis celebrationem præmiſerit. II. Indicantur, qui primo hoc negarunt. III. Et qui in eorum opinione ſubinde conceſſerunt. IV. Nimis acre de hac opinione Suareſii judicium non probatur, nec alia videtur de ea ferri poſſe cenſura, quam quæ a Summis fidei Judicibus in Hieron. Vecchietum ejus inſtauratorem Romæ lata fuit.

PROPOSITIO I.

P. Lamy, aliorumque opinatio a ſacrarum literarum fide videtur aliena.

I. II. & III. Evangeliſtarum narratione propoſitio confirmatur. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & X. Tournemini effugia omnia præcluduntur. 4.

PROPOSITIO II.

Eadem opinio univerſæ Eccleſiæ auctoritati contraria eſt.

I. Momentum ex Quartodecimanorum errore petitum urgetur. II. Item alterum ex Trident. Concilio, ex ejuſdem Concilii Catechiſmo, & ex publicis Eccleſiæ precibus ductum. III. IV. & V. Quæ ad eludendum Tridentini teſtimonium reponit Lamy, a temeritate purgari non poſſunt, VI. Et quæ regerit Tourneminus. VII. Eodem laborant vitio, quæ adverſus Catechiſmi Romani, & ſolemnium Eccleſiæ precum auctoritatem Adverſarii dictitant. 8.

PROPOSITIO III.

Eadem opinio cum Sanctorum PP. auctoritate aperte pugnat.

I. Græci primum Patres in medium proferuntur. II. Exin Latini. III. Lamy reſponſum in Patres contumelioſum, & Novatoribus percommodum. IV. Nihilo melius Tournemini reſponſum. V. Quam fluxa ſit *Chronici paſchalis* auctoritas, qua ille nititur, demonſtratur. pag. 10

PROPOSITIO IV.

Chriſtus legitima die, luna ſcilicet quartadecima menſis primi exeunte, cum univerſa Judæorum gente Paſcha peregit.

I. & II. Recenſentur Theologi, Interpretes, ac Chronologi, qui ſecus opinantur. III. & IV. Prima propoſitionis pars conſtaris ex Evangelio, & ex Quartadecimanorum errore argumentis adſtruitur. V. & VI. Altera ejuſdem pars Evangelica narratione firmatur, & quas dilati a Judæis Paſchatis nonnulli excogitarunt, cauſas frivolas eſſe probatur. VII. Joannis cum aliis tribus Evangeliſtis conciliatio ſuſcipitur, & *legalium*, *artificialium*, ac *naturalium* dierum diſtinctione. VIII. & IX. Difficilia quædam ejus teſtimonia explicantur. X. & XI. Paſchatis nomine non ſolum paſchalem agnum, ſed & hoſtias toto ſeptiduo immolari edique ſolitas in divino eloquio haud raro venire. XII. Has autem, non illum a Joanne Paſchatis nomi-

nomine deſignari probatur. XIII. XIV. XV. & XVI. Reliqua Jo. teſtimonia, quæ videntur difficultatem iniicere, percommode exponuntur. XVII. XVIII. & XIX. Momentum ex feſto Pentecoſtes ab Adverſariis ductum excutitur, & diluitur. 12

QUÆSTIO II.

De Euchariſtiæ Miniſtro.

In Euchariſtiæ cum conficiendæ, tum adminiſtrandæ Miniſtrum inquiritur. 20

PROPOSITIO I.

Solos Sacerdotes Chriſtus conficiendæ Euchariſtiæ poteſtate donavit, nec alius quiſquam præter eos, quavis etiam urgente neceſſitate, ejus conſecrandæ Miniſter eſſe poteſt.

I. II. Veritatis hujus hoſtes cum veteres, tum recentes exhibentur. III. IV. & V. Qui momentis firmiſſimis refelluntur. VI. VII. VIII. & IX. Trium, quæ ipſi prave detorquent, Scripturæ teſtimoniorum, legitimus ſenſus aperitur, ac defenditur. X. XI. XII. XIII. & XIV. Ex Tertulliano, Cypriano, & Ambroſio, & ex priſcis Eccleſiæ monumentis nihil præſidii arripi a Novatoribus poſſe oſtenditur. XV. & XVI. Ut & vana atque futilia eſſe, quæ e naturali ratione petita adverſus conſtantem Eccleſiæ doctrinam intorquent. 20

PROPOSITIO II.

Euchariſtiæ diſpenſandæ ordinarius Miniſter Sacerdos eſt, Diaconus vero extraordinarius.

I. Tridentini, & D. Thomæ doctrina prima propoſitionis pars, II. Veterum Patrum & Conciliorum auctoritate altera declaratur. III. Quæ eſſet olim in Sacramenti hujus adminiſtratione Eccleſiæ diſciplina, breviter memoratur. 27

QUÆSTIO III.

De Sacramenti hujus materie.

Recenſentur, qui, ut ait D. Thomas, *circa hujus Sacramenti materiam multipliciter erraverunt.*

PROPOSITIO I.

Solus panis triticeus, & vinum de vite apta ſunt hujus Sacramenti materies.

I. Demonſtratione ex Evangelio, & perpetua Eccleſiæ conſuetudine cuſa veritas hæc tranſigitur. II. Melanctonis & Bezæ veſania Cypriani & Epiphanii argumento caſtigatur. III. Quo & conficitur, non quodlibet, ſed ſolum vinum *de vite* Sacramenti hujus materiem eſſe. IV. V. & VI. Quæ veritati huic adverſari videntur, inania. VII. & VIII. Ut & quæ de privilegiis, quæ non poſſent cum hac doctrina componi, ab Innoc. VIII., & Alex. VI. conceſſis jactantur. 28

PROPOSITIO II.

Inſignis temeritatis rei ſunt, qui negant, inſtitutam a Chriſto in azimo pane Euchariſtiam.

I. Argumento ex Evangelica narratione conflato propoſitio demonſtratur. II. & III. Frivola Græcorum reſponſa eliduntur. IV. V. & VI. Michael Cerularius præſertim, VIII. Et Hieremias CP. Patriarcha refutantur. 31

.PROPOSITIO III.

Fidei caput eſt, Euchariſtiam perinde confici ex azimo, & fermentato.

I. Eccleſiæ ſanctiones, II. & D. Thomæ doctrina ad veritatem hanc demonſtrandam conferuntur. III. IV. V. & VI. Nihil iis, quæ Græci regerunt, futilius eſſe, probatur. 34

PROPOSITIO IV.

Etſi in azimo vel fermentato pane rata ſit Euchariſtiæ conſecratio, nefas tamen eſt Græcis in azimo, & Latinis in fermentato conficere.

I. Invictum nobis D. Thomas argumentum ſuppeditat, quo Novatores contra ſentientes perſtringamus. II. Frivola a nonnullis communionis noſtræ Theologis excogitata diſtinctio reiicitur. III. Poſt expreſſam Eccleſiæ ſanctionem integrum jam non eſſe Sacerdoti Latino, vel Græco ſecus agere, probatur. IV. Tametſi alia olim fuerit Eccleſiæ diſciplina. V. Neque ullum eſſe exceptioni locum. 36

PROPOSITIO V.

In Sacrificio Dominico peragendo aqua vino miſcenda eſt, non Sacramenti tamen, ſed præcepti ſolum Eccleſiaſtici neceſſitate.

I. & II. Qui propoſitione hac refellendi ſunt, indicantur. III. Veterum Patrum traditione, IV. Et perpetua Orientalis Eccleſiæ conſuetudine Armeni primum damnantur. V. Lutheri exin temeritas locupletiſſimo D. Cypriani teſtimonio comprimitur. VI. Quo & perſtringuntur Gerardus Voſſius, aliique Adiaphoriſtæ. VII. Veterum nonnullorum aberratio notatur, quibus irrita viſa eſt calicis conſecratio, niſi vinum fuiſſet aqua temperatum. VIII. Solo præcepto Eccleſiaſtico aquam vino in calice offerendo miſcendam eſſe, probatur. IX. X. XI. & XII. Præcepti hujus tres a Trident. redditæ rationes a Novatorum columniis vindicantur. XIII. Armenorum objecta ſolvuntur. XIV. XV. & XVI. Explicatur Cypriani teſtimonium, quo aliqui adducti ſunt, ut crederent, hanc aquæ mixtionem ad Sacramenti ſubſtantiam pertinere, alii, ut eam putarent, divini præcepti eſſe. XVII. Ad quem Romanum Pontificem referenda ſit ritus hujus origo, incertum. 38

QUÆSTIO IV.

De hujus Sacramenti forma.

Futura nobis in hac quæſtione res eſt cum veterum Scholaſticorum nonnullis, & Græcis Schiſmaticis. 44

PROPOSITIO I.

Etſi Chriſtus omnipotenti virtute ſua potuerit Euchariſtiam abſque ulla verborum forma conficere, iis tamen uſus eſt verbis, quæ ab Evangeliſtis memorantur.

I. Veterum aliqui ſecus opinati ſunt. II. III. & IV. Qui locupletiſſimis Patrum teſtimoniis, & graviſſima Eccleſiæ auctoritate refutantur. V. VI. VII. & VIII. Quæ poſitioni noſtræ opponi videntur, communem Theologorum ſententiam non infirmant. 45

PROPOSITIO II.

Euchariſtiæ conſecratio ſolis Domini verbis abſolvitur.

I. Adverſus Græcos, & Latinorum nonnullos inſtituitur diſputatio. II. Priores validiſſimis Arcudii momentis, III. Poſteriores Florentini Concilii, & Latinorum Patrum auctoritatè refelluntur. IV. V. & VI. Quæ Adverſarii ex antiquis Patribus, VII. VIII. IX. X. & XI. Et ex Liturgiis obiiciunt, expediuntur. XII. Quorumdam veterum Scholaſticorum ſingularis opinio tecitatur, & exploditur. XIII. Quæ ſit de conſecrandi calicis forma vero propior opinio, declaratur. XIV. De germana D. Thomæ mente gravis inter ejus Diſcipulos conflictatio. 48

QUÆSTIO V.

De re in Euchariſtia contenta.

I. Exponuntur errores in hac quæſtione exagitandi. II. & III. Veteres recentesque Sacramentarii perceuſentur. IV. Necnon *Impanatores*, atque *Conſubſtantiatores*. 53

PROPOSITIO I.

Corpus & Sanguinem Chriſti in Euchariſtia vere, realiter, ac ſubſtantialiter contineri, Scripturarum teſtimoniis evincitur.

I. Cur iiſdem Tridentini verbis propoſitionem expreſſerimus. II. Et ad eam probandam Chriſti verba Jo. 6. prætermittamus, ratio traditur. III. IV. V. & VI. Sola inſtitutionis verba excutiuntur & urgentur. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. & XVI. Abadie & Picteti adverſus argumentum ex inſtitutionis verbis depromptum conatus frangitur. XVII. XVIII. XIX. & XX. Quæ ex Evangelio & Paulo ad erroris ſui præſidium iidem detorquent, breviter, nitideque ſolvuntur. 55

PROPOSITIO II.

Eadem veritas omnium Patrum auctoritate firmatur.

I. Claudii intoleranda temeritas notatur, qui omnes octo priorum Eccleſiæ ſæculorum Scriptores a Sacramentariis ſtetiſſe, blaterat. II. & III. Clariſſimis Patrum teſtimonii Charentonenſis Miniſter falſi revincitur. IV. Quid in Patrum auctoritatè & conſenſu momenti ſit, adver-

verſus Pictetum, qui eos inſuper habet, oſtenditur. V. VI. VII. & VIII. Quatuor præmittuntur, quibus opportune adhibitis pleraque Patrum teſtimonia, quæ Novatores obiiciunt, legitime exponuntur. IX. & X. Tertulliani, XI. & XII. & Auguſtini teſtimonia, quæ a Novatoribus ferocius urgentur, ſpeciatim enodantur. 64

PROPOSITIO III.

Eadem veritas præſcriptione fulcitur.

I. Præſcriptionis hujus documentum primum repetitur ex celeberrima formula illa, *Corpus Chriſti : Amen*, in Euchariſtiæ adminiſtratione primis Eccleſiæ ſæculis ubique uſitata. II. Secundum ex vetuſtiſſimis Liturgiis. III. Tertium ex Berengarii hiſtoria. IV. Quartum ex Orientalis Eccleſiæ confeſſione. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. & XII. Quæ ad diiiciendam hanc præſcriptionem Claudius opponit, infringuntur. 70

PROPOSITIO IV.

Peracta conſecratione panis vinique ſubſtantia non remanet, ſed in corpus & ſanguinem Chriſti vere convertitur.

I. & II. Iiſdem inſtitutionis verbis, III. Necnon omnium Chriſtiani nominis Societatum conſenſione tranſubſtantiatio demonſtratur. IV. & V. Sacrilega Lutheri temeritas dogma hoc ceu *impietatem*, & *blaſphemiam* inſectantis retunditur. VI. VII. VIII. & IX. Quæ ad enervandum argumentum e verbis inſtitutionis cuſum Diſcipuli Lutheri regerunt, futilitatis convincuntur. X. XI. XII. & XIII. Ipſa Albertini & Claudii confeſſione feliciter utimur ad explicanda Chryſoſtomi, Theodoreti & Gelaſii Papæ teſtimonia a Conſubſtantiatoribus objecta. 75

PROPOSITIO V.

Corpus Chriſti in Euchar. vere adeſt, non ſolum dum a fidelibus actu ſumitur, ſed quandiu Euchariſticæ ſpecies perdurant, eique impendendus eſt latriæ cultus.

I. & II. Argumento, quod Tridentinum verſat, prima propoſitionis pars confirmatur. III. IV. & V. Altera momentis conſtabilitur, quæ Urſinus Calvinianus, & Hildebergenſis Miniſter in Lutheranos nervoſe torquet. VI. VII. VIII. IX. & X. Picteti, qui Lutheranorum partes ſuſcipit, & Euchariſtiæ adorationem *inter Papiſmi ſuperſtitiones* numerat, cavillationes extricantur. 81

QUÆSTIO VI.

De Euchariſtiæ neceſſitate.

I. Prava Novatorum de hac neceſſitate ſententia refertur. II. Duplex neceſſitatis genus, duo item, quæ ſunt in hoc Sacramento ſpectanda, necnon duplex ejus ſumendi modus declarantur. 85

PROPOSITIO I.

Actu Euchariſtiam ſumere neceſſitatis eſt, non medii, ſed præcepti divini & Eccleſiaſtici, quod ſolos adultos rationis uſu pollentes obſtringit.

I. Ad probandam primam propoſ. partem Tridentini momentum, quod ſcite verſat Arcudius, affertur. II. Altera D. Thomæ momentis, tertia Laterani quarti decreto, quod Tridentinum ſeſſ. 13. can. 9. confirmavit, exponitur. III. Verborum Chriſti Jo. 6. *Niſi manducaveritis* &c. quibus Novatores abutuntur, legitimus ſenſus aperitur. IV. Quid ea inter, & alia Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit* &c. interſit, declaratur. V. VI. VII. Adhibita ab Auguſt., Innocentio I. & Gelaſio I. ad ea Chriſti verba: *Niſi manducaveritis* &c. interpretatio cum Catholicæ Eccleſiæ doctrina non pugnat. VIII. Eadem non eſt Euchariſtici cibi, ac corporalis alimenti ratio. 86

PROPOSITIO II.

Laicis & Clericis non conficientibus communio ſub utraque ſpecie divino jure neceſſaria non eſt.

I. Erroris veritati huic oppoſiti origo retegitur. II. Quique eum ſubinde ebiberunt, retinentque, indicantur. III. Tridentini momentum ex Evangelio promptum expenditur. IV. Idem ab Arcudio fuſo calamo pertractatum preſſe urgetur. V. Ex quo prioribus ſæculis Eccleſia in more habuerit alterutram tantum ſpeciem fidelibus non conficientibus miniſtrare, VI. Duæ adverſus Novatores demonſtrationes inſtruuntur. VII. Chriſti verba: *Niſi manducaveritis* &c. & *biberitis* &c. VIII. ut & illa: *Bibite ex eo omnes*, a Picteti tricis expediuntur. IX. Necnon quæ Paulus 1. ad Cor. 11. habet, *hoc facite, quotieſcumque biberitis* &c. X. Eſt & in unius Symboli

uſu Dominicæ paſſionis commemoratio. XI. Mentitur Pictetus ajens, communionem ſub una tantum ſpecie a Leone M. & Gelaſio I. damnatam. XII. Vana Calvini declamatio redarguitur. 89.

PROPOSITIO III.

Potuit Eccleſia ſummo jure Laicis calicis uſu interdicere, nec in eo interdicendo erravit.

I. Novatores de hoc capite cum Romana Eccleſia iniquiſſime expoſtulant. II. Momentis firmiſſimis propoſitio ad liquidum perducitur. III. Multæ interdiciendi Laicis calicis uſu cauſæ: præcipua tantum urgetur, ex ſancta, quæ tanto Sacramento debetur, reverentia petita &c. IV. Perpetuæ hujus erga Euchar. reverentiæ documenta profert Martene ex Apoſtolica traditione, & univerſali primitivæ Eccleſiæ conſuetudine. V. VI. VII. Pictetii, aliorumque ineptiæ coarguuntur. VIII. & IX. Argumentum ex Orientalis Eccleſiæ uſu inſtitutum refutatur. X. Etſi Theologorum noſtrorum non pauci doceant, ſumentem utrumque ſymbolum ampliori gratia donari, Romana tamen Eccleſia Laicos a dominico calice non inique removit. Egregia in hanc rem Card. Caietani doctrina exſcribitur. 94

DISSERTATIO II.

De Euchariſtia, ut Sacrificium eſt.

Germana Sacrificii notio, & multiplex ejus diſtinctio præmittitur. 99

PROPOSITIO I.

Euchariſtia eſt veri nominis Sacrificium.

I. & II. Expenduntur momenta, quibus veritatem hanc Tridentinum confirmat, III. Et illa, quæ urget Melchior Cano. IV. & V. Pictetı adverſus momenta hæc exceptiones leviſſimæ & plane futiles VI. VII. VIII. & IX. Nihilo meliora, quæ ex epiſt. ad Hebr. Calvinus adverſus hanc veritatem opponit. X. & XI. Æque inſulſa, quæ ex ratione, & ex Patribus cum idem, tum alii Novatores objiciunt. 99.

PROPOSITIO II.

Incruentum Miſſæ Sacrificium vere propitiatorium eſt, ac pro vivis ac defunctis ſancte offertur.

I. Prima propoſit. pars tribus momentis firmiſſimis, II. Altera duobus ex Auguſt. teſtimonio ductis argumentis conficitur. III. IV. & V. Jactata a Novatoribus Pauli ad Hebr. X. teſtimonia exponuntur, VI. ut & germana Eccleſiæ de ſacrificii hujus efficacitate doctrina. VII. Qua neceſſitatem Sacramenti pænitentiæ tolli, falſo Novatores effutiunt. VIII. Cur plura pro iiſdem ſacrificia offerantur, etſi victimæ dignitas ſit infinita, ratio redditur. 104

PROPOSITIO III.

Sacrilege a Novatoribus privatarum Miſſarum uſus damnatur.

I. Varia Miſſarum genera, quæ apud Eccleſiaſticos Tractatores occurrunt, breviter indicantur. II. Tridentini momentum urgetur, & ineptiſſima Kemnitii cavillatio eliditur. III. IV. V. VI. VII. & VIII. Quæcumque e ſacris literis, Patrum ſcriptis, veteri Eccleſiæ conſuetudine, Conciliorum canonibus, ac Liturgiis Novatores intorquent, nec minimum veritati huic incommodant. 107

PROPOSITIO ULTIMA.

Nihil eſt in Miſſæ ceremoniis non maxime pium & ſanctum.

I. II. & III. Momenta, quibus Tridentinum veritatem hanc probat, excutiuntur & confirmantur. IV. Quæ primum adverſus illas generatim Kemnitius præſertim, & Pictetus objiciunt, refutantur. V. Exin ſingulæ ab eorum maledictis & calumniis vindicantur. VI. Templa primum & altaria, VII. Eorumdem conſecrandorum ritus, ut & vaſorum uſus, VIII. Canon, IX. Ejuſdemque certæ orationes a Luthero furioſiſſime exagitatæ, X. Manuum ablutio, & thuris, XI. Necnon cereorum uſus, XII. Alii denique ritus, quos ſtulte Kemnitius blaterat, *nervos eſſe*, & *ipſam ſubſtantiam Pontificiæ Miſſæ*. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. Strictim attinguntur, quæ de Latinis, Græcis & Orientalibus antiquis Liturgiis fuſe diſputat Renaudotius. XIX. Pauca ex eodem delibantur ad refellendum Uſſerium, qui Triden. ſanctionem de non celebranda *vulgari idiomate* Miſſa carpit & damnat. XX. Oſtenditur tantum abeſſe, ut Orientalium mos ſanctioni huic adverſetur, ut mirifice potius ei conſonet, eamque confirmet. 110

DE

DE ORDINIS SACRAMENTO

RERUM INDEX

I. Sacramenti hujus inſtituendi neceſſitatem ex Sacramentorum diſpenſatione ad ſæculi finem uſque perduratura D. Thomas, II. Ex vero & viſibili novæ legis Sacrificio, quod in Eccleſia juge futurum eſt, repetit Tridentinum. III. Quo loco Sacramentum hoc apud Novatores omnes ſit, declaratur. 119

ARTICULUS I.

An Ordo verum ſit novæ legis Sacramentum.

Ordinis varia apud Latinos ſignificatio. Apud Chriſtianos peculiaris quædam & propria eſt ejus acceptio. Hujus definitio, quam tradit Sylvius, ceteris videtur anteferenda.

Sacra Ordinatio verum eſt novæ legis Sacramentum.

I. Sacrarum literarum teſtimoniis, II. D. Thomæ ratione, III. & IV. Veterum P. P. auctoritate, V. Et perpetua omnium Chriſtiani nominis Societatum conſenſione propoſitio firmatur. VI. VII. & VIII. Picteti primum ineptiæ redarguuntur. IX. X. & XI. Quæ ad eludenda Pauli teſtimonia Forbeſius regerit, exploduntur. XII. & XIII. Ut & quæ reponit ad infirmandam P. P. auctoritatem, XIV. & XV. Oſtenditur, nugari illum, dum inter Theologos noſtros diſſidia de hoc capite comminiſcitur. 121

ARTICULUS II.

De Ordinum numero.

I. Inferiorum Ordinum, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, numerum & varios gradus D. Thomas aptiſſime diſtribuit, & expoſuit. II. Calvini adverſus Eccleſiaſticos Ordines blaſphemiæ deſcribuntur.

In Catholica Eccleſia præter Sacerdotium alios Ordines eſſe & majores, & minores, per quos veluti per gradus quoſdam in Sacerdotium tenditur, fidei caput eſt.

I. II. & III. Dogma hoc a Trid. ſeſ. 23. can. 2. definitum documentis locupletiſſimis, quæ ibidem cap. 2. idem Concilium indicat, demonſtratur. IV. V. VI. VII. VIII. Omnia Calvini adverſus doctrinam hanc maledicta retunduntur. IX. Adverſus eamdem perperam nonnullorum P. P. ſilentium opponitur. X. XI. XII. XIII. XIV. In Orientalium diſciplina nihil eſſe, quod a Tridentini doctrina abhorreat, luculenter evincitur. 130

ARTICULUS III.

De ſingulis Ordinibus.

Calvinum refellere aggreſſi cogimur in ejus veſtigiis inſiſtere, eumque in doctrina Eccleſiæ defendenda ordinem tenere, quem ille in ea oppugnanda perſequitur. 138

§. I.

De prima Tonſura.

I. Etſi varia apud Veteres occurrant Tonſuræ genera, de ſola Clericali nobis futurus eſt ſermo. II. Varius ejus apud Orientales, ac apud Occidentales modus.

PROPOSITIO.

Prima Tonſura ritus non eſt vanitatis ac ſuperſtitionis, ſed pietatis ac religionis plenus.

I. & II. Momenta firmiſſima veritatem hanc perſuadent. III. IV. & V. Clericalem tonſuram *merum* non eſſe *Judaiſmum*, ut Calvinus blaterat, late probatur, VI. VII. VIII. & IX. nec ex Judaica Religione profectas eſſe tropologicas rationes illas, quæ tonſuræ hujus aſ-

Digitized by Google

lum præcepti neceſſitate uſurpanda: X. XI. Et unctio, quam Calvinus ut Judaiſmi impio accuſat, XII. & XIII. ita falſo ſcribit, putare nos, ea characterem indelebilem imprimi. XIV. Si qui illiterati & rudes, nec *bonum ab iis qui foris ſunt, teſtimonium habentes*, ad Sacerdotium obrepunt, non eſt a Calvino in culpa ponendum Eccleſiæ; quæ ſanctiſſimis decretis tantum malum avertere ſemper conata eſt. XV. XVI. XVII. & XVIII. Nec eadem accuſanda, quod jam pridem morem obliterarit, *nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia Sacerdotales Ordinationes perficiendi*. 165

§. V.

De Epiſcopatu.

I. Nominis *Epiſcopi* non una olim ſignificatio. II. Epiſcopalis dignitatis veteres recenteſque hoſtes appellantur.

PROPOSITIO.

Epiſcopi divino jure Presbyteris ordine, dignitate, & auctoritate præſtant.

I. Divini eloquii auctoritate, II. III. IV. & V. & invictis, quæ ex vetuſtiſſimis Eccleſiæ monumentis ducuntur, argumentis veritas conſtabilitur. VI. VII. VIII. IX. & X. Presbyterianæ ſectæ argumenta e ſacris literis prompta pleniſſime diluuntur. XI. XII. XIII. XIV. & XV. Necnon omnia, quæ ex Veterum PP. dictis conflantur. XVI. Lamberti Danæi adverſus Canonici juris Interpretes, & Scholæ Magiſtros calumnia coarguitur. 177

§. VI.

De S. Hieronymi mente.

I. Non a Presbyterianis ſolum, ſed & a Catholicorum nonnullis imprudenter Hieronymus in Aerii luto hæſiſſe, perhibetur. II. Procul illum abfuiſſe ab Aeriano dogmate, ea præ cæteris evidenter evincunt, quæ habet ille in notiſſima ad Evagrium Epiſt. III. In Commentar. in Iſaiam, & in Epiſt. Pauli ad Tit. IV. Necnon in Dial. adverſus Lucifer. V. Exponitur, unde factum ſit, ut Hieronymus in hujus erroris ſuſpicionem venerit. VI. Varia, quæ ad ejus teſtimonia Theologi quidam adhibent, reſponſa non probantur. VII. VIII. IX. & X. Difficultas omnis, quæ ex ejus teſtimoniis exiſtit, pro virili ſubmovetur. XI. Quod de Alexandrini Epiſcopi electione idem Hieronymus habet, explicatur. XII. Quod ex hoc ejus teſtimonio Dallæus & Seldenus inferunt, futile & falſum eſt. XIII. Etſi in purgando ab errore Hieronymo toti ſimus, adoptare tamen nolumus, nec vero poſſumus, quæcumque illi in teſtimoniis explicatis exciderant e calamo. XIV. Illud præſertim, quod ait: *Quid facit Epiſcopus, excepta ordinatione, quod Presbyter non facit?* XV. Hieronymi adverſus Falcidii Diaconi inſolentiam zelus nonnulla ab eo expreſſit, non ſatis ad veritatem exacta. 186

§. ULTIMUS.

De Chorepiſcopis.

I. Qui Chorepiſcopi, ex Cl. Du-Cangio in *Gloſſario* declaratur. II. Eorum inſtitutio Apoſtolico ævo recentior. III. Eorumdem privilegia perſtringuntur.

PROPOSITIO.

Chorepiſcoporum gradus reipſa ab Epiſcopali diverſus erat.

I. Ex priſcis Eccleſiæ monumentis veritas hæc deducitur. II. In duodecimo Chalcedonenſis, III. & IV. Decimo Antiochæni, V. Tertiodecimo Ancitani Concilii canone, & in Baſilii M. ad ſuæ Diœceſ. Chorepiſcopos Epiſtola nihil eſſe, oſtenditur, quod veritati huic adverſetur. VI. Ad Nicolai I. Rom. Pont. teſtimonium duplex reſponſio adhibetur. VII. Rabani Mauri aliter ſentientis auctoritas tanta non eſt, ut cordatum de ſententia deducat. 194

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De Sacra Ordinationis Miniſtro.

Cur de Ordinis ſubjecto ne verbum quidem, ut multi ſolent, habeamus, ratio redditur.

PROPOSITIO.

Solus Epiſcopus eſt ordinarius ſacræ Ordinationis Miniſter.

I. Ad veritatis hujus confirmationem nihil eſt momentis efficacius, quæ egregie verſant Beveregius, II. Pearſonius, III. Et Renaudotius. IV. V. VI. & VII. Summatim periſtringuntur, & valide refutantur, quæ Blondellus aliique Presbyteriani e Scripturis, ex Eccleſiæ monumentis, & e ratione objiciunt. 201

§. II.

De extraordinario ſacræ Ordinationis Miniſtro.

Graviſſima & prudentiſſima Iſaaci Haberti verba præmittuntur.

PROPOSITIO.

Diaconatus & Presbyteratus collatio nequit ab Eccleſia non Epiſcopis delegari.

I. Alter ſententium opinio valide refutatur, quod nova ſit. II. Quod ſolido quovis momento deſtituta. III. Quod cum perpetua Orientalis, & Occidentalis Eccleſiæ conſuetudine non cohæreat. IV. Quæ ex Baptiſmo, Confirmatione, Hypodiaconatu, & minoribus Ordinibus petuntur, exempla procul a ſcopo abſunt. V. Ex S. Epiphanii, & Philoſtorgii narratione nihil boni ſucci exprimere in rem ſuam Adverſarii poſſunt. VI. VII. Et infeliciter veterum plurium juris Pontificii, & Scholæ Doctorum auctoritate ſe protegunt. VIII. & IX. Multoque infelicius privilegio, quod Abbatibus Ciſtercienſibus Innocentius VIII. Conceſſiſſe perhibetur. 205

§. III.

De legitimo ſacrarum Ordinationum Miniſtro.

I. Legitimi Ordinationum Miniſtri notio. Acerrima olim de hoc capite controverſia deſcribitur. II. Quum a quatuor & amplius ſæculis D. Thomæ ſententia ſola regnet in Scholis, operæ pretium non eſt, in cauſam dudum præjudicatam inquirere. III. De Anglicanis ordinationibus inſtituitur quæſtio, quarum haud ita pridem P. Courayer defenſionem ſuſcepit. IV. Cur hactenus a Catholicis poſtulatæ illæ fuerint inanitatis, & poſtulentur, declaratur. V. Secunda Eduardi VI. Liturgia, ſecundum quam illæ peractæ ad hanc diem ſunt, & peraguntur, exhibetur. VI. Miſſis duabus, quas facti vocant, quæſtionibus de ſola quæſtione juris diſputatio inſtituitur.

PROPOSITIO.

Anglicanæ ordinationes irritæ & nullæ ſunt.

VII. & VIII. Quæ ad ordinationis ſubſtantiam neceſſaria omnium conſenſu ſunt, exponuntur. IX. & X. Ex ſecundo Eduardi rituali ordinationum Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi formulæ recitantur. XI. Hinc tribus demonſtrationibus ordinationes hujuſmodi irritas eſſe conficitur. XII. Quod Maſſonus, aliique Epiſcopales regerunt, confutatur. XIII. Additio in totius Anglicani Cleri Conventu an. 1662. ad memoratas ordinationum formulas facta novum ſuppeditat argumentum, a quo ſe expedire hactenus non potuerunt Epiſcopales. XIV. Irritus ad illud diſſolvendum Courayeri conatus eliditur. XV. & ſeq. Quidquid ille ad harum ordinationum defenſionem copioſe protulit, nervoſe refellitur. 211

DE

DE MATRIMONII SACRAMENTO

RERUM INDEX.

ARTICULUS I.

I. SAcramenti hujus finitio a Trid. Conc. Catechiſmo tradita. II. Calvini in Sacramentum hoc maledicta.

PROPOSITIO.

Matrimonium verum & proprium eſt legis Evangelicæ Sacramentum.

I. Non ea, quibus niti nos Calvinus effutit, ut inde nobis inſultandi anſam arripiat, momenta, II. Sed, quæ Tridentinum indicat, Patrum ſcil. auctoritatem, & univerſalis Eccleſiæ traditionem urgemus. III. Locupletiſſimis Veterum PP. teſtimoniis conficitur, mentiri Calvinum ſcribentem, neminem *uſque ad Gregorii M. tempora vidiſſe, Matrimonium a Deo pro Sacramento datum*. IV. Idem univerſalis Eccleſiæ traditione & conſenſu probatur. V. Conſenſus hujus ſplendidiſſima documenta promuntur. VI. & VII. Quas Magiſtro ſent., & Auctori Gloſſæ Decret. Calvinus infert, calumniæ diſpunguntur. VIII. IX. & X. Forbeſio reſpondetur, qui Matrimonium latiori ſolum, minuſque proprio ſenſu a Patribus Sacramentum dictum eſſe, contendit. XI. XII. XIII. & XIV. Veterum Scholaſticorum de hujus Sacramenti inſtitutione, eſſentia & effectis diſſidio, quod Forbeſius exaggerat, fidem Eccleſiæ non infirmari, demonſtratur. XV. & XVI. Nec eandem labefactari celeberrima, in qua idem Forbeſius triumphat, inter Theologos de Matrimonii materie, forma, & Miniſtro pugna. XVII. & XVIII. Quæ idem Forbeſius aliique Novatores ad elidendam Orientalium cum Occidentalibus in hoc capite conſenſionem opponunt, vel falſa ſunt, vel futilia. 229

ARTICULUS II.

De Matrimonii unitate.

Cum Luthero congrediendum, qui ſacrilego auſu polygamiam lege Evangelica eliminatam invexit.

PROPOSITIO.

Lege Evangelica vetitum eſt pluribus ſimul uxoribus jungi.

I. & II. Chriſti Domini verba Marci x. III. Et Pauli 1. ad Cor. 7. IV. Necnon ad Epheſios 5. ad profligandum Lutheri errorem efficaciſſima & decretoria. V. Eodem illo etiam argumento Lutherus perſtringitur, quo *in ſerm. adverſus Anabaptiſtas* uſus ipſe eſt validiſſime. VI. Ut & argumentis, quæ in l. *de exhortatione caſtitatis* Tertullianus graviſſime verſat. VII. Veterum Patriarcharum exempla in erroris ſui præſidium perverſe Lutherus advocat. VIII. Nec minus præpoſtere Evangelici jugi ſuavitatem exeggerat. IX. Gregorii quoque I. & III. Reſcripta perperam interpretatur. X. Socratis, qui a Valentiniano Seniore polygamiam lege lata permiſſam fuiſſe ſcribit, narratio multis argumentis anilem fabulam olere convincitur. 240

ARTICULUS III.

De indiſſolubili Matrimonii nexu.

Cauſæ referuntur, quas Calvinus, ejuſque Diſcipuli reſcindendi Matrimonii nexus commenti ſunt.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Matrimonium neque ob hæreſim, neque ob moleſtam cohabitationem, neque ob conjugis abſentiam diſſolvi poteſt.

I. & II. Expreſſa Chriſti Domini ſententia Math. 19. & Marci 10. cauſæ iſtæ a Calvinianis excogitatæ damnantur. III. Quando alter conjugum alteri ſcandalo eſt, diſgregandi thalamo, & conſuetudine conjuges, quod Tridentinum can. 8. recte fieri poſſe, declarat, non obrumpendum Matrimonii vinculum, quod Calviniani temere audent. IV. Doctrina Eccleſiæ de altero conjugum ad fidem converſo, altero in infidelitate manente, & nolente abſque Creatoris injuria cohabitare, V. Et de Matrimonio rato, quod monaſtica profeſſione diſſolvi ſentit, nihil ad Calvinianorum errorem momenti adfert. VI. Nec fulciri ille poteſt Cæleſtini III., aliorumque Romanorum Pontificum opinione, nec Conciliorum Vermerienſis, & Compendienſis ſanctionibus. 245

PROPOSITIO II.

Eccleſia docens, nec adulterio Matrimonii vinculum diſſolvi poſſe, impie a Novatoribus accuſatur erroris.

I. Cur ſeptimus Tridentini canon, quem propoſitione noſtra complexi ſumus, hac verborum ſerie contextus fuerit, declaratur. II. III. & IV. Eccleſiæ ſententiam ex *Evangelica & Apoſtolica doctrina* derivatam eſſe, ipſis Chriſti D. verbis Lucæ 16. & Marci 10., & Latinorum Græcorumque Patrum interpretatione conficitur. V. Ad Chriſti verba Math. 16., quibus Novatores abutuntur, graviſſima Hieronymi, VI. Et Auguſtini interpretatio adhibetur. VII. Eadem verba a Novatorum tricis expediuntur. VIII. Quæ nonnullorum Patrum & Conciliorum Innocentio I. poſteriorum in hac cauſa habenda ſit ratio, pronuntiatur. IX. Veteris Pœnitentialis Romani legitima ſententia profertur. X. Cum Cl. Renaudotio declaratur, quid ſit de Græcis aliiſque Orientalibus, qui in oppoſita perſuaſione conſtanter ſunt, ſentiendum. XI. Cur nec fuerint hactenus habiti Hæretici hoc nomine, neque haberi poſſint. XII. Et qua ratione cum eis utiliter agendum ſit, ut ab hoc errore reſiliant. 249

ARTICULUS ULTIMUS.

De Sacrorum Miniſtrorum cælibatu.

Reliquis prætermiſſis Calvini adverſus Eccleſiæ de Matrimonio doctrinam maledictis, ſacrorum Miniſtrorum cælibatus defenſio poſtremo adverſus eundem ſuſcipitur, qui omnium furioſiſſime in illum invectus eſt. 255

ADSERTIO CATHOLICA.

Continentiæ lex ſacris Miniſtris indicta ſancta prorſus, & æqua eſt.

I. Status quæſtionis exponitur. II. Calvini de Eccleſiæ diſciplina & poteſtate verba deſcribuntur. III. & IV. Ex quibus validiſſima adverſus eum momenta conflantur. V. Ex veterum graviſſimorum Patrum teſtificatione decretorium aliud momentum inſtruitur. VI. Cum Cardinalibus Perronio & Gothi quidpiam prænotatur. VII. VIII. IX. X. XI. Quæ Calvinus e ſacris literis, & Apoſtolorum exemplo opponit, perſpicue diluuntur. XII. Turpiſſimum ejus in exhibenda veteris Eccleſiæ diſciplina mendacium revincitur. XIII. Argumentum ex Socratis narratione cuſum refellitur. XIV Necnon reliqua, quæ ex Eccleſiaſticis monumentis cum Calvinus, tum alii ex ejus grege conflant. XV. Quantum inſana Novatorum libertas a recentiori Orientalium omnium diſciplina diſtet, breviter exponitur. 256

INDICIS RERUM FINIS.

005657826

Digitized by Google

Digitized by Google